COMPENDIUM

THEOLOGIÆ MORALIS,

EX EGREGIIS AUCTORIBUS

A RAYMUNDO ALSINA, PBRO.,

THEOLOGIÆ MORALIS IN SEMINARIO CŒLSONENSI PROFESSORE,

DEPROMPTUM,

AB AUCTORITATE ECCLESIASTICA

RECOGNITUM ET APPROBATUM.

EDITIO SECUNDA AB EODEM AUCTORE CORRECTA ET LOCUPLETATA.

TOMUS PRIMUS.

EX … RNAU,
…).

NOTA. Quando allegatur Scavini, pag. 00, intelligatur tertia editio hispana; quando vero n. 00, editio duodecima Mediolani a Del Vecchio aucta. Quum autem allegatur Varceno, pag. 00, editio quarta Taurini.

CENSURA.

EXCMO. É ILMO. SEÑOR:

Con toda la detencion y al mismo tiempo con verdadero placer he leido la Teología Moral, escrita por el Rdo. D. Ramon Alsina, profesor en el Seminario conciliar de Solsona; y juzgo que esta obra es digna de recomendacion, no solo por la pureza de la doctrina, sino por el plan general de los tratados y por el órden de las materias y su desenvolvimiento, que facilita su comprension, y contribuye poderosamente á retener en la memoria lo que se ha leido. En esta obra encontrará el lector una corta, pero exacta explicacion de la Bula de Cruzada, segun el Breve de nuestro santísimo Padre Pio IX; una explanacion completa de la Constitucion *Apostolicæ Sedis*, del mismo Pontífice, acerca de las censuras; el nuevo arreglo de capellanías con importantes decretos sobre desamortizacion eclesiástica, y todo lo que entre nosotros debe saber un confesor acerca del derecho español segun las leyes vigentes. Se ve que el Autor para esta obra ha consultado, no solo los autores antiguos, tales como los Salmaticenses, Lugo, san Ligorio y otros, sí que tambien los más recientes, como Gury, Ballerini, Del-Vecchio, Varceno, etc.: por manera que el lector encontrará compendiado en esta obra lo que difícilmente hallaria en una biblioteca; y por esto la creo sumamente útil á los confesores como libro de consulta, y muy á propósito para libro de texto en los seminarios.

Barcelona 14 de Setiembre de 1877.

Ramon Buldú, *Presbítero.*

APROBACION.

Barcelona 15 de Setiembre de 1877.

En vista de la favorable censura que antecede, concedemos nuestro permiso para la publicacion de la obra de *Teología Moral* á que la misma se refiere.

Vicario Capitular,

Juan de Palau y Soler.

Solsona 3 de Octubre de 1878.

Concedemos nuestro permiso para la segunda edicion.

Pedro J. Segarra.

Barcelona 5 de Octubre de 1878.

Concedemos nuestro permiso para la segunda edicion de la obra de *Teología Moral* á que se hace referencia, debiendo presentar á nuestro Secretario dos ejemplares con el visto bueno del Censor.

Por indisposicion del Sr. Vicario Capitular,

Ignacio Palá y Martí.

AUCTORIS PRÆFATIO AD LECTOREM.

Quorsum, inquies fortasse, benevole lector, quorsum istud Theologiæ moralis Compendium, postquam hisce novissimis diebus tot clarissimi viri eam sibi provinciam demandarunt, et non cum exigua materiæ cognitione, neque infelici exitu incubuere? Et quis es tu, ut hujusmodi magnitudinis operi culmen imponas? Poterisne eorum, qui jam non sunt, et aliorum, qui adhuc vita donantur, doctrinis contradicere, sive meliorem ad incudem redigere? Veritas certe, quæ me terret, neque a mea mente removetur. Opus tamen, vires meas longe superans, timens licet ac tremens, solius Dei auxilio innixus, aggrediar, me nimis compensatum, fortunatumque existimans, si labores mei non sint suscepti frustra, reique moralis tyronibus, cæterisque meis consimilibus pro Christo legatione fungentibus, alicujus utilitatis seu profectus deservire possint.

Neque is sum, qui de meo librum dictare præsumpserim; absit a me hujusmodi insana temeritas; satis superque fortunatus ero, si eorum, qui Theologiam moralem pro sui ingenii celsitudine illustrarunt, uti S. Alphonsus Maria de Ligorio in primis, præstantissimi Scavini, Gury, Ballerini, Varceno, Del-Vecchio, aliique, qui in operis decursu invocabuntur, quorum libri magna cum veneratione ab omnibus habentur, doctrinas in unum conferre possim.

Sunt equidem quamplurimi auctores Theologiam moralem acutissimo ingenio percurrentes, quos omnes una voce laudo, et ex corde veneror, quamvis in aliquibus pertractandis, solvendisque non eamdem viam sequar; quidquid enim tolerat sancta Mater Ecclesia, veritatis utique Magistra, et ego libenter sufferam; quidquid autem illa reprobat, et ego ex corde reprobabo. Quis vero non videt tot inter christianæ ethices auctores unum adhuc desiderari, doctrinam multam nimis, et selectam, ab ipsis effusam, amplectentem, quæ brevitati simul et tyronibus in perdiscendo facili methodo respondeat? Id consequi mihi in votis est, idque me obtenturum spero. Utinam Deus mihi concedat, optataque pervenerit dies!

Aliis adhuc non levioris momenti rationibus obedio, ut hocce meum Com-

pendium efformem: 1.° Vehemens studium textum scholaribus exhibendi sine illa adnotationum copia, quæ, quantumvis perutiles aliæ (aliæ vero non item), fere numquam hujuscemodi, ad instar originalis, inspiciuntur, neque ab omnibus memoriæ mandari curantur.—2.° Notabilis admodum circa censuras variatio, necnon circa illos, qui bona Ecclesiæ occuparunt, modus se habendi. Unaquæque enim epocha suas necessitates habet; aliter igitur nunc, aliter duobus abhinc sæculis, res morales, salvis semper suis principiis remanentibus, in trutinam revocari debent. — 3.° Hispanici juris absentia, sicut et Bullæ Cruciatæ, quæ in exterarum regionum auctoribus non reperitur.

Adeste ergo, Theologiæ moralis studiosi, et ad omnium utilissimam pulcherrimamque sapientiam perdiscendam tota animi vestri contentione nervos intendite. En nonnisi duobus exiguæ dimensionis voluminibus universam hanc scientiam contentam vobis offerre in deliciis est mihi, *et qui didicerint ista, invenient quid respondeant.* (Sap. VI, 11). Faxit, oro, Deus O. M. in cujus gloriam hæc scripta sunt, ut res pro votis cedat; in cæteris autem vestram indulgentiam precor.

Quod potui, feci; faciant meliora potentes.

COMPENDII

THEOLOGIÆ MORALIS PROŒMIUM.

1. **Theologia moralis** est *illa disciplinæ theologicæ pars, quæ humanas actiones ad morum honestatem dirigit in ordine ad vitam æternam.*

Triplex est moralis theologiæ objectum; nempe, *materiale*, *formale* et *finale*.—Ad 1.m spectant actiones humanæ in se consideratæ.—Ad 2.m ipsarum actionum dirigibilitas.—Ad 3.m morum honestas, et consecutio vitæ æternæ.

Sequentibus mediis Theologia moralis humanas actiones dirigit.

I. *S. Scriptura;* juxta illud Apostoli: *Omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum.* (II Tim. III). In ea siquidem continetur verbum Dei, falli, et fallere nescium.

II. *SS. Ecclesiæ Patribus, ac Doctoribus, duce et magistro S. Alphonso de Ligorio:* nempe, clarissimis illis viris, qui ingenio, doctrina, et sanctitate floruerunt in Ecclesia Dei; nam cum ipsis non sapere, temeritatem sapit; quia nobis dati sunt *ad consummationem Sanctorum*, *in opus ministerii, in ædificationem Corporis Christi,* ut ait Apostolus. *(Ephes.* IV).

III. *Decretis Pontificum, ac Conciliorum;* nam 1.° SS. Pontifices sunt *totius Ecclesiæ caput, et omnium christianorum Patres, atque Doctores*, ut definivit Concilium Florentinum.—Et infallibiles res fidei, ac morum definientes, ut definivit Vaticanum Con.—2.° Concilia generalia totam Ecclesiam exhibent infallibiliter item docentem quoad fidem, et mores.—3.° His adde Concilia particularia, quæ, etsi infallibilitate careant, sunt tamen aptissima ad errores profligandos, sacramque doctrinam explicandam, ac tuendam.

IV. *Traditione constanti*, *ac firma*, cum error stabilitatem nesciat.

V. *Romanarum Congregationum responsis*, quibus summi Pontifices utuntur in controversiis dirimendis, nam organa sunt Papæ.

VI. *Jure canonico*, *imo et civili*, si canonico non opponitur; cum in his habeantur totidem judiciorum, ac morum regulæ a peritissimis congestæ.

VII. *Theologorum placitis;* nam in quacumque arte peritis est credendum. *Consulantur probatæ notæ auctores*, non raro respondet S. Sedes.

VIII. Demum, *ratione humana,* sive *naturali,* sive *theologica:* 1.ª ab Auctore naturæ nobis indita est; 2.ª a principiis theologicis imbuta. Ratio intimius ipsius rei viscera scrutatur.

Q. *Quanta est moralis Theologiæ necessitas?*

R. Cum hæc sit, quæ hominum corda scrutatur, eorum morbis medetur, eisque tutam ad Deum viam inter tot hujus sæculi scopulos, fide prælucente, demonstrat, ac demum ut æternæ felicitatis portum pertingere possimus omnes, aperte liquet ejus necessitas. Non omnes ecclesiasticos oportet esse magnos oratores, præclaros doctores, eruditos historicos, ait *Scavini*, omnes tamen de clero in morali Theologia valde instructos esse oportet, atque huic continuo insistendum. Hinc perdoctus Mabillonius: *Moralis Theologiæ studium præ aliis excolendum..., huic quamdiu vivitur, omnino danda erit opera.*

In studioso autem, ne inaniter laboret, requiritur: 1.º *Finis rectus,* ut quærat nempe quæ sunt Dei.—2.º *Vehemens studii amor;* hic enim est vehiculum scientiarum omnium.—3.º *Frequens oratio ad Deum*, qui scientiarum Dominus est. Hinc ajebat S. Nilus: *Si es theologus, vere orabis; si vere oraveris, theologus vere eris.*

TRACTATUS PRIMUS.

DE ACTIBUS HUMANIS.

CAPUT I.

De notione actuum humanorum.

2. **Actus in genere** *est motus animi*, seu *agendi facultas in exercitio posita.*—Potentia dicitur *actus primus*, et ejus determinatio est *actus secundus.*

Q. *Quomodo dividuntur actus ab hominibus exerciti?*

R. 1.° Alii dicuntur actus *naturales*, ut vivere, vegetare, crescere.—2.° Alii *animales*, etiam brutis communes, uti dormire, comedere, ambulare.—3.° Alii *hominis*, seu *indeliberati*, ut loqui, ridere, intelligere sine ulla mentis advertentia.—4.° Alii demum *humani*, qui a deliberata voluntate, et rationis advertentia procedunt: in quibus intellectus se habet uti conditio, seu *proponens;* libera autem voluntas uti causa, seu *determinans*, quæ nempe bonum, vel malum ab intellectu propositum acceptat, vel rejicit. Isti ad moralitatem tendunt, et idem sonant, ac morales actus. *(V. S. Thom.* 1. 2, *q.* 1, *a.* 1).

Actus humanus dividitur: 1.° In actum *elicitum*, et *imperatum*. 1.^s est ille, qui *in ipsa voluntate immediate consummatur,* uti actus amoris, odii, desiderii: 2.^s vero est, qui, *mediante alia potentia*, *voluntatis imperio elicitur*, vel *interna*, ut motus cogitandi, vel *externa*, ut actus scribendi.

2.° In *internum*, *qui internis animæ potentiis perficitur;* et in *externum,* seu *mixtum*, *quem voluntas per corporis organa producit.* Unde actio externa in rebus moralibus est actus interni manifestatio: inde colligitur num legi, censuræ, reservationi, etc., subjiciatur, an non; quia de internis Ecclesia non judicat.

3.° In *naturalem*, et *supernaturalem;* prout *solis naturæ viribus producitur,* uti parentum amor; vel *auxilio divinæ gratiæ perficitur,* ut sunt actus fidei, spei, charitatis theologicæ, meritum vitæ æternæ habentes.

4.° In *validum*, ac *invalidum*. 1.^s est ille, *qui omnibus requisitis ad suum esse gaudet;*—2.^s vero *ille est, qui vel uno tantum ex essentialibus*

caret. Sic validi sunt contractus, in quibus requisita sive lege naturali, sive lege positiva ad ejus valorem reperiuntur; secus invalidi sunt habendi.

5.° In *bonum*, et *meritorium*, in *malum*, et *demeritorium*, ac in *indifferentem*, seu nec *meritorium*, neque *demeritorium;* prout *conformis est rectæ rationi, ac legi;* uti Dei amor; vel *disconveniens* ipsis, ut odium Dei; vel *neque conformis neque dissentiens rectæ rationi, et legi*, uti canere.

6.° In *meritorium de congruo*, et *meritorium de condigno;* prout *merces non tribuitur nisi ex quadam liberalitate;* tales sunt actus, quibus peccator ad justificationem se disponit; vel *ex justitia, accedente remuneratoris promissione;* ut sunt justorum actus, quibus illi gratiæ, et gloriæ augmentum merentur. Meritum *de condigno* dicit quamdam æqualitatem cum præmio; meritum vero de *congruo* æqualitatis carentiam.

Tamen nulla virtus sine præmio est. Deus temporaliter remunerat bona opera naturalia, æternaliter vero supernaturalia. Dicunt impii: Nos bene vivimus. *Quid prodest eis unde gloriantur?* respondet D. Augustinus: *Ad hoc debet unicuique prodesse bene vivere, ut detur illi semper vivere; non est autem cuique spes vera, et certa semper vivendi, nisi cognoscat vitam, quod est Christus.* (Tract. 49 in Joan.)—Et addit quod Deus temporalem mercedem reddidit bonis Romanorum moribus. *Dedit vana vanis.* (De Civit. Dei). Hinc *bene... fecit Deus obstetricibus* ægyptiacis. (Exod. I).

Actus bonus dicitur etiam *licitus, justus;—actus vero malus* vocatur *illicitus;—indifferens* denique juxta illos, qui ipsum admittunt; juxta illos autem, qui in individuo hunc negant, dicitur *actus negatio;* et quivis actus *bonus*, vel *malus vocatur*. De hoc infra n. 27.

Principia actuum humanorum sunt *illa elementa, ex quibus conflantur ipsi actus*. In quolibet enim actu humano tria se nobis exhibent; scilicet, *causæ*, quæ actum constituunt; *regulæ*, quæ ipsum dirigunt; *motiva*, quæ ad eum nos aliquo modo movent.—Unde tria sunt actuum humanorum principia: 1.ª *efficientia*, et sunt intellectus, et voluntas, quibus necessario adjungitur libertas uti fundamentum, et moralitas ut effectus;—2.ª *dirigentia*, et sunt lex, et conscientia;—3.ª *allicientia*, scilicet virtutes, et vitia.

CAPUT II.

De principiis actuum humanorum, seu de intellectu, voluntate, et voluntario.

3. Intellectus est *activa illa animæ facultas, quæ circa cognoscenda objecta versatur.* — Est facultas *cognoscens*. Intelligere dicitur, quasi *intus legere.—Intelligentia* vero est *facultas cognoscendi*, et ad prima principia fertur.—*Cognitio*, seu *scientia* est *fructus intelligentiæ*, et conclusiones principiorum etiam amplectitur;—et si conducit ad consi-

derandas altissimas causas, *sapientia* dicitur. (S. Thom. 1. 2, 2. 57, a. 2).

Duplex distinguitur hominis intellectus, nempe *speculativus,* et *practicus.* 1.^{s} est, qui *ad opus non ordinat id, quod apprehendit, sed ad solam veritatis inquisitionem, aut considerationem;*—2.^{s} vero est ille, *qui rem apprehensam ad operationem ordinat.* (S. Thomas).

Voluntas est *animæ facultas, quæ propositum sibi ab intellectu objectum sequitur, vel aufugit,* prout uti bonum, vel uti malum ei proponitur. Unde illud vulgare adagium: *Nihil volitum quin præcognitum.*—Est facultas *appetens.*

— En nunc actuum humanorum cursum: 1.° est cognitio intellectus ad aliquid allicientis, vel ab eo aversantis; — 2.° est simplex volitio, aut aversio rei cognitæ; — 3.° est efficax deliberatio illam amplectendi, vel fugiendi; — 4.° accedit mentis conversio ad media pro fine illo obtinendo: si hæc media sunt incerta, vel non parata, accedit consilium mentis; si vero certa ac parata sunt, accedit voluntatis consensus; — 5.° demum venit fruitio finis obtenti sive boni, sive mali.

— Voluntatis vis fortis est ut mors; omnia sustinet, omnia superat, omnia potest, maxime gratia Dei adjuta, uti videre est in martyribus, in missionariis, militibus, et negotiatoribus.

4. **Voluntarium** est id, *quod procedit a principio intrinseco cognoscente singula in quibus est actio,* (vel *passio,* vel *omissio).*

1.° Dicitur a *principio intrinseco,* scilicet, ab intellectu et voluntate, origo boni, ac mali in homine. — 2.° *Cognoscente...* nempe, objectum, finem, ac circumstantias, quæ actum, vel omissionem comitantur, et etiam, effectus proprios actus, vel omissionis. —Unde omnes circumstantiæ, vel effectus non prævisi, nec voluntarii, nec imputabiles fiunt, quia *nihil volitum quin præcognitum.* Hinc qui hominem percutit, ignorans involuntarie esse clericum, reus erit injustitiæ, sed non sacrilegii; et si id agit credens esse feram, reus non est sacrilegii, nec injustitiæ.

Voluntarium differt 1.° a *volito,* quia volitum est voluntatis objectum, quod ab influxu voluntatis non necessario procedit. Sic pluvia volita, sed non voluntaria est agricolæ. Tamen contingere potest, quod volitum sit etiam voluntarium, v. g. pedum motus. — 2.° A *spontaneo;* nam spontaneum oritur quidem a cognitione, sed mere sensitiva, ac materiali; ideoque imperfecta, et absque advertentia ad media. Sic ebrio spontanea est vini potatio, quippe aliquatenus finem cognoscit, sed imperfecte; nam cæco quodam impetu ad illud tendit.

Divisio. Voluntarium dividitur: I. In *perfectum,* et *imperfectum.* 1.^{m} est illud, *quod fit cum plena intellectus cognitione rei, ac pleno voluntatis consensu;* ut si quis perfecte sciens et volens carnes manducet vetito die. — 2.^{m} illud est, *quod ex subobscura cognitione rei, aut imperfecto consensu procedit;* vel ubi non adest plena deliberatio, quæ in se multiplices habere gradus potest, ut recte advertit *Ballerini,* v. g. in semidormiente usque dum sit perfecte vigil.

II. In *necessarium,* et *liberum:* 1.^{m} est illud, *quod ità a voluntate proficiscitur, ut positis omnibus ad agendum requisitis, non possit non agere.* Sic beati in cœlo Deum necessario diligunt. — 2.^{m} vero illud est, *quod sic a voluntate procedit, ut positis ad agendum ponendis, adhuc possit non agere, si ei libuerit.* Sic juvenis, post parata omnia ad ludendum paranda, a ludo adhuc abstinere potest.

III. In voluntarium *simpliciter* seu *plenum*, et *secundum quid* seu non *plenum:* 1.m est, quod *fit ex plena voluntatis deliberatione, ac inclinatione;* 2.m vero quod *fit cum voluntatis consensu, sed cum aliqua repugnantia, seu quadam inclinatione voluntatis ad oppositum.* Sic mercium projectio in mare metu naufragii est *simpliciter* voluntaria, quatenus absolute id agit homo, quia vult; et ex alia parte est voluntaria *secundum quid;* etenim nonnisi ad salvandam vitam, et cum magna repugnantia id facit; rationem voluntarii tamen habet.

IV. In *voluntarium directum*, et *indirectum.* 1.m est *quod a voluntate vere agente, vel in se directe intenditur;* ut si quis, sciens ac volens, inimicum suum pugione mactet.—2.m vero est, *quod prævidetur et intenditur in causa volita;* uti ebrietas in immoderata potatione.

V. In *positivum*, et *negativum:* 1.m est *quando voluntas actum elicit.*—2.m vero *quando voluntas eligit actus suspensionem*, v. g. rebellio in subdito; en voluntarium positivum: omissio correctionis in superiore; en voluntarium negativum.

VI. In *expressum*, et *tacitum*, prout verbis, vel signis manifestatur; aut ex facto aliquo, vel facti omissione cognoscitur.—Sic subditorum peccata sunt *tacite* superiori voluntaria, si iis se non opponat, cum alioquin id possit, ac debeat, juxta illam 43 juris regulam: *Qui tacet consentire videtur*, nempe: 1.° consentire quis censetur in favorabilibus; secus in molestis.—2.° Ubi alioquin intercedit aliqua obligatio, aut necessitas contradicendi, et expedita ad id manet facultas.—3.° Quando agitur de communi consilio, vel suffragio, si quid illicitum decernitur.—4.° Siquis de pluribus rogatus, de quopiam silet, dum reliqua recusat.—5.° Ex juris dispositione, v. g. filius tacens in sponsalibus pro ipso a patre contractis.

VII. In *actuale, virtuale, habituale, interpretativum*, et *præsumptum.*

1.° *Actuale* est *quod a voluntate actualiter influente procedit*, ut pœnitentia in eo, qui actus contritionis elicit.—2.° *Virtuale* est *actus voluntatis quidem habitus, qui in aliqua re, quæ humano modo fit, moraliter perseverat*, ut absolutio a confessario distracto impertita.—3.° *Habituale* est *actus voluntatis præteritus, nec retractatus, qui tamen in aliquo sui effectu, qui humano modo fiat, non perseverat:* sic principi dormienti (aut ebrio, vel amenti) voluntaria est pugna in vigilia militibus indicta, et non retractata.—4.° *Interpretativum* nuncupatur quod *nullo modo est habitum, sed præsumitur extiturum, si de illo cogitaretur;* sic infirmus, qui christiane vixit, recte præsumitur Extremam-Unctionem petiturus, si potuisset. Hoc non est veri nominis voluntarium.—5.° *Præsumptum* est *verus consensus prudenter existimatus*, uti si ego quid tollam de amico meo, probe sciens, certe mihi commodaturum, si ipse adesset, in quo differt ab interpretativo. Differt *interpretativum* a *tacito*, seu *præsumpto*, quia in illo nullus consensus, in hoc verus adest.—In eodem actu habebis voluntarium *directum, indirectum*, et *involuntarium.*—*Lucius* quærens *Titum* ad mortem, eum aggreditur, cum periculo cognito lædendi etiam ejus socium, quem cernit comitantem; sed præter utrumque, glande ferit quoque *Cajum*, quem ibi adesse suspicare non poterat: *Titus* ex voluntario directo *Lucii* percutitur: socius ex voluntario indirecto: et *Cajus* præter omne voluntarium.

—Voluntarium *actuale*, et *virtuale* in actus validitatem, et moralitatem

efficaciter influunt.—Secus vero *habituale*, et *interpretativum*, quia cum is non agitur humano modo, (facta aliqua exceptione, ut infra de sacramentis nn. 529 et 530).

—Ubi non adest nisi semiplena mentis advertentia, vel imperfectus voluntatis consensus, non adest perfectum voluntarium; unde etiam in re gravi non excedit veniale peccatum, uti in semisopitis, in alio distractis, semidormientibus evenit. *(Gury n. 6).*

CAPUT III.

De voluntario indirecto, seu in causa.

5. **Voluntarium indirectum** *est, quod intenditur in alio directe volito.* Est tamen verum voluntatis objectum; nam qui vult causam, vult quoque effectum ex ea sequentem, et prævisum. Hinc effatum: *Qui est causa causæ, est causa causati.* Inde oritur scandali peccatum.

Multiplex distinguitur causa: I. *Physica*, et *moralis*: 1.ª ea est quæ *physice agendo, effectum producit*, ut ignis incendium, sol lucem.—2.ª est quæ *aliam liberam causam efficaciter ad agendum movet;* uti homicidium jubens.

II. *Immediata*, et *mediata:* 1.ª est, *quæ effectum producit, nulla alia intercedente causa,* ut siquis pectus alterius transfodiat.—2.ª est, *quæ effectum, alia interposita causa, producit,* ut consulens, vel jubens furtum.

III. *Proxima*, et *remota:* 1.ª est, *quæ ordinarie connexionem necessariam habet cum effectu,* ut calor ex igne.—2.ª est, *quæ in effectum notabiliter non influit, et hunc ordinarie non producit;* ut ignis in domo usitatus ejusdem incendium.

IV. *Per se*, et *per accidens:* 1.ª est, *quæ ex natura sua ad effectum ordinatur,* uti ignis ad incendium, et calorem.—2.ª est, *quæ etsi ex natura sua non sit ordinata ad effectum producendum, interveniente alia circumstantia, illum producit*; ut homicidium ex ebrietate. Tamen hæc divisio in praxi cum præcedenti convenit.

6. Q. *Quid requiritur ut actus ex actione, vel omissione proveniens sit culpabilis in causa?*

R. Tria requiruntur: I. Ut agens causam illam omittere, vel tollere teneatur. *Ubi enim non est lex, nec prævaricatio.* (Rom. IV). Nemo causam auferre tenetur, cum illius ponendæ jus habet in necessitate, vel utilitate, vel honestitate, nam ex juris regula; *prosequenti jus suum non imputatur effectus præter intentionem secutus.* Hinc non imputantur medico motus inordinati, ac involuntarii in artis suæ exercitio, quia justam habet rationem artem exercendi; tunc potius habetur passio, quam actio.

II. Ut agens potuerit talem effectum impedire causam non ponendo, vel positam auferendo. *Quis enim peccat in eo, quod nullo modo caveri potest?* ait August. (*L.* 3, *De lib. arb.*, *c.* 18, *n.* 40.) *Nemo ad impossibile tenetur*

juxta axioma. Sane deficiente libertate, necessario voluntarium deficit.

III. Ut agens *saltem in confuso* effectum malum præviderit; quia *nihil volitum, quin fuerit præcognitum.* Hinc inculpabilis est ebrietas ei, qui vim vini ignorabat; uti Noëmo evenit. Culpabile tamen fuit Davidi adulterii scandalum: sciebat enim omnium oculos in Regem esse conjectos.—Cæterum, non sufficit ad culpam, ut malus effectus, aut omissio potuerit ac debuerit prævideri, si de facto non fuit prævisa, *saltem in confuso;* nam potentia non dicit actum; ac *ignoti nulla cupido*, nisi oblivio in causa culpabilis sit, et adhuc sequi debet ex aliqua cognitione. *(Scavini n.* 13; *S. Lig. l.* 5 *n. X.*)

In foro tamen externo, cum animus a judice inspici non possit, res tota resolvitur ex communiter contingentibus. Hinc ex lege civili dominus animalium absolute tenetur de damnis ab ipsis illatis. *(Lex* 24, *tit.* 15, *part.* 7, *et jure gallico art.* 1385.*)*

Idem dicendum de effectu ex omissione proveniente, ut *communiter* docent cum *Billuart, S. Lig. n. XI*; nam simplex negatio in actionem non influit, modo non adsit lex ad effectum illum impediendum obligans; aut ipsa omissio non ordinetur per modum medii ad ipsum obtinendum, quia tunc talis effectus esset positive, et directe volitus. Sic mihi imputabilis non est mors ex rixa inter alios secuta, quam rixam ego impotens impedire omissi; sed erit culpabilis ei, qui ex officio mortem illam impedire tenebatur, et valebat.

Q. *An liceat ponere causam, ex qua immediate sequitur duplex effectus, unus nempe bonus, alius vero malus?*

R Affirma, si adsit causa proportionata gravis, et bonus agentis finis. (*D. Thom.* 2. 2, *q.* 64, *a.* 7.)

I. Requiritur causa bona, vel saltem indifferens, aut non aliqua lege prohibita relate ad effectum; si enim causa in se mala foret, vel respective ad effectum, per se reatum induceret. Hinc per se non est malum arma vendere; sed malum erit ea vendere alicui furioso. Ratio, quia in primo casu malus effectus non est prævisus, nec intentus, et per accidens se habet; in secundo vero casu erat in confuso saltem prævisus, et ex justitia, vel charitate vendens ei non cooperari tenebatur.

II. Ut bonus effectus, saltem æque immediate ac malus, ex causa sequatur; nam si causa directe, et immediate pravum habet effectum, ac nonnisi mediante illo pravo effectu bonus sequeretur, tunc bonus a malo quæreretur, quod illicitum est juxta illud Apostoli: *Non... faciamus mala ut veniant bona.* (Rom. III). Sic mentiri non licet ad salvandam societatem; neque licet puellæ gravidæ ex delicto ad infamiam vitandam abortum procurare.

III. Ut adsit ratio proportionata causam ponendi: nam id postulat naturalis æquitas. Hinc perpendendum est incommodum proprium agentis, atque patientis, vel etiam communitatis; aut periculum proximum vel remotum, sicuti etiam perpendendus gradus influxus, et mali, et boni sequentis.—Unde si causa leviter, vel remote in malum effectum influat, et ex ea etiam sequatur aliquis bonus effectus, etsi non præponderans, aut æquivalens malo, non est obligatio causam auferendi, quia minor ratio requiritur ad ponendam causam leviter, et remote influentem in malum, quam graviter, et proxime influentem.—Quocirca non teneris abstinere a colloquio honesto, ac utili propter carnales motus inde orientes;

teneris ab inhonesto ac inutili. (*Gury, n.* 10, *Billuart, d.* 1, *a.* 1, *cum* *mmuni).* Neque peccat belli dux, qui, tempore obsidionis ad vincendum tem, incendit civitatem, etsi damnum patiantur innocentes.

—Si vero causa leviter ac remote influens sit in se leviter mala, vel llus bonus effectus ex ea proveniat, sub levi auferenda erit, nisi agatur gravi damno proximi, tum spirituali, tum corporali, vel ejusdem peulo; ista obligatio est quidem æstimanda juxta gradum influxus causæ; ctus enim non est voluntarius nisi in causa, in qua leviter, vel remote itinetur: leviter ergo voluntarius ac culpabilis tantum ille erit. (*Gury,* *luart, etc.).*

IV. Ut finis agentis sit bonus; nam si malum effectum intenderet hic et in illo voluntarius ac imputabilis. Si quis enim aquam biberet ad lutionem causandam, graviter peccaret; ipsam siquidem intenderet; i causa sit in se bona.

V. Ut non adsit specialis obligatio pravum effectum præcavendi, que ex justitia, neque ex officio, neque ex charitate; prout est in superibus quoad defectus suorum subditorum; ac in iis etiam, qui ad hoc rcedem recipiunt.

—Demum, eo major requiritur causa ad agendum: 1.° quo propinquius usa malum effectum attingit;—2.° quo probabilius secuturus est ma- effectus;—3.° quo minus juris ad actionem in se spectatam habetur. *ry, n.* 9). Hinc non pecccat egens, qui aliunde habere non valens tuum, ab usurario petit; petitio sane non est per se mala, et justam ha- causam petens. *(Scavini cum communi).* Et non requiritur necessitas, sufficit quævis notabilis utilitas, sive ad conservationem, sive ad detiam status, aut familiæ. (*Spor., n.* 75, *Pont., Caj., Sot.*)

—Quando vero adsunt prædictæ conditiones, illicita non est nostra io, neque ratione finis, utpote honestus; neque ratione causæ appo- e; nam bona, vel saltem indifferens est, aut si mala, non tamen restu illius effectus; neque ratione prævisionis pravi effectus; cum hic intendatur, sed cum proportionata causa tantum permittatur.

CAPUT VI.

De libertate, et libero arbitrio.

8. *Liberum,* dicitur, *quod procedit a voluntate seipsam determinante* *potentia non agendi.—Liberum arbitrium* est *vis electiva, seu facul-* *eligendi; vel facultas voluntatis, et rationis,* ut ait S. Thom. 1. 2, q. 1. *ibertas* vero in genere est *immunitas a servitute, et subjectione ;* seu *electiva mediorum, servato ordine finis,* juxta *D. Thom.*

Unde hæc tria ab invicem distinguntur; nam 1.° liberum dicit actum re positum.—2.° Liberum arbitrium dicit facultatem, seu fontem unde nat actus libere positus.—3.° Libertas dicit immunitatem obicis ad

actus a libero arbitrio emanatos libere ponendos. Inde omne liberum est voluntarium, sed non viceversa. Practice tamen in actibus, quibus homo viator ad finem suum tendit, reapse non distinguntur; quoties enim actus aliquis est voluntarius, est etiam liber, et viceversa; nam in iis numquam necessario agit. *In his autem, quæ ad ultimum finem ordinantur nihil invenitur adeo malum, quin aliquod bonum admixtum habeat, nec aliquid adeo bonum, quod in omnibus sufficiat. Unde quantumcumque ostendatur bonum vel malum, semper potest adhærere... in contrarium.* (S. Thom. 2 d. 25, q. 1, a. 2, *Gury*, *n.* 11).

9. Q. *Quotuplex dividitur libertas?*

R. Multipliciter. Juxta D. Bernard. (*De grat. et lib. arb.*) pro triplici hominis servitute, triplex est libertas; nempe 1.° a *necessitate*,—2.° a *peccato*,—3.° et a *miseria*.

Juxta theologos vero dividitur:

I. *Libertas a necessitate*, seu *indifferentiæ*, vel *electionis*, quæ est *immunitas ab omni principio etiam intrinseco determinante ad unum*, et hæc est proprie dicta libertas, cujus perfectio in cœli civibus invenitur.

II. *Libertas a coactione*, seu *spontaneitatis*, quæ est *immunitas ab omni principio extrinseco ad aliquid determinante contra voluntatis propensionem:* hac seipsum Deus diligit, et est, qua beati Deum amant, qua homo bonum prosequitur:

III. *Libertas contradictionis*, quæ est, *facultas se ferendi ad contradictoria*, uti canendi, vel non canendi.

IV. *Libertas contrarietatis*, quæ est *potentia se ferendi ad contraria*, veluti amare, vel detestari.

V. *Libertas specificationis*, quæ est *facultas se ferendi ad diversa*, uti canere, vel studere, etc.

VI. *Coactio vero* est vis externa, *qua homo nolens, v. gr., in carcerem detruditur.*

10. Q. *An potentia peccandi sit de ratione libere arbitrii?*

R. Nega; imo est liberi arbitrii imperfectio; nam peccatum est libertatis abusus, qui originem suam a sola debilitate cognitionis Dei, ac ejusdem amoris habet. Merito ait Apostolus: *Ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas.* (II Cor. III).

Ratio voluntarii seu liberi perfectius reperitur in actibus necessariis quam in liberis, sub hoc respectu: quo enim fortior est amor, eo major est voluntarii propensio, ut describit D. Thomas: *Non pertinet ad impotentiam voluntatis*, ait, *si naturali inclinatione de necessitate in aliquid feratur; sed ad ejus virtutem, sicut grave tanto est virtuosius quanto majori necessitate deorsum fertur; pertineret autem ad ejus infirmitatem, si ab alio cogeretur..... Necessitas naturalis non repugnat dignitati voluntatis, sed sola necessitas coactionis.* (Q. 22, de verit., 2, a. 5). —Hinc in cœlo cessat peccandi facultas; tamen perficitur liberum arbitrium. *Quid erit liberius libero arbitrio, quando non poterit servire peccato?* ait D. August. (*De corrept. et grat.*, c. 11).

Essentia ergo libertatis nititur in vi eligendi, non in potentia ad bonum, vel ad malum; ita tamen consideratur prout nunc in viatoribus evenit.—Inde liquet quid dicendum de illis, qui libertatem opinandi, scribendi, docendi, cultum Deo exhibendi blaterant, divina, et humana æqui

ubvertendo. Hi diminutionem libertatis vident in charitate, gratitudine, ustitia, amore, legibus omnibus. Tamen ipse gentilis Cicero ait: *Legum ervi sumus, ut liberi esse possimus.* Liberales hominis dignitatem concul-ant, ut libere cupiditatibus frui possint. Pius IX hunc errorem dam-avit in *Syllabo (propos. 3, 15, 33, 56, 77, 78, præcipue 79).*

11. Q. *Utrum homo nunc liber sit ab omni necessitate intrinseca?*

R. Affirma; et probatur ex sacra Scriptura, ex ratione, et ex Eccle-iæ doctrina.

I. *Ex sacra Scriptura. Deus ab initio constituit hominem, et reliquit llum in manu consilii sui. Adjecit mandata et præcepta sua: Si vo-ueris, mandata servare, conservabunt te.... Ante hominem vita et mors, onum et malum: quod placuerit ei, dabitur illi.* (Eccli. XV). Et cap. XXXI egitur: *Erit illi gloria æterna: qui potuit transgredi, et non est transgres-us; facere mala, et non fecit.*

II. *Ex ratione.* Homo juxta omnium sensum potest mereri, vel de-nereri, seu agere actus bonos, vel malos; secus ad quid leges, carceres, œnæ, et præmia? atqui ad hoc requiritur libertas a necessitate; nam liter liber non esset homo suorum actuum; consequenter nec pœna eus, neque præmio dignus...—Demum id constat ex intimo sensu; am homo se sentit liberum; sensus intimus in hoc fallere nequit; ergo...

III. *Ex definitionibus Ecclesiæ. Si quis liberum hominis arbitrium post dæ peccatum amissum et extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo itulo, anathema sit.* (Trident. sess. 6, c. 5).

Confirmatur ex damnatione seq. prop. Jansenii ab Innocent. X facta: *d merendum vel demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in omine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.*—Et Pius V, regorius XIII, Urbanus VIII, has Baji prop. damnarunt: *Quod volun-rie fit, etiamsi necessario fiat, libere tamen fit.—Sola violentia repugnat bertati hominis naturali.—Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod ecessario facit.*

—Neque sufficit Adami peccantis libertas, ut hominis lapsi actiones vadant morales, ac demeritoriæ. Definitum id est in proscriptione hujus esis Christiani Lupi, quæ prima est inter 31 damnatas ab Alexan-ro VIII: *In statu naturæ lapsæ ad peccatum formale et demeritum ufficit illa libertas, qua voluntarium ac liberum fuit in causa sua, pec-ato originali, et voluntate Adami peccantis.*

12. **Objectum libertatis** est *omne bonum particulare, quod potest a obis eligi, vel non eligi.* (S. Thom. 1. 2, q. 10, a 2). Dicitur *particulare*, uia felicitatem perfectam, ac bonum in genere ex naturæ ipsius impulsu olumus, et non ex electione.

Subjectum vero libertatis est *sola natura rationalis,* quippe hæc intum finem, et media, uti media ad finem conducentia, cognoscit. Bru-a animalia quædam agunt *judicio*, ait Angelicus, sed non *libero*; quia on ratiocinatione, sed ex naturali *instinctu* hoc judicant.

Q. *Quænam opponuntur voluntario, ac libero?*

R. Quinque, nempe *involuntarium, ignorantia, concupiscentia, me-us,* ac *vis.*

CAPUT V.

De involuntario.

13 **Involuntarium** est id, *quod provenit a principio, vel intrinseco vel extrinseco violento, vel ab incognitione singulorum, in quibus est actio*, ut infra.

Tamen involuntarium a non voluntario differt in hoc, quod *non voluntarium est id, quod voluntas simpliciter non vult, licet propriæ inclinationi non repugnet.* — Sic nolumus in cœlo solis cursum suspendi.— Involuntarium includit aliquam veram repugnantiam ipsimet voluntati. —Sic nolumus in carcerem trahi.—Illud vocant involuntarium *negativum*,—istud *positivum.*

Q. *Quotuplex est involuntarium positivum?*

R. *Duplex,* nempe *simpliciter,* et *secundum quid.* 1.^m^ *illud* est, quod *voluntati totaliter opponitur, sive actuali, sive interpretativæ,* uti mors, quæ patri infertur. 2.^m^ vero est, quod *voluntati repugnat sub quodam respectu, sed non totaliter;* uti cum viator mortis metu crumenam dat latroni.

CAPUT VI.

De ignorantia.

14. **Ignorantia** generatim sumpta est *carentia scientiæ in subjecto capaci.* (Billuart). In re autem morali definitur: *carentia scientiæ debitæ.*

Ignorantia differt 1.° a nescientia, *quæ simplicem indicat scientiæ negationem;* —2.° ab errore, *qui est positiva falsi probatio;*—3.° ab inadvertentia, *quæ est carentia actualis cognitionis;*—4.° ab oblivione, *quæ est privatio recordationis rei alias jam notæ.*

Q. *Quotuplex est ignorantia?*

R. Alia est ex parte *objecti;* alia ex parte *voluntatis*, et alia ex parte *intellectus.*

I. *Ex parte objecti* alia est *juris*, alia est *facti.*—1.ª est, qua *quis nescit quidpiam a lege divina, vel humana præcipi, vel prohiberi;* uti qui ignorat carnis esum die veneris esse prohibitum.—2.ª vero in eo est, *qui legem quidem compertam habet, sed nescit hoc factum legi esse contrarium;* uti in eo, qui scit esum carnis die veneris esse vetitum, sed nescit cibum in mensa sibi appositum esse carnem, vel hunc diem veneris esse.

II. *Ex parte voluntatis,* alia est *antecedens*, alia *consequens*, alia

oncomitans.—1.ª ea est, *quæ voluntatis assensum antecedit;* ut si quis ominem interficiat, putans esse feram: hæc ignorantia causat involuntarium *simpliciter;* cum impediat advertentiam, et liberum consensum.

2.ª illa est, *quæ a libera voluntate procedit,* ac est directe, vel indirec- volita. Hæc causat involuntarium *secundum quid.* (S. Thom. 1, 2, *q.* 6, *a.*).—Uti siquis ideo omittit consilium petere, conciones, vel catecheses audire, libros legere, ne forte in malam fidem incidat, vel sciat illicitum esse uod perpetrare vult. Hæc voluntaria est, et vincibilis, et plus minusve ulpabilis. Sic confessarius, vel judex, aut quivis superior advertens sibi eesse scientiam sufficientem ad munere suo rite fungendum, uti par est, t negligit scientiam acquirere, aut saltem antequam illam acquirat, ergat munus suum exercere, tenebitur de erroribus, quos aliquo saltem odo prævidit.—Si vero negligentia in deponenda ignorantia sit tantum enialiter culpabilis, factum ex ea sequens erit venialiter tantum imputaile, nam erit culpabile in causa tantum, quæ levis est, ut supponitur. ecus, si gravis sit. *S. Lig. n.* XXIX *et* 170.

3.ª est ea, *qua quis ignorat quod agit, sed etiam id ageret, licet non gnoraret;* uti qui Pium percutit, putans esse feram, etiam tamen perussurus, si sciret esse Pium. Hæc nec facit voluntarium, nec involuntaium; sed per accidens actionem comitatur. Solum dici potest, quod acit non voluntarium; nam actu volitum esse nequit, quod ignoratur. . *Lig. l.* 5. *n.* XXVIII.

III. *Ex parte intellectus* alia est *invincibilis,* alia *vincibilis.*—1.ª ea est, *uæ communi adhibita diligentia, vinci nequit;* cum nulla cognitio, neque uspicio, vel dubium de errore, neque confuse in mentem veniat, uti in ueris illicita agentibus sine ullo angore; vel quoad incestum in eo, qui um consanguinea peccat, id ignorans. *S. Lig. l.* 1, *n.* 168.—2.ª vero illa st, *quæ, morali, ac ordinaria adhibita diligentia, ab operante vinci potest, debet,* quia errorem advertit, vel de eo suspicatur, simulque ad obliationem illum vincendi saltem in confuso; tamen vincere negligit.

Species autem et gravitas peccati ignorantiæ sumitur ex speciali onitate, et gravitate præcepti ignorati; nam cognitio obligationum cuisque status cadit sub eodem præcepto, ex quo ipsæ obligationes sunt nplendæ; ideo præceptum est eas scire, ut impleri possint. Hinc mediis, qui medicinæ ignarus officium suum exercet, contra justitiam pecit; nam ex justitia scientiam artis habere tenetur, si illam exercere velit.

Insuper hæc vincibilis ignorantia non solum est peccatum in se ipsa, ed etiam est causa peccati, juxta illud: *Si enim cognovissent, numquam ominum gloriæ crucifixissent.* (I Cor. II). At judæi, Christum occidendo, eccaverunt; ergo per ignorantiam peccaverunt, id est, ignorantia vincilis in eis causa peccati fuit.

15. **Quatuor autem modis ignorantia fieri potest nobis volunaria.**

1.º Per *negligentiam addiscendi* ea, quæ quis scire tenetur, et saltem confuso talem advertit obligationem, et *propter laborem, vel propter lias occupationes negligit addiscere id, per quod a peccato retrahatur.* . Thom.)

2.º *Per passionem;* quando nempe quis adeo negligit scire suas bligationes, ut liberius suis indulgeat cupiditatibus; vel deliberate eam equi vult, prævidens saltem in confuso pravos effectus, qui inde oriri

solent, licet in particulari minime eosdem agnoscat; uti qui offensorem occidere vult, saltem in genere etiam vult mala ab occisione provenientia; v. gr. filiorum, et domus ruinam.

3.° *Per habitum pravum,* quem quis emendare efficaciter non curat; tunc enim actus mali ex illo provenientes sunt prorsus voluntarii in prava consuetudine, uti evenit in blasphemiis, ac rebus turpibus assuetis; etsi in iis non fiat illa sensibilis impressio, quæ fit in alio timorato, et pio, quia illi peccatum parvipendunt. *(Scavini).*

4.° *Per inconsiderationem;* est cum quis mentem ad discendas res ignoratas nunquam applicuit, vel ita præcipitanter agit, ut advertenter, saltem confuse, negligat considerationem illam, quam res agenda meretur; uti esset in confessario, qui ut frequentiam attrahat pœnitentium, incompleto judicio, citissime omnes absolveret.

Plura mala, quamvis actualiter et expresse non advertantur, imputari tamen ad culpam ea patrantibus, si ipsorum ignorantia sit aliquo modo voluntaria, vel ob negligentiam, vel ob passionem, aut habitum pravum, vel ob voluntariam inconsiderationem in operando... Repugnat enim hominem peccare, quin aliquo modo, vel hic et nunc, vel in causa, saltem in confuso, ad peccatum advertat. (ait D. Alphon. l. 5, n. 4).

Ignorantia vincibilis subdivitur 1.° in *simpliciter vincibilem,* 2.° in *crassam,* vel *supinam,* 3.° in *affectatam.* 1.ª dicitur, *quando quis ad illam vincendam, aliquam adhibet diligentiam, sed valde modicam, ac insufficientem, inspecta rei gravitate.* Hæc non tollit voluntarium; nam sive directe, sive indirecte est vere voluntaria, et culpabilis, tamen voluntarium aliquantisper minuit: quia est causa illud volendi, et minuit intellectus cognitionem. 2.ª in eo est, *qui licet ignorantiam studiose non quærat, nullam tamen adhibet diligentiam, vel modicam, in veritate indaganda.* Hæc multo minus minuit voluntarium, quippe a gravi oritur negligentia; juxta ergo negligentiæ gradum erit culpabilitas.—3.ª ea est, *quam quis, dato studio, vult, vel media ad ignorantiam depellendam refugit, ne a suo proposito retrahatur;* cum quis expresse inquirere de suis obligationibus omittit, ut eas absque remorsu violet. *Noluit intelligere, ut benè ageret.* (Ps. 35.) Circa hanc Angelicus ait: *Cum ergo aliquis directe vult ignorare, ut a peccato per scientiam non retrahatur, talis ignorantia non excusat peccatum, nec in toto, nec in parte, sed magis auget; ex magno enim amore peccandi videtur contingere, quod aliquis detrimentum scientiæ pati velit, ad hoc quod libere peccato adhæreat.* (Q. 3 *de malo,* a. 7). *Scavini n.* 22; *S. Lig. n.* XXVI.

Ad ignorantiam invincibilem referenda est oblivio perfecta, ac etiam inadvertentia plena. Hæ autem, si non sint perfectæ, et ex negligentia procedant, ad ignorantiam vincibilem spectant. *(Gury).*

CAPUT VII.

De concupiscentia.

16. **Concupiscentia** est *motus appetitivæ virtutis sensibilis, qui est ex imaginatione boni vel mali.* Ita Angelicus (3. d. 26, q. 1, a. 1). Nam hic non sumitur pro ipso fomite, sed pro effectu ejusdem. Concupiscentia in se spectata peccatum non est; et hoc definitum habemus a Trident. contra Lutherum, et Calvinum, aliosque hæreticos; quia nullum est peccatum, ubi nulla est libertas; atqui nulla est libertas in hujusmodi concupiscentiæ motibus, quibus non assentimur... Imo ad licita, et heroica nos impellit, nam homo suas concupiscentias sentiens, et non consentiens, victoriis, ac meritis condecoratur.

Tamen juxta Daniel. XIII: *Concupiscentia subvertit cor:* quia *unusquisque... tentatur a concupiscentia sua abstractus, et illectus. Deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum:* (ut ait D. Jacob. c. 1), id est, *cum ad malum perpetrandum obtinuerit voluntatis assensum,* addit D. Augustinus (L. 5. contra Jul., c. 15). Est ergo in ipsam fortiter dimicandum, ne concipiat, et pariat peccatum infirmitatis, vel malitiæ. Hinc

I. Bonus appetitus, judicium rationis consequens, non solum malus non est, sed etiam meritum actionis adauget ratione ardoris ad bonum. Si vero præcedat, nempe, si homo magis ex passione quam ex ratione ad bene agendum movetur, bonitatem actus diminuit, juxta passionis gradum. Unde agere propter solam delectationem sensibilem semper malum est ratione finis pravi.

II. Agere cum delectatione, uti cum sensibili fervore, vel in actibus conjugii, aut potationis etc., per se malum non est, quia sensibilitas tunc est quid naturale homini, et non inordinatio.—Quando ex forti voluntatis motu commovetur sensitivus appetitus ad passionem, passio addit meritum, vel demeritum; quippe signum est motus voluntatis fortioris, et hoc modo verum est quod ille, qui cum majori compassione eleemosynam facit, magis meretur; et qui cum majori libidine facit peccatum, magis peccat, ait Angelicus. *(De malo, q.* 3, *a.* 11).

III. Quia tamen in statu naturæ corruptæ plerumque homines ultra limites, intra quos stat virtus, abripiunt passiones, vulgari sensu uti malæ motiones habentur. Hoc sensu *concupiscentia* seu *fomes* peccati intelligitur: *Motus appetitus sensitivi adversus spiritum rebellantis:* vel ut definit Angelicus: *Pronitas ad inordinate appetendum.* (De malo, q. 4, a. 2).

17. **Divisio.** Duplex distinguitur concupiscentia; scilicet, alia *antecedens,* alia *consequens.*—1.ª est ea, *quæ omnem voluntatis consensum antecedit, eamque ad consentiendum allicit.* Sic viso inimico, statim excitatur spiritus vindictæ.—2.ª ea est, *quæ ex præcedenti voluntatis actu consequitur:* qui vel directe a voluntate cietur, vel excitatus ab ipsa fovetur: vel indirecte seu in causa voluntatis motus in appetitum redundat, v. gr.

si quis libros obscœnos legat ad libidinem excitandam, erit directe volita consequens concupiscentia; si ob curiositatem legat, et motus appetitus excitentur, erit indirecte volita.

Subdividitur utraque in gravem, vel gravissimam, prout rationis usum aliquantisper turbat, vel penitus extinguit.

18. Q. *An concupiscentia tollat, vel minuat voluntarium?*

R. I. Si sermo sit de antecedenti, ex se auget, ratione propensionis, et minuit, ratione cognitionis, et quo major sit concupiscentia, magis minuit peccatum. Unde: *Passio quandoque est tanta, quod totaliter aufert usum rationis, sicut patet in his, qui propter amorem vel iram insaniunt. Et hinc si talis passio non fuerit voluntaria, actus omnino redditur involuntarius, et per consequens totaliter a peccato excusat. Quandoque vero passio non est tanta, quod totaliter intercipiat usum rationis; et tunc ratio potest passionem excludere... unde talis passio non totaliter excusat a peccato.* (S. Thom. 1, 2, q. 77, a. 7).—Peccatum in hoc casu grave, vel leve erit pro gradu materiæ et cognitionis; quia peccatum consistit in actu voluntatis rationalis, non in actu materiali. Hinc motus *primo primi,* qui omnem prorsus voluntatis consensum, et libertatem antevertunt, omnino inculpabiles sunt. Motus vero *secundo primi,* qui saltem semiplenum voluntatis consensum supponunt, non tollunt omnino voluntarium, sed tamen minuunt. *S. Lig. l.* 5, *n.* XXV.

II. *Nega,* si agatur de consequenti; nam voluntaria est, quocirca non minuit, sed auget peccatum; *est enim signum magnitudinis ejus, in quantum demonstrat intensionem voluntatis ad actum peccati,* ait Angelicus (ibid., a. 6). *(Ita Gury, n.* 15; *Scavini, n.* 24; *S. Lig. ibid.).*—Tamen concupiscentia sive antecedens, sive consequens, peccatum minuere potest ratione circumstantiarum; siquidem utraque magis, vel minus cognitionem earum minuit. *(Scavini. V. n.* 14.)

Quod de concupiscentia dictum est, valet etiam de habitu, seu prava consuetudine, quæ *est quædam facilitas peccandi iteratis actibus libere comparata.* Hac qui tenentur, absit ut a peccatis excusentur: imo potius gravius peccant, quia propensius in malum feruntur. *(Scavini n.* 25.*)*—Hinc monet Bouvier: *Discant juvenes libidines suas coercere; experientia enim constat, eas in teneris annis non ægre refrenari. Qui vero liberius eis indulgent, graves sibi imponunt catenas, quas postea difficile solvent.*—Dum consuetudini non resistitur, fit necessitas, ait August.; et consuetudo est veluti secunda natura, dixit Aristoteles.

19. Q. *An graviter peccet qui negative se habet, seu positive motibus indeliberatis non resistit?*

R. I. Mortale est eos scienter permittere, si inde timeatur consensus; nam *qui amat periculum, in illo peribit.* (Eccli. III). Hoc autem periculum adesse judicabitur 1.° ex pœnitentis qualitate, si tenuis virtutis sit, vel alias jam consenserit; 2.° ex materia delectationis, si multum sit periculosa in se, uti si venerea delectatio superveniat. *Scavini, n.* 104.

II. Consentiendi periculo secluso, veniale tantum esse docent *communiter AA.* positive motibus illis non resistere; quia consensus ad peccatum lethale non provenit ex appetitu, sed ex voluntate, quæ cum positive non consentiat, mortaliter non peccat.

Communiter tamen veniale; nam homo cavere debet, ne malus appe-

itus vel leviter voluntatem post se trahere incipiat. *(Salm., S. Thom., D. Ligor.*, l. 5, *n.*.6).

Non tamen adest obligatio positive resistendi hujusmodi motibus, si ita magis excitentur, vel diu perdurat tentatio, vel adsit justa causa eos permittendi, ut in medicis, confessariis officium suum exercentibus, vel ex actibus necessaris ad medendum oriantur, sed sufficit per simplicem displicentiam; prodest sane cogitatio de Passione Jesu-Cristi, de pœnis inferni, oratio ad Virginem, etc.; et si motus pravi ex phantasia proveniant, hæc ad alia convertatur; si ex occasionibus, ab iis fugiatur; si ab esu et potu, vel nimio somno, aut otiositate, vigiliis, jejuniis, labore, vel studio comprimantur; si ex complexione, hæc curetur; si ex nimio timore, hic spernatur. *(Gury; S. Ligor. n.* 8).

CAPUT VIII.

De metu.

20. **Metus** est *trepidatio mentis ex repræsentatione mali futuri, vel impendentis sibi, aut proxime conjunctis.* Hinc differt a violentia, quæ semper a principio extrinseco est; metus vero tam ab intrinseco, quam ab extrinseco esse potest, uti metus mortis, morbi, vel furti.

21. **Divisio.** Quadrupliciter considerari potest metus; nempe, ratione *causæ,* ratione *modi,* ratione *temporis,* et ratione *objecti.*

I. *Ratione causæ* alia est *naturalis,* ut pluvia; alia *supernaturalis,* sicut Dei providentia; alia *libera,* velut homo inimicus; alia *necessaria,* uti cœlum tonans, pestis; alia *interna*, v. gr. morbus; alia *externa*, ut fera, latro.

II. *Ratione modi,* quo metus incutitur, alius est *justus*, alius vero *injustus,* prout justa, vel injusta est ejus causa: v. g. *justus* erit, si inferatur causa pœnarum promeritarum: *injustus* vero si per injuriam incutiatur.

III. *Ratione temporis,* quo incutitur metus, alius est *antecedens*, alius vero *concomitans;* prout causam dat actioni, ut viator, qui in grassatione, mortem timens, crumenam dat latroni; vel eam tantum comitatur, ut latro, qui viatorem expolians, timet ne actu deprehendatur.

IV. *Ratione objecti* metus est *gravis,* vel *levis*, prout timetur malum grave ex causa valde probabili; uti mors, mutilatio, dura carceratio, notabile famæ detrimentum, magna bonorum jactura, enormia verbera, ablatio instrumentorum suæ artis, sine quibus victum sibi quærere non potest aliquis; item magna odia, vel convicia, injustæ censuræ, enormis indignatio patris valde austeri; itidem exilium, amissio status, etc. *S. Lig. l.* 6. *n.* 1048.—E *contrario, leve,* si mediocre incommodum, exiguum fortunæ, vel famæ, aut salutis timeatur detrimentum; vel etiam grave, sed ex levi causa, vel parum probabili, aut quod facile averti potest.

—Metus autem gravis subdivitur in *absolute*, vel *relative* gravem. Dicitur *absolute* gravis, *cum mala, quæ timentur, sunt in se vere gravia.* —*Relative* vero, *cum licet in se levia, gravia tamen sunt respective ad quasdam personas ob speciales circumstantias.* Sic pueri, mulieres, nobiles, senes, infirmi, meticulosi timore majori in eodem periculo affici solent, quam viri ætate maturi ac prævalidi. *S. Lig. n.* xx.

—Merito est attendendus hic metus *reverentialis*, qui *habetur quando quis timet ne parentes suos, aut alios superiores habeat offensos.* Ad metum *justum*, vel *injustum* refertur, prout justa, vel injusta est ejus causa. —*Gravis*, vel *levis* esse potest, habita ratione personæ *reverendæ*, ac personæ *reverentis*, et effectus consequentis, ut supra de *gravi*, et *levi* diximus.

—Dicunt *Sanchez, n.* 24, *et S. Lig. l.* 6, *n.* 1056 *cum communi*, ultra proprium patrem, Episcopum, atque magistratum, vel dominum dari etiam reverentialem metum respectu mariti, soceri, avi, tutoris, et matris, si austera sit, et minas exequi soleat; et etiam fratris majoris, aut patrui, si cum iis habitetur, et ab eis alimenta præbeantur.

22. Q. *An metus tollat, vel minuat voluntarium?*

R. I. Metus quantumcumque gravis, *modo rationis usum non auferat*, non tollit per se voluntarium; siquidem non tollit cognitionem ex parte intellectus, neque electionem ex parte voluntatis; nam adhuc in oppositum determinari potest. Minuit malitiam; quia minuitur libertas.—*Unde per se* non excusat a peccato, nec de mortali facit veniale, quoties lex non cesset, aut actuum valori non obsit, uti infra, aut notabiliter usum rationis non perturbet, ita ut actus sit imperfecte voluntarius ob imperfectam rei cognitionem. Hinc præceptum naturale negativum, rem intrinsece malam prohibens, violare non licet, ne ob mortis quidem metum. Quocirca semper ut apostatæ habiti sunt, qui, metu tormentorum victi, fidem negarunt. (*Gury, n.* 18; *Scavini, n.* 21; *S. Lig. n.* 175). Sic ait Christus: *Ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, et post hæc non habent amplius quid faciant. Ostendam autem vobis quem timeatis: timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam.* (Luc. xii, 4 et 5). Et si aliquando videatur licere negativum præceptum violare, v. gr. non furandi, non occidendi, puta ad defensionem propriæ vitæ, etc., tunc præceptum non existere dicitur.

—Tamen, quæ ex metu fiunt, etsi *simpliciter* voluntaria sint, nisi agatur de peccatorum dolore ex metu divinæ ultionis, et similium, regulariter sunt involuntaria *secundum quid;* uti patet in eo, qui timore naufragii merces projicit in mare: unde culpæ gravitas aliquantisper saltem minuitur; quia ex solo metu agens, minus habet malitiæ, et plus tristitiæ, ac repugnantiæ circa opus malum. *S. Lig. n.* xxi.

II. Metus ab intrinseco, seu a causis naturalibus proveniens, non impedit quominus actus ex illo elicitus sit simpliciter voluntarius, et validus. Sic valet votum in naufragio, vel in morbo gravi, aut metu mortis emissum. (*Elbel, Bill., Reuter, Gury, n.* 19).

III. Metus sub omni respectu levis, numquam a peccato gravi excusat, ubi materia violati præcepti sit gravis, nec in foro externo censetur actuum causa efficax, etsi injuste incutiatur, et actioni causam dederit; aliter enim semper præsumitur, cum non sit ex se potens ad talem actum cogendum.—*Ex lib.* 6, *ff. de eo quod metus, etc.*

—Tamen contractus ex metu levi initi, præsertim si metus unica sit ontrahendi causa, probabiliter arbitrio metum passi rescindi possunt in oro interno; nam quicumque metus injuriam infert, ex qua incutiens ommodum reportare non debet: unde sicut ipse tenetur in conscientia laxare promissionem tali metu extortam, sic e contra promittens in onscientia non tenetur illam adimplere. Ita satis probabiliter *Less.*, *'avar.*, *Sot.*, *Silv.*, *Sanch.*, *Pal.*, *Salm.*, *Molin.*, *Trull.*, *Dic.*, *S. Ligor. l.* 3. . 718, *cum communi,* etsi probabiliorem vocet contrariam; non enim ræsumitur consensisse ex metu, sed vere, et sponte, cum facile rejicere um potuisset.—Sed si revera ex metu contraxisset, jam esset nulla hæc itio, ac opinio, quia præsumptio cedit veritati.

—Ast communiter conveniunt AA., quod valida esset professio reliiosa; item matrimonium tali metu contractum; quippe aliter facile quisue hunc metum fingere posset contra statum vitæ perpetuum, non sine iagna perturbatione, ac boni communis damno. Secus censent omnino *'almant.* de sponsalibus, quæ ob metum levem per judicis auctoritatem escindi possunt, ob maximam libertatem, quam sponsalia requirunt. *Salm. de contr., cap.* 1, *n.* 14).

IV. Contractus, qui ex metu gravi fiunt, de jure naturæ validi sunt, tsi rescindi possint, si per injustum metum initi fuerint. De jure autem ositivo plurimi contractus ob gravem metum injuste incussum irriti, ac ivalidi sunt ipso facto, ut contractus matrimoniales, etsi jurati, vota, et olemnes votorum professiones, etc.

V. Imo metus gravis a tota culpa excusat in iis, quæ per se mala on sunt, sed tantum mala, quia lege positiva prohibita; nam juxta comiunem sententiam lex positiva non obligat cum gravi incommodo, ut ıfra de legibus dicetur. *(Scavini, n.* 21).

CAPUT IX.

De violentia.

23. **Vis, seu violentia** est *coactio a principio extrinseco, et libero lata, repugnante omnino eo, qui vim patitur.* Non sufficit quod hic negave se gerat. *S. Lig. n.* XV.

Duplex distinguitur violentia, nempe *absoluta,* et *secundum quid;* rout coactio alicui *omnimode,* vel *aliquatenus* tantum repugnanti inferır.—Dupliciter hoc ultimum contingere potest: 1.° cum vis contumaci enitentia frangi possit.—2.° Cum vim illatam, quæcumque demum sit, uis non patitur omnino invitus. *(Gury, Ballerini, n.* 20).

Q. *An voluntas quoad suos actus elicitos vim pati possit?*

R. Nega; actus enim voluntatis elicitus essentialiter est ipsa volitio. *ıvitus nemo potest velle, quia nemo potest velle nolens velle,* ut ait Anselmus, *de lib. arb., c.* 6. Necque Deus quoad actus elicitos voluntatem

cogere potest; hoc siquidem esset eam destruere; potest tamen eam immutare per novam inclinationem, nempe de nolente eam facere volentem, quod est contra Molinistas, qui ægre tuentur Deum voluntatem nostram non movere.—Porro sive mediis tantum moralibus utatur Deus, ut cum *Suarezio* tenent *Congruistæ,* sive nostras determinationes præveniat natura, et ratione, ut tuentur *Thomistæ,* certum est, quod *in ipso... vivimus, et movemur, et sumus.* (Act. XVII). Et *corpora obnoxia sunt dominis, mens sui juris est,* ut ait Seneca.

Q. *An voluntas cogi possit quoad suos actus imperatos?*

R. Affirma, quoad actus, qui sive externis, sive internis aliis potentiis eliciantur; etenim non solum exteriora corporis membra, sed etiam interiores facultates, uti phantasia, appetitus sensitivi, etc., vi aliqua extrinseca, v. g. Angeli tum boni, tum mali, voluntate nequidquam reluctante, ad aliquos actus moveri possunt. *(Ita Ballerini).*—Item si voluntas intellectui imperaret aliquid considerare, sed intellectus aliis sit distractus; vel si motum pedibus imperat, qui tamen catenis obstricti moveri non possunt.

24. Q. *An violentia tollat, vel minuat voluntarium?*

R. I. Actus externi, seu extrinseci voluntati, modo prædicto ex absoluta violentia positi, involuntarii sunt; proindeque nec liberi, neque peccaminosi, neque demeritorii; ubi enim deest voluntas, non adest peccatum.

II. Actus vero, qui ex violentia *secundum quid* tantum ponuntur, plus minusve liberi sunt pro majori, vel minori resistentia, vel pro majori, vel minori affectu, quo vim patiens agit. *(Gury, n.* 20; *S. Lig. n.* XVIII).

Unde mulier omnimode resistens violentiæ, quæ ipsi infertur, nullo modo peccat, etsi stuprum patiatur; nemo enim peccat omnino invitus. —Secus si pusillanimitate, aut vano timore aggressorem offendendi, etc., non obsistat, vel non omnimode, sed secundum appetitum aliquantisper se habet; quippe tunc est illi voluntarium *secundum quid.*—Imo, etsi non consentiat, et etiam secluso periculo consensus; quia dum minus, quam par est, repugnat, æquivalenter in sui violationem consentit, et alterius crimini cooperatur. *(Gury, ibid.).*

—Aliquando non requiritur resistentia omnino absoluta, et continua coactioni illatæ, nempe, cum ex una parte inutilis foret, et ex altera agatur de materia minus periculosa. Sic martyres ad paganorum templa ducti, non peccabant, ambulando; sed semper est resistendum quantum ad avertendum scandali, ac damni proprii spiritualis periculum, et Religionis injuriam requiritur.

25. *An peccet mulier vi opressa, si ob metum mortis clamare omittat?*

R. Valde probabiliter, stante periculo cujuslibet notabilis damni, sive infamiæ, sive nimiæ verecundiæ, clamare non tenetur, secluso consensus periculo, si alioquin resistit quantum potest; quia non tenetur cum tanto suo detrimento vim repellere. *(Ita Gury, n.* 21; *S. Ligor., l.* 3, *n.* 430 *et 788, et alii contra Salm., Cajet. aliosque).*—In praxi ut clamet est ei suadendum, ob scandali, ac consensus periculum, aliaque consectaria: et si revera id periculum adsit, est prorsus indicenda obligatio. *(Ballerini, n.* 21; *S. Ligor. n.* 430 *dicens: Negativa potius speculative, quam practice est probabilis.*

CAPUT X.

De moralite actuum humanorum.

26. **Moralitas actuum humanorum** est *convenientia, vel discre-
pantia actus liberi cum morum regulis. S. Lig. n.* XXXIV.

Actus moralis est *actus humanus conformis, vel oppositus morum
regulis, aut ab eis permissus.*

Q. *Quænam sunt regulæ morum?*

R. I. Certo regulæ morum esse debent: 1.° Omnino *rectæ,* secus non
essent laudandæ, nec tenendæ; nam essent regulæ pravæ.—2.° *Certæ*
quoad praxim; alioquin se committeret homo cum eis errandi periculo.
—3.° *Obligatoriæ,* ut homines obstringere valeant; aliter se ab ipsis re-
gulari non consentiret humanitas.

II. Ad hæc habenda necessario requiritur infallibilis auctoritas eas
proponens, et sanctio, seu illarum promulgatio; secus incertitudo sem-
per vigeret inter homines, excusatio, et ipsarum violatio.

III. Quænam sint hæ regulæ non conveniunt AA. Alii legem æter-
nam; alii lumen rationis ab æterna ratione nobis inditum esse dicunt.
Probabilius videtur rationem humanam, divinam revelationem, aut vo-
luntatem cognoscentem, esse proximam morum regulam; et rationem
divinam, seu legem æternam nobis revelatam, quæ ordinem naturalem
servari jubet, perturbari vetat, regulam mediatam, seu remotam consti-
tuere. (*S. Lig. l.* 1. *n.* 1.)

—Porro sola ratio potest æternam legem homini manifestare, quate-
nus sine ratione non est cognitio supernaturalis; ergo regula morum
proxima est recta ratio divinitus illustrata actus voluntatis ad Dei gloriam
dirigens, tanquam ultimum finem.

—Hinc sequitur: I, regulam morum non posse constitui in humana
libertate, etsi libertas sit fundamentum moralitatis; nam liber concipitur
actus, antequam sit moralis; aliunde imputabilitas non ex mera libertate,
sed ex actus moralitate venit, qua homo præmium vel pœnam meretur,
et moralitas ex conformitate, vel oppositione cum divina voluntate ortum
habet. Ideoque libertas non esset regula certa, recta, immutabilis, et
consequenter obligatoria. Unde proscripta est in *Syllabo* hæc prop. 80:
*Romanus Pontifex potest et debet cum progressu, cum liberalismo, et
cum recenti civilitate sese reconciliare et componere.*

II. Neque est collocanda in solo delectabili, ac utili; quia propria cu-
piditas modum non haberet; tunc quanto quis audacior, tanto esset ho-
nestior, quod ipsi rationi dicere repugnat. Hinc Pius IX in *Syllabo,* sub
prop. 58, id proscripsit: *Aliæ vires non sunt agnocendæ, nisi illæ, quæ in
materia positæ sunt, et omnis morum disciplina honestasque collocari
debet in cumulandis, et augendis quovis modo divitiis, ac in voluptatibus.*

III. Neque in sola humana ratione est stabilienda mutationibus, ac
erroribus obnoxia. Hinc proscrita est in *Syllabo* 3.ª prop. hisce verbis con-
tenta: *Humana ratio, nullo prorsus Dei respectu habito, unicus est veri*

et falsi, boni et mali arbiter, sibi ipsi est lex, et naturalibus suis viribus ad hominum ac populorum bonum curandum sufficit. (Item Alloc. *Maxima quidem,* 9 jun. 1862).

—Item quod ad rationem meriti, ac demeriti sufficiat merum voluntarium, hæresis est janseniana post Lutherum et Calvinum. *(Vide supra, n.* 11).

27. Moralitatis species dua a moralistis indicari solent; nempe *bonitas,* et *malitia.*—1.ª consistit *in ipsa conformitate humanæ actionis cum morum regulis.* — 2.ª consistit *in ejusdem conformitatis defectu.*

Q. *An dentur actus indifferentes?*

R. I. De fide est non omnes actus humanos esse indifferentes in specie; sed quosdam bonos, ut actus fidei, spei, etc., quosdam vero malos, ut fornicatio, innocentis occisio, etc.—Certum quoque est dari actus in *specie,* seu *objetive* indifferentes: nam sunt objecta, quæ, in se spectata, nullam habent bonitatem, vel malitiam, cum legi, ac rationi non repugnent, uti canere, deambulare, et similia.

II. Controvertitur quoad actus deliberatos in *individuo,* seu *subjectivos.* Negant communius, et probabilius *Thomistæ;* quia homo deliberate agens necessario finem aliquem bonum, vel malum sibi proponere debet, nam agere debet ut homo, nempe conformis rationi, vel non. *(Ita S. Thom.* 2. 2. *q.* 18, *a.* 9).

Et S. Ligorius addit: *Ad hæc homo tenetur omnes actus suos ad Deum referre, quando agit cum deliberatione, et propter aliquem finem. Inquit enim Apostolus* (I Cor. x): *Sive... manducatis, sive bibitis, sibi aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. Si ergo ad Deum refert, saltem per intentionem virtualem, actus erit bonus; si non refert, erit malus; nullus igitur indifferens.* (Lib. V. n. XLIV).

Et revera, actus in individuo humano finem operantis includit: finis vel est bonum jucundum, vel honestum, ut indifferens esse possit; nam aliter esset aperte bonum, vel malum : si ergo finis est bonum honestum, bonus erit actus; si autem sit bonum jucundum, erit malus; quia licitum non est homini in suis deliberatis actibus propter solam delectationem operari, ut definivit Innocent. XI in damnatione 8.ª prop. quæ sic sonat: *Comedere, et bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem, non est peccatum...quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui.*

Dein, quid indifferentius in homine quam verbum otiosum? Tamen, *omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii.* (Matth. XII).

III. Affirmant vero *Scotistæ,* quia non constat de lege in omnibus ad finem positive bonum tendendi. Numquid enim dictat recta ratio, hominem male agere, dum actionem a Deo permissam ponit, nec tamen ad finem positive honestum eam refert?—Responderi potest: Adest relatio actualis, aut virtualis ad finem bonum? Bona est actio.—Non adest hæc relatio, vel adest finis malus? Malus erit actus.

—Cæterum hæc quæstio de solo nomine esse videtur; nam omnes docent pravos fines esse excludendos. Indifferens dicitur ab *Scotistis,* qui bonus vocatur a *Thomistis.*

Tandem hic agitur de fine non supernaturali, sed naturali, deliberato tamen, seu de eo, qui ducitur fine naturaliter honesto. Nam quoad meritum, vel demeritum in ordine ad vitam æternam utique dantur actus sub-

jective indifferentes; uti sunt virtutum actus infidelium, et actus indeliberati fidelium nec morte, nec vita digni. Hinc in Con. generali Constant. fuit damnata hæc Joannis Hus contraria prop.: *Nulla sunt opera indifferentia, sed hæc divisio immediata humanorum operum, quod sint virtuosa, vel vitiosa.*

CAPUT XI.

De fontibus moralitatis.

28. **Fontes moralitatis** vocantur *ea principia, quæ actibus humanis in genere morum speciem, aut speciei modificationem tribuunt.*

Tres enumerantur; nempe 1.° *Objectum actus.*—2.° *Circumstantiæ ejusdem.* — 3.° *Finis agentis.*

I. *Objectum morale* actionis *illud est circa quod immediate versatur moralis actus, et in quo proxime, et per se terminatur agentis voluntas.*

II. *Objectum vero materiale* actus *est res ipsa, circa quam versatur ille:* sub hoc respectu semper bonum est bonitate entitativa, seu naturali; quia cuncta, quæ fecit Deus, erant valde bona.—Unde objecti nomine minime intelligimus ea omnia, quæ voluntati exhibentur in ordine ad mores; nam tunc finem, et circumstantias amplecteremur, sed stricte sumitur objectum pro omni re moraliter considerata, quæ primo, ac per se ab actu attingitur: sic v. g. res aliena est objectum furti; persona humana est homicidii objectum. Porro objectum physice, seu in se consideratum speciem dare potest tam actui bono, quam malo; sic pecunia esse potest objectum materiale tam furti, quam eleemosynæ. Sed moraliter res considerata, quatenus morum regulis convenit, vel disconvenit; aliquando intrinsece convenit, vel disconvenit; aliquando extrinsece tantum.

1.° Si res ex natura sua, et recti ordinis exigentia regulis morum convenit, vel disconvenit, uti amor Dei, vel ejusdem odium, objectum erit intrinsece, et immutabiliter bonum, vel malum.

2.° Si vero ex legis positivæ dispositione tantum sic convenit, vel disconvenit, uti jejunium, Missæ auditio, poterit esse extrinsece bonum, vel malum, ex fine nempe, et circumstantiis. Sic Missa, si ob devotionem, vel ob vanitatem audiatur.

29. Q. *Quotuplicis generis sunt objecta intrinsece mala?*

R. Triplicis; nempe *absolute, intrinsece,* et *accidentaliter.*

I. *Absolute,* et independenter ab omni circumstantia mala sunt ea, quæ ex se repugnantiam cum recto ordine absolute necessario involvunt, uti blasphemia, odium Dei, etc. Hæc semper mala sunt.

II. *Intrinsece* mala sunt, quæ prohibentur non præcise in se, sed ratione *adjuncti,* aut conditionis alicujus, quæ pendet a dominativa potestate Dei, aut hominis, uti læsio corporis, famæ, rei alienæ, et similia, quæ aliquando licita sunt.

III. *Accidentaliter* mala sunt ea, quæ vetantur ratione periculi, quod ordinarie adjunctum habent, uti lectio, vel aspectus rei turpis; quæ, remoto periculo, cum rationabili causa licita sunt. *(Gury, n. 26).*

30. **Objectum. Ab objecto moraliter considerato** sumitur prima, et essentialis bonitas, vel malitia; ab illo enim habet, quod sit talis actio, et non alia, et moralitas, quam objectum actioni tribuit, ante omnem aliam concipitur, quæ ex fine, vel ex circumstantiis proveniat, sicut in naturalibus prima bonitas rei attenditur ex sua forma, quæ dat ipsi rei essentiale et specificum. Unde legimus de peccatoribus: *Facti sunt abominabiles, sicut ea quæ dilexerunt.* (Oseæ, IX). Et D. August. ait: *Talis quisque est, qualis est ejus dilectio: terram diligis? terra es: Deum diligis? Quid dicam? Quasi Deus es.* (Tract. II in Joann.). Alii cum *Thom.* dicunt actum humanum desumere suam moralitatem a modo tendendi in objectum, sive rationi consono, sive dissono. Sic odium Dei optimum habet objectum, tamen actus est moraliter pessimus.

— Cæterum, si objectum sit in se bonum, vel malum, tunc moralitas ex eo desumpta appellatur bonitas, vel malitia *objectiva:* — si vero objectum sit in se indifferens, tunc ex fine, et circumstantiis moralitas venit; et dicitur bonitas, vel malitia *subjectiva.* Sic furtum ad se inebriandum habet malitiam objectivam, et subjectivam; 1.ª in ipso furto rei alienæ; — 2.ª in pravo fine se inebriandi, et duplex adest malitia, et peccatum. Si finis esset ad pauperem sublevandum, objectivam tantum malitiam haberet furtum hoc.

31 Q. *Quid requiritur ut actus humanus ab objecto malitiam desumat?*

R. Sufficit ut hæc sit cognita, ac simul volita, sive explicite, sive implicite; nam semper est contra rectam rationem agere, vel appetere aliquid objective malum, ut tale cognitum, licet hoc malum, secundum se, ipsi agenti non placeat. Hinc qui se inebriat, etsi directe rationis privationem nolit, sed solam potus delectationem, turpiter tamen agit, et peccat; nam essentia rerum per gratuitam abstractionem non mutatur, et *malum ex quocumque defectu.*

Unde, ut actus humanus bonitatem, vel malitiam sumat ab objecto, non requiritur ut agens in actu *signato,* seu reflexe alterutram intendat; v. g. ut secum dicat: Volo id agere, quia bonum, vel malum est; nam hoc esset onus importabile, sed sufficit ut ipsam intendat in actu *exercito;* nempe, ut actum velit, qua ratione bonus, vel malus est. Hinc qui in eleemosyna pauperi subvenire intendit, jam vult bonum sub ratione boni; qui vero in eleemosyna vult puellam seducere, jam vult malum sub ratione mali.

Unde ait Angelicus: *Ad hoc, ut sit voluntas bona, requiritur, quod sit bona sub ratione boni, hoc est, quod velit bonum, et propter bonum.* (1. 2, q. 19, a 7). *Nam bonum ex integra causa,* juxta axioma, *malum vero ex quocumque defectu.*

32. **Circumstantiæ**: circumstantia est *accidens quoddam moraliter afficiens humanum actum, jam in suo esse constitutum, tum physico, tum morali.*

Duo in circumstantia requiruntur: 1.º ut non tribuat primam essentiam actui; 2.º ut aliquam moralitatem in actum referat, v. g. in furto, quod in loco sacro fiat.

Septem numerantur circumstantiarum classes, hoc versiculo expressæ:

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Quis, qualitatem, et conditionem personæ indicat; an sit laicus, vel clericus, conjugata, vel voto castitatis obstricta, etc.

Quid, qualitatem, et quantitatem objecti; v. g. an res ablata sit sacra, vel non; an in parva, vel in magna quantitate.

Ubi, loci qualitatem in quo est commissum peccatum; an in templo, vel in platea, etc.

Quibus auxiliis denotat *media, et instrumenta, quibus agens usus est:* v. g. an veneno, vel ferro, ope dæmonis, vel maleficio alium læserit.

Cūr, finem extrinsecum operantis exprimit; an quis vanitatis, vel pietatis causa sacramenta frequentet.

Quomodo, modum actus accidentalem indicat: v. g. an intensive, vel remisse, vel an cum plena, vel semiplena cognitione quis peccet.

Quando, tam qualitatem, quam durationem temporis denotat: v. g. an in festo, vel an longo tempore popinas frequentet.

33. Q. *An moralitas actus humani etiam a circumstantiis desumatur?*

R. Affirma, nam hæ regulis morum subjacent, et ab ipsis regulis præcipiuntur, vel prohibentur, ac etiam actum determinant ut moralem; imo ejusmodi convenientiam, vel disconvenientiam plerumque solæ circumstantiæ in actum inducunt, ut in actibus objective indifferentibus evenit; sic erit ambulare ad furandum, canere ad seducendum.

34. Q. *Quotuplicis generis sunt morales circumstantiæ?*

R. Triplicis. I. Aliæ *speciem mutant:* 1.° de bono in malum, uti eleemosyna primario ad seducendum data.—2.° De indifferenti in bonum, vel malum, uti cantus ad Deum laudandum, vel juvenem seducendam. —3.° De malo in bonum, v. g. malefici occisio a legitima auctoritate ordinata.—4.° De uno malo in alterum, uti rei furtivæ inversio ad proximum lædendum.

II. Aliæ *speciem novam addunt,* uti illæ, quæ bonitati, vel malitiæ objectivæ novam malitiam, vel bonitatem addunt; sic castitas cum voto servata bonitatem castitatis, ac religionis habet, et ejusdem violatio luxuriæ, ac sacrilegii malitiam induit.

III. Aliæ bonitatem, vel malitiam *solum augent, vel minuunt* intra eamdem speciem; uti major, vel minor pecuniæ quantitas in furto, vel in eleemosyna; major, vel minor extensio, aut ardor in amore divino, vel impuro.

—Istæ dicuntur circumstantiæ graviter, vel leviter aggravantes, aut minuentes intra eamdem speciem, prout quantitas seorsim ab objecto primario disjuncta in se sufficiat ad mortale, vel tantum ad veniale peccatum constituendum, si de rebus separabilibus sermo sit.—Vel quando notabiliter modum ordinarium peccandi in aliis materiis excedat; ut in odio, si per mensem, vel amplius duraret; vel an per totam noctem turpiter quis peccaverit; vel aliquem membratim concidendo occiderit; tunc graviter augens erit circumstantia.

—Si vero nihil horum occurrat, circumstantiæ leviter aggravantes censentur; ut si post rixam aliquantulum temporis in odio quis maneat. Tamen prætereundum non est, quod circumstantia, quæ de veniali in

mortale peccatum transfert, licet speciem objectivam non mutet, mutat tamen speciem *theologicam*, et *demeritoriam;* sic furtum 100 aureorum *specie morali* non differt a furto unius aurei, et viceversa: nam virtuti justitiæ utrumque opponitur; sed differt specie *theologica*, quatenus furtum leve gratiæ, et gloriæ, privationem non meretur, grave autem utique. *(Scavini, n. 41).*

35. Q. *An circumstantiæ leviter malæ totam actus bonitatem semper lædant?*

R. Nega: his enim non obstantibus, actus substantia illæsa remanere potest; sic eleemosynam cum vanitate dans, habet eleemosynæ meritum, et vanitatis peccatum; quia res objectiva, et finis primarius in bono fundantur; et vanitas est tantum quid concomitans, vel accidentale, quod actus essentiam non mutat.

Aliter res se haberet, si propter vanitatem daretur eleemosyna, vel si causa finalis esset vanitas. *(Ita Billuart; S. Lig. l. 5. n.* XXXIX; *Gury, n. 27).*

36. Q. *An actus externus moralitatem actui interno addat?*

R. Nega, *per se,* probabilius, ac communius, et constare videtur ex Sacra Scriptura, ex SS. Patribus, et ex ratione.

1.° *Ex Scriptura* voluntas efficax pro facto reputatur, juxta illud: *Quia fecisti hanc rem, et non pepercisti filio tuo,* ait Deus Abrahamo, et revera pepercit. *(Gen.* XXII.). Et per S. Matth. inquit: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* (Cap. V).

2.° *Ex SS. Patribus,* inter quos Angelicus ait: *Tantum meretur qui habet voluntatem perfectam aliquid bonum faciendi, quantum si faceret illud.* (In 2. d. 40, q. 1, a. 3).

3.° *Ex ratione:* Omnis moralitas a voluntate desumitur; nec actus externus ullam ex se habet imputabilitatem ad meritum, vel demeritum sibi propriam, ac distinctam ab imputabilitate actus interni; utpote pure materialis, et rationis expers.

—Per accidens tamen sæpe actus externus est occasio, cur augeatur bonitas, vel malitia actus interni: 1.° ratione durationis, vel repetitionis actuum internorum; 2.° ratione majoris ardoris, vel delectationis in malo; 3.° ratione scandali, aut alterius damni; 4.° ratione censuræ, vel restitutionis; 5.° quia per externos actus magis hebetantur sensus, et proniores fiunt ad malum omnes potentiæ humanæ. *S. Lig. n.* XL.

—Unde Angelicus, postquam docuit actum externum nullam actui interno bonitatem, vel malitiam tribuere, ait: *nisi contingat ipsam voluntatem secundum se fieri meliorem in bonis, et pejorem in malis.* (1, 2, q. 20, a. 4.) —Cæterum actus externus est interioris complementum, et exinde exurgit quid unum semper in confessione aperiendum. Merito Alexander VII hanc sub n. 25 damnavit prop.: *Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit confessionis præcepto dicens: Commissi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.* Ita *communiter* cum *Suarez, t.* X, *sec.* 1; *Gury, n.* 25; *Scavini, n.* 47.

37. **Finis** est id, *cujus gratia aliquid fit.*

Duplex est finis; nempe, *finis operis,* et *finis operantis;* 1.^s est *ille ad quem opus ex natura sua independenter ab arbitrio operantis dirigitur,* ut eleemosyna ad pauperis levamen, et dicitur finis intrinsecus.—2.^s est finis operi extrinsecus, seu *quem agens sibi præstituit;* sic finis medici

medicinam suppeditantis esse potest ægroti sanitas, pecuniæ, aut laudis consecutio. Duo isti fines interdum in idem recidunt; interdum alius alii superaddit; interdum, secluso operis fine intrinseco, solus extrinsecus actum dirigit.

—Dein finis operantis, de quo hic tantum dicendum est, dividitur 1.° in finem *primarium*, et *secundarium;* 2.° in finem *ultimum*, et *intermedium ;* 3.° in finem *explicitum*, et *implicitum.*

1.° Finis *primarius* dicitur ille, *qui in actum influit, uti causa efficiens*, ita ut sine illo non fieret actus, et est in intentione.—*Secundarius* vero ille est, *qui ad agendum tantum allicit.* Sic Canonicus choro assistens, *primario* cultum Dei intendit; *secundario* stipendium ad sustentationem.

2.° *Finis ultimus* ille est, *ad quem omnia referuntur ;* est porro felicitas in quam homo necessario fertur, et est in executione.—*Finis intermedius* est ille, *qui ad alium refertur*, seu in quo ultimo non quiescitur. Sic media, quibus studet avarus, ut pecuniam augeat, in quo finem suum ultimum collocat, dici possunt totidem fines intermedii.

—Finis ultimus unicus esse debet, alioquin amor esset divisus, et jam deficeret ultimus finis. Secus finis intermedius; nam pluribus uti potest negotiis, seu mediis avarus, v. g. ad pecuniam augendam, et ad se satiandum divitiis. Hic facit illud Matthæi : *Nemo potest duobus dominis servire.* (Cap. VI).

3.° *Finis explicitus*, vel *implicitus* est, prout agens *expresse*, vel *virtualiter* ipsum intendit.

Additur etiam finis *qui*, et finis *quo :* 1.^{s} est *quem consequi intendimus;* sic Deus est finis *qui* hominis.—2.^{s} est *ipsius finis possessio;* sic visio beatifica est finis *quo* hominis. Hæc divisio solum est inter duas res unum finem integrantes.

38. Q. *An homo semper agere debeat ob aliquem finem?*

R. Affirma, si libere agit; nam libere agere est aliquid eligere ; eligere vero est aliquid sibi proponere, hoc est agere propter aliquem finem; ergo...

Q. *An actus humanus bonitatem, vel malitiam sumat a fine ?*

R. Affirma, quia finis est tota ratio agendi. Ideo semper ac finis legi, vel rectæ rationi non sit conformis, malus, et peccatum est; non est legi, vel rectæ rationi conformis quoties agitur ob solam delectationem. —Probo. Delectatio juxta ordinem a Creatore institutum est propter operationem, et non vicissim; seu est medium ad facilius operandum res necessarias, vel utiles ad vitam: *Divinus intellectus, qui est institutor naturæ*, ait Angelicus, *delectationes apposuit propter operationes* (1. 2. q. 4, a. 2); atqui finem in mediis constituere inversionem includit oppositam legi, vel rectæ rationi; ergo...

—Tamen *per se* hæc deordinatio veniale peccatum non excedit; quippe ordinarie finem ultimum non excludit, neque implicite, nisi agatur de rebus graviter prohibitis, vel de iis, de quibus ait Apostolus : *Quorum deus venter est.* (Philip. III).

Q. *An finis quilibet malus totam actus bonitatem corrumpat?*

R. Vel finis est graviter malus, vel leviter. Si 1.^{m}, totum actum inficit, quantumvis objectum sit in se bonum; nam agens totaliter a Deo recedit, totumque meritum supernaturale corrumpit. — Si 2.^{m}, vel finis

malus est *primarius*, vel *secundarius*. Si *primarius* totum objectum corrumpit; quia *agens malo fine vult bonum sub ratione mali, et ideo prout volitum ab eo, malum est.* (S. Thom. 1. 2, q, 19, a. 7). *Si autem oculus tuus fuerit nequam: totum corpus tuum tenebrosum erit.* (Matth. VI). Et Apostolus ait: *Modicum fermentum totam massam corrumpit.* (I Cor. V). Hinc dona Cain, etsi de se bona, Deo displicuerunt, utpote a malo fine provenientia.

Si *secundarius*, vel tantum *concomitans* fuerit finis leviter malus, probabilius totum actum non corrumpit, si actio sit objective bona; quia tunc finis in operis substantiam non influit: ideoque bonitatem objectivam, ac finem primarium non lædit. Secus pauci invenirentur actus boni. *(Gury, n.* 30; *Gerdil; Billuart, d.* 4, *a.* 4, *cum communi).*

Hinc I, finis operantis ex objecto indifferenti efficit actum humanum bonum, vel malum; v. gr. ambulare ex obedientia, erit opus bonum ac meritorium; ob finem turpem, erit malum, ac demeritorium.

II. Ex bono meliorem facit; uti qui jejunat, vel Missam audit ex voto, vel ad caste vivendum, dupliciter bonum intendit.

III. Ex bono malum; v. gr. eleemosynam dare ad seducendum.

IV. Ex malo pejorem; uti furari ad se inebriandum; vel furari velle in loco sacro.

V. Ex malo bonum quoad operantem, ut invasorem occidere ad se, vel justitiam defendendum. Tamen recte ait Angelicus: *Non est actio bona simpliciter, nisi omnes bonitates concurrant, quia quilibet singularis defectus causat malum.* (De malo, q. 2). Unde qui furaretur ad bonum finem, nempe ad pauperem sublevandum, reus erit, ut supra de objecto diximus.

VI. Quando vero diversæ malæ actiones eodem pravo fine diriguntur contra eamdem virtutem, probabilius, et communius unam tantum malitiam habent; nam eodem voluntatis impulsu, seu actu diriguntur ad unum; sic omnes actus, ac omnia verba impura ad copulam directa unum constituunt grave peccatum. — Secus vero si illæ diversæ actiones non eodem voluntatis actu, vel in diversas virtutes, aut in actus completos dirigantur, etsi eodem pravo fine coordinentur; quia tunc multiplicantur voluntatis actus diversi, et diversæ injuriæ, ac completa peccata. *(Varceno, p.* 23. Vide n. 310).

Idem dic, quando plures adsint fines diversi ac pravi; a voluntate enim, seu ab intentione venit peccatum. Sic qui se in templo absconderet ad vasa sacra furanda, et famulam violandam, graviter peccaret contra Religionem, contra justitiam, et contra castitatem; etsi ante factum ab aliis deprehendatur; quippe ad contrahendam malitiam sufficit eam in actu deliberato voluntatis apprehendere, et erit semper grave, vel leve peccatum pro quantitate mali finis. *(Scavini).*

39. Q. *An omes humanæ actiones, ut bonæ moraliter sint, motivo charitatis informari debeant?*

R. I. Nego; secus omnia infidelium opera peccata essent; quod damnatum est in hac Baji prop: *Omnia opera infidelium sunt peccata.*

II. Quia omnes aliarum virtutum actus mali essent; quod item est damnatum in hac Trident. definitione: *Si quis dixerit justificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis bene operatur, anathema sit.*

(Sess. 6, c. 31)—Et sess. 14, c. 4, declarat, *attritionem esse donum Dei, et disponere pœnitentem ad justificationem.*

Q. *An omnes actiones nostræ, ut meritoriæ sint, ad Deum quolibet actu referri debeant?*

R. I. Si agitur de naturali relatione, commune est omnes actus deliberatos ad Deum esse referendos; quippe qui est ultimus hominis finis, et ut talis super omnia, et in omnibus, et cum omnibus viribus diligendus; quod adimpleri nequit absque prædicta relatione.

Non tamen necessaria est actualis relatio; tum quia esset onus importabile, quod neque Deus homini imponere potest; tum quia sufficienter adimpletur hæc obligatio per virtualem relationem, aliquoties per actualem innovatam; quæ relatio in actu exercito habetur semper ac quis a pravo fine abstinet, ac bonum, quatenus bonum, operatur; nam tunc actum suum implicite ad Deum tamquam principium omnis recti ordinis refert, juxta illud S. Thomæ: *Virtualiter referre omnia in Deum, cadit sub præceptum charitatis, quum hoc nihil aliud sit, quam habere Deum finem ultimum.*

Hinc semper propter Deum facile agere possumus, quin semper de Deo cogitemus; modo quo operarius tota die operatur mercedis amore, et peregrinus iter agit versus patriam suam, licet tota die nequeat de ipsa cogitare.

II. Si autem agatur de supernaturali relatione, quoad praxim, relictis controversiis, idem est dicendum: et præfato sensu sunt intelligenda illa Apostoli verba, et similia: *Omnia in gloriam Dei facite.* (I Cor. x). In sensu *negativo* significant: *Nihil contra Deum faciatis;* et sic juxta omnium sensum generale præceptum numquam peccandi continent.— In sensu autem *affirmativo* juxta communissimam sententiam de præcepto non est singulas actiones distributive, vel collective sumptas ad Deum actu referre; nam in hac vita *non est possibile quod de Deo semper cogitetur*, ut ait Angelicus. *(Q. unic. de charit. q.* 11). De præcepto autem est omnium operum virtualis ad Deum relatio, et aliquando actualis.

Et si quæratur, quando oporteat actum referre in finem ultimum, hoc nihil aliud est, quam quærere, quando oporteat habitum charitatis prodire in actum, quia quandocumque habitus charitatis in actum prodit, fit ordinatio totius hominis in finem ultimum, et per consequens omnium eorum, quæ in ipsum ordinantur, ut bona sibi. (*S. Thom. 2. dist.* 40, *q.* 1. *a.* 5, *ad* 6, *cum communi*).

Unde 1.° Valde commendandum est, ut omnes in Deum quotidie se, et sua opera referant, saltem mane, et sero, imo sæpius in die.—2.° Non est de hac re urgenda obligatio gravis, nec levis, quia nullibi certo de ea constat; nisi quando urget præceptum actus charitatis eliciendi.— 3.° Magnum indifferentiæ, ac tædii rerum spiritualium, et propriæ salutis signum tamen est talis omissio. *Ita Cajet., Valent., Montesinos, Card. Aguirre, S. Franciscus Salesius, S. Thomas, Gury, Ballerini, n.* 32, *S. Lig. n. XLIV, cum communi.*

40. Q. *Quomodo possumus et tenemur voluntatem nostram voluntati divinæ conformare?*

R. Dupliciter; scilicet, *positive*, et *negative*; id est, per approbationem, et per non repugnantiam. Ratio, quia duplex est in Deo volitum;

nempe *materiale*, et *formale*. 1.m est *objectum quod Deus vult.*—2.m est *motivum, quo Deus objectum materiale vult.*—Hinc:

1.° Conformari ei tenemur omnes *positive*, tum in volito materiali, tum in formali, dum agitur de præcepto; quia præceptum ejus implere tenemur, et propter motivum quod dedit Deus.

2.° *Negative* conformare tenemur voluntatem nostram voluntati divinæ, dum agitur de consilio. Sic *positive* virginitatem nec velle, neque amplecti tenemur omnes; quia Deus illam tantum nobis commendat; sed eam approbare omnes tenemur; secus a voluntate divina recederemus.

3.° Semper, et in omni re conformare *negative* tenemur voluntatem nostram voluntati divinæ in volito formali; sane motivum agendi in Deo semper æquissimum est; sed non tenemur in volito materiali, nam plura vult Deus, quæ non vult nos velle, nisi conditionate, nempe, si Deus ipse voluerit, v. gr. ut moriatur Papa.

CAPUT XII.

De merito actuum humanorum.

41. **Actus meritorius** est *opus bonum cum gratia positum, præmio dignum.*

Duplex est meritum, nempe, de *condigno*, ac de *congruo*. 1.m est *cum merces ex justitia, attenta Dei promissione, debetur.*—2.m vero est *cum merces non debetur nisi ex quadam decentia, ac Dei liberalitate.*

Q. *Quid mereri potest homo de condigno?*

R. I. Certum est hominem justum per gratiam operantem vere de condigno aliquid mereri posse. Constat 1.° ex S. Scriptura: *Merces vestra copiosa est in cœlis.* (Matth. v).—*Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex.* (II Tim. iv).—2.° Ex Trident., sess. 6, c. 26: *Si quis dixerit, justos non debere pro bonis operibus, quæ in Deo fuerint facta, expectare, et sperare æternam retributionem a Deo... si bene agendo, et divina mandata custodiendo, usque in finem perseveraverint, anathema sit.*

II. Mereri potest de condigno 1.° augmentum gratiæ sanctificantis.—2.° gloriam æternam juxta dicta; non vero gratias efficaces, neque perseverantiam finalem, hæc quippe sunt dona gratuita.

Q. *Quid requiritur ad meritum de condigno?*

R. Requiritur: 1.° *Actus liber;* secus non esset humanus.—2.° *Actus honestus;* alias præmio non esset dignus.—3.° *Gratia;* alioquin ad vitam, ac mercedem supernaturalem non haberet proportionem. - 4.° *Status gratiæ* in agente; nam peccator non est amicus, cui debentur promissa.

—Sed non requiritur: 1.° ut ex charitate actus sint eliciti, modo in Deo sint facti, uti sunt omnes justorum virtutes, ac bona opera. *Charitas motor est aliarum virtutum,* ait Angelicus. *Actus omnium aliarum virtu-*

tum ordinantur in finem proprium charitatis, quod est summum bonum... Omnis autem actus in aliquid bonum tendens, nisi inordinate in illud tendat, habet pro fine bonum aliquod virtutis. (Dist. 27, et 2 dist. 40). — 2.° ut sit supererogationis, seu non præceptus. (Constat ex Trident., sess. 6, c. 26).

42. Q. *Quid mereri potest homo de congruo?*

R. Justus mereri potest de congruo: 1.° sibi gratias efficaces, ac perseverantiam finalem. — 2.° aliis primam gratiam, et ulterioris gratiæ auxilia. — Peccator per orationes, ac bona opera mereri sibi potest de congruo gratiæ auxilium, ut peccatum vitet, et ad justificationem perveniat. – Adhortandi sunt peccatores ad bona opera, juxta illud : *Cor contritum et humiliatum Deus non despicies.* (Ps. L).

Q. *Quotuplicis generis sunt bona opera?*

R. Triplicis: *Opera viva*, *mortificata*, et *mortua*.

1.° *Opera in statu gratiæ sanctificantis facta*, viva dicuntur. — 2.° *Opera mortificata*, quæ in statu gratiæ facta, per subsequens peccatum mortale amissa fuerunt, ac, recuperata per pœnitentiam gratia, reviviscunt. – 3.° *Opera mortua*, quæ *in satu peccati mortalis fiunt.*

TRACTATUS SECUNDUS.

DE CONSCIENTIA.

CAPUT I.

De conscientiæ natura, ac divisione.

13. Conscientia definitur: *Judicium rationis practicum, dictans quid hic et nunc, spectatis circumstantiis, faciendum, ut præceptum, vel bonum, aut fugiendum, ut malum.*

—Differt a *synderesi,* quæ est: *Judicium habituale speculativum principiorum generalium,* v. g. *malum esse vitandum, virtutem diligendam.*

—Differt a sensu intimo, qui est: *Perceptio, qua mens de præsenti suo statu admonetur, quin tamen ullum judicium practicum intercedat de actionis liceitate, vel illiceitate.*

Q. *An conscientia vim obligandi habeat?*

R. Affirma: Constat ex Scriptura, ex SS. Patribus, et ex ratione.—1.° Ex Scriptura: *Omne autem quod non est ex fide* (ex intima persuasione), *peccatum est.* (Rom. XIV). *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* (II Cor. I).

2.° Ex SS. Patribus: *Secundum hoc enim ligare conscientia dicitur, quod aliquis, nisi conscientiam impleat, peccatum incurrit,* ait Angelicus, q. 17 de verit. a. 4.—*Conscientia est sicut præco Dei, et nuntius... et hinc est, quod conscientia habet virtutem ligandi,* scribit S. Bonavent. in 2, d. 39, a. 1, q. 3.

3.° Ex ratione: Ratio ipsa conscientiam efformat; nam ratio est regula proxima actuum humanorum, quæ indiget regula remota, cui conformari possit: hæc regula est lex, quæ rationi criterium, et elementa judiciorum subministrat; ergo agere contra conscientiam est agere contra legem; agere contra legem peccatum est; ergo... *(S. Lig. n.* 1.)

Hinc sua sponte fluit, quid dicendum de conscientiæ libertate a novatoribus decantata: nonne idem sonat, ac homines exleges, vel conscientiæ negatio? Contra Dei sapientiam, bonitatem, et ordinem blasphemare? Libertas nobis data est ad malum? Nequaquam: humanæ siquidem libertatis munus est inter diversas boni species eligere. Unde conscientiæ remorsus sine pretio donum Dei est.

44. Q. *An plus obliget conscientia, quam superioris præceptum?*

R. Affirma: *Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus.* (Act. v). *Conscientia non ligat, nisi vi præcepti divini*, ut ait Angelicus... *præceptum divinum obligat contra præceptum Prælati, et magis.* (Q. 17 de verit., a. 5).—Intellige, casu quo Superior non sancte præcipiat.

45. **Divisio.** *Conscientia* dividitur: 1.º in *veram*, et *erroneam*, prout verum, vel falsum dictat.

2.º In *certam*, et *dubiam*; prout mens firmiter judicat aliquid esse bonum, vel malum; aut suspensa hæret.

3.º In *scrupulosam*, et *laxam*; *probabilem*, et *improbabilem*; *præcipientem*, et *prohibentem*; *consulentem*, et *permittentem*.

4.º In *antecedentem*, et *consequentem*, prout judicat de re facienda, vel omittenda; aut de re jam facta, vel omissa. Prima ligat; secunda vero tantum accusat, vel excusat; at in præteritam moralitatem non influit.—Rudes sæpe hoc confundunt, et de actibus inconscientibus se accusant; aliquando autem in dubio operantur animo dein de eo se confitendi, quod si ad se in futurum præcavendos agerent, bene agerent; tamen modus, quo se conducunt, facile invalidare suas confessiones poterit. De singulis seorsim.

CAPUT II.

De conscientia recta, et erronea.

46. **Conscientia recta** ea est, *quæ dictat aliquid esse bonum vel malum, quod revera, et objective tale est.*—Hæc semper est sequenda, quia est ipsa veritatis, et legis applicatio ad actus particulares. Unde Innocentius III ait: *Quidquid fit contra conscientiam, ædificat ad gehennam.* (C. Litteras de Rect. Spol.).

Etsi stricte loquendo idem non sit verum, ac rectum, quia verum dicitur juxta quod est, et rectum juxta quod apprehenditur, tamen in praxi, saltem in foro externo, non distinguitur. Unde conscientia vera, ac recta idem sonat.

Conscientia erronea ea est, *quæ dictat aliquid esse licitum, vel illicitum, quod revera tale non est.*—Duplex est; alia *invincibilis*, *quæ moraliter vinci nequit*; cum nulla cogitatio, neque dubium erroris ne in confuso quidem in operantis mentem veniat, dum actionem, vel ejus causam ponit.—Alia *vincibilis*, quam operans vincere potest, ac debet; quia errorem jam advertit, vel de eo dubitat, ac simul advertit ad obligationem illum vincendi, et id negligit. Opus non est maximam adhibere diligentiam ad vincendum errorem, sed sufficit communis, et ordinaria, ut docent *Salm. n.* 9; *Suar.*, *Azor.*, etc.

Erronea vincibilis subdividitur pro ratione ignorantiæ, a qua oritur, in *affectatam*, in *supinam*, et in *pure vincibilem*, ut n. 14.

47. Q. *Quomodo peccat conscientiam erroneam sequens?*

R. I. Conscientia invincibiliter erronea, quæ neque in confuso de

errore dubitat, præcipiens, aut prohibens, semper est sequenda, juxta illud: *Omne quod non est ex fide, peccatum est;* nam tunc rectæ rationi æquiparatur. Sic qui falso putans, se ad mentiendum teneri, ut patrem a morte liberet, peccaret non mentiendo. Imo, ut communissime tenent *Sanch., Cunil., Scavini, S. Lig. n.* 6, meritum haberet mentiendo, saltem ratione prudentiæ, ac boni finis.

II. Conscientia vincibiliter erronea præcipiens, aut prohibens, vel permittens, semper culpabilis est, tam si juxta, quam si contra eam quis agat; si juxta, periculum peccandi amplectens; si contra, eligens quod malum judicat: *ordinarie* autem hic gravius peccat, nam sic magis explicitum suum monstrat affectum ad peccandum; siquidem ignorantia prioris semper peccatum minuit.

Aliquando tamen gravius peccat si agat juxta illam; aliquando fere, *æqualiter*, uti si ei dictaret vincibilis conscientia esse furandum ad elargiendam eleemosynam, vel ad creditori satisfaciendum. In 1.° casu gravius; in 2.° vero æqualiter peccaret.

III. Peccatum illius qui contra erroneam conscientiam agit, eamdem speciem, ac gravitatem habet, quam in objecto apprehendit; quia *actus*, ut ait Angelicus, *judicantur secundum voluntatem agentium.* (Q. 3, a 27). Sic qui falso putans obligationem jejunii dari, non jejunat, graviter peccat; censuras tamen Ecclesiæ, si forte adsint, non incurrit; uti qui laicum percutit, credens esse clericum. *Scavini, n.* 56.

48. Q. *Quomodo cognoscere poterit confessarius pœnitentem vincibiliter, aut invincibiliter errasse?*

R. 1.° Interroget, an aliquam pravitatem in actu suo adverterit?—2.° An ipsi sua conscientia saltem esse interrogandum dictaverit?—3.° An verecundia, metu, vel alia causa interrogare neglexerit?—Si ad unum, vel alterum ex his affirmat, culpabilis censeri debet; secus si ad omnia negat. *(Gury, n.* 38).

Dein, ut notat *Scavini*, perpendere debet confessarius: 1.° An ignorantia sit circa prima principia moralia, vel immediatas conclusiones, uti furari, debita non solvere, etc., nam hæc a natura cordibus insculpta sunt.

2.° An sit circa proprii status obligationes; tunc enim esset ignorantia culpabilis in causa. Unde S. Thomas docet, non excusari judicem, qui in sententia ferenda errat ob legum ignorantiam, quas didicisse ratione officii tenebatur. *(Opus de cons., q.* 17, *a.* 5).

Et prout ait *Ballerini, n.* 37, *cum Croix, l.* 1, *n.* 42, fieri etiam potest, *ut error quidem olim culpabilis, quem tamen in præsens quis amplius non advertat;* v. g., *si confessarius non satis olim theologiam excoluit, aut hujus studium nimis diu ex negligentia intermissit. Et de hoc verissime dicitur cum S. Thoma* (de vert., q. 17, art. 8, ob. 8), *quod numquam a peccato excusatur, sive agat juxta conscientiam, sive contra. Et ratio patet, quia semper adest vetus illud peccatum, culpabilis nempe ignorantia eorum, quæ quis scire tenetur.*—Tamen non ita semper in praxi tenendum forsan quoad parentes, dominos, etc.; nam aliqui neque de sese instruendi obligatione unquam cogitant, etsi sint fortiter monendi.

3.° Si pœnitens satis diligens sit in iis, quæ ab aliis ejusdem conditionis peragi solent; vel si advertens se per ignorantiam præceptum violasse, tristatur, et dolet; nam per hæc recte præsumitur ejus bona fides. Secus si hæc desint. *(Scavini).*

CAPUT III.

De conscientia certa, dubia, et perplexa.

49. **Conscientia certa** ea dicitur, *qua quis absque rationabili errandi formidine judicat in particulari aliquid esse bonum, vel malum ; quidquid objective sit.*

Tripliciter distinguitur certitudo, nempe *metaphysica, physica*, et *moralis*.—1.ª est *quæ iis propositionibus competit, in quibus attributum essentialiter, ac immutabiliter subjecto convenit.* 2.ª est *quæ fundatur in ordine constanti, quo mundus regitur.* Hæc firma est, sicut leges physicæ erunt, vel constantes fuisse censentur.—3.ª est *quæ nititur legibus, quibus homines in actibus suis reguntur.*

Moralis certitudo subdividitur in *perfectam*, et *imperfectam, directam*, et *reflexam.*

1.ª est, quæ *ita legibus moralibus fundatur, ut clare percipiatur propositionem falsam esse non posse.* Hæc ad metaphysicam certitudinem mediate reducitur.

2.ª est, quæ *iis propositionibus competit, in quibus errorem esse absolute non repugnat, etsi rarissime evenire possit.* Hæc varios gradus admittit.

3.ª vero ea est, quæ *ex principiis propriis, et intrinsecis rem ipsam afficientibus obtinetur;* uti judex cum reum condemnat ob argumenta criminis certa a processu subministrata.

4.ª demum est ea, quæ *petitur a principiis generalibus, seu reflexis rem ipsam extrinsece tantum afficientibus;* uti si judex, dubius an reus sit condemnandus, vel absolvendus, concludat ex principio reflexo: *In dubio favendum est reo;* et tunc recte, et sine hæsitatione eum absolvit, ut infra de hoc.

50. **Conscientia dubia** illa est, quæ *suspensa hæret circa particularis actus bonitatem, vel malitiam.*

Dubium est *suspensio assensus inter opposita.*—*Dubia* non est vera conscientia, sed improprie ab scholasticis sic dicitur; nam conscientia est judicium practicum; et hic non adest nisi suspensio judicii.

Q. *An idem sit dubium, suspicio, et opinio?*

R. Discrimen adest, quod paucis sic declarat S. Thomas: *Quidam actus intellectus habent cogitationem informem absque firma assensione, sive in neutram partem declinent, sicut accidit dubitanti; sive in unam partem magis declinent, sed tententur aliquo levi signo, sicut accidit suspicanti; sive uni parti adhæreant, tamen cum formidine alterius, quod accidit opinanti.* (2. 2, q. 2, art. 1).

51. Q. *Quomodo dividitur dubium?*

R. I. In *positivum*, et *negativum:* 1.m si ex utraque parte adsunt graves rationes æquales, vel fere æquales; vel saltem pro una grave adest motivum, licet cum formidine de opposito; 2.m si nullæ, vel admo–

dum leves tantum, vel adest suspensio assensus ob rationum defectum, sicut statera, cum æquale, vel nullum habet pondus in utraque parte.

II. In dubium *juris*, et *facti:* 1.^m si versatur circa legis existentiam, vel ejusdem extensionem, ac obligationem, vel legislatoris potestatem: 2.^m si circa factum aliquod : v. g. si dubitetur, an peregrinus teneatur ad Missam? en dubium juris; — si vero dubitetur an Missam audierit? en dubium facti.

III. In *speculativum*, et *practicum*, prout versatur circa veritatis cognitionem abstractam; v. g. an pingere in festo sit opus servile? — vel circa actum hic et nunc ponendum; v. g. an ratione debilitatis hodie a jejunio excusor? Primum respicit verum; secundum autem respicit licitum.

IV. Dubium *speculativum* etiam dividi potest: 1.° In *speculativum simpliciter,* cum de re ad mores non pertinente dubitatur; v. g. an excluso originali peccato, Verbum carnem assumpsisset. — 2.° In *speculativo-practicum*, ut cum dubitatur de principio morum generali, aut de actionis bonitate in se considerata, quin ad opus ordinetur; v. g. an gratius sit *Deo Rosarium,* quam *Trisagium* recitare? — 3.° in *practice-practicum*, si versatur circa actum hic et nunc ponendum; v. g. an peccem, infirmum deserendo ad recitandas Horas.

52. Q. *An stante dubio operari liceat?*

R. I. Nunquam operari licet stante dubio practico, sed tunc pars tutior est sequenda, ut patet ex dictis de conscientia recta, n. 49. Et casu quo quis operetur, peccat, et quidem peccato ejusdem speciei, de quo dubitat, nam *qui amat periculum, in illo peribit.* (Eccli. III; S. Lig. n. 22).

II. Licet vero quandoque operari cum dubio *speculativo;* nam aliæ sunt rationes, quibus judicamus de rei veritate, et aliæ, quibus judicamus de actionis honestate. Aliud est quærere an hæc opinio sit vera, et aliud an mihi liceat hac opinione objective dubia operari; evenire enim potest ut principium *directum* opinionem relinquat in statu dubii; et *reflexum* eamdem opinionem constituat in statu moralis certitudinis subjectivæ. Tunc dubium veritatem respicit, et eam, ut in se sit, relinquit; certitudo vero actionis honestatem aspicit in actu exercito. Unde haberi potest certitudo simul ac dubium circa eamdem rem. Sic Jacob, ad Liam accedens, habuit certitudinem subjectivam una cum errore objectivo; ast moraliter perperam non se gessit. Sic etiam subditus speculative dubitans de honestitate præcepti sui superioris, saltem, si operandi urget necessitas, antequam consilium petat, potest certitudinem *practice* moralem de suæ operationis honestate habere, sibi ipsi dicens: *Charitas non cogitat malum. — In dubio possidet auctoritas.*

53. **Principia reflexa**, quibus conscientia speculative dubia, vel perplexa practice certa evadere potest, sunt sequentia, quæ in omnibus dubiis modo infra dicendis deservire possunt, et semper præ oculis in materiis moralibus dubiis habere oportet.

I. *Lex dubia non potest inducere obligationem certam.* Ad rem ait Benedict. XIV: *Non debent imponi obligationes certæ, quando non adest lex certa, quæ eas imponat.* (Notif. XIII).

II. *In dubio melior est conditio possidentis. — Homo quidem prius libertatem cognoscit, quam legem.*

III. *In obscuris minimum est tenendum. — Factum enim non præsumitur, nisi probetur.*

IV. *In dubio favores sunt ampliandi, odia restringenda.*

V. *In dubio favendum est reo.*

VI. *In dubio nemo præsumitur malus, nisi probetur.*

VII. *In dubio judicandum est ex communiter contingentibus.* Sic si Horas cononicas diligenter recitare soleas tali tempore, et dubitas an aliquam partem recitaveris, præsumptio tibi favet.

VIII. *In dubio præsumitur factum, quod erat de jure faciendum.*

IX. *In dubio omne factum præsumitur recte factum.* Sic si dubites an bene sis confessus, pro te stat præsumptio.

X. *In dubiis standum est pro quo stat præsumptio.* Si contractum celebraveris, et dubites, quomodo te habueris, præsumptio stat pro valido contractu.

XI. *In dubiis pars tutior est sequenda, id est, in dubiis practice-practicis,* et in dubiis de quibus n. 73.

XII. *In dubiis præsumptio stat pro superiore*, id est, si dubites de legitimitate ejus auctoritatis, vel de justitia præcepti, aut sententiæ, vel dispensationis. Hæc principia reflexa nunc in jure civili, et etiam in theologia morali universaliter admissa, ad dubia practica dissolvenda admodum deserviunt.

Reflexa dicuntur hæc principia, quia a directo eorum objecto ad aliud per ratiocinationem, quasi flectuntur, ut pro praxi recte definiri possit dubium.

54. Q. *Quid est præsumptio?*

R. Est *judicium de aliquo particulari ignoto per aliud generale notum, ac ordinarie contingens.* Sic cum homo ex natura sit bonus, ac liber, in dubio semper est præsumendus bonus, ac liber a lege, quousque contrarium certo non constet; tunc enim *præsumptio cedit veritati.* Secus resolvitur ex communiter contingentibus, et bonus, ac liber supponitur, quidquid sit in rei veritate.

55. Q. *Quomodo dignosci poterit an possideat lex, vel hominis libertas?*

R. I. Præsumptio stat pro ea parte, quæ non tenetur factum probare, sed onus probandi illud transfert in alteram. Sic Titus domum incolit, et ideo præsumitur in illam jus habere, eamque possidere. Sed insurgit Cajus, qui ipsum exturbare vult. Cujusnam erit onus probandi? Profecto Caji; et Tito sufficit, ut dicat se fuisse, ac esse dominum illius domus; est ergo Titus in possessione. *(S. Ligor., n.* 25).

II. Dubitatur an lex sit condita, vel promulgata necne. Ex principio: *Lex dubia non obligat*, superiori incumbit onus probandi, ut rationabiliter subditorum actus exigere possit; sunt ergo subditi in libertatis possessione; et ad legem dubiam non tenentur. Idem dic de voto dubie emisso, de sponsalibus, vel utrum lex, aut votum aliquid comprehendat necne; pro illa parte non possidet lex, neque votum, ut habetur in cap. *Ex part.* 18 *de Censibus. S. Ligor. n.* 27.

III. Dubitatur an ratione ætatis ad jejunium teneatur adolescens. Quisnam in possessione stat? Cui competit jus probandi? Profecto legi incumbit onus probandi advenisse quidem ejus obligationem, et inde adolescentem jam obligare, nempe explevisse 21 annos. Adolescens ergo in possessione est, et in dubio ad jejunium non tenetur.

—Idem dic de eo, qui feria quinta serio dubitat, an pervenerit hora

mediæ noctis. Libertas in possessione est; incumbit sane veneris diei suum adventum probare, seu obligationem ad abstinentiam, ut hominis libertas cogatur ad ipsam.

IV. Dubitans an aliquid biberis post mediam noctem, dicunt *Lug.*, *Laym.*, *Castropal.*, *Dian.*, *Croix*, *Busemb.*, *Spor.*, *Amort*, cum aliis plurimis contra *Sanch.*, *Ron.*, *Salm.*, *aliosque*, in tali dubio bene te posse communicare: est quidem probanda jejunii fractio, et in dubio melior est conditio possidentis. (V. S. Ligor. a n. 25 usque ad 39 inclusive).

V. Possessor bonæ fidei, superveniente dubio, communissime cum *Sanch.*, *Dian.*, *Lug.*, *d.* 17, *n.* 93, *D. Ligor.*, *l.* 1, *n.* 35, aliisque contra paucos, ad nihil tenetur, donec moraliter constet rem non esse suam, nam possessio legitima de se fundat præsumptionem certam de justitia possessionis, ut dicit *Lugo*, *n.* 94.

VI. Si quis certo sciat matrimonium bona fide esse contractum, confessionem esse factam, contractum fuisse celebratum, Missam, aut Horas canonicas fuisse persolutas, et dein dubitetur de ejus valore, vel rectitudine, post inquisitionem veritatis, dubio perdurante, standum est pro valore actus. Est in possessione, vel in præsumptione recte facti.

56. **E contra** I. Dubitatur an lex quidem condita et promulgata, fuerit necne abrogata: quisnam probare tenetur? Subditus; nam possidet lex; ideoque probare debet homo revera ad illam nunc jam non teneri, quia fuit abrogata; ergo lex est in possessione, et subditus in obligatione: *In dubio melior est conditio possidentis.*

II. Dubitatur an lex condita, et promulgata, sit justa necne. Cui incumbit onus probandi? Subdito; quippe lex est illi jam applicata, et quousque non probet esse illi injuste applicatam, possidet legis justitia, et ad illam implendam tenetur subditus. Nam *in dubio præsumitur recte factum, quod erat de jure faciendum:* et legislator de jure legem justam condere tenebatur; possidet ergo auctoritas, seu lex.

III. Dubitatur de sene, an pervenerit ad 60 annum? Cui incumbit onus probandi, ut a jejunio eximatur? Seni; quia possidet jejunii præceptum a 21 annis; ergo quousque non probetur 60.^{m} jam attigisse annum, ad legem tenetur.

IV. Dubitat quis in Sabbato Sancto, an hora mediæ noctis pervenerit necne. Quisnam est in possessione? Jejunii, vel abstinentiæ præceptum; ergo homo probare debet revera pervenisse mediam noctem, ut liber a præcepto illo maneat.

V. Certus de debito, et dubius de solutione, ut communiter dicunt *Suar.*, *Vazq.*, *Sanch.*, *Lugo*, *etc.*, solvere tenetur. — Casu vero, quo creditor de suo jure dubitaret, censent *Laym.*, *Dian.*, *Spor.*, *Tamb.*, *etc.*, debitorem non teneri nisi ad partem pro rata dubii. Subdit *Layman*, quod non auderet condemnare creditorem, si totum exigeret, ait *S. Ligor.*, *n.* 34.

Hinc si certo constat votum esse emissum, pœnitentiam esse impositam; legem esse datam, et promulgatam, onus esse contractum, et de implemento adsit dubium, vel de mente, aut potestate legislatoris, aut legis justitia, certo implendum est; possidet quidem obligatio certa, cui non bene satisfieri potest per dubiam impletionem. Excipe si probabilitas sit talis, quæ præsumere faceret quadam certitudine morali jam fuisse satisfactum. (Ita *S. Ligor.*, *n.* 29 cum *Conc.*, *Antoine*, *Fil.*, *Leand.* contra *Ronc.*, *Salm.*, *Laym.*, *Lugo n.* 60 *aliosque* tenentes quod si probabiliter judicetur

..m voto satisfecisse, obligatio legis est dubia, et fit etiam dubia legis ..ssessio).

Prædicta principia certa sunt in se, et ab omnibus passim admittun..r, ac leguntur in utroque jure: porro nos utpote generalia ea ad ..nnia applicare merito non dubitamus, ait *Scavini*, *p.* 64; neque ullam ..ufficientem causam adducere possunt adversarii, cur ea ad particularia ..stringere velint. — Revera in utrisque agitur de jure humano, sive perso..ali, sive reali, et si in dubio v. g. reali valet hoc principium reflexum: *In ..ubio melior est conditio possidentis;* cur non in jure personali, seu in ..bertate, quæ origo, ac maximum est omnium jurium?

57. **Conscientia perplexa** ea dicitur, *qua quis putat se peccare, tam hanc, quam si illam contradictionis partem eligat;* uti qui, infirmo assis..ns, putat se peccare, tam si hunc deserat, quam si Missam ob id omit..t die festo.

Q. *Quomodo se gerere debet conscientia dubia, perplexa, vel erronea ..borans?*

R. I. Si agitur de dubio inani, mere negativo, irrationabili, saltem ..ost prudentem inquisitionem veritatis, pro nihilo est habendum; cum ..nim fundetur in ratione prorsus nulla, aut valde levi, sumitur pro inani ..uspicione, aut ignorantia omnino involuntaria, quæ non tollit moralem ..ertitudinem, et obligationem, ac libertatem relinquit, uti antea existebat. (*Gury, n.* 41, *S. Lig. n.* 24). Nulla sane obligatio inducitur sine rationabili ..undamento. *(Scavini).*

II. Si de dubio gravi agatur, vel rudis est dubitans, vel scientia ..xcultus. — Si 1.m peritos consulat, et ordinarie ei sufficit confessarium, ..arochum, Sacerdotem, vel superiorem consulere. — Si 2.m in arte peritos ..imiliter consulat, graves insuper auctores, vel doctores, saltem unum, ..el confessarium, aut superiorem interroget, ut prudenter dubium depo..ere possit, juxta illud: *Consilium semper a sapiente perquire.* (Tob. IV; *S. Lig. ibid.*

Imprudenter ergo ageret, qui tale dubium vel contemneret, vel auc..res, aut doctores *sibi placentia* (Isai. XXX) loquentes quæreret, aut ..atiunculis quibuscumque acquiesceret, quod non raro evenit, contra ..lud: *Et ne innitaris prudentiæ tuæ.* (Prov. III).

III. Qui inquirere non possit, nec per se utriusque partis rationes ..erpendere valeat, nec alio modo, v. g. per principia reflexa a dubio se ..xpedire queat, sub gravi actionem suam gravem suspendere tenetur, ..i potest sine gravi suo damno, quousque peritos consuluerit; nam ..uisque vitare debet illud, quo Deum offendi putat; et aliunde in dubio *..ractice-practico* ageret, quod semper peccatum est; siquidem discrimini se ..ommitteret. *(Scavini; S. Lig. n.* 27). — Si vero actionem suam suspende..e nequit, tutiorem partem eligere tenetur, cum intentione sese postea ..nstruendi, secus in excessu mali apprehensi peccat; quia in eo liber est. (*Gury*; *n.* 42; *Scavini*, *n.* 57).

IV. Si autem discernere nequeat quodnam sit minus malum, quam..ibet partem eligat, non peccat; neque sane peccatum esse potest in eo, *..uod nullo modo caveri potest*, ait S. August., l. 3 *de lib. arb.*, c. 18, ..n. 50. Non enim peccandi adest necessitas, imo deest libertas necessaria ..ad peccatum formale. *(Gury, n.* 43; *S. Lig, n.* 10).

Tamen si post diligentem veritatis inquisitionem dubium deponi

nequeat, et adsit ratio agendi, conscientiam sibi efformet ex aliquo principio reflexo; v. g. *non posse obligare legem, quæ inveniri nequit.* Tunc ignorantia fit invincibilis. *(Scavini, Gury, ibid.).*

V. Si ob ignorantiam ex culpa præcedenti imputabilem damnum proximo sit illatum, debet resarciri; nam subsequens retractio culpæ non impedit, ut primitus libere et peccaminose posita non fuerit causa efficax damni, neque ut damnum non sit ex ea secutum. *(Scavini).* Tamen esse debet damnum prævisum.

58. Q. *An graviter, vel leviter peccet, qui scit actionem suam esse malam, sed ad ejus gravitatem non attendit?*

R. Leviter tantum peccare videtur, si neque in confuso advertit ad periculum graviter peccandi, neque ad obligationem rem examinandi, modo objectum non sit certe per se peccatum grave, et modo etiam homo sit timoratæ conscientiæ. *Nav., Valent., Granad.*, et alii plurimi, *satis probabiliter*, ait *S. Lig., n.* 23.—Secus graviter peccare dicendum est cum *Azor., Bon., Castrop., etc.;* quia, ut ait *S. Antoninus*, ex *D. Thoma, periculo se exponit mortalis peccati, qui in dubio operatur.* (2. *p. t.* 3, *c.* 10). Ex communiter contingentibus id æstimari potest, attenta agentis moralitate. *(Scavini).*

CAPUT IV.

De conscientia scrupulosa, et laxa.

59. **Conscientia scrupulosa** illa est, *quæ ex levi, imo vano motivo, de alicujus actus honestate dubitat; de peccato formidat, ubi nullum adest peccatum; vel mortale esse timet, quod tantum est veniale.* Ex his liquet, quisnam sit vere scrupulosus, et quisnam non. Vox *scrupulus* repetenda dicitur a lapillis, seu scrupis, qui viatorum calceis sese ingerentes, pedibus molestiam creant.

Toto cœlo enim errant, ait *Scavini, n.* 60, qui scrupulosum vocant illum, qui salutis suæ sollicitus, et filiali in Deum suum amore perductus, scrutatur omnia opera sua, ne forte in aliquo Deum offendat. Iste timoratus, non scrupulosus est.—Stapf increpat profanum vulgus, quia hominem pium ridet.

Causæ morales, et occasionales scrupulorum aliæ sunt *extrinsecæ*, aliæ *intrinsecæ*.

Extrinsecæ sunt: 1.ª Dei permissio, ut justi magis purgentur, tepidi accendantur, pœnitentes pœnas peccatorum luant, et omnes ad humilitatem, fidem, spem, charitatem, meliorem frugem sese recipiant. In junioribus futuræ sanctitatis signum esse solent scrupuli, modo optimus eis non defuerit director spiritualis.—A Deo esse scrupuli censentur, si iis exagitati meliores evadant.

2.ª Dæmonis operatio, ut a spirituali profectu retrahat, et ad desperationem, vel gravia saltem peccata perducat, curando nempe ut scrupulosus tot anxietatibus victus, conscientiam gravis peccati efformet, et operetur. A dæmone provenire scrupuli existimantur, si ad teporem adducant, a virtute retrahant, et ad desperationem inclinent.

3.ª Societas scrupulosorum, lectio asceticorum severioris notæ, conciones, et confessarii ignari, aut scrupulosi, vel parum consilia à præceptis secernentes, forsan communiores sunt causæ scrupulorum.

Causæ intrinsecæ sunt: 1.ª Melancholica indoles ad suspiciones, timores, tenacitatem proclivis. — 2.ª Imbecillitas capitis, item pusillanimitas, et animi dejectio. — 3.ª Nimiæ abstinentiæ, ac vigiliæ. — 4.ª Superbia oculta, qua quis, judicio suo nimis fidens, confessarii, Ecclesiæ, et Dei præcepta non bene adimplet. — 5.ª Ignorantia, qua prædicta præcepta quis non bene percipit.

60. **Signa scrupulorum** sunt: 1.º Judicii pertinacia contra confessarii consilia. — 2.º Frequens judicii mutatio ex levibus causis; certitudinem absolutam in omnibus anxie quærere; timor in omnibus peccandi. — 3.º Conscientiæ examen, et preces cum anxietate repetere, vel percurrere confessiones, vel idem peccatum pluries confiteri, aut ridiculis signis uti ad repellendas tentationes.

Tamen scrupulosus non est qui, post vitam in peccatis traductam, valde angitur, ac magis peccata expiare desiderat; nam justa adest anxietatis causa; et multo minus qui, adhuc mortalia, aut venialia deliberate committens, dein angitur, et anxie confitetur; iste est volubilis, inconstans, valde debilis, vel tepidus in divino servitio, ac in mediis adhibendis. — Neque qui in aliquo tantum, v. g. in consecrationis verba proferendo, valde angitur, cæterum laxus quoad munia prædicandi, catechizandi, etc. Prudenter inquirat confessarius, et suo tempore res, ut sit apparebit. *(Gury, n.* 45).

61. **Damna scrupulorum** sunt sequentia: 1.º *Corpori nocent*, nam per continuos angores cor constringunt, sanguinem corrumpunt, spiritus vitales consumunt, et caput debilitant.

2.º Ineptum reddunt scrupulosum ad fructuose agendum; plerumque enim scrupulosi tetrici sunt erga domesticos, aliosque, ex quo ipsis contemptibiles fiunt. Unde evenit non solum *lucrum cessans*, sed etiam *damnum emergens*.

3.º *Nocent animæ*, obedientiæ præsertim erga confessarium, indeque erga Deum; tepefaciunt orationis ac sacramentorum fervorem, et studium, mentem onerant, ac inutiliter consumunt; difficilem cum Deo conjunctionem filialem faciunt; fidem, ac spem imminuunt; fortitudinem infringunt, et sæpe in laxitatem declinant, vel desperationem.

62. **Remedia scrupulorum** sunt: 1.º Instanter, et confidenter se Deo commendare, *qui consolatur nos in omni tribulatione nostra. (II Cor.* I). Item invocare aliquem Sanctum, uti S. Ignatium, qui in vita fuerit scrupulis agitatus. Deinde sibi ipsi vim inferre debet scrupulosus, scilicet causas scrupulorum destruere: superbus se humiliet, pertinax suum judicium frangat, rudis instruatur, operetur otiosus, confidat timidus, oret tepidus, solatium quærat melancholicus.

2.º Experto, ac pio directori se totum committat; scriptum est enim:

Vir obediens loquetur victoriam. (Prov. XXI). Imo hoc unicum dici potest remedium, quod summopere commendant *S. Philipus Nerius*, *Salesius*, *et omnes fere ascetici.*

3.° Licet, imo sæpe obligatorium est, contra scrupulos decertare, et interdum sub gravi, ratione nocumenti gravis, uti diximus. Nam cum persuasio scrupulosi non sit dictamen conscientiæ, sed potius phantasiæ tumultus, per quem rationis lumen supprimitur, ita ut audire, ac videre opportune spiritualia nequeat, est certo contemnenda, ut docet *Stapf* cum *Scavini*, *S. Ligor.*, *n.* 17, *Gury*, *n.* 48.

63. **Regulæ pro confessariis.** 1.ª Charitate, ac patientia plenus scrupulosi curam longam, et arduam confessarius incipiat. 2.ª Cum discretione circa scrupulorum originem, et extensionem inquirat, et cum prudentia regulas generales ei præscribat; nam scrupulosus particulares sibi nunquam accommodare valet; quia semper dubitat an casus fuerit bene expositus, vel perceptus, aut casui illi regulæ sint applicatæ. 3.ª Brevis sit, ac dictatorius in suis responsis; aliter pœnitens in sua anxietate confirmabitur. Caveat ergo confessarius a scrupulis; secus plus nocebit, quam proficiet. Unde ignorans studeat; nimis subdolus cogitet se non ut mathematicum, sed ut moralistam agere; pervicax sciat unumquemque suum donum habere, ideoque quærat quod justum est, non quod suum est. Et sic *insta opportunè, importunè: argue, obsecra, increpa in omni patientia, et doctrina.* (II Tim. IV).

Speciatim confessarius advertat scrupulos versari circa pravas cogitationes, vel præteritas confessiones, vel pericula in omni actione peccandi. Jam vero:

1.° Si viderit suum pœnitentem metuere malæ cuicumque cogitationi, sive contra fidem, sive contra castitatem, etc., quæ menti obversatur assensisse, eum doceat non pravas cogitationes, sed pravos consensus esse peccata; eidem imperet hujusmodi timores despicere, et si opus sit, imponat, ut a confessione earum se penitus abstineat, nisi certo sciat, ac jurare possit in ipsas consensisse; *nam*, ut ait P. Alvarez, *impossibile est peccatum intrare in animam, quæ vehementer ab illo abhorreat, quin ab ipsa clare et cito percipiatur.*

Sic juxta communem DD. regulam ab omni culpa immunes sunt judicandi timoratæ conscientiæ personæ, nisi certo se peccato consensisse sciant. Imo scrupulosos ad materialem confessionis integritatem non adstringi cum gravi damno, ut esset, si ea semper confiteri tenerentur, quæ menti occurrunt, docent communiter AA.

2.° Si pœnitens, postquam jam alias generalem confessionem expleverit, aut per aliquod notabile tempus pie sacramenta frequentaverit, adhuc anxius sit de præteritis confessionibus, silentium, et oblivionem ei omnino confessarius imponat, nisi jurare valeat, se mortale perpetrasse, et nondum in confessione illud deposuisse: et si post confessionem rite peractam tædeat, inauditum dimittat, præcipiens ei, ut ad Communionem accedat. *(S. Lig. in praxi conf. n. 97).*

3.° Si vero pœnitens in omni actione se peccare formidat, ei confessarius imponat, ut libere agat, scrupulos despiciendo, et contra operando, quoties evidens peccatum non appareat, atque minime de talibus postea se confiteatur: nam isti ob rationem nimio timore agitatam putant esse peccatum, ubi non est, et quamvis forte aliquando errent ma-

terialiter sic agendo, non peccant formaliter ratione obedientiæ, quam confessario præstant. *(S. Ligor., l. 1, n. 15-17, cum communi).*

Nec refert, quod ipse cum conscientia scrupulosa, vel actuali peccandi timore operetur; nam ex communi, et vera sententia, scrupulosus ita agens, minime peccat; quia dictamen mentis ex scrupulis ortum non potest auferre assensum de actionis honestate prius efformatum contra scrupulum ex confessarii judicio, vel alio modo, quod sive virtualiter, sive habitualiter existit, licet tenebris obscuratum. (*Ita S. Ligor. n.* 18, *cum S. Anton., Salm. et communi).* Tanto magis quod cum scrupulosus in illa confusione operetur, non certe operatur cum conscientia formata, et deliberata, quæ requiritur quidem ad constituendum peccatum. *(Ita S. Ligor., n.* 19, *Gerson, etc.).*

64. **Conscientia laxa** ea est, *quæ sine sufficienti ratione judicium in libertatis favorem inflectit, vel ad legem vitandam, vel ad culpæ gravitatem minuendam.* Hæc est via lata, *quæ ducit ad perditionem.*

Tripliciter distingui potest: 1.ª est *simpliciter laxa,* quæ *ad libertatem plus æquo extendendam tendit.* — 2.ª est *cauteriata,* quæ *ex diuturno peccandi habitu judicat bonum malum, vel malum bonum; aut grave, imo gravissimum peccatum, leve, vel nihil pendit.* — 3.ª est *pharisaica,* quæ *magna parvi, et parva magni, facit;* dicta a pharisæorum conscientia, culicem scrupulose excolantium, sed camelum deglutientium. *(Matth.* XXIII).

Laxæ conscientiæ ordinarie applicari possunt quæ de erronea, dubia, et falsa diximus; quia scienter laxitati obsequentes, inexcusabiles omnino sunt ab erroribus suis; nam sua conscientia erroneæ affectatæ æquiparatur. Imo graviter in re levi peccare possunt, si sua temeritas, quovis dictamine prætermisso, et contempto, eam ad agendum impellat, ut supra diximus. *(Gury, n.* 50).

Effectus conscientiæ laxæ sunt: 1.º Animi tepor. — 2.º Cæcitas mentis, et durities cordis. — 3.º Cæca tranquillitas post peccatum. — 4.º Insensibilitas ad pia monita, et dona cœlestia. — 5.º Irrisio piarum exercitationum, et aversio, vel contemptus. — 6.º *Impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ.* (Rom. II).

65. **Causæ conscientiæ laxæ** variæ sunt: 1.ª Omissio frequentis, ac devotæ orationis, et confessionis. — 2.ª Nimia temporalium sollicitudo, et sensuum libertas, ac otiositas, quæ animi teporem generant. — 3.ª Familiaritas cum hominibus vitiis, et vitæ molli deditis. — 4.ª Peccandi etsi leviter, consuetudo, quæ peccati horrorem tollit. — 5.ª Vita mollis, quæ enervat. — 6.ª Luxuria, quæ a spiritualibus retrahit, et ad sensibilitatem animum inflectit.

66. **Remedia conscientiæ laxæ** sunt. 1.º Quotidiana, humilis, ac fervida oratio, et maxime novissimorum meditatio, juxta illud: *Memorare novissima tua, et in æternum non peccabis.* (Eccli. VII).

2.º Quotidiana conscientiæ discussio quoad omnia, etiam levia peccata, juxta illud: *Redite prævaricatores ad cor.* (Isai. XLVI).

3.º Excercitia spiritualia in aliqua religiosa domo, si fieri possit, vel in opportuno loco, juxta Oseam II: *Ducam eam in solitudinem: et loquar ad cor ejus.*

4.º Frequens, vel hebdomadalis confessio cum eodem pio, docto, ac experto confessario, cui de omnibus ratio reddatur.

4

5.° Lectio piorum librorum, in iis enim loquitur nobis Deus; item cum piis, ac fervidis conversatio, ac malorum, et laxorum fuga: *Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit: amicus stultorum similis efficietur.* (Prov. XIII).

CAPUT V.

De opinione, sententia, conscientia probabili, et improbabili.

67. **Opinio**, stricte accepta in genere morum, est *actus intellectus, qui fertur in unam partem cum formidine de opposita;* uti dux, qui inter duos modos hostem aggrediendi, unum eligit cum erroris formidine.—Opinio idem sonat ac sententia in hac re.

Duplex est opinio, nempe, *probabilis,* et *improbabilis.* 1.ª est ea, *quæ nititur motivo gravi, licet cum formidine de opposito:*—2.ª vero ea est, *quæ solido motivo destituitur.*

Q. *An opinio a conscientia, et a dubio distinguatur?*

R. I. Affirma; quia opinio judicat in abstracto, et conscientia in concreto, ut diximus.

II. Affirma; nam dubium est suspensio assensus cujuslibet in quamquam partem, et opinio potest uni plus quam alteri parti adhærere.

68. **Conscientia probabilis** illa est, *quæ gravi nititur fundamento, vel rationis intrinseco, vel auctoritatis extrinseco, quod valet ad se trahere assensum viri prudentis, etsi cum formidine oppositi; et format sibi judicium practicum suæ rationis ad licite operandum.*—Si solido caret motivo, sive directo, sive reflexo, dicitur conscientia improbabilis, seu laxa.

Probabilitas est *motivum grave, sed fallibile, reddens opinionem verisimilem.*—Probabilitas ergo opinioni aliquid superaddit, nempe, motivum solidum, etsi adhuc cum formidine.

I. **Divisio probabilitatis.** *Intrinseca*, vel *extrinseca* est, prout rationibus ex natura rei, vel ex DD. auctoritate deductis nititur. Hæc etiam intrinsecam probabilitatem supponit; nam gravi ratione fuisse DD. permotos ad aliquam sententiam tenendam censeri potest, aut debet. Unde si forte deprehendatur illos debili, aut falso niti fundamento, corruit illorum auctoritas.

II. *Juris*, et *facti.* 1.ª Si circa juris existentiam, vel actionis honestatem versatur, v. gr. an liceat Baptismum cum lixivio ministrare.—2.ª Si circa aliquod factum, vel rei veritatem, aut substantiam versatur, v. gr. an Baptismus cum lixivio collatus sit validus.

III. *Speculativa*, et *practica*, prout ordinatur ad dirigendum actum hic et nunc ponendum, vel non.

IV. *Absoluta*, et *relativa*, prout talis apparet in se sola spectata, vel

omnibus, aut plerisque; vel uni tantum, aut paucis, sive comparatione cum contradictoria instituta, sive non.

V. *Certa*, vel *dubia*, aut *tenuis*, prout nititur motivis vel *certo*, vel *dubie*, vel *tenuiter* solidis.

69. **Probabilitas comparativa** est, *quæ comparatur cum fundamentis contradictoriæ propositionis*, quæ dividitur in probabilitatem *majorem*, *æqualem*, *minorem*, ac *tenuem*.

I. Opinio tenuiter probabilis est illa, *quæ levi ita nititur fundamento, ut non valeat viri prudentis assensum ad se trahere.*

II. Opinio minus probabilis ea est, *quæ rationes, et auctoritates minus præponderantes in sui favorem habet, ac pars opposita.*

III. Opinio æque probabilis est illa, *quæ motiva ejusdem, vel fere ejusdem ponderis in sui favorem habet, ac pars opposita.*

IV. Probabilior ea est, *quæ fundamenta solidiora, ac opposita, in sui favorem habet.*

V. Probabilissima vero dicitur, *quæ rationes, et auctoritates gravissimas habet in sui favorem,* ita ut opposita censeatur tenuiter, vel dubie probabilis.

VI. Certa ea est, *quæ omnem prudentem falsitatis formidinem excludit, et contraria reputatur omnino improbabilis.* (S. Ligor. n. 40).

70. **Ratione securitatis opinio dividitur:** I. In *communem, communiorem,* et *communissimam,* prout *multos habet auctores,* vel *multo plures,* vel *fere omnes* in sui favorem.

II. In *tutam, tutiorem,* et *minus tutam,* prout simpliciter, vel magis, vel minus removet a periculo peccandi.

III. Opinio tutior est, *quæ favet legi;* minus tuta, *quæ libertati favet.*

Parvus excessus, ac tenuis præponderantia in moralibus vix æstimari potest. *Quod parum est, quasi nihil habet ratio,* ait Angelicus, *et ideo sufficit probabilis certitudo, quæ in pluribus veritatem attingat, etsi in paucioribus a veritate deficiat.* (2. 2. q. 20, a 2).

IV. *Securitas opinionis* desumitur *ex ejus a peccato discrepantia.* —*Probabilitas* vero *ex majori veritatis apparentia.* Hinc: — 1.° opinio una esse potest *minus tuta, simulque minus probabilis,* ac contraria; v. gr. mercatores ex professo gabellas fraudantes ad restitutionem non teneri. — 2.° Opinio altera esse potest *tutior, simul ac probabilior,* quam contraria, v. gr. mercatores ex professo gabellas fraudantes ad restitutionem teneri. — 3.° Opinio altera ese potest *minus tuta, sed probabilior;* v. gr. beneficiatum bona patrimonialia habentem ex ecclesiasticis redditibus etiam licite vivere posse.—4.° Duæ opiniones esse possunt, *æquæ,* vel *fere æque probabiles,* sed una minus tuta, libertati favens, altera vero tutior, favens legi, v. gr. clericus, qui de redditibus alicujus beneficii pensionem accipit, ex justitia non teneri ad eroganda pauperibus superflua suæ pensionis.

CAPUT VI.

De systematibus probabilitatis.

71. Pro variis circa probabilitatis valorem gradibus, varia theologi sortiuntur nomina.—Denominantur ergo 1.° *Rigoristæ*. 2.° *Tutioristæ*. 3.° *Probabilioristæ*. 4.° *Æquiprobabilistæ*. 5.° *Probabilistæ puri*. 6.° *Laxistæ*.

I. *Rigoristæ absoluti* sunt, *qui tuentur semper esse sequendam partem tutam, seu legi faventem.*

II. *Tutioristæ mitigati* sunt, *qui tuentur tantum esse licitum partem libertati faventem sequi, cum sit probabilissima.*

III. *Probabilioristæ*, juxta *quos semper est tenenda opinio legi favens, nisi opposita sit notabiliter probabilior.*

IV. *Æquiprobabilistæ*, juxta *quos sequi licet opinionem minus tutam, modo sit æque, vel fere æque probabilis, ac opposita.*

V. *Probabilistæ puri*, juxta *quos sequi licet opinionem minus tutam, et minus probabilem, modo vera, et solida probabilitate gaudeat.*

VI. *Laxistæ*, qui, *semper fas esse sequi opinionem etiam tenuiter probabilem*, *fatentur.*

Tamen hic est advertendum, quod efficacia probabilitatis sita est in ipsius vi ad ultimum conscientiæ dictamen practice certum efformandum: sola conscientia certa est recta morum regula, ut supra asseruimus; ergo ob majorem, aut minorem probabilitatem, vi solius probabilitatis, agere non licet. Unde ad principium aliquod certum confugiendum est, nempe, ut plurimum ad principia reflexa supra notata.

72. Q. *Quando opinio dici poterit solide, et satis probabilis quoad praxim?*

R. Hæc est maxima in moralibus difficultas. Tamen vel agitur de probabilitate intrinseca, vel extrinseca.

Si 1.^m solide, et satis probabilis dici poterit opinio illa, quæ in sui favorem rationes, ex natura ipsius rei desumptas, satis solidas ad intellectum scientia excultum inclinandum, vel attrahendum habet. Sed hæc rerum, ac motivorum appretiatio non multis late patet. Exinde ortum habet dissensio inter theologos, ac controversiarum perpetuitas, ut infra.

Si 2.^m, ait *D. Ligorius*, quod quinque doctores, auctoritate pollentes, etiam contra communem aliorum, sufficiunt ad opinionem satis probabilem credendam.

Imo aliquando, ait, auctoritas unius doctoris, licet raro, poterit constituere opinionem probabilem, et adhuc probabiliorem contra communem, si auctor ille sit valde doctus, probus, et prudens, nec novitatis amans, et utriusque partes sedulo libraverit, validamque rationem adducat; modo illa ab aliis non fuerit sufficienter soluta, nec animadversa.

Si enim aliquis magni nominis theologus testatur aliquam opinionem esse probabilem, jam reddit nos moraliter certos de illius probabilitate. *(Systema morale).*

Quæ omnia revera de ipso S. Ligorio prædicari possunt, ac debent: dein de S. Thoma, S. Antonino, S. Bonaventura, aliisque.

Sic in re canonica cæteros antecellunt de beneficiis Garcias ; de Parochis, Barbosa; de Canonicis, Scarfantonius; de legatis, De-Luca ; de reservationibus, Rigantius; de dispensationibus, Pirrus Corradus.

In re morali prædicantur Continuator Tournely, de obligationibus; Suarez, et Alasia, de legibus; Bonacina, de censuris ; Lugo, et Lessius, de justitia et jure ; Sanchez, de matrimonio.

Hinc homo rudis, imo confessarius, ac magister, sive sciens, sive nesciens vim rationum perpendere, tuta conscientia sequi, profiteri, prædicare, ac docere potest sententias, quas in sua morali theologia, ac in omni opere suo profitetur S. Ligorius, quin perpendat rationes, sed solummodo ob tanti doctoris auctoritatem, uti patet ex decreto S. Pœnitentiariæ 1831 ; ex declaratione Gregorii XVI in Bulla ipsa canonizationis Sancti Alphonsi, an. 1839 ; ex litteris Pii IX ad Petrum Scavini 1847, et ex Apostolicis Litteris 7 jul. 1871, quibus S. Alphonsus ab eodem Pio IX declaratur Ecclesiæ universalis Doctor.

Tamen est notandum quod approbatio triplex distinguitur ; nempe *permissiva, electiva* seu *positiva,* et *definitiva.*—1.ª est, qua *Ecclesia doctrinam ab omni censura immunem tantum declarat.*— 2.ª est, qua *ab Ecclesia doctrina commendatur.* — 3.ª demum est, qua *Ecclesia doctrinam sequendam ab omnibus declarat*, ita ut qui contra sentiat, contra Ecclesiam sentiat. His positis,

Prima et *secunda* operibus S. Alphonsi conveniunt, non vero tertia, ut constat ex prædictis decretis Pontificiis, et S. Pœnitentiariæ.

Ex quibus patet, doctrinam S. Alphonsi tuto sequi, ac etiam impugnari, et derelinqui posse ; neque est credendum controversias, ac omnes doctrinas morales in opere D. Alphonsi, etsi pluris commendandas, devenisse tamen ad *non plus ultra*, seu ad culmen securitatis objectivæ, aut infallibiles esse in omnibus.

Unde nihil mirum, nec increpandum, si aliqui in quibusdam, etiam in morali systemate, ab eodem declinent, eumque oppugnent. Nonne S. Thomas, D. Bonaventura, S. Antoninus, et D. Alphonsus sibi invicem in pluribus diversimode sentiunt? Et tamen omnes sancti sunt. — *In dubiis ergo libertas, in necessariis unitas, in omnibus charitas.* (S. August.)

His positis, videamus quodnam systema sequendum. Thesibus sequentibus res apparebit.

PRIMA THESIS.

73. **Non licet sequi opinionem quantumvis probabilem, relicta tutiori, in sequentibus.**

I. Cum agitur de iis, quæ saluti necessaria sunt necessitate medii; nam ad hanc major probabilitas non semper conducit ; ergo absolute curare tenemur media tutiora, et certa, ut in rebus fidei, et ad Religionem spectantibus evenit.

Hinc si incertus sis an fueris baptizatus, vel an gravia tua peccata rite per confessionem expiata fuerint; vel an tua fides, ac Religio sit certo unica, vera, ac divina, ad justificationis gratiam, tutioribus mediis, quærendam teneris, posthabita omni alia opinione. Unde Innocent. XI hanc damnavit sub n. 4 prop. *Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens, ductus opinione minus probabili.* (S. Ligor. 43).

Tamen non inde sequitur, quod credere teneamur, cum de divina revelatione adest dubium: Hinc ab eodem Pontifice proscripta est hæc 21 prop.: Quod *assensus fidei supernaturalis, et utilis ad salutem stet cum notitia solum probabili revelationis, et cum formidine, qua quis formidet, ne non locutus sit Deus.*

II. Cum agitur de his, quæ ad sacramenti valorem requiruntur; siquidem ab hominis opinione non pendent sacramenta, sed a divina institutione. Unde Innocent. XI, sub n. 1, hanc damnavit prop.: *Non est illicitum in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relicta tutiore.* Excipe 1.° si Ecclesia defectus suppleat; 2.° si urgeat necessitas, ut infra de pœnitentia videbimus. *(S. Ligor., n.* 48).—3.° si agitur de suscipiente, qui licite opinione probabili uti valet, juxta plures cum *Sanch., Pont.* contra *Card., S. Lig. n.* 51, *aliosque.*

III. Cum agitur de periculo proximo formaliter peccandi, vel de damno alteri inferendo; jus enim ad nostram spiritualem vitam, et nostri proximi ad utramque est certum, et probabilitas illud non aufert. Sic venator plumbum in feram ejaculans, et dubitans an sit homo, explodere nequit; quia probabilitas in contrarium non impedit, ut, si forte homo sit, pereat.

IV. Cum agitur de eo, qui ratione voti, contractus, vel præcepti ad tutiora tenetur. Unde medicus remedia tutiora adhibere tenetur, quæ haberi possint. Judex tenetur judicare juxta probabiliorem sententiam, secus injuste proximum spoliaret jure probabiliori. Hinc Innocent. XI hanc damnavit prop. 2: *Probabiliter existimo, judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.* (S. Lig., n. 47).

SECUNDA THESIS.

74. **Non licet sequi opinionem tenuiter probabilem, relicta tutiore.**

Probatur. Opinio tenuiter probabilis levibus nititur motivis; atqui levia motiva assensum viri prudentis attrahere nequeunt; nam ut modo dictum est, in moralibus motiva negativa, et levia contra legem, ac libertatem pro nullis habentur, imo neque probare possunt incertam esse legem. Ergo...—Porro ignorata censeri non debet lex, nisi saltem solida motiva adsint in contrarium; vel nisi eam incertam esse solidis rationibus probetur; ergo...

Constat etiam ex prop. 3 ab Innocent. XI damnata: *Generatim dum probabilitate intrinseca, seu extrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeat, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.* Excipiunt autem casum extremæ, vel urgentis necessitatis, etiamsi de sacramentis agatur; quippe tunc conditio, necessitas, et bonum animæ

indecentiam erga sacramenta auferunt. *Sanch.*, *n.* 8, *Viva*, *Card. Croix* *n.* 1162, *S. Lig. l.* 6, *n.* 482 *et n.* 1116.

TERTIA THESIS.

75. **Licet sequi opinionem probabilissimam, et etiam probabiliorem, relicta tutiore, ubi de sola actionis honestate agitur.**

Prob. I. Quoad probabilissimam constat 1.° ex eo quod juxta *S. Lig.*, aliosque, ubi datur opinio *probabilissima*, *tenuiter probabilis* evadit contraria propositio; opinionem tenuiter probabilem legi contrariam, ut paulo ante diximus, in praxi sequi non licet: ergo... Concipi nequit quomodo stare possit solida ratio ex una parte, si ex alia stat gravissima aliter sentiendi. — Aliunde, stante opinione probabilissima, errandi formido superest levissima; proindeque, sin minus absoluta certitudo, habetur saltem lata certitudo moralis de legis non existentia.

Constat 2.° ex damnatione prop. *Sinnichii*, quæ est 31, ab Alexandro VIII proscripta : *Non licet sequi opinionem, vel inter probabiles probabilissimam ;* ergo licet sequi saltem probabilissimam. Imo hic agitur de minus tuta, cum nemo unquam negaverit, sequi licere *probabilissimam, ac simul tutiorem.*

II. Quoad probabiliorem constat 1.° ex consensu omnium theologorum, si rigoristæ excipiantur; nec supponi potest omnes unanimiter in errorem incidisse.—2.° Ratio suadet. Nam qui graviora præfert argumenta levioribus, ad veritatem quantum possibile est accedit, et prudenter agit. Sed hic non immoremur; nam hoc systema pene absolevit, ut ait *Del-Vecchio.*

QUARTA THESIS.

76. **Non licet sequi opinionem minus tutam, et minus probabilem in concursu tutioris simul etiam, ac certe probabilioris.**

Probatur 1.° Scriptura : *Ante omnia opera verbum verax præcedat te, et ante omnem actum consilium stabile.* (Eccli. XXXVII).—Atqui verbum verax, et consilium stabile, seu prudens habere nequit, qui opinionem minus tutam, et minus probabilem eligit in concursu tutioris simul, ac certe probabilioris: ergo....

2.° Auctoritate Clementis III, qui eam sententiam tenendam declarat, *quæ meliori, ac subtiliori nititur ratione.* (C. Capellanus, *De feriis*).

3.° Ratione. Ad licite operandum, veritatem inquirere, et amplecti debemus, proindeque ubi veritas clare inveniri nequeat, amplecti saltem tenemur opinionem illam, quæ proprius ad veritatem accedit, juxta illud effatum: *Id sequimur in obscuris, quod est verisimilius.*

Hoc sane est præferre argumenta graviora levioribus, ideoque est etiam prudenter agere. Quando opinio quæ stat pro lege, est *certe probabilior*, tunc mens nostra ex quadam vi suæ naturæ se inclinari sentit ad eam amplectemdam... quare contraria opinio licet adhuc in scholis defendi possit, cum nullibi sit proscripta, a nobis tamen probari non potest. Ita *Scavini.*

Diximus certe probabilior, id est, sine ulla hæsitatione, ait idem Auctor, p. 72, *ideoque solide, et notabiliter; nam parvus excessus, ac tenuis præponderantia in moralibus non ita facile percipi potest.*

QUINTA THESIS.

77. **Inter duas opiniones æque, vel fere æque probabiles potest homo sine peccato eligere, et tenere partem minus tutam, relicta tutiori.**

Probatur 1.° In concursu duarum opinionum, quarum una stat pro libertate, altera vero pro lege, lex dubia est; secus esset simul certa, ac dubia; atqui lex dubia non obligat; ergo...—2.° Lex non obligat ante promulgationem; atqui lex dubia non est lex promulgata; ergo...—3.° In dubio melior est conditio possidentis; in concursu duarum opinionum æque probabilium homo in dubio constituitur quoad obligationem; ergo possidet ejus naturalis libertas.

Sed quoad hanc rem vide in sequenti thesi, nam eadem fere sunt utriusque argumenta. Qui hanc sequuntur thesim, denominantur æquiprobabilistæ, S. Alphonso duce.—Nos contenti erimus præcipua exponere moralia systemata, et unusquisque in suo sensu abundet. In sequenti demum probabilistarum systemate, conciliationem inter ipsum, et PP. Gury, et Ballerini afferemus, quin ullo modo in D. Alphonsi thesim vexillum attollamus.

SEXTA THESIS.

78. **Licet sequi opinionem pro libertate vere, ac solide probabilem, relicta tutiore pro lege æque, vel fere æque probabili, imo probabiliori, quando de sola actionis honestate agitur.**

Probatur ex S. Scriptura, ex SS. Patribus, ex ratione, et ex consectariis.

I. Ex S. Scriptura. *Peccatum non cognovi, nisi per legem,* ait Apost. (*Rom.* VII). Nempe per scientiam, ac legis applicationem, non per solum dubium.—Imo ibi loquitur de lege naturali, scilicet de pravis desideriis.

II. Ex SS. Patribus, inter quos D. Thomas, 1. 2, q. 19, a. 4, ait de lege æterna, ac naturali: *Quando in particulari nescimus quid Deus vult, quantum ad hoc non tenemur conformare voluntatem nostram divinæ voluntati.* Et 2. 2, q. 20, addit: *In actibus enim humanis...non potest haberi certitudo demonstrativa...et ideo sufficit probabilis certitudo, quæ in pluribus veritatem attingat, etsi in paucioribus a veritate deficiat.*

S. Gregor. Nazian. dubitanti, an secundæ nuptiæ essent prohibitæ lege naturali, vel divina, respondit: *Si lex dubia est, vincat humanitas, et facilitas.* (Orat. IX).

D. Alphonsus in suo systemate morali, in primo corollario, edit. Matriti, an. 1829, sic incipit: *Lex dubia non obligat. Ex principio autem tam firmiter, et multipliciter a D. Thoma probato, nempe, quod lex non promulgata non habet virtutem obligandi, certa descendit præfata prima conclu-*

sio, quod lex dubia non obligat.—Et n. 65, dicit: *Nullus enim ligatur per præceptum aliquod, nisi mediante scientia illius præcepti:* atqui certa, ac promulgata dici nequit opinio magis, vel minus probabilis, modo contradictoria sit revera solide etiam probabilis; ergo juxta mentem D. Thomæ, S. Gregor. Nazian., S. Ligorii, nemo ligatur per legem tutiorem, ac simul probabiliorem, in concursu alterius vere, et solide probabilis minus tutæ, quippe adhuc est lex dubia.

III. Ex ratione. 1.° Effectus major esse nequit sua causa; aliter existere posset effectus sine causa; unde dari nequit de se onus certum ex lege dubia; secus certum ex incerto oriretur, vel dubium simul ac lex certa haberetur; atqui lex, contra quam affertur vera, ac solida probabilitas, dubia, ac incerta est; ergo incerta esse debet ejus obligatio: lex incerta non est lex, sed solum dubium; dubium non ligat; ergo...

Quod currit etsi opinio pro lege sit probabilior; modo semper contraria solide probabilis maneat.

2.° Juxta omnes invincibilis ignorantia a lege, et a culpa excusat; atqui lex, quæ nullo modo inveniri potest, invincibiliter est ignorata: ergo...

3.° Nulla lex obligat donec sit sufficienter promulgata, ita omnes: atqui lex quæ omnino probari nequit, non solum non est sufficienter promulgata, sed neque promulgari licet; secus haberetur lex incerta, simul et certa: obligatio forsan sine lege: ergo...

Hinc Angelicus habet: *Lex imponitur aliis per modum regulæ, et mensuræ; regula, et mensura imponitur per hoc, quod applicatur his, qui regulantur, et mensurantur. Unde ad hoc quod lex virtutem obligandi obtineat...oportet quod applicetur hominibus... talis autem applicatio fit per hoc, quod in notitiam eorum deducitur ex ipsa promulgatione. Unde promulgatio ipsa necessaria est ad hoc, quod lex habeat suam virtutem.* (1. 2, q. 97, a. 4).

4.° Et qua ratione quis asserere poterit peccare eum, qui legem ita dubiam, et non sufficienter promulgatam violasset? Poterit quis imponere, vel declarare certum peccatum, vel onus, ubi nulla scitur lex, quæ id imponat? Eritne inconsultius peccatum mortale consignare, ubi adesse non constat, vel ab eo eximere, ubi adesse constat?

5.° Contra legitimam possessionem, juxta omnes, sola certitudo prævalet; atqui libertas in possessione est, nam prius est existere, quam leges recipere; ergo per meram probabilitatem, licet parum majorem, a libertatis possessione homo sine injuria dejici non potest.

6. Dein in dubio an aliquid sit revelatum necne, ut docent omnes theologi, non tenemur credere illud esse revelatum; ergo a pari de cæteris præceptis, ut ratiocinatur *(S. Antoninus cum Gerson, et S. Ligor., n.* 71).—Nec valet reponere adesse certam legem vitandi periculum peccandi scitam in majori probabilitate, vel in opinione veritati propinquiori, qualis est opinio probabilior; nam cum magis, et minus speciem non mutent, nec circa hanc rem, modo ad moralem certitudinem non pertingat, idem extendi etiam posset ad opinionem probabiliorem, vel probabilissimam relate ad tutiorem. Hinc quod nimis probat, nihil probat.

Objectio utique valeret, si revera periculum formaliter pecandi superesset, quod non occurrit in hac thesi; vel fere eodem modo occurrit, quo in thesi probabilioristarum, aut in æque, vel fere æque probabilistarum; nam omnes ad eumdem principium reflexum confugere tenentur in praxi,

nempe quod *lex dubia nullam parit obligationem.* Et sic cujusque thesis argumenta ex eodem fonte deducuntur, *et eadem* sunt, ac idem probant in quacumque thesi, modo sit solide probabilis; vel exceptis tenuiter probabili, et probabilissima.

IV. Ex consectariis. Nonne sæpe traditur inter auctores uti probabilior, imo uti probabilissima, aut moraliter certa, quædam opinio, cujus opposita ab aliis acriter sustinetur tamquam magis probabilis, vel communior? Sed hoc utique esset contra naturam legis, quæ necessario esse debet universalis, universim proposita, ac obligans, ne populus, qui ad illam observandam tenetur, sæpius divisus sit, et perplexus.—Imo nonne uni, eidemque theologo, uti ipse D. Ligorius testis est, uno tempore eadem opinio videtur probabilior, et dein omnino improbabilis, vel altem tenuiter probabilis, re melius considerata, vel aliis auctoribus præ oculis habitis? Quid ergo in praxi sequeretur, si unusquisque conformari teneretur opinioni probabiliori, vel saltem fere æque probabili, ita ut minime sufficeret solida probabilitas? Nonne confessariorum munus converteretur in alternationem ligandi, atque solvendi; scilicet, ligaret unus, solveret alter; et unus idemque ligabit hodie, et mane solvet, non sine fidei, pietatis, fidelium, ac confessionis ipsius detrimento?

Insuper obligatio operandi includit obligationem inquirendi. At fideles, et aliqui confesarii, in impossibilitate probabilitatem opinionis mensurandi, quo confugerent? Sistere tenerentur in majori probabilitate, vel in æque probabili opinione?—absoluta, aut relativa?... intrinseca, vel extrinseca?—Quot inde angores?—Quanta in doctrina hæsitatio?—Quanta injuste ligandi inter fideles pericula?—Et quis judicare, et decernere debet, an aliqua opinio sit absolute probabilior? *Vel teneor sequi,* ait P. Segneri, *probabiliores in se; et tunc quando sciam, quæ opinio sit vere probabilior tot in casibus, ubi graves occurrunt rationes, et auctoritates hinc inde oppositæ? Vel probabiliores mihi; et angustiæ augerentur; nam sæpe mihi oporteret judicare, meam opinionem esse probabiliorem contra etiam plurium sapientium sententiam; et tunc quis me tutum reddet, quod mea opinio sit certo probabilior, et notabilior cum illa notabili præponderantia, quam aliqui ex adversariis requirunt? Quomodo certus fiam, quod ipse rationes oppositas bene intellexerim, et bene solverim? Quod dictamen conscientiæ, quod mihi formavi, sit satis certum ac tutum? Quod allucinatus non fuerim a proprio sensu?...*

Nec valet dicere quod, benignam sententiam sequendo, etiam discrepantia intercedet, cum eadem opinio alicui probabilis videri possit, alteri improbabilis. Non negatur, hoc accidere posse; sed semper verum erit, quod cum aliqua opinio pollet solida probabilitate, et certo gravi nititur fundamento, ipsa apud maximam partem sapientium probabilis existimabitur; idque jam satis erit ad conservandam universalem observantiæ legis uniformitatem, non obstante quod apud aliquem particularem illa non sit probabilis; id enim quod raro accidit, universalem uniformitatem non aufert.

Hoc tamen certe non evenit circa æstimationem opinionum probabiliorum; quia cum major, vel minor probabilitas pendeat a moralibus motivis, nempe a judicio, et ponderatione rationum, quas alii deducunt ex uno principio, alii ex altero, non raro, sed communiter accidit, quod quæ alteri validior, alteri debilior appareat.

Objicies. Opinio probabilis in concursu probabilioris non remanet vere, et solide probabilis; quia minor probabilitas a majori eliditur, sicut minus pondus in statera positum.

R. 1.° Si aliquando id eveniret, extra hoc puriorum probabilistarum systema versaremur; nam hi semper veram, ac solidam probabilitatem requirunt ad agendum.

2.° Major probabilitas minorem utique elidit, cum hæc ex eodem hauriatur principio ac illa; aut cum opinio probabilior habeat pro se tam convincens motivum, ut contraria vere tenuiter probabilis videatur.—Secus autem dicendum, cum vel excessus non sit notabilis, vel opposita probabilitas e diversis depromatur principiis, ut fere semper evenit in opinionum concursu, uti accidit inter D. Bonavent. et S. Thom. in quæstione circa judicis sententiam quoad innocentem, reum tamen probatum, etc.

CONCILIATIO SYSTEMATUM.

79. Nonnisi nominis quæstio hodie inter aliquos theologos acriter agitata esse videtur.

En nunc S. Alphonsi verba circa suum systema morale a pluribus explicatum, et forsan non ab omnibus plane perceptum.

Utrum liceat cum opinione probabili operari, tres adsunt sententiæ.—Prima quarum est, ut possit quis licite sequi opinionem etiam minus probabilem pro libertate, licet opinio pro lege sit certe probabilior.—Hanc sententiam elapsi sæculi auctores quasi communiter tenuere. Sed nos dicimus eam esse laxam, et licite amplecti non posse. Ratio est, quia quando opinio pro lege est certe probabilior, tunc lex non est amplius dubio stricto dubia, uti accidit, cum opiniones tam pro lege, quam pro libertate sunt æque probabiles, ideoque non est prudentia, sed imprudentia velle eam sequi. Quum enim intellectui certe apparet, quod veritas stat magis pro lege quam pro libertate, tunc voluntas nequit prudenter, et sine culpa partem minus tutam sequi.

—Secunda sententia, quam hodie, nunc quidam moderni tenent scriptores, vult, ut tunc aliquam quamdam opinionem, quæ libertati favet, sequi possimus, quum ipsa sit MORALITER CERTA. *Sententiam hanc existimamus nimis rigidam, et quæ illaqueat conscientias.*

—Tertia igitur, quæ nostra est sententia, dicit quod, quum opinio, quæ libertati favet, est ÆQUE *probabilis, ac opinio alia, quæ favet legi, sine dubio licite sequi potest. Excipe in rebus necessitate medii, etc.* (Hom. Apost., tr. 1. n. 31).

Ex quibus aperte liquet S. Alphonsum non reprobasse usum opinionis vere, et solide probabilis, sed medium elegisse inter laxismum, et rigorismum, quod revelat per extrema verba, quibus utitur; nam pro rigorismo exigit opinionem *moraliter certam*, et contra laxismum *certe probabiliorem;* quod exprimit non probabilitatis gradum qualemcumque, sed excessum *certo notabilem*, id est *absolute probabiliorem;* secus non erit certo probabilior; *nam opinio, quæ mihi est probabilior, minus probabilis sæpe aliis erit.*

Unde ad hæc duo extrema declinanda statuit D. Ligorius medium terminum moraliter consideratum, dicens: quod sufficit æqualis, vel fere

æqualis probabilitas pro libertate ad licite operandum; quod idem sonat ac dicere, quod sufficit magna, seu vera, et solida probabilitas pro libertate, licet altera pro lege sit aliquantisper probabilior, modo hæc non sit probabilissima, et alia tenuiter probabilis. Secus mætaphysicam æqualitatem, vel physicam appeteret, id est, quid omnino impossibile quoad praxim, quod non est supponendum; vel adverbia *fere*, et *notabiliter* suam communem acceptionem hic amitterent.

Aliunde puri probabilistæ opinionem vere, et solide probabilem exigunt pro libertate, id est æque, vel fere æque probabilem, ac suam oppositam; nam si hæc esset notabiliter probabilior, idem esset ac asserere probabilissimam existere; in moralibus enim parum pro nihilo reputatur.

Id ipsum confirmat S. Alphonsus in sui operis moralis decursu. In suo systemate: *Dico III, opinio illa, quæ stat pro libertate, cum æquali potiatur probabilitate, ac opposita, quæ stat pro lege, grave quidem immittit dubium, an existat lex, quæ actionem prohibeat; ac proinde sufficienter promulgata minime dici potest; ideoque dum eo casu promulgata non est, nequit obligare, tanto magis, quod lex incerta non potest certam obligationem inducere. Et hæc est sententia D. Thomæ, quam ego sequor, et quæ certa mihi apparet...*

Nonne ex hisce verbis evidenter deducitur systema æquiprobabilistarum esse tantum nominis systema? Revera. 1.° Omnino impossibile in praxi est, imo etiam in theoria, firmiter definire quænam sint in rebus moralibus opiniones æque probabiles ob diversitatem tum appretiationum fundamentorum, tum scientiæ, penetrationis, studii, ac sanctitatis vitæ auctorum, unde oritur volubilitas humanæ rationis. Sufficit ergo solida probabilitas.—2.° Id ipsum confirmant æquiprobabilistæ; nam postquam verbum *æquiprobabile* protulerint, seu vexillum sui systematis erexerint, cum probabilistarum agmine incedunt. *Sane cum opinio est vere probabilis*, ait *Scavini, pag.* 67, *gravi nititur fundamento, et assensum meretur viri prudentis. Ubi enim adest contra legem argumentum solidum, et grave, jam illa evadit incerta, et dubia; lex autem incerta, et dubia non obligat...* Unde *S. Lig.* tantum exigit *grave dubium* contra legem; Scavini *grave fundamentum,* id ipsum prærequirunt omnes probabilistæ; ergo... In confessionario ita stricte opiniones perpendunt, ut in æquali probabilitate saltem sistant ad resolvendos casus difficiles?—Nonne quieti manent, postquam juxta aliquam opinionem solide probabilem casum resolvere potuerint?

3.° S. Alphonsus in suo opere morali sæpe ait: Hæc opinio mihi probabilior est; sed opposita satis probabilis apparet; nempe, satis firma, ut in praxi sequi possit. Id ipsum tenent Scavini, Del-Vecchio, Varceno, et cæteri æquiprobabilistæ; qui insuper postquam S. Alphonsi vexillum amplexi fuerint, in aliquibus opinionibus proprium erigunt contra ducem, quasi idem non esset ei contradicere in aliqua opinione justitiæ, ac in morali systemate.

4.° Insuper id confirmat idem S. Ligorius, cui adhærent prædicti AA., asserens ad veram constituendam probabilitatem sufficere quinque auctores, etiam contra communem opinionem; imo unum auctorem posse aliquando efficere solide probabilem, ac etiam probabiliorem aliquam sententiam contra communem.—Nonne exinde aperte colligitur systematum conciliatio? In hoc casu, saltem vulgo, quod de sola externa judicare

potest auctoritate, sequi licet unius auctoris sententiam contra communem, nempe, solide probabilem contra externe probabiliorem.—Et non solum vulgus, sed etiam confessarii, et omnes homines ita se licite gerere possunt, multo magis cum, ut ipse S. Alphonsus asserit, elapso sæculo auctores quasi communiter tenuere probabilistarum puriorum systema; ergo tunc erat communis sua opinio; ergo tunc vel communiter erraverunt DD., vel licitum fuit contra communem opinionem insurgere. Eligant.—Et nonne hodie plures etiam non minoris notæ auctores pro probabilistarum systemate recensentur ac æquiprobabilistarum?—Profecto inter plurimos alios habemus in primis PP. Medina, et Bannez, dominicanos, celebrem professorem Salmanticensem illum, natum an. 1528, mortuumque 1581; professorem theologiæ Compluti, Vallisoleti, et Salmanticæ alterum, natum an. 1527, mortuumque 1604. Et inter permultos recentiores merito recenseri valent PP. Gury, Liberatore, et Ballerini, e Societate Jesu professores, virtute ac scientia conspicuos; ergo adsunt hodie plus quam quinque, et quidem magnæ notæ auctores, pro probabilistarum systemate; ergo juxta S. Alphonsum, Scavini, Varceno, Del-Vecchio, aliosque æquiprobabilistas etiam hodie quisque licite, ac tuto amplecti probabilistarum systema potest.

En demum firmissima S. Alphonsi sententia: *Protestor,* ait, *quod sicut confessarios illos non approbo, qui nimiæ austeritati adhærentes, damnant usum plurium opinionum, quæ gravi nituntur fundamento; ita contra neque approbare possum eos, qui de facili opiniones sine fundamento tamquam probabiles acclamant. Ubi agitur de amovendo pœnitente a periculo peccati formalis, confessarius generaliter loquendo, ei in quantum christiana prudentia suggerit, benignis opinionibus debet uti; ubi vero opiniones benignæ proximum reddant periculum formalis peccati...: dico quod ipse, ut medicus animarum, teneatur uti opinionibus tutioribus, quæ pœnitentes ad se conservandos in gratia conducunt.*

Quæ si diligenter attenderentur, addit Scavini, n. 99, *nemo unus Sanctum nostrum de nimia indulgentia incusare posset. Utinam omnes hac agendi ratione contenti essent, neque in praxi ultra progrederentur, qui tutiora sequenda docent.*

Cæterum absit ut eos, qui contra nos sentiunt, vel minimum reprehendere audeamus, quos neque Ecclesia reprehendit; diversa est via, utraque tamen eos ad vitam perducet, qui ex dictamine conscientiæ operantur.

Unde materiam totam concludimus his verbis Bernardi Claramont.: Ex quo opiniones sunt inter magnos, et Ecclesia non determinavit aliquam partem, teneat quis quam vòluerit... *Numquam ab eorum corde et oculis elabatur illud D. Augustini oraculum:* In necessariis unitas, in dubiis libertas, in omnibus autem charitas. *(Del-Vecchio, l.* 1, *n.* 99).

Pro coronide hujus quæstionis audiantur sententiæ communiter admissæ. *Non sis pronus judicare mortalia peccata, ubi tibi non constat per certam scripturam.* (S. Raymundus, l. 3 de Pœnit., § 21).—*Quæstio in qua agitur, utrum sit peccatum mortale, nisi ad hoc habeatur auctoritas expressa Scripturæ, aut canonis Ecclesiæ, vel evidens ratio, periculosissime determinatur.* (S. Antoninus, part. 2, t. 1, c. 11).—*Doctores theologi non debent esse faciles ad asserendum aliqua esse peccata mortalia, ubi non sunt certissimi de re.* (Joan. Gerson, Lib. de vita spir., t. 4).—*Cavenda est conscientia nimis larga, et nimis stricta; nam prima generat præsumptio-*

nem, secunda desperationem. Item prima sæpe salvat damnandum, secunda e contra damnat salvandum. (S. Bonaventura, Theolog. l, 2, c. 52, n. 5).

Videant nunc quidam probabilistæ, et æquiprobabilistæ, si est hæc sua doctrina, inter tot gravissimos auctores, quorum systema aperte improbant.

Admiremur ergo Ecclesiæ silentium simul et prudentiam, tot auctores probabilistarum systema publice in scholis edocere, præloque committi permittentis. Nonne consentire videtur? Quis ergo, tacente Ecclesia, illud improbare aggredietur? Nonne id pertinaciam, et præsumptionem saperet, potius quam veritatis zelum?

Sed ut ait P. Gury, n. 66, *aliud in theoria, aliud vero omnino oppositum in praxi tenent. Nec desunt qui, in angustiis constituti, facile id probabilius judicent, quod alias minus probabile haberent. Nonne præstaret principia mitiora, cum tot sapientissimis doctoribus statuere et admittere, eaque exactius in praxim deducere?*

80. Q. *Quomodo dignosci poterit quæ sit vera et propria sententia S. Alphonsi, ut eam tuto sequamur?*

R. En regulæ præcipuæ:

I. Non est existimandum ipsum opiniones approbare, ex eo quod illas non reprobet: has aliquando exponit cum suis rationibus, ut alii, pro sua prudentia, cujus ponderis sint judicent.

II. Cum aliquam opinionem veriorem vocat, tunc contrariam non habet uti probabilem.—Item cum aliquam opinionem unice probabiliorem appellat, non ideo contrariam esse probabilem dicere intelligit.—Sicut cum dicit de aliqua opinione: *Non audeo damnare, sive improbabilem dicere,* non ideo admittit ut probabilem, sed ut *dubie probabilem*, aut prudentiorum judicio illam remittit.—Idem est si opinionem vocat neque *probabilem*, neque *improbabilem.*

III. Cum aliquam opinionem dicit *multo,* aut absolute *probabiliorem,* simulque *communem*, aut *communissimam*, tunc oppositam non judicat solide probabilem, saltem respectu alterius; sed expresse ut improbabilem non rejicit.—Idem est dicendum si unam ex sententiis *probabiliorem,* aut *communiorem* nuncupet, nullo judicio dato de opposita.—Sententia tandem, quam simpliciter *communem* dicit, nullo de opposita lato judicio, regulariter sua dicenda est.

81. Q. *An inter duas opiniones æque probabiles liceat modo unam, modo alteram sequi?*

R. Affirmative, nam ambæ sunt æque securæ, nemo tamen potest suam aliis imponere; quia liber quisque est etiam alterutram amplecti. Sic qui assumit hæreditatem ex testamento, quod caret legalibus formalitatibus, non potest illam acceptare ex parte, quæ illi favet, et rejicere ex parte, quæ ei onus imponit. Si testamentum habet uti validum, quoad totum valere debet. *(Del-Vecchio).*

—Aliquando opinio aliqua dicitur speculative probabilis; et tunc ad praxim vix reduci potest; quia ob periculum scandali, irreverentiæ, injustitiæ, etc., illicita evadit.

—Neque alicui licet sententiam sequi aliis probabilem, at sibi actu prorsus falsam; siquidem tunc ageret cum conscientia *practice-practica* falsa; debet ergo prius contrariam facere suam, judicando saltem eam esse

probabiliter veram ob extrinsecam rationem. *(Reuter, n.* 105, *Gury, n.* 78).

—Probabile juxta vim nominis est id, quod probari potest.—In sacra Scriptura probabile sumitur pro eo, quod est approbatione dignum, juxta illud *(II Tim.* II): *Sollicitè cura te ipsum probabilem exhibere Deo.*—Theologorum usu probabile dicitur, quod absolute certum non est, gravibus tamen innititur fundamentis. *(Scavini,* p. 65; *Ballerini, n.* 77).

—En denique monitum, quod una vice pro omnibus dictum esse volumus cum *Scavini, p.* 63: nempe, casus, quo quis valet aliquo principio reflexo practicam conscientiam efformare de honestate suæ actionis, dubium vincendo, est: *Quando tale dubium permanet, etiam post adhibitam pro rei gravitate diligentiam ad illud vincendum, tum illud intimius rimando, tum utriusque partis argumenta sedulo pensitando, vel doctos pro temporis opportunitate consulendo.*

TRACTATUS TERTIUS.

DE LEGIBUS.

CAPUT I.

De natura, et divisione legis.

82. **Definitio:** *Lex est regula externa, et remota actuum humanorum*, sicut conscientia est eorumdem regula interna, et proxima.

Lex, juxta D. Thom., est *rationis ordinatio ad bonum commune, ab eo, qui curam communitatis habet, promulgata.* (1. 2. q. 90, a. 4). — A *ligando* dicitur lex, quia obligat. — Dicitur etiam *jus, statutum, edictum, decretum, sanctio, constitutio, mandatum*, etc.

Q. *An idem sit lex ac præceptum?*

R. Quamvis passim indistincte accipiantur, tamen multiplex discrimen inter legem, et præceptum adest.

I. *Ratione jubentis:* quia *legislator* est persona publica; *præcipiens* vero esse potest persona privata, ut dominus respectu servorum suorum.

II. *Ratione subjecti;* nam lex in perfectam communitatem fertur; præceptum autem in personas etiam privatas. Hic adverte, quod communitas alia est *perfecta*, et *ea est, quæ sibi sufficit ad finem suum obtinendum;* v. gr. *ad conciliandam, conservandamque publicam pacem,* ut Ecclesia, Regnum, Diœcesis, Provincia; alia *imperfecta,* et *est ea, quæ ad prædictum finem sibi per se non sufficit, sed alterius communitatis præsidio ad hoc indiget,* ut familia, collegium, parochia. Lex proprie dicta nonnisi ad communitatem perfectam datur. (*Scavini*).

III. *Ratione finis;* finis enim legis est bonum commune, finis autem præcepti bonum privatum.

IV. *Ratione loci;* siquidem lex immediate afficit locum in quo promulgatur, mediate vero personas in eo degentes; præceptum autem ex adverso, immediate personas afficit. Ita sacerdos a suo superiore suspensus, quocumque eat, suspensus manet. Secus si per edictum generale Episcopus suo clero in popinas ingredi prohibuisset sub excommunicationis pœna; hanc non incurrerent clerici, qui in alia Diœcesi eas ingrederentur. (*Scavini, n.* 152).

V. *Ratione durationis;* porro præceptum cessat morte imponentis;

lex vero non extinguitur cum legislatore. Sic si Episcopus alicui præcepisset, ut omnibus festis, quibus in aliquo sacello celebret, populum catechizet, vel verbum Dei prædicet, cessaret hoc præceptum, morte Episcopi adveniente; minime vero si per edictum generale id omnibus subditis imperasset. *(Scavini).*

83. **Divisio.** Multiplex dividitur lex: I. *Divina,* vel *humana;* prout Deum, aut hominem auctorem habet.

II. *Moralis, pœnalis,* et *mixta;* prout sub sola culpa, vel sub sola pœna, vel sub utraque simul obligat.

III. *Affirmativa,* seu *præceptiva,* et *negativa,* vel *prohibitiva;* prout actus positionem præcipit, vel illum prohibet. Prima dicitur *obligare semper;* quia actus eliciendus est temporibus statutis. Posterior dicitur *obligare semper,* et *pro semper;* quia actus malus nunquam est faciendus, quamvis in se ambæ utrumque includant; sic si præcipit amare Deum, eo ipso prohibet eum odio habere.

IV. *Prohibens simpliciter,* vel *irritans,* aut *permittens;* prout actum reddat illicitum tantum, aut etiam invalidum, vel agentem inquietari prohibet.

V. *Favorabilis,* vel *odiosa;* prout restringit, vel ampliat libertatem.

VI. *Scripta,* vel *usu introducta;* prout mandato scripto fertur, vel sola consuetudine introducitur.

84. **Causæ legis quatuor sunt:** scilicet; *efficiens, materialis, formalis,* et *finalis.*—1.ª *efficiens est, qui communitati præest;* ut Rex in regno.—2.ª *materialis est quidquid a lege præcipitur.*—3.ª *formalis sunt verba quibus exprimitur.*—4.ª *finalis est bonum commune ob quod lex fertur.* Finis legis latoris est *ut inducat hominem ad virtutem,* ait Angelicus ex Aristotele. (1. 2. q. 90, a. 3).

CAPUT II.

De lege æterna.

85. I. **Lex æterna** a D. Augustino sic definitur: *Ratio divina, vel voluntas Dei ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans.* (Ep. 22 contra Gamt. c. 29). Deus a tota æternitate vidit, et statuit ordinem, quem unaquæque res suæ naturæ consentaneum requirebat; ideoque velle debet, ut ordo ab æterno constitutus, immutabilis perseveret; quia Deus *negare seipsum non potest. (II Tim.* II*).*

II. Legis æternæ existentia, ex conceptu divinorum attributorum facili negotio demonstratur.—1.° Si enim Deus est *summa bonitas,* necessario debet bonum diligere, et malum aversari.—2.° Si est *summa justitia,* non potest non probare quæ æqua sunt, et non improbare quæ sunt iniqua.—3.° Si est *summa veritas,* necessario veritatem amore, mendacium odio prosequi debet.—4.° Si est *summa sapientia,* ordinem ex vi suæ naturæ in deliciis habere, perturbationem vero detestari tenetur. Bene ergo id agnovit Tullius dicens: *Legem æternam esse simul cum mente divina.* (L. II de leg.).

86. Q. *Quænam sunt proprietates legis æternæ?*

R. Quatuor sequentes: 1.ª Ut plus minusve ab hominibus sit cognita, saltem in effectibus, vel communioribus principiis: uti qui solem non vident, sed ejus splendorem, bene solem existere cognoscunt. — 2.ª Ut omnes creaturæ, quæ in mundo sunt, eidem prorsus subjiciantur, meritum, vel demeritum, cui pœna, vel præmium respondet, contrahentes, si de rationabilibus agatur, prout ordinem servaverint, vel turbaverint, juxta illud: *Fundasti terram, et permanet. Ordinatione tuà perseverat dies: quoniam omnia serviunt tibi.* (Ps. CXVIII).—3.ª Ut cæteræ leges ab ea dimanent.—Triplici modo hoc evenire debet.—*Primo,* uti ab exemplari, cum nulla lex justa sit, nisi legi æternæ plane conformetur.—*Secundo,* uti a causa efficiente, quatenus omnis potestas non datur nisi per legem æternam.—*Tertio,* quatenus lex æterna lumine rationis, et fide mediante, præcipit ut aliquæ leges fiant æque tales, ac tales pro diversitate locorum, temporum, vel personarum.—4.ª Ut ipsa sit prima actionum humanarum incommutabilis regula. Omnis sane ordo præexistit in divina ratione, et omne, quod est eidem conforme, bonum dicitur, et est; et quod est eidem contrarium, malum. Indeque sequitur, quod ratio divina, seu lex æterna, necessario bonum præcipere, et malum semper prohibere tenetur.

CAPUT III.

De lege naturali.

81. **Lex naturalis** ex Angelico definitur: *Participatio legis æternæ in rationali creatura, dictans et præscribens illud esse agendum, quod est intrinsece bonum, et illud fugiendum, quod est intrinsece malum.* (1. 2. q. 91 a. 2).

Q. *An lex naturalis certo existat?*

R. I. Unusquisque sibi inesse intelligit quædam principia, quæ ineluctabiliter assensum ad bonum extorquent, juxta illud Tullii: *Justitiæ tanta vis est, ut ne illi quidem, qui maleficio aut scelere pascuntur, possint sine ulla justitiæ particula vivere.* (De offic. l. III, c. 9). Hinc illud Psalmi IV: *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.* Et Apostolus addit: *Cum enim gentes... naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt;... ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, et inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus, in die, cum judicabit Deus occulta hominum* (Rom., c. II).

II. Licet id omne, quod præcipit lex naturalis sit honestum, tamen non præcipit id omne, quod honestum est, sed id solum, cujus omissio rationalem naturam dedecet; sunt enim quædam consilii, quædam autem præcepti.

Q. *An lex naturalis idem sit ac conscientia, aut synderesis, vel jus gentium?*

R. Nega, nam 1.° *lex naturalis est ipsa ordinatio, et intimatio divi-*

næ voluntatis nobis impressa. 2.° *Synderesis est habitualis cognitio, et conservatio illius ordinis.* 3.° *Conscientia est ejusdem ordinationis actualis applicatio alicui particulari hic et nunc agibili.* 4.° *Jus gentium est jus communi gentium consensu, et usu introductum.* Omnis ergo ratio peccati non a natura humana oritur, sed a contrarietate legi æternæ. *(S. Lig., Apolog. e confut.)*

88. Q. *An sit nobis necessaria lex naturalis?*

R. Affirma. Nos intellectu, et appetitu rationabili constamus; ut verum a falso, bonum a malo secernamus, intellectum habemus; ut autem quæ honesta sunt sectemur, habemus appetitum rationalem. At quomodo recte, et semper utrumque possemus præstare, et remorsus conscientiæ vitare, si perpetua aliqua nobis ratio non adesset a firmissimis naturæ judiciis deducta, cui conformari facile nobis esset? Et quid si hoc ab hominum placitis penderet? Nihil stabile in mundo esset, ac frustra quis hominem in homine quæreret. In novatoribus hæreticis aperte res apparet.

89. Q. *Ubinam continentur legis naturalis præcepta?*

R. In decalogo, qui definiri solet: *Lex naturalis, et divina in decem præcepta distributa, digito Dei in duabus tabulis inscripta, et per manus Moysis hebraico populo data.*

Additur *et divina*, quippe legem illam Deus jam in mente hominum inscriptam per Moysem promulgavit *(Exod.* XX), ne conqueri possent viatores aliquid ad bonum amplectendum, et malum fugiendum defuisse, ut ait D. Augustinus.

Hanc legem confirmavit Christus, nam ait: *Nolite putare, quoniam veni solvere legem,... non veni solvere, sed adimplere.* (Matth. V). Merito ergo Trident. anathemate percutit Lutherum, qui dicebat: *Decem præcepta nihil pertinere ad christianos.* Unde sess. 6, can. 19, ait Concilium: *Si quis dixerit nihil præceptum esse in Evangelio præter fidem, cætera esse indifferentia, neque præcepta, neque prohibita, sed libera, aut decem præcepta nihil pertinere ad christianos, anathema sit.*—Et transgressores ex Apostolo, *digni sunt morte.* (Rom. I, 32).

90. Q. *An omnes obliget lex naturalis?*

R. Affirma, tam fideles, quam infideles, statim ac ad rationis usum pervenerint, et independenter a quacumque alia lege scripta. Secus in statu naturæ sine ullius legis obligatione vixissent homines, quod absurdum est dicere. Unde ait Apostolus: *Quicumque enim sine lege* (scripta) *peccaverunt, sine lege peribunt.* (Rom. II). Peribunt ergo propter peccata contra legem naturalem patrata.

Q. *An lex naturalis promulgari debeat ad obligandum?*

R. Affirma, nam licet lex naturalis, et æterna, ratione originis, prior sit hominis libertate, tamen ratione applicationis, ac obligationis posterior est. Prior enim concipitur subditus, quam animus ei leges imponendi. Hinc Apostolus: *Peccatum non cognovi, nisi per legem.* (Rom. VII). Ergo ante legis cognitionem possidebat libertas.

91. Q. *An lex naturalis ignorari possit?*

R. I. Præmitendum est, legis naturalis præcepta alia esse *primaria*, alia *secundaria*, alia *remota*. 1.° Primaria sunt, *quæ primo intuitu innotescunt*, et eadem sunt apud omnes, et secundum rectitudinem, et secundum notitiam, v. gr. *Alteri ne feceris, quod tibi fieri non vis: Deus est diligendus, virtus amanda.* Angelicus, 1. 2. q. 4, a. 94. — 2.° Secun-

daria sunt, *quæ a primariis immediate, et evidenter deducuntur,* prout certe sunt decalogi præcepta.—3.° Remota, *quæ ope ratiocinationis a principiis primariis deducuntur,* ut sunt plurimæ quæstiones morales hinc inde disputatæ.

II. Consentiunt theologi non dari invincibilem ignorantiam circa legis naturalis præcepta *primaria*, et *secundaria, in semetipsis spectata,* quemadmodum sunt decalogi præcepta, ait *S. Lig. n.* 174, nisi forte in rudibus. Ita *Suarez, Scavini, S. Thom.* 1. 2. *q.* 14. *art.* 6; *S. Lig. n.* 170.

III. Si vero agatur de præceptis *remotis,* vel de aliquibus circumstantiis primi, et secundi ordinis, unanimis sententia est, cum *D. Thoma,* ignorantiam invincibilem circa eadem dari posse, uti prohibitio usuræ; mendacii ad vitam tuendam, furti ad pauperem sublevandum. Rudes instructione quidem indigent, ut præcepta juris naturæ remota addiscant; ergo ignorare ea possunt. Necessaria est eis ratiocinatio ad illa capescenda, et capaces ejusdem sæpe non sunt; ergo invincibiliter illa ignorare possunt. (*S. Alph. l.* 1. *n.* 170; *Scavini, l.* 1, *n.* 158).

IV. Disputatur an si quis invincibiter ignorans actum internum esse peccatum, cognoscens tamen actum externum peccatum esse, excusetur a culpa, solum actum internum, puta desiderium admittens: aliqui affirmant dari ignorantiam invincibilem circa fornicandi, furandi, occidendi, aliaque prava desideria, opere non secuto. Negant vero alii posse inculpabiliter ignorari Deum non offendi ab eo, qui deliberate, et efficaciter vult actionem exercere, quam scit offensam Dei esse. (*S. Lig. l.* 1, *n.* 9; *Gury n.* 123; *Varceno, pag.* 52).

92. Q. *An detur ignorantia invincibilis in obligationibus proprii status?*

R. Nega, *generatim loquendo;* qui enim cuipiam statui se mancipat, uti ecclesiastico, vel religioso; aut qui aliquod munus suscipit obeundum, uti judicis, advocati, notarii, magistri, confessarii, episcopi, parochi, eo ipso illius status, et officii obligationes callere, vel in iis instrui tenetur. Secus ignorantia erit *virtualiter* culpabilis, seu in causa, et gravis, vel levis pro gravitate causæ, rei, et damnorum.—Excipe si agatur de quæstionibus reconditis, vel si post sufficientem præparationem nihilominus ob inadvertentiam erraverit. (*Scavini, S. Thom.* 1. 2. *q.* 76, *a.* 2; *S. Lig. n.* 170, *cum communi*).

93. Q. *An lex naturalis mutari, seu dispensari possit?*

R. Duplex est rerum ordo distinguendus.—Alter ita in rerum essentia absolute fundatur, ut eum mutare ne Deus quidem possit, quin seipsum neget, et malum approbet; talis est blasphemia, perjurium, creaturæ erga Deum inobedientia, et omnia *absolute* mala.—Alter est, qui non absolute in rerum natura fundatur, uti proprietas bonorum, polygamia, cœlibatus ecclesiasticus, etc.; et eo tunc, justa interveniente causa, divina auctoritas potest conditiones, et circumstantias mutare, vel dispensare, quibus sublatis, actiones jam non sint lege naturali prohibitæ. Non potest proprie legem illam mutare; quia id importat legem dirimere, vel per *se ipsam*, vel per *abrogationem*, et *irritationem.* 1.° Non potest per *se ipsam,* secus de justa fieret injusta, vel noxia; 2.° non per *abrogationem,* et *irritationem;* nam lex naturalis est ipsa ratio divina, in qua nec derogari, nec abrogari aliquid potest, cum nil detrahi in divina ratione possit.—Improprie tantum, nempe, per *substractionem*

materiæ legis naturalis ipsam Deus mutare potest. Sic res aliena cessat aliena esse, si est jam legitime possessa per præscriptionem. Ita Deus potuit præcipere Abrahamo, ut filium suum sibi immolaret; permittere hebræis ut vasa ægyptiorum, mutuo accepta, non amplius restituerent; polygamiam Patriarchis, libellum repudii hebræis, etc. (V. n. 29).

Ita quando Deus per Sm. Pontificem dispensat in votis, et juramentis, improprie dispensat, relaxando, et tollendo votum, et juramentum, stante justa causa; tunc Pontifex, uti interpres divinæ voluntatis declarat contractam obligationem a Deo remitti. Ita etiam occidere permittitur ad se defendendum.

Q. *An simplex interpretatio locum habeat in lege naturali?*

R. Affirma, cum nihil aliud sit, quam simplex terminorum expositio: sic v. g. non occides, exponi debet de occisione privata auctoritate facta, vel extra casum justæ defensionis. Non tamen Epikeja locum habet in lege naturali; quia jam excipit omnes casus excipiendos. *(Varceno, pag.* 53).

CAPUT IV.

De lege divina positiva.

94. **Lex divina positiva** *est lex exterius data a Deo, hominem dirigens ad finem supernaturalem.*—Ita distinguitur a lege naturali interius data, per lumen rationis hominem dirigente ad finem naturalem.—Lex vero divina positiva per revelationem, per sacram Scripturam, et per divinas traditiones nobis promulgata est.

Divisio. I. Alia dicitur lex *pure positiva*, alia *non pure positiva.* 1.ª *præcipit, vel prohibet quæ a lege naturali neque præcipiebantur, nec prohibebantur;* uti præceptum judæis datum, ne carnes aliquorum animalium comederent. 2.ª vero *præcipit, vel prohibet quæ a lege naturali jam sunt præcepta, vel prohibita,* uti singula decalogi præcepta, sabbati determinatione excepta.

II. Alia dicitur lex *vetus,* alia *nova.* Prior est, quam *Deus populo israëlitico per Moysen dedit,* versus annum 2518 a constitutione mundi, juxta *Scavini,* licet in hoc non conveniunt moderni geologi. Hæc lex præcepta *moralia, cæremonialia,* et *judicialia* continebat. *Prima* ad rectitudinem moralem; *secunda* ad Dei cultum; *tertia* demum ad politicam administrationem spectabant. Hæc lex quamvis *immaculata, convertens animas,* ut ait Psaltes, 18; attamen quia non erat nisi novæ legis figura, quoad præcepta cæremonialia, et judicialia, adveniente nova, cessare debebat, juxta illud: *Umbram fugat veritas.*

Posterior vero, quæ dicitur lex *gratiæ,* vel *libertatis*, et *amoris*, aut *novum testamentum,* a Christo fuit indicta, ac per Apostolos in totum orbem disseminata, juxta illud Christi: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.* (Joan. xx). *Euntes ergo docete omnes gentes.* (Matth. xxviii). *Prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur.* (Marc. xvi).

III. Cœpit autem nova lex obligare judæos die Pentecostes, ubi primum eis solemniter promulgata est (*Act.* II); alios vero succesive, prout promulgatio novæ legis extendebatur.

IV. Hujus divinæ legis obligatio patet tum ex illius necessitate, tum ex ipsius Christi verbis: *Qui habet mandata mea, et servat ea, ille est qui diligit me.* (Joan. XIV). *Qui non diligit, manet in morte.* I Joan. III, 14. Ergo sub gravi omnes obstringit. Hinc definivit Trident.: *Si quis dixerit Christum Jesum a Deo hominibus datum fuisse ut Redemptorem, cui fidant, non etiam ut Legislatorem, cui obediant; anthema sit.* (Sess. 6, c. 21). In hisce S. Scripturæ et Trid. verbis proscripta manet Lutheri, ejusque sectariorum doctrina, tenentium sufficere credere fortiter, Dei ejusque Ecclesiæ mandata pessundando.

V. Tamen hæc lex documenta triplicis generis continet; scilicet: — 1.° præcepta *moralia* circa virtutes; — 2.° præcepta *cæremonialia* circa sacramenta, et Missæ sacrificium; — 3.° *mere consilia*, sed magno præmio digna. Hinc adimpletur illud Apostoli: *Translato enim sacerdotio, necesse est ut et legis translatio fiat.* (Hebr. VII). De umbra translati sumus ad lumen; de figura ad veritatem; de timore ad amorem; de peccato ad gratiam; de morte ad vitam: ita fuit translatio de lege veteri ad novam.

CAPUT V.

De lege humana in genere.

95. **Lex humana in genere** *est rationis ordinatio stabilis ad bonum publicum condita, et promulgata ab eo, qui curam habet communitatis, cum intentione subditos obligandi.*

Q. *An jus gentium sit lex humana?*

R. Affirma; nam ex Justiniano, *illud est quod, usu exigente, et humanis necessitatibus, gentes sibi constituerunt*, non consensu expresso, sed tacito, ac pedetentim. Hoc jus, quod recentiores *internationale* appellant, universalius, et firmius patet, quam aliæ leges civiles, cum omnium fere gentium consensione firmetur. Sic de jure gentium recipiendi sunt legati, etiam inimicorum; concedenda est libertas contractus ineundi; fœdera pacis, ac induciarum non sunt neganda; servitutis pœnæ justo bello capti non sunt subjiciendi, etc.

96. Q. *An lex humana sit necessaria?*

R. Affirma: satis id expressit Tullius, inquiens: *Constat profecto ad salutem civium, civitatumque incolumitatem, vitamque hominum, et quietem, et beatam inventas esse leges.* (L. II de legibus). Nempe ad mores componendos; scelera punienda; scelestos reprimendos; bonos tuendos; demum ad omnes in officio continendos constitutæ sunt leges, et valde necessariæ, experientia teste.

97. Q. *Quænam sunt proprietates, seu conditiones legis humanæ, ut vim obligandi habeat?*

R. Septem sequentes; scilicet ut sit *possibilis, honesta, utilis, justa, obligatoria, permanens*, et *promulgata*.

I. *Possibilis*, id est, accommodata personarum viribus, et circumstantiis.

II. *Honesta*, seu nihil continens quod inhonestum sit, ac bonis moribus, seu rectæ rationi, aut divinæ legi positivæ repugnans; neque enim ad actus malos obstringere potest lex. En legis humanæ objectum.

III. *Utilis* bono communi: 1.° Quia bonum commune est finis essentialis, et primarius legis.—2.° Quia lex est actus publicæ potestatis, quæ in solum bonum commune instituta est.—3.° Quia, cum societati imponatur, debet sane ad ejus bonum referri.

IV. *Justa,* id est, secundum justitiæ distributivæ normam, adeo ut alii non magis quam cæteri graventur, sed cum æqualitate proportionis subditis imponatur, spectatis eorum viribus, et facultatibus; alias non obligat. *S. Ligor. n.* 140

V. *Obligatoria* in conscientia; secus illuderetur. Hinc ait Apostolus: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* (Rom. XIII, 1.)

Et Trident. Sess. 7: *Si quis dixerit baptizatos liberos esse ab omnibus sanctæ Ecclesiæ præceptis, anathema sit.*

VI. *Permanens*, id est, stabilita sine tempore definito, ita ut semel lata, nisi abrogetur, vel noxia, aut inutilis evadat, tamdiu duret, quamdiu perserverent circumstantiæ pro quibus lata est. Nihil magis societatem, et judicia perturbat, quam incertæ, et continuo novæ editæ leges, maxime si aliæ aliis contrariæ sint. *Ubi plures leges*, ait Plato, *ibi lites et mores improbi,* uti facile evenire potest in guberniis democraticis.

VII. *Promulgata ;* quia lex est regula generalis, et publica actionum, dirigens, et obligans communitatem. Regula autem dirigere, et obligare nequit, quin aliquo modo cognoscatur, vel applicetur, ut ait Angelicus (1. 2, q. 90, a 4).

CAPUT VI.

De objecto legis humanæ.

98. **Objectum legis humanæ** generatim *constituunt omnes actus, qui ab humana lege præcipi, vel prohiberi possunt.* Hinc præcipere potest actus objective indifferentes, et bonos, prohibere malos, et aliquando indifferentes ratione melioris boni, vel periculi vitandi. Inde oritur distinctio notissima inter ea, quæ prohibentur, quia mala sunt, et ea, quæ sunt mala, quia prohibentur.

Q. *An lex humana jubere possit aliquid contra legem naturalem, vel divinam positivam?*

R. Nega absolute; quippe humana potestas voluntati, et potestati divinæ est subordinata, et inferior derogare nequit superioris auctoritati. Hinc illud Apost.: *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus.* (Act. V).

Q. *An lex humana debeat esse justa, ut vim obligandi habeat?*

R. Affirma; lex enim humana nequit obligare, quin sit conformis legi æternæ, et ei conformare se nequit, nisi sit justa... Justa ergo esse debet tum justitia legali, ut publicam promoveat utilitatem; tum commutativa, ut legislator suæ jurisdictionis limites non excedat; tum

distributiva, ut onera, et præmia, proportione servata, in subditos distribuantur. Secus *leges*, ex Angelico, *magis sunt violentiæ quam leges;* quia sicut ait Augustinus: *Lex esse non videtur, quæ justa non fuerit.*

Tamen non quilibet excessus sufficit ad legis nullitatem, sed ille qui cedat in commune, aut grave, et injustum plurium detrimentum. Nam si lex de se justa aliquos plus æquo gravat, erit valida, et alios obligabit; illi vero, qui injuste onerantur, non devinciuntur quoad excessum, nisi ratione scandali, vel perturbationis, ad quæ vitanda quisque debet propriis etiam juribus cedere. Hinc non licet contra principes injusta præcipientes insurgere, tum ob hallucinationis periculum, tum ob perturbationes inde orituras. — Quapropter omnia patienter toleranda sunt exemplo primorum christianorum. *Distinguebant Dominum æternum a Domino temporali, et tamen subditi erant propter Dominum æternum Domino temporali.* (S. August. *Civ. Dei*, l. XVIII, 53).

Ast *Suarez*, Bellarminum interpretans, ait jus habere populum in extremis sese defendendi contra tyrannum principem; sed numquam illud habere offensivam partem sumendi. *(Suarez, de Leg., lib.* 3, *cap.* 3*).*— D. Thomas etiam concedit tyrannum destitui posse per decretum nationale, uti Tarquinius, et Domitianus; quia tunc est hostis, et non princeps.

Q. *Quid si dubitetur de legis justitia?*

R. I. Subditus obedientiam præstare non potest, nec debet superiori certo illicita præcipienti. — II. In dubiis standum est pro superiore possidente jubendi potestatem, nisi res præcepta esset valde molesta, et difficilis, v. gr, cum periculo gravis damni spiritualis, vel temporalis proprii, vel alieni: Ita *communissime Salm., Sanch., Tour., Less., S. Lig. n.* 31.

99. Q. *An lex humana præscribere possit virtutum actus heroicos?*

R. 1.° Actus virtutum *heroici* sunt qui, habita circumstantiarum ratione, arduitatem includunt, promptitudinem exigunt, admirationem pariunt, ut si puer jejunet, vel negotiator omnia etiam levia peccata vitet.—2.° Alii dicuntur *communes*, et sunt qui a plerisque eorum servari solent, qui virtutem profitentur, ut si adultus jejunaret.

His positis, dicimus, non posse legem humanam actus heroicos præscribere; nam lex humana esse debet possibilis communitati; atqui actus heroici sunt paucorum; ergo... Excipe 1.° si agatur de quodam statu peculiari voluntarie electo ad heroicitatem obligante, ut in quibusdam regularibus evenit; 2.° si agatur de bono communi; sic milites vigiles stationem deserere non possunt, etiam imminente vitæ periculo, si detrimentum Respublica inde captura sit; — 3.° si sermo sit de gravissimi criminis reis, quibus gravissimæ pœnæ imponi possunt; nam ipsis liberum erat se subtrahere aliter operando.

100. Q. *An lex humana præcipere, aut prohibere possit actus internos?*

R. I. Si agatur de illis actibus internis, qui *per se* cum externis conjunguntur, tanquam forma constituens actum externum, vel sine quibus haberi nequit actus valor, uti consensus in contractibus, cordis contritio in confessione, qui etiam dicuntur actus *mixti;* vel tanquam causa cum effectu, uti voluntas prava occidendi cum homicidio, certum est legislatorem illos indirecte præcipere, vel prohibere posse; secus ad actum validum cogere non valeret. Unde Innoc. XI hanc damnavit n. 55 prop.:

Præcepto communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini Corporis manducationem.

II. Si sermo sit de illis internis actibus, qui cum externis necessario non conjunguntur, et sine quibus legislator finem suum obtinere potest, uti tranquillitatem, tributi solutionem, etc., quoad civilem legislatorem omnes conveniunt non posse; quia sine illis finem obtinet.

III. Si vero agatur de legislatore ecclesiastico, probabilius, et communius docent *D. Thom., S. Lig., n.* 100, *Bened. XIV, Scavini, Del-Vecchio, Varceno, aliique,* ipsum quoque non posse; nemo quidem potest judicare quod non valet cognoscere. Nec dicendum posse legislatorem per ipsam legem judicare, et punire, uti per censuram ipso facto incurrendam, quia 1.° ubinam sita est hæc censura quoad actus mere internos? 2.° quamvis adesset, esset ne habendus ut excommunicatus transgressor internus? Potest legislator dubia uti auctoritate sine ulla necessitate? Obligaret in conscientia talis lex? *Ecclesia*, ait Bened. XIV, *non potest per se, directe et immediate præcipere, aut prohibere actum mere internum, juxta communem theologorum sententiam... et ideo non potest hæresim, quæ in externum actum non prodit, censura perstringere.*

IV. Tamen ratione voti, uti in regularibus, vel ratione sacramenti, uti in confessione, bene actus internos præcipere, aut prohibere possunt superiores, uti Christi repræsentantes. Bene etiam potest Ecclesia aliquid concedere sub conditione actus interni, uti dispensationem ab aliquo impedimento, modo sponsi copulam cum intentione illam facilius obtinendi non habuerint; quilibet enim legislator potestatem habet privilegia concedendi, et modum sic imponendi, minime vero leges de quacumque re ferendi.

Hinc quod homo actus internos ponere ad salutem debeat, non est de lege humana, sed de ordinatione divina. *(Scavini, n.* 189).

Q. *An actus externos, sed occultos legislator humanus præcipere, vel punire possit?*

R. Affirma *ex se;* potestatem quidem habet quidquid externum est dirigendi: quod autem aliquando hos actus punire non possit, id *per accidens* est. Sic censura punitur hæresis externa, licet occulta. *(S. Thom., S. Lig., ibid).*

101. Q. *An lex se extendat ad actus præteritos?*

R. Negative; 1.° neque ratione culpæ, quia *ubi non est lex, nec prævaricatio;* 2.° neque ratione pœnæ; ubi enim non est prævaricatio, nec pœna meretur; 3.° neque ratione rescissionis; nisi in aliquo casu specialissimo a lege expresso. Unde vulgare est quod *lex non respicit retro;* secus perturbaretur societatis ordo. Consonat Jus hispanum. Vide ley 12, tít. 2, ley 8, tít. 4 del *Fuero Juzgo*, etc.

CAPUT VII.

De legis humanæ subjecto.

102. Omnes, et solos subditos rationis usum babentes, vi sua, amplectitur lex humana.—1.° *Omnes*, juxta illud: *Omnis anima potesta-*

tibus sublimioribus subdita sit. (Rom. XIII). *Omnes,* tam justos quam peccatores.

2.° *Solos subditos :* secus enim legitima auctoritas deficeret, et hæc sola subjectionem importat.

—Hinc non baptizati tenentur quidem præceptis Evangelicis notis; cum subditi sint Deo, qui legem Evangelicam omnibus gentibus indici præcipit; sed non tenentur legibus ecclesiasticis, quamvis teneantur Ecclesiam ingredi. *Quid enim mihi de iis, qui foris sunt, judicare?* (I Cor. V). Quapropter non peccaret qui, secluso scandalo, et legis Ecclesiæ contemptu, carnes, die vetito, iisdem subministraret; quippe nec peccati materialis causa esset. Obligantur utique hæretici, schismatici, excommunicati, et quicumque alii baptizati; siquidem non cessant esse Ecclesiæ subditi. Et si aliquando excommunicatio adimplementum Ecclesiæ præceptorum interdicat, uti sacris interesse, tamen excommunicatus semper obligatus manet ad illud impedimentum tollendum. In praxi etiam evenire potest, ut hæretici, et schismatici nesciant ad has leges servandas teneri, ideoque excusabilis eorum omissio erit. *(Scavini, n.* 192).

—Aliud enim est, ait clar. *Frassinetti,* quod Ecclesia jus habeat obligandi omnes christianos, non exclusis hæreticis, aliud quod de facto omnes obliget. Quid enim expectare poterit Ecclesia ob præcepta hæreticis imposita, nisi certissimas transgressiones, et peccata sine ulla omnino utilitate, ac fructu? Ideo videtur quod Ecclesia suas leges non condit, nisi pro iis, qui suam auctoritatem admittunt, id est, pro catholicis... Hinc pro praxi adverte, si hæretici convertuntur, ab iis non est exigendum, ut confiteantur, quod Missam in festo omisserint, aut quod in Quadragesima non jejunaverint.

3.° *Rationis usum habentes.* Lex non imponitur nisi subditis obedientiæ, ac discretionis capacibus. Hinc infantes, et perpetuo amentes, defectu rationis non obstringuntur; et licet eis dare carnes edendas diebus ab Ecclesia prohibitis, opera servilia in festis, etc. Attamen *formaliter* peccarent, qui illos ad rem intrinsece malam provocarent, uti ad blasphemias, turpitudines, etc., quia illi legi naturali obligantur *in actu primo,* eo quod naturam rationalem habeant, et provocantes per eos veluti per instrumentum malum operarentur. *(S. Lig. n.* 155, *Reuter, Gury, n.* 92).

Amentes ad tempus, vel partiales, ebrii, et dormientes, sunt legi subjecti, et solum *per accidens* a peccato excusantur; sunt enim in statu habituali usus rationis. Hinc non licet eis dare carnem diebus prohibitis; monomaniacus autem, id est, demens partialis tenetur ad præcepta nota. *(S. Lig., Gury).*

Quæstio est an pueri legibus teneantur, si ante septennium usum rationis consequantur. Alii negant cum *Angelico*, 2. 2, *q.* 147, *a.* 4; lex enim non respicit nisi quod communiter contingit. —Alii plurimi cum *S. Lig., n.* 155, et *Salmant.* probabilius affirmant; cum jam sint capaces legum; et leges ordinarie non annos, sed rationis usum notant. Excipe jejunium, et Eucharistiam, ut infra dicetur. Omnes tamen conveniunt, pueros ante septennium pœnas transgressoribus inflictas non incurrere, nisi id expresse declaretur. *(S. Lig., Scavini).*—In dubio de rationis usu ante septennium pro libertate standum est; postea pro lege. Ita *cum communi.*

103. Q. *An legislator suis ipse legibus ligetur?*

R. Si regimen, in quo vivit legislator, est *Aristocraticum,* in quo

summa potestas est penes optimates, vel *Democraticum*, in quo est penes populum, vel *Constitutionale*, aut *Repræsentativum*, in quo potestas ferendi leges est penes regem, vel præsidem, et simul penes populi delegatos, utique legislator propriis legibus ligatur; quia singuli inferiores sunt ipsi communitati, a qua leges feruntur. Sic etiam Ordinum religiosorum Generales legibus in generali Capitulo latis ubique subjiciuntur: item Episcopi in Synodo diœcesana. *(Scavini, n.* 352).

Si vero regimen sit absolutum, ut Papa in Ecclesia, monarcha in absoluta monarchia, in qua sola monarchæ voluntas vim leges ferendi habet, tunc neque ad leges, neque ad pœnas in transgressores inflictas tenetur, suæ ipsius legis ratione; nam, ut recte ait Angelicus, *Nullus proprie cogitur a seipso.* (1. 2. q. 96. a. 5. ad 3). Unde super illud Ps. L: *Tibi soli peccavi*, dicit Glossa, *quod Rex non habet hominem, qui sua facta dijudicet.* Idem dic de suorum prædecessorum legibus.

Excipitur tamen cum communi.—1.° casus, quo lex contractus respiciat; justitia enim postulat, ut in iis cum reliquis legislator pari conditione utatur;—2.° casus, quo, leges suas transgrediens, scandalum aliis præberet; nam ratione officii hoc vitare tenetur;—3.° sub levi honestatis ratione, et proprii profectus teneri videtur, alterius scandalo, et damno secluso, si lex ipsi legislatori conveniat. *(Salm. n.* 37 *et* 42, *Less., S. Lig. n.* 154, *Varceno, p.* 70).

104. Q. *An clerici legibus civilibus teneantur?*

R. Affirma non vi *coercitiva*, sed *directiva*, ut communitati uniformentur, si leges justæ sint, et immunitatibus vigentibus non adversentur, vel eorum statui; Ecclesia, etiam ac Deus, id exigit. *Omnis anima*, ait Apost., *potestatibus sublimioribus subdita sit.* (Rom. XIII). *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari: et quæ sunt Dei, Deo.* (Matthæi, XXII). *Salm. n.* 16; *S. Lig. n.* 18.

105. **De peregrinis, advenis, et vagis quoad leges patrias.**

I. *Peregrinus* dicitur, qui extra territorium suum per aliquod tempus, vel saltem per minorem anni partem versatur, animo ad suum redeundi, uti viator, mercator.—*Incola*, qui in loco domicilium habet. *Advenæ* dicuntur, qui alicubi manent per majorem anni partem, vel per notabile tempus cum tali animo, ut scholastici, famuli, incolis æquiparantur, et quasi domicilium acquirunt. Qui vero alicubi habitat ánimo perpetuó manendi, qui animus in foro externo præsumitur, si habitatio sit decennalis, vel si ibi domus sit ædificata, aut empta, aut major pars bonorum adsportata, aut expressis verbis voluntatem ibi perpetuo manendi significaverit, addunt *Salm. n.* 49, statim domicilium acquirit. *(S. Lig., n.* 156, *Scavini, n.* 194 *cum communi).—Vagus*, qui nullibi fixum habet domicilium, ut ostiatim mendicans.

«En España dos cosas establecen el domicilio, y son, la habitacion real en un paraje, y el ánimo de permanecer en él.—La mujer casada no tiene otro domicilio que el de su marido, á menos que haya obtenido judicialmente la separacion de habitacion y de bienes.—Los menores no emancipados tienen por domicilio el de sus padres, tutores ó curadores, —y los mayores que se hallan en estado de demencia ó de interdiccion, el de las personas á quienes está encargada su custodia, ó la direccion de sus negocios.—Los mayores de edad que sirven ó trabajan habitualmente, y viven en casa de sus amos se consideran del mismo domicilio

que estos, y sus mujeres que habitan ó trabajan en otra casa diferente, no se consideran del domicilio de sus amos, sino del de su marido.» *(Escriche).*

II. Præceptum aliud est locale, quod obligat tantum in urbe, provincia, etc.; aliud vero universale, quod totam fere obligat Ecclesiam. His positis:

III. Si agatur de legibus, vel præceptis personalibus, uti suspensio, excommunicatio, certum est, ea omnes obligare, ubicumque eant; quia personis tenaciter inhærent. — Si vero sermo sit de legibus localibus, et etiam de lege juris communis, quando peregrinus, et vagus versentur ubi hæc non viget, uti jejunium, missæ auditio, etc., sententia communissima, et in praxi moraliter certa, docet cum *Salmant.*, *Gury, Scavini, S. Lig. n.* 156, eos minime obligari; quia illæ territorium afficiunt, extra quod legislatoris jurisdictio non se extendit. Et hoc etiamsi animum se obligationi legis subducendi habeant; lex non prohibet quidem hinc exire, sed legem ibi violari; unde peregrini tunc utuntur jure suo; dummodo non sit in fraudem reservationis, vel matrimonii clandestine contrahendi, ubi hæc Tridentini prohibitio viget; nam id specialiter S. C. prohibuit. *(Gury, S. Lig., lib.* 1, *n.* 156).

Est enim consuetudo universim inducta, ait *Gousset*, ut peregrini gaudeant locorum priviligiis ubi commorantur. Sic germanus, v. gr. per Hispaniam transiens, sabbatis vesci potest carnibus. *Suar., Sanch., Bon., S. Lig. n.* 161).

IV. Nisi *fictione juris*, et moraliter in proprio territorio adhuc esse censeantur, uti beneficiatus circa residentiam delinquens, qui pœnas ibi latas contra non residentes incurrit. Item qui extra territorium proprium rem venderet in ipso existentem, servare tenetur ejusdem leges; ibi enim res consummari censetur, et delinquens habetur uti moraliter præsens. *(Scavini, n.* 194).

106. Q. *An qui discedit a proprio territorio, ubi lex viget, teneatur illam adimplere ante discessum, si eo venturus sit, ubi illa non viget?*

R. I. Alii affirmant ipsum teneri, si eam implere commode possit; quia præceptum actu obligans, actu impleri debet, si postea non potest.—Alii vero cum *Varceno, Gury, Salmant., S. Lig., l.* 1. *n.* 157, negant, nisi lex *continuatim obliget*, uti lex jejunii, vel sit *negativa*, uti abstinentia; quippe talis lex omnibus momentis obligat; licet postea queat carne vesci in loco, quo perveniet.

II. Hinc non teneris audire Sacrum ante discessum, modo perventurus sis extra locum, ubi viget præceptum, antequam tempus, vel possibilitas obligationis cesset. Ratio est, quia præceptum non obligat ut expectes, vel non impedit ne tuo jure utaris. *S. Lig. n.* 157. Excipe, cum *Varceno, Del-Vecchio, Scavini,* aliisque, si ibidem unum tantum esset Sacrum, ac celebraretur ante tuum discessum, vel legis implementum differre non possis usque ad illud temporis punctum, quo e loco, ubi lex viget, discessisti; quia tunc gaudere nequis privilegio loci, quo nondum venisti; et aliunde omissio in loco legis facta esset culpabilis, ut patet.

III. Neque obstat quod prævidens impedimentum, teneatur prævenire; id habet locum, cum, manente vi præcepti, quis prævidet se ab illius observantia impeditum iri; non vero cum quis a præcepti obligatione futurus est liber. (*Scavini, n.* 195).

107. Q. *Peregrini tenenturne legibus loci quo veniunt?*

R. Tenentur, et quidem a prima die, qua illic perveniunt: I. Si ibi habeant quasi-domicilium; quia per id fiunt vere subditi illius loci; *ita fere omnes cum D. Lig. n.* 156.

II. Omnes peregrini, et vagi, ratione præcepti naturalis, et divini, tenentur ad leges speciales loci, in quo versantur; 1.° cum adesset scandali periculum, si a legis obligatione abducerentur; 2.° si ageretur de re necessaria ad bonum commune, ad quod omnes tenemur; 3.° si de contractibus sermo sit, ut omnis confusio vitetur; 4.° vel de delictis; quia delinquens sortitur forum loci ubi delinquit, juxta illud: *Locus regit actum;* nam æquum est, ut scelera ubique puniantur. *(Scavini, n.* 196, *S. Lig. n.* 156.*)*

III. Obligantur etiam cum agitur de legibus juris communis, a quibus ratione privilegii peregrini suo in territorio essent exempti; nam per discessum privilegium amitterunt, cum loco affixum sit, et lex juris communis omnes obligat sine ordine ad locum: hinc si mane peregrinus sit in loco privilegiato, ubi non jejunatur, potest ibi non jejunare; sed cum pervenerit ad locum ubi de jure communi viget lex jejunii, ad jejunium tenetur, etiamsi in loco privilegiato duplicem jam sumpsisset refectionem, ut probabilius dicit *Scavini;* quia redeundo in territorium legis communis, statim hac ligatur, et jubetur aliis subditis jejunantibus conformari. *Laym., S. Lig. n.* 160. Sed v. T. II. n. 461.

IV. Si lex particularis æque viget in sua patria, seu territorio, ex probabiliori sententia, ut ait *Del-Vecchio,* n. 196, cum *S. Lig.*, tenetur ad legem; nam utrobique peregrinus est sub ejusdem legis influxu. Et hoc ut certum tenet *Varceno* contra *Gury, Sanchez, Dian.*, qui oppositam sententiam probabilem vocant; non enim tenetur legibus patriæ, quia avertit se ab ea, nec legibus loci particularis, quia peregrinus est.

Hisce casibus exceptis, aliisque opinionibus relictis, dicimus probabilius, et communius cum *S. Antonino, Laym., Tol., Sanch., Varceno, Scavini,* et *S. Ligor.*, n. 156, secluso scandalo, non obligari, eo quod leges non obligant nisi subditos; peregrini autem, et vagi subditi non sunt; ergo... Nam ex jure *C. ult. de foro comp.* nemo subditur alterius potestati, nisi ratione vel delicti, vel contractus, vel domicilii, aut quasi-domicilii, vel ratione rei sitæ in territorio, vel demum ratione originis.

Hinc: —1.° Qui pergit in locum ubi speciale jejunii, vel Missam audiendi præceptum est, non tenetur jejunare, neque Missam audire, modo illud etiam in sua patria non vigeat, neque cuique scandalum sit. *(S. Lig. ibidem).*—2.° Si quis die jejunii, aut festo sit in loco non sui territorii, aut exempto, ubi nunc jejunium non est, aut festum, ibi libere comedere potest, et servilia exercere. — 3.° Potest quis mane discedens ex oppido, ubi non est jejunium, vesci carnibus, et si meridie rediturus sit domum ubi jejunium est, nec tunc, ubi domum venerit, ad servandum jejunium tenebitur ista die, cum illud jam violaverit, sed utique ad abstinentiam. *S. Lig. n.* 157.—4.° Peregrini non tenentur præceptis juris communis, si non sunt in usu in loco, ubi morantur; nam tunc omnes frui possunt locali privilegio. *Sanch., Laym., Suarez,* etc.—Item qui legi communi jam in suo territorio satisfecit, probabilius non tenetur iterum satisfacere adveniens in locum, ubi idem præceptum serius urget, dummodo fiat sine scandalo.—Sic italus, qui in patria jejunaret vigilia S. Petri,

non tenetur etiam jejunare in Gallia, ubi reperitur, quando fit jejunium ad sabbatum sequens ibidem translatum; non enim datur obligatio bis idem præceptum adimplendi. *(Scavini, Gury, Varceno, Del-Vecchio, ibid.)*

CAPUT VIII.

De promulgatione legis.

108. **Promulgatio legis** est *publica legis denuntiatio, facta auctoritate superioris ad inducendam obligationem.*— Hinc promulgatio a divulgatione differt, quæ est *illius applicatio ad aures facta per privatos fide dignos.*

I. Divulgatio ad legis valorem necessaria non est; nam aliter vix ulla lex humana vim obligandi haberet, cum ferme semper sint aliqui ad quos ejus notitia non pervenit.

II. Promulgatio autem est absolute necessaria ad communitatem obligandam; nam cum lex sit regula publica, communitati applicari debet, ut secundum eam regulari possit; talis autem applicatio fit per promulgationem ; ergo...

Unde si quis sciret legem aliquam mox esse promulgandam, non teneretur, nondum facta promulgatione, illam adimplere. Nam *leges instituuntur, cum promulgantur,* clamat Gratianus *in dict.* 4, *C. In istis.* —Ita etiam si dubium sit de promulgatione ; quippe adhuc non est sufficienter intimata.—Inde dicitur quod lex dubia non obligat, ut supra de probabilismo... Hinc infertur quod si quis sciret aliquam legem esse conditam, non teneretur eam observare, nisi postquam esset promulgata. *Salm. n.* 76, *Less., Pal., S. Lig. n.* 96.

III. Qui factam legis promulgationem invincibiliter ignorat, a culpa excusatur coram Deo, non vero coram Principe, qui de internis non judicat.

Q. 109 *An lex naturalis promulgatione egeat?*

R. Affirmative, hoc enim proprium est legis cujuscumque, ut non valeat obligare, nisi innotescat; innotescere non potest nisi per promulgationem.—Hæc promulgatio non fit per publicum edictum, bene vero per lumen naturæ, quod Deus mentibus nostris propria quasi manu inseruit, juxta illud: *Signatum et super nos lumen vultus tui, Domine.*

Hæc divina promulgatio duplex est, in habitu, et in actu: *habitu promulgatur ab initio nativitatis; actu ab initio rationis*, ut recte ait Episcopus Joannes Malderus. *Actualiter tunc unicuique promulgatur*, ait Sylvius, *quando cognitionem a Deo accepit dictantem quid juxta rectam rationem sit amplectendum, quid vero fugiendum.*—Hæc ultima promulgatio necessaria est ad obligationem inducendam, ut ex dictis patet. *Peccatum non cognovi nisi per legem*, ait Apostolus. (Rom. VII.)

110. **Modus promulgandi leges.** Jure naturæ nihil statutum est;

sufficit ergo quod lex ita proponatur, ut facile possit ad subditorum notitiam pervenire.—Hinc sufficit, quod lex promulgetur in Curia, aut in ephemeride officiali, vel in civitate, in qua residet Legislator; quia ob frequentem ad Sedem Principis concursum facile ad subditorum notitiam pervenire poterit. *(Scavini, n.* 216).

Sed in omnibus fere locis adest regula stabilita hac de re, quæ observanda est.

111. Q. *An leges Pontificiæ debeant singulis in provinciis publicari?*

R. Sententia communis, et probabilior, ait *S. Lig., n.* 36, cum *Benedict. XIV,* docet satis esse, quod leges Pontificiæ Romæ promulgentur, ut vim obligandi habeant singulos, ad quos illæ leges spectant. *(De Syn., l.* XIII, *cap.* 4). Et ut addit *Del-Vecchio,* hæc est quotidiana Romanorum Pontificum praxis. *(Tom. I, n.* 217).—Ita S. Pœnitentiaria 8 nov. 1821, jubente Pio VII, Constitutione *Ecclesiam a Jesuchristo,* ait: *Per Constitutionis promulgationem, quæ idibus sept. Romæ evenit, eam adeptam esse legis dignitatem, et vim obligandi.* In hac declaravit Papa sectam carbonariam hæreticam esse. *(Del-Vecchio, l.* 4, *n.* 168).

Ratio est, quia sic possunt, et volunt Pontifices obligare: 1.° possunt, nam juxta omnes, modus promulgandi pendet ab arbitrio legislatoris; 2.° volunt, sæpe quidem suis in Constitutionibus ita declarant. Si Ephemerides novam aliquam Bullam referant, sicut a multo tempore fit, et nulla de authenticitate reclamatio, vel dubitatio oriatur, et quidam de clero, adeundo Episcopum, vel Nuntium, didicerint eos recepisse exemplaria authentica, et sic spargatur notitia in universos, erit testimonium sufficiens. *(Bouix, Del-Vecchio, n.* 217, *S. Lig. ibid. cum communi).*

Tamen leges, quæ infirmant contractum aliquem suapte natura validum, vel auferunt jurisdictionem jam existentem in foro sacramentali, ut ait *Suarez cum aliis,* possunt benigna donari interpretatione, et sic intelligi, ut non censeatur esse mentem R. Pontificis illas obligare, nisi fuerint in diœcesibus promulgatæ. Alioquin ipsæ in detrimentum plurimorum, illas invincibiliter ignorantium, redundarent. *(Scavini, Del-Vecchio, S. Ligor., l.* 1, *n.* 96).

112. Q. *Quodnam tempus effluere debet a legis promulgatione, ut obliget?*

R. Si tempus determinatum fuerit, obligatio in illo incipiet: secus distinguendum est.

I. De jure canonico: 1.° leges Pontificiæ probabilius obligant a bimestri promulgationis; ex *Auth. ut facta, etc.* 2.° Constitutiones vero in materia fidei, et morum statim ac cognoscantur, ubique obligant; quia nihil novi continent, et sunt declarationes juris divini, nec indigent forma statuta promulgationis. *(Scavini, n.* 217; *S. Lig., l.* 1, *n.* 96). Episcopis ex officio incumbit novas leges Pontificias promulgare per suas diœceses, atque in usum deducere. *(S. Lig. n.* 136).

II. Leges episcopales, communi usu receptum est, ut diœcesanos obligent statim a promulgatione in urbe episcopali. *(Del-Vecchio, Scav., Benedict. XIV de Syn. l. XIII, c.* 4).

III. Leges vero civiles obligant juxta statutum in unoquoque regno.

(En España está establecido: 1.° Que la promulgacion corresponde al poder ejecutivo, quien dispone se haga en todos los pueblos por edic-

tos ó pregones, segun la práctica en cada uno de ellos introducida.—2.° Por Real órden de 22 de setiembre de 1836, repetida en la de 4 de mayo de 1838, está mandado que todas las órdenes ó instituciones del Gobierno que se publiquen en la *Gaceta* de la Corte, bajo el título de oficial, sean obligatorias desde el momento de su publicacion para toda clase de personas en la Península é islas adyacentes, debiendo las autoridades darles su cumplimiento en la parte que les corresponde.—3.° Por Real decreto de 1851 se confirma esto mismo, mandando en su artículo segundo que las respectivas autoridades ó funcionarios, á quienes incumba, cuiden que las disposiciones publicadas en la *Gaceta* se inserten en los Boletines oficiales, cuando por su naturaleza debe hacerse así).

113. Q. *An ad legis obligationem requiratur populi acceptatio?*

R. Nega: 1.° Patet ex Sacris Scripturis, dicente Apost.: *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit* (Rom. XIII); non acceptare autem legem justam, est legislatori resistere: ergo... 2.° Ex damnatione facta ab Alexandro VII prop. n.° 28: *Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a principe promulgatam.*—3.° Ex ratione. Si hæc populorum acceptatio requireretur, quælibet legislatorum auctoritas corrueret; esset enim non jam regere, sed regi: actum esset de legibus; quia impossibilis fieret etiam populorum conniventia. Obligatio non oritur ex acceptatione, sed ex potestate a Deo accepta independenter a populo. *(Salm., Suar., S. Lig. n.* 138.)

Excipitur 1.° Si agatur de gubernio aristocratico, vel democratico, cum tali limitatione a populo electo, de quo intelligi debet illud Justiniani: *Leges nulla alia de causa nos tenent, quam quod judicio populi receptæ sunt* (cap. 3). *(Varceno, pag.* 70).—2.° Ratione contrariæ consuetudinis, si per decennium non fuerit lex sive civilis, sive ecclesiastica acceptata. Idem probabiliter dicunt *Less., Azot., aliique* de consuetudine contra legem ecclesiasticam; nam præscriptio 40 annos exigens agit de juribus, non vero de legibus Ecclesiæ.—3.° Si major, et sanior pars populi legem non observet, vel revocationem petat, et ex circumstantiis præsumatur, principem, non instando, nec transgressores puniendo, nolle quemlibet obligare; quamvis peccaverint primi legem non acceptantes, et transgredientes.—4.° Si lex non habet conditiones requisitas, ut supra, v. g. si sit valde difficilis, et contraria consuetudini vigenti, et tales insuper adsint circumstantiæ, ut si a principe præcognitæ essent, abs dubio legem non tulisset. Hæc pro foro conscientiæ; in foro autem externo nullus auditur, et omnis transgressor punitur. *(Del-Vecchio, n.* 218, *S. Lig., l.* 1, *n.* 139*)*.

Si dubitetur utrum lex fuerit acceptata, obligat; præsumi enim debet acceptata, uti erat acceptanda, nisi de contrario certe constet. *S. Lig. n.* 97*)*. Dicitur acceptata lex, cum major pars communitatis eam recipit. *(Salm., n.* 97. *Ron. Val.)*.

114. Resolves. I. Leges Ecclesiæ civilem potestatem etiam obligare, quamvis eas non acceptet; quia Ecclesia potestatem suam a Christo accepit, et proinde est omnino independens, ac super omnes terrenas potestates. *Pasce agnos meos... Pasce oves meas,* ait Christus Petro. *(Joan.* XXI). Et ad Episcopos: *Pascite qui in vobis est gregem Dei.* (I Pet. V).

II. Obligare quoque omnes fideles, etiamsi a civili gubernio non fuerint acceptatæ; nam Ecclesia a Christo suam accepit potestatem, et

fideles circa hoc, non principes, sed Ecclesiam audire tenentur. *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, et publicanus.* (Matth. XVIII).

III. Episcopos teneri leges pontificias acceptare, quippe ipsis subjiciuntur, utpote a supremo Ecclesiæ capite ortas. Exponant, si graves rationes obstent, ac illas S. Sedi proponant, deinde illius decisioni acquiescere debent. *Benedict. XIV, (de Syn., l. 9, c. 8). Varceno, pag.* 71.

CAPUT IX.

De executione legis humanæ.

115. Q. *An lex humana obliget cum gravi incommodo?*

R. I. Cum leges latæ sint pro omnibus generatim, debent esse possibiles secundum ordinariam hominis capacitatem. *Impossibile est, quod vix possibile est*, ait S. Antoninus; *ut puta nimiam habens difficultatem.* Hinc ordinarie loquendo non obligant leges humanæ cum gravi damno, vel incommodo. Imo leges ipsæ divinæ, pure positivæ, cum hoc gravi incommodo minime obligant, ut docet Christus, approbans Davidis factum, qui, in necessitate gravi constitutus, panes propositionis comederat, quorum esus laicis prohibitus erat. *(Matth.* XII). Hinc in jure infirmus immunis declaratur a lege jejunii, cum non subjaceat legi necessitas. *(Cap. 2. de obs. jejun.).*—Quandoque etiam ab affirmativo naturali, et sic non tenetur quis cum periculo vitæ, depositum servare, votum implere, succurrere proximo extreme indigenti, nisi in extrema necessitate spirituali sit. *(Laym., Azor, Sanch., S. Lig. n.* 175).

II. Excipe: 1.° Si id exigat reipublicæ civilis, vel ecclesiasticæ conservatio, vel bonum commune. Sic miles, excubias agens, mori potius debet, quam silere, hoste adveniente.—2.° Si legis violatio cederet in contemptum Dei, Religionis, Ecclesiæ, aut ecclesiasticæ potestatis, vel etiam in proximi scandalum; nam hæc plus refert tueri, quam privatum bonum. His tamen in casibus potius lex naturalis obligat, quam humana, vel divina positiva; nam est de ratione legis naturalis, ut pars se subjiciat pro totius conservatione, et ut minus majori cedat. Sic Eleazarus legitur, mori potius elegisse, quam carnem porcinam manducare, cum ad id cogeretur in legis contemptum. *(II Mach.* VI). Ratio patet *(ait Billuart)*, quia contemptus Ecclesiæ, vel Religionis redundat in ipsum Deum, et tunc lex humana convenit cum lege divina naturali *(S. Lig. n.* 175).

III. Adverte tamen: 1.° *Grave*, id est, magni ponderis esse debere incommodum, ut lex humana non obliget; secus actum esset de omnibus fere legibus, de illis maxime, quæ ex sui natura incommodum non leve includunt, uti est vigens lex tributorum, jejunii, etc. *(Scavini).*—2.° Quod si non excusaris illo in casu a peccato, ideo neque a censura, si in contraventores lata sit; secus actum esset de legibus Ecclesiæ, cum ad eas violandas omni molestiarum genere potentes sæculi inducere soleant. Maxime si ratione officii, et status est obsistendum, vel a

violatione scandalum oritur, aut aperta potestatis religiosæ læsio. *(Scavini).*

116. Q. *Quid si pater impius filiis suis diceret: Volo ut die veneris carnes manducetis in contemptum Papæ, vel Ecclesiæ?*

R. Si alios cibos eis non tribueret pater, filii eos comedere licite possent, si v. gr. responderent: *Nos carnes manducabimus, quia alios cibos nobis minime tribuis, ideo in hoc casu nobis illos edere licet;* nam sic non solum non contemnerent Ecclesiam, sed e contra, protestationem emitterent.

Q. *Quid si fidei inimicus mortem nobis minaretur, nisi in Religionis nostræ contemptum cibos prohibitos manducemus?*

R. Nullus Religionis contemptus, nec peccatum adesset, si v. gr. respondemus: *Nos carnes manducabimus*, quia in necessitatis casu id licitum est. Imo aperte profitemur erga Ecclesiæ leges venerationem; sed eo in casu illas non observamus, quia non obligant cum tanto incommodo, ac periculo; semper tamen dempto scandalo, ut supponitur. (*Frassinetti, Del-Vecchio, n.* 200).

117. **Legis contemptus** duplex est: 1.ˢ materialis in eo, qui *legem violat, ut suis indulgeat cupiditatibus;* 2.ˢ *formalis* in illo, qui *legem violat, ut illam expresse contemnat, vel ejus auctorem qua superior est.*

1.ˢ Est mortalis, vel venialis pro modo materiæ, cum aliud adsignari nequeat, unde speciali malitia vitietur.—2.ˢ *per se* est semper mortalis; quia contemnitur directe ipsa præcipientis auctoritas, indeque ipse Deus, juxta illud: *Qui vos spernit, me spernit.* (Luc. x). (*S. Lig. n.* 142).

Excipe 1.° si contemnatur res præcepta, quatenus parvi fiat, vel contemptus superioris non sit, quatenus superior, sed quia vilis, imprudens, idiota, rudis; tamen adhuc grave esset, si tale judicium esset graviter temerarium, ut patet.—2.° Si actus, quo præceptum contemnitur, perfectus non sit, nec deliberatus, sed subitus. Hinc ajunt *Salm. n.* 40, *Lessius, Sanch.*, raro contingere peccatum mortale ratione contemptus. *(Scavini, n.* 201).

118. Q. *Quid requiritur, ut lex humana obliget sub mortali?*

R. Duo: 1.° ut materia sit gravis; secus esset lex injusta.—2.° ut intentio legislatoris sit graviter obligandi; quippe ab ea vim assumit. Non enim potest legislator sub gravi obligare in materia ex omni parte levi, cum minus non contineat quod majus est, ac nulla sit proportio, et causa cohonestans. Excipe si ratione contemptus, scandali, magni boni communis, finis a legislatore intentus fieret gravis. *S. Ligor. n.* 141. – Bene potest præcipere sub levi in materia gravi, ut docent *Suarez, Salm., Less., S. Lig., Bouvier, aliique*, quia materia gravis etiam minoris obligationis capax est; imo aliquando expedit ad majus bonum, ne nimium graventur conscientiæ, ut probabilius ait *Scavini.*

119. Q. *An in legis obligatione sit inquirenda, ac quomodo cognoscenda legislatoris intentio?*

R. Affirma, quia potestas obligandi in libera legislatoris voluntate est quoad usum.—Hæc dignosci potest: 1.° Ex ipsa gravi materia absolute accepta.—2.° Ex verborum gravitate, quibus utitur legislator, v. gr. *sub Dei indignatione; in virtute sanctæ obedientiæ; ex tota potestate*, etc. —3.° Ex gravitate pœnæ transgressoribus impositæ, uti excommunicationis latæ, exilii perpetui, etc.—4.° Ex communi prudentum judicio, aut ex

bene fundata consuetudine, quæ est optima legum interpres. (*S. Lig., l.* 1, *n.* 144 *et seq.*)—5.° Est commune omnes leges sub pœna excommunicationis latæ graviter obligare, controvertitur autem quoad suspensionem, interdictum, vel irregularitatem. At si sint ad longum tempus, vel ad omnem usum sub gravi obligare videntur. *Salm.*, *Suar.*, *Bon. aliique.*—Si vero pœnæ sint ferendæ, probabilius non obligant sub gravi, *S. Lig. n.* 146.

120. **Lex fundata in aliqua præsumptione.** Duplex distinguitur præsumptio: *facti*, et *juris*, seu *periculi:* 1.ª est, *qua legislator præsumit aliquod factum intervenisse*, super quo proinde disponit.—2.ª vero ea est, *qua legislator ex communiter contingentibus prudenter judicat, generaliter adesse mali periculum, doli, et fraudis.* Quibus positis:

1.° Si hæc in præsumptione facti fundatur, et factum non subsistit, neque lex illa subsistere, et obligare potest; quia non subsistit tota ratio obligationis. Præsumptio tunc cedit veritati. Si tuum animal damnum non intulit, sed juridice probetur intulisse, tunc non teneris solvere, etiam post sententiam, præciso scandalo, et poteris te compensare, si solvisti; nam tunc lex est injusta. Sic mulier certe sciens, invalide se contraxisse, non tenetur nec potent judici parere, etiam sub pœnis præcipienti, ut debitum reddat.

2.° Si vero lex fundatur in præsumptione periculi, obligat in conscientia, tametsi malum, quod timetur, in aliquo casu particulari non eveniat, secus ferme inutilis lex evaderet; quia omnes facile crederent nullum adesse sibi periculum, cum semper id adest, saltem generale, et hoc lex spectat... Sic nulla sunt matrimonia clandestina, ubi decretum prohibens viget. Sic etiam si tuum animal certe causa damni fuerit, sed falsa sit præsumptio, quod tua culpa id acciderit, solvere pœnam teneris, post sententiam tamen; quia hujus legis finis non solum est punire, sed etiam reddere homines diligentiores ad aliorum vitanda damna. (Ita *communiter S. Lig. n.* 100, *Scavini*, *n.* 214). Hoc firmat lex civilis.

121. Q. *An præcepto faciat satis, aut voto, vel juramento, etc., qui illud in mortali existens implet?*

R. Nega, si agatur de illo legis implemento, quod statum gratiæ necessario supponit, uti præceptum paschalis Communionis.—Affirma, si tantum pure, et simpliciter actus præcipitur; nam tunc, opus ponendo, totum ponitur, quod præcipitur. Hinc qui in peccato Sacrum audit, vel cum vana gloria, vel animo postea res ecclesiæ furandi, vel si sacerdos illud in mortali existens celebret, etsi mortaliter in ipsa celebratione peccet ratione sacrilegii, præcepto Ecclesiæ tamen satisfacit. Recte itaque a Pio V damnata fuit hæc *n.* 16 *Baji* propositio: *Non est vera legis obedientia, quæ fit sine charitate. S. Lig., n.* 162.

Nihil obstat dicere, quod legislator homines virtuosos facere intendit. *Non enim*, ait Angelicus, *idem est finis præcepti, et id de quo præceptum datur* (1. 2, q. 100, a. 9, ad 2).—Medium ad finem præcipitur, non finis. Hinc axioma: *Finis præcepti non cadit sub præcepto.*

122. Q. *An ad legem implendam requiratur intentio satisfaciendi?*

R. Nega; quia præcepta non obligant ad formalem obedientiam, seu quia præcipitur, sed materialem, scilicet, ut fiat quod præcipitur. Sic qui devote sacro interest, ignorans esse festum, præcepto satisfacit.—Imo *Suarez, Lessius cum aliis, communissime* docent, præceptis satisfacere eum, qui habet intentionem expresse contrariam non satisfaciendi; uti

si quis in festo Missam mane ex devotione audiat, volens præcepto dein satisfacere, sed id negligit; tamen non peccavit; siquidem, opera posita, non est in ponentis potestate legem non implere.

—Secus dic de votis; nam qui opus ponit animo non implendi, votum non implet; quia hæ, et similes obligationes a voluntate agentis proveniunt, et permanent; at in aliis proveniunt a legislatoris voluntate, ideoque non extenduntur ultra ejus intentionem; nempe ultra operis substantiam. *S. Lig., n.* 164.

—Imo adhuc in illis, quæ a propria potestate proveniunt, operans satisfaceret sine dicta intentione satisfaciendi, modo alteri fini opus suum deliberate non destinaverit; nam quilibet ex generali intentione prius intendit debito satisfacere, quam iis, quæ sibi sponte imposuit. Et vota, etc., sunt leges peculiares, quæ tantum ad substantiam actus obligant. Hoc valet de votis, de sacramentali pœnitentia, de Horis canonicis, jejuniis, Missa, et similibus, ut docent *Suar., Les., Laym., Scavini, n.* 366, *S. Lig., n.* 163, cum communi.—Imo etiam si expresse intendat per illum actum præcepto superioris non satisfacere; nam sufficit substantiam operis injuncti ponere. Ita *Suar., Vasq., Lugo, Less., S. Lig., n.* 164, contra *Azor., Navar.*, etc.

—Hinc servus, aut discipulus, qui ob metum superioris Sacrum devote audit, licet peccet sua illa mala voluntate, tamen præcepto satisfacit; quia talis metus non tollit libertatem: secus si omnino coactus audit per metum gravem; nam tunc actio non esset humana defectu voluntatis. (*Scavini, n.* 225; *S. Lig., n.* 165).

Q. *An ad satisfaciendum præcepto requiratur, ut res præcepta humano modo ponatur?*

R. I. Nega, si agitur de præceptis negativis, sed sufficit mera actus prohibiti omissio. Sic qui toto die dormiret, sine potu, et esu, dici nequit legem jejunii violasse.

II. Affirma vero, si de præceptis positivis sermo sit; namcum lex præcipiat actum positivum hominibus, actum humanum præcipit, id est, ut scienter, voluntarie, et advertenter fiat. Hinc recitans Horas ad discendum, vel Missæ quis assistens ebrius, dormiens, in alia distractus, aut nescius, præcepto non satisfacit. *(Scavini, n.* 366, *S. Ligor. n.* 165 *cum communi.*

123. Q. *An diversis legibus satisfacere quis possit per unum actum?*

R. I. Affirma, si per illum actum totum ponatur, quod per diversas leges præcipitur, nec alia sit legislatoris mens; nempe si præcepta cadunt super eamdem materiam, et ob idem motivum, nec agatur de materia justitiæ, in qua attenditur æqualitas rei ad rem: sic Subdiaconus beneficiatus unica recitatione, ac intra Missam in festo die, triplici obligationi satisfacit, Missæ scilicet, beneficii, et Horarum.—Hinc etiam si Cajo debeas centum ex contractu, quæ voveas restituere, et ad quæ restituenda te obligavit confessarius, centum tantum uno actu restituendo, satisfacis tribus illis obligationibus, nempe, justitiæ, voti, et præcepti. Ratio, quia tres illæ diversæ obligationes unam respiciunt materiam, ac unum motivum.

II. Nega autem, si diversæ leges cadunt in diversam materiam, vel saltem ob diversum motivum; ut jejunium ex pœnitentia, et ex lege Ecclesiæ debitum.—Bene vero satisfaceret unico jejunio, si ratione voti,

vel pœnitentiæ per mensem quis jejunare teneretur die in vigiliam incidente: sic ex legislatoris mente colligitur.—Hinc item si Cajo debeas centum ex mutuo, centum ex emptione, non satisfacis centum tantummodo reddendo; quia illæ obligationes diversa habent justitiæ motiva. *(Scavini, S. Lig. n.* 166, et *Hom. Ap. tract.* II, *n.* 30*).*

124. Q. *An qui uno actu plura violat præcepta edita super eamdem materiam, plura peccata committat?*

R. I. Nega, si illa præcepta habent idem motivum formale, et circa eamdem materiam, tum numero, tum circumstantiis versantur; tunc enim diversitas est tantum materialis. Sic qui non jejunaret die vigiliæ in Quadragesima, vel Sacrum non audiret die festo in Dominicam incidente, unum peccatum committeret, etsi duplex præceptum violaret; quippe unica est ratio formalis, et unicum motivum præcepti, nempe Dei cultus. Item sacerdos beneficiatus Horas omittens, vel homicidium sub pœna ab Episcopo prohibitum perpetrans, unum tantum committit peccatum; cum unica sit ratio præcepti.

II. Secus vero, si sint diversa formaliter, aut versentur circa materiam numero diversam; nam sunt obligationes, ac malitiæ diversæ. Sic violans juramentum, votum, et præceptum Eccesiæ de eadem re, triplex committit peccatum; triplex enim est ratio formalis obligationis. Votum fidem Deo debitam respicit; juramentum vero Deum justum testem; Ecclesiæ autem præceptum obedientiam. Item si quis clericum occideret, sacrilegium, et injustitiam committeret; quia duplex adest lex id vetans. *S. Lig. n.* 169.

125. Q. *An qui totum præceptum implere non valet, teneatur saltem implere partem, quam potest?*

R. I. Nega, si præcepti materia indivisibilis est; etenim nulla in parte servatur legis ratio, nec censetur velle legislator obligare. Sic qui voto adstrictus ad aliquod Sanctuarium visitandum, si certo scit eò pervenire non posse, non tenetur e domo exire; cum nec finis, nec ratio legis servetur. *S. Lig. n.* 177.

II. Secus vero si præcepti materia sit divisibilis, et commode separari possit, eo quod in ea aliquo modo adhuc servatur ratio præcepti, ac proinde ad illam implendam censetur legislator obligare. Quæ omnia sunt æstimanda 1.° ex intentione legislatoris;—2.° ex ratione, fine, et materia legis; — 3.° ex prudentum judicio; — 4.° ex sensu communi. *Sanch., S. Lig.* Huc facit illud: *Utile per inutile non vitiatur.* Hinc Innocent. XI hanc 54 damnavit propositionem: *Qui non potest recitare Matutinum cum Laudibus, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem.* Sic qui jejunare non potest, adhuc ad abstinentiam tenetur, et qui non potest jejunare omnibus diebus, tenetur iis, quibus potest. *(Scavini, n.* 225; *S. Lig. n.* 176, *et* 177).

III. Excipe si dubitetur, an adsit potentia etiam quoad illam præcepti partem, uti in infirmis, præsertim quoad jejunium, et Horas canonicas, in quibus vix, aut ne vix, determinari potest quid possunt, neque quo possunt, et non ultra. Unde si dum non possunt totam legem servare, tenerentur ad partem, daretur locus gravissimis scrupulis, et continua perplexitas in determinanda parte ad quam tenentur. Et ideo jure præsumitur de mente æqui legislatoris, quod non velit in similibus casibus obligare ad partem. *(Billuart, S. Lig., Scavini, ibid.).*

126. Q. *Quid agendum, cum duo concurrant præcepta æque urgentia, si simul impleri non possint?*

R. Gravius præceptum minori anteponendum est, nempe negativum affirmativo, naturale divino positivo, divinum humano, lex superioris legi inferioris. — *Cæteris paribus* lex habens pro materia actus virtutis strictioris anteponenda est legi minus strictæ. Sic prius solvendum est debitum justitiæ, quam charitatis, vel eleemosynæ, ut ordo suadet. Tamen habenda est ratio circumstantiarum: sic si pauper sit in extrema necessitate, prius ipsi succurrere quam debitum solvere teneremur, nisi utrumque adimplere possimus.

127. Q. *Quid si lex ecclesiastica, et civilis inter se pugnent?*

R. *Cum duæ sint, quibus mundus hic regitur auctoritates, sacra nempe Pontificum, et regalis potestas*, ut ait Gelasius Papa, quando discrepantia contingat, attendendum est in primis utrum de religiosa materia, an civili agatur. In primo casu prævalet lex ecclesiastica; in secundo vero lex civilis; quia utraque potestas a divina deducitur, ut recte ait Angelicus, et Deus non pugnat contra se. (*In* 4, *d.* 44, *q.* 2). Si autem res dubia sit, videantur concordata, et consuetudines.

In dubio de proprietate, natura, vel licitudine legum, consulenda est suprema auctoritas ecclesiastica, quæ doctrinali judicio rem totam definiet, cum ad eam, uti nobiliorem, pertineat leges omnes certo et infallibiliter interpretari. Quo sensu dicitur *jure canonico reformari jus civile. Tot sunt paces, quod sunt pacta*, ajebat Cocæus. In extremis amicabiliter mutuis consultationibus res tota, quæ est controversa, finiatur.

128. **Separatio Ecclesiæ ab Statu.** Cum Ecclesia constituta sit ad hominis imaginem, et homo non sit angelus, sed ens compositum corpore, et spiritu, prædicta separatio idem sonat ac spiritus separatio a corpore, et in nostro casu, idem est ac morte spirituali Statum perimere. Neque sane ullo modo illis subscribere possumus, *qui Ecclesiam a Regno separari, mutuamque Imperii cum sacerdotio concordiam abrumpi discupiunt*, ait Gregorius XVI, Encycl. *Mirari vos*, 15 aug. 1832. *Constat quippe pertimesci ab imprudentissimæ libertatis amatoribus concordiam illam, quæ semper rei, et sacræ, et civili fausta extitit, et salutaris.* — Sed hæc concordia in præsenti sæculo præcipue nihil aliud ex parte civili est, nisi suspensio hostilitatis in Ecclesiam sub spatioso concordati nomine, uti in Gallia, Italia, Hispania, et Austria evenit.

129. Q. *An lex humana possit aliquando impedire, ne obligatio, alioquin valida, contrahatur?*

R. Affirma, si id bonum commune exigat, nec prohibeat lex naturalis, ut, tali bono exigente, apponantur conditiones, quibus invalidentur actus alioquin validi; sic lex civilis invalidat testamenta sine solemnitate præscripta condita; Ecclesia invalidat matrimonia clandestina. (*Gury, Ballerini, n.* 101).

130. Q. *An contra legem peccet, qui non tollit, aut ponit impedimentum legis executioni?*

R. I. Nega, *per se*, si tale impedimentum a legis influxu subtrahat; ut si quis remaneat, vel se transferat in locum, in quo lex non extat; sic qui die festo locali e loco Sacri discedat, et se conferat eo, ubi Sacrum audiendi obligatio non adest, non peccat; nam utitur jure suo.

II. Affirma, (sed in lege naturali, et divina locum habere nequit,

quia ubique obligat) si tale impedimentum a legis obligatione non subtrahat, sed ab ejusdem tantum observantia; ut si quis die festo ad silvam se conferat, ubi præceptum Missæ adimplere non poterit, vivente adhuc lege, si hoc sine ulla causa fiat; quippe illuditur lex, nam qui præcipit finem, simul præcipit media necessaria ad finis executionem. Ita probabilius cum *D. Thoma,* 1. 2, *q.* 71, *a.* 5. *S. Lig., l.* 1, *n.* 152, *Varceno, Scavini, pag.* 158, contra *Salm., n.* 61, *Sanch., Medin., Henr., aliosque,* qui fundantur in eo quod agens tunc utitur jure suo, in quo nulla est fraus. Idem dicunt de eo, qui sua culpa incidit in infirmitatem, etsi præviderit jejunium, vel officium divinum omittere debere.

— Hinc juxta primos peccat qui iter, vel laborem aggreditur, etiamsi ex fine, vel animo se a legis obligatione extrahendi, ex quo excusetur inde a jejunio; minime vero juxta secundos. — Tamen hæc quæstio solum locum tenet in humanis legibus. (*S. Lig., ibidem*).

— Omnes etiam communiter conveniunt, graviter peccare, qui se inebriat, vel somno, aut ludo se tradit tempore Sacrum audiendi; quia illa præcepta tunc eum obligant, neque per eas actiones a præcepti influxu extrahitur. (*Salmant., cap.* 2, *n.* 162).

131 Q. *An possit quis renuntiare legibus in sui favorem latis?*

R. Vel primario in favorem sui latæ sunt, vel in bonum communitatis; si primum, utique potest, secus non esset illi favere; si secundum, non potest; quia bonum communitatis semper firmum est, uti status decus in clericis, etc.

CAPUT V.

De lege ecclesiastica.

132. De fide est contra Lutherum, Calvinum, Waldenses, et Wiclefitas Ecclesiam posse leges ferre quoad res spirituales: probatur ex Sacra Scriptura, ex Ecclesiæ auctoritate, et ex ratione.

1.° Ex Sacra Scriptura; ait enim Christus Apostolis: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.* (Joan. XX). *Qui vos audit, me audit: et qui vos spernit, me spernit.* (Luc. X). *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, et publicanus.* (Matth. XVIII). *Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei.* (Act. XX). Ex quibus aperte deducitur potestatem legislandi Ecclesiæ esse collatam. Quæ ita intellexerunt Apostoli, ut aperte ex sequentibus liquet: *Visum est enim Spiritui Sancto, et nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc necessaria: ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, et sanguine, et suffocato, et fornicatione.* (Act. XV.) Et Paulus *perambulabat... Syriam, et Ciliciam, confirmans Ecclesias: præcipiens custodire præcepta Apostolorum.* (Ibid.).

2. Ex Ecclesiæ auctoritate: *Si quis dixerit, baptizatos liberos esse ab omnibus sanctæ Ecclesiæ præceptis... ita ut ea observare non teneantur, nisi se sua sponte illis submittere voluerint, anathema sit.* (*Trident., sess.* 7, *c.* 8 de Bap.).—Hinc Pius IX in *Syllabo* damnavit hanc

24 prop.: *Ecclesia vim inferendi potestatem non habet, neque potestatem ullam temporalem directam, vel indirectam.* Et hanc 20: *Ecclesiastica potestas suam auctoritatem exercere non debet absque civilis gubernii venia, et assensu.*

— Antiquissimæ Canonum collectiones, Concilia œcumenica a Niceno I, anno 325, usque ad Tridentinum, anno 1564, et ab hoc usque ad Vaticanum, anno 1870, celebrata, quot leges positivæ editæ sunt, et a fidelibus veneratæ, totidem sunt testimonia auctoritatis legislativæ Ecclesiæ.

3.º Ratione. In omni bene constituta societate necessaria omnino est potestas legislativa, qua ea præcipiantur, quæ publicum sibi bonum expostulat; itemque jus imperandi, regendi, judicandi, et puniendi legum transgressores, ut conservetur societas ipsa: atqui Ecclesia est societas optime instituta, quia fundatorem sapientissimum habuit, uti est Christus Jesus: ergo...

Hinc deducitur quid sentiendum de *Regio placito, et appellatione ab abusu.* Falsum omnino est quod sit Status in Statu, ut turpiter blaterant novatores, cum duo sint Status, uterque diversi generis, uterque cum sua propria jurisdictione, et suos subditos habens: quamvis melius dici potest, et debet, Ecclesiam non esse in Statu, sed Statum in Ecclesia, ut subdatur, et dirigatur Ecclesiæ legibus; quia Ecclesia non alios cognovit, nec habet limites quam ipsum terræ orbem, intra quem succedunt, et mutantur Status.

133. Q. *Quinam in Ecclesia habent potestatem legem ferendi?*

R. I. *Romanus Pontifex, et Concilia œcumenica* pro tota Eclesia potestatem habent leges ferendi. Aperte ex Sacra Scriptura constat: *Tu es Petrus, et super hanc Petram œdificabo Ecclesiam meam... tibi dabo claves regni cœlorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis: et quodqumque solveris... erit solutum...* (Matth. XVI). *Pasce agnos meos... Pasce oves meas* (Joan. XXI.) *ait Cristus primo suæ Eclesiæ Pontifici: prius agnos, deinde oves commissit ei, quia non solum pastorem, sed pastorem pastorum eum constituit,* ait S. Eucharius. *(Serm. de nat. SS. Apost.)*

Tantum ligari, vel solvi potest in terris, quod simul ligatur, vel solvitur in cœlis; viatorum conscientiæ solum per leges ligantur; ergo... Deinde Pastor oves regere tenetur; regere in rationalibus, includit legislare: ergo...

Hinc in definitione C. Florentini, anno 1429 celebrati, Summus Pontifex vocatur, et est *Successor divi Petri principis Apostolorum, et verus Christi Vicarius, totiusque Ecclesiæ Caput, et omnium christianorum Pater, et Doctor, et ipsi in Beato Petro pascendi, regendi, et gubernandi universam Ecclesiam a D. N. J. C. plena potestas tradita est.* Hæc potestas non derivatur ab Ecclesia, vel a Concilio aliquo, sed immediate a Christo: Concilia œcumenica a Papa firmata, totam habent potestatis plenitudinem; quia juridice tunc totam Ecclesiam docentem, et regentem repræsentant, et etiam aliquoties provincialia, vel diœcesana, si ejus decreta a Papa ad universam Ecclesiam extendantur, ratione dicta.

II. Legatus Apostolicus pro loco suæ legationis, Cardinalis autem in Ecclesia sui Tituli leges ferre possunt a jure. (*C. ult. de off. legati, etc. His quod de maj. et obed.*).—Collegium Cardinalium vero, Sede romana vacante, si necessitas non urgeat, nequit leges ferre, sed nominationi alte-

rius Pontificis debet statim incumbere, ex Clement. (*l. I, tit.* 3, *cap.* 2).—Archiepiscopi, Primates, et Patriarchæ nequeunt leges ferre in provinciis, aut nationibus suffraganeorum, nisi ex consuetudine id habeant, vel ex concessione Pontificis. (*Ita ex decret. Greg. l.* 1. *t.* 31, *de offic. jud. ordin.*). Tamen eorum lites ad ipsos delatas componere possunt.

III. Episcopus pro diœcesi, tam intra quam extra synodum; nam a Spiritu Sancto positus est *regere Ecclesiam Dei.* (Act. XX). Hoc jus accipit Episcopus, sive immediate, sive mediate a Papa in ipsa canonica institutione. Ut autem eam actu exerceat, ex jure necesse est, tum ut litteræ Apostolicæ electionis expeditæ sint, atque iis exhibitæ, quibus de jure sunt exhibendæ; tum ut realis possessio capta sit. (*Ex. Extrav.* 1. *Injuncta de elect.*)

Nihil autem potest Episcopus in lege Summi Ponticis, cum inferior in superiorem jurisdictionem non habeat. Nec proinde quidquam statuere potest, quod legi communi opponatur, vel illam reformet. Inde resolves quid potest, et quid non potest quoad privilegia a Papa obtenta, uti oratoria privata: videtur non posse ob catechismi, et prædicationis omissionem tempore Missæ in festis, sacerdotem, nec oratoria suspendere, aut interdicere, ob dictam rationem.

IV. Concilia nationalia, pro natione; provincialia, pro provincia; diœcesana, pro diœcesi. Sane unumquodque concilium suam Ecclesiam repræsentat.—Statuta Episcopi etiam extra Synodum, audito tamen consilio Capituli, facta, et promulgata, juxta veriorem sententiam, eamdem perpetuitatem habent, ac constitutiones synodales. Benedict. XIV (*Diœces.*, l. XIII, c. 6, n. 1). Id est, non cessant morte, abdicatione, vel translatione Episcopi. (*Del-Vecchio, Gury, n.* 85). Communi usu inductum est, ut Episcoporum ordinationes datæ extra Synodum, nisi ipsi Episcopi aliud expresse declarent, tunc tantum ut vero leges habeantur, cum omnes diœcesanos, et clericos, et laicos adstringunt: secus nemini ut præcepta reputentur. Semper tamen ipsis liberum est etiam extra Synodum leges pro unoquoque dumtaxat cœtu condere, verum si de hoc clare non constet, illæ non ut leges, at ceu præcepta habentur ex communi consuetudine. *Scavini, Ballerini, n.* 85.

V. Verum provincialium Conciliorum decreta, antequam promulgentur, transmitti jussit Sixtus V, Bulla *Immensa*, ad S. Cong. Conc., ut corrigantur, si quid fortasse in iis, aut nimis rigidum, aut minus rationi congruum deprehendatur. (*Benedict. de Syn. Diœc., l. XIII, c. III, S. Lig., l.* 1, *n.* 104).—Hinc Pius IV damnavit hanc n. 8 prop., quæ dicebat: *Episcopum posse ex juribus sibi originalibus, et mediante bono Ecclesiæ, statuere aliquid contra leges superioris.* Duplex est provincialium conciliorum confirmatio; nempe, in *forma communi*, et in *forma specifica.* 1.ª non approbat ex *certa scientia;* et nihil novi juris tribuit.—2.ª vero auctoritate Apostolica fit cum hac clausula, *motu proprio, atque certa scientia ;* et naturam induit legis Pontificiæ, nullique inferiorum fas est derogari, jurique communi prævalet, cui cæteroquin sit contraria. Ita Benedictus XIV, *de Syod. S.* XIII. *c.* 3. *etc.*

VI. Capitulum Cathedrale, sede vacante; jure enim succedit in Episcopi jurisdictionem. (Cap. *His quæ*). Tamen ex Trident. hanc intra octiduum ab accepta vacationis notitia in unum transferre debet. (*Sess.* 24, *cap.* 16 *de ref.*).—Nihil tamen innovare, vel abrogare potest, sed diœcesim juxta

statutas leges gubernare debet. Statuta, quæ pro circumstantiis necessaria sunt, ferre potest. *(S. Lig.* 104, *Gousset, n.* 129, *Gury, n.* 86).

VII. Abbates, et Prælati exempti pro suo territorio, ubi jurisdictionem *quasi* episcopalem exercent, etiam leges ferre possunt, sive in Congregatione generali Ordinis, sive alio modo intra limites suæ jurisdictionis a Papa concessæ. Non tamen possunt Abbatissæ leges ferre, quia fœmina non est capax spiritualis jurisdictionis exercendæ. Probabilius obedientiam exigere possunt per votum promissam circa res præceptas in suis regulis; id enim necessarium est ad observantiam sustinendam, et ad profectum monialium, et firmat praxis. *(Scavini, S. Lig., l.* IV, *n.* 52*)*.

134. Q. *An Ecclesia habeat potestatem judiciariam, et coërcitivam?*

R. I. Habet potestatem judiciariam, a *regio placito* independentem; quia a solo Christo Jesu eam accepit sine limitatione, quæ in foro externo exercetur, et sic definitur: *Legitima facultas actiones subditorum examinandi, et de eorum bonitate, vel malitia, merito, vel culpa authenticum judicium ferendi.* Christus enim ait, quod refractarius, si correctiones fraternæ irritæ sint, denuntiandus est Ecclesiæ *(Matth.* XVIII), *et inutile esset, si Ecclesia illum judicare non posset.* Hanc exercuerunt Apostoli: Sic Petrus judicium tulit de Anania, et Saphira. (Act. V).

II. Adest etiam in Ecclesia potestas coërcitiva per penas spirituales, et corporales; scilicet, tum excludendi a religiosa, et civili communione, tum mulctandi, carcerandi, etc. — Quoad primum, aperte docuit ipse Christus, inquiens: *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, et publicanus* (Matth. XVIII). Paulus hanc potestatem exercuit cum incestuoso Corinthio, tradens eum Satanæ, scilicet, eum ab Ecclesia segregavit, et omnibus ejusdem bonis privavit. Deinde Hymenæum et Alexandrum blasphemos. *(I Cor.* V, *et 1 Tim.* I)

Quoad secundum, Christus ipse hac usus est, qui *cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes ejecit de templo.* (Joan. II). Et hac causa etiam factum est, ut Ananias et Saphira, quos Petrus pœna dignos pronuntiavit, præcoci morte abriperentur. Et Paulus ait: *Hæc absens scribo, ut non præsens durius agam secundum potestatem, quam Dominus dedit mihi.* (II Cor. XIII).

Ita in Ecclesia semper usitatum est, et contrariam doctrinam damnarunt inter cæteros Pius VII, anno 1794, Bulla *Auctorem fidei*, prop. 4 et 5, et Pius IX 1851, Brevi *Ad Apostolicæ Sedis.* Et Joannes XXII, anno 1327, Constitutione *Dudum volentes* ait: *Ad fidei catholicæ fundamentum, de fratrum nostrorum consilio, Dei nomine invocato, articulos prædictos, quod Papa vel tota Ecclesia simul sumpta nullum hominem quantumcumque sceleratum potest punire punitione coactiva, nisi imperator daret eis auctoritatem, velut S. Scripturæ contrarios, et fidei catholicæ inimicos, hæreticos, seu hæreticales... sententialiter declaramus.* (Scavini, n. 166). Vide ubi de censuris.

135. Q. *An quis cogi possit ad religionem amplectendam?*

R. Cum Angelico: utique non sunt cogendi infideles ad religionem amplectendam (in 4, dist. 39, q. 1. a. 5). — *Quid enim mihi de iis, qui foris sunt, judicare?* ait Apost. *(I Cor.* V). — Ratio, quia credere est voluntatis. Sed si religionem suscipere est voluntatis, id est propriæ electionis, ac æternæ consequentiæ, eam semel susceptam tenere est necessitatis; eò maxime, quia hæretici, et apostatæ per baptismum Ecclesiæ jurisdictioni sese

subjecerunt; ideoque eos impellere per pœnas, ne illorum pravis moribus alios ad malum inducant, potest, et debet.

136. **Ubinam leges Ecclesiæ continentur?** Vel agitur de legibus *specialibus*, vel *generalibus*. —Speciales in statutis nationalibus, provincialibus, vel diœcesanis continentur. — Generales vero vel sunt *antiquæ*, vel *novæ*, vel *novissimæ*.—Si 1.m, quod ab Apostolis ad sæculum XII extenditur nulla haberi solet ratio, quia illius ætatis leges in novo jure habentur, incertæ.—Si 2.m, quod a sæculo XII extenditur ad seculum XVI, id est, usque ad Tridentinum, continentur in Corpore Juris Canonici.—Si 3.m, quod ab hoc sæculo usque ad nostram ætatem extenditur, respicit Concilia generalia post Viennense celebrata, Bullas, Brevia, et Rescripta Pontificia post clausum Corpus juris Canonici edita; item declarationes Romanarum Cong., et regulas Cancellariæ Apostolicæ.

Juri tamen scripto non scriptum addendum est, quod traditione, et consuetudine comprehenditur.—Traditio est *mandatum, quod viva voce populis nuntiatum est, et ad nos usque vivens pervenit, et durat.* Quod quidem obligatorium est, cum referat superioris ordinationem, uti est quatuor temporum observantia...

Consuetudo est *jus ipsis hominum moribus inductum.* Hanc quoque vim legis habere apud omnes in confesso est; talis est consuetudo jejunandi in aliquibus diebus.

Corpus juris Canonici est *legum ecclesiasticarum complexus, sex continens partes.* Sunt: *Decretum Gratiani*, *Decretales*, *Sextus*, *Clementinæ*, *Extravagantes Joannis XXII*, et *Communes.*

137. Q. *Undenam nomen desumunt, et quomodo dividuntur, et citantur?*

R. I. *Decretum Gratiani*, sic dictum, quia a Gratiano illa decretorum collectio perfecta est, et anno 1151 publicata sub titulo *Concordantia Discordantium,* in tres partes distribuitur, quarum prima de personis ecclesiasticis tractat; secunda de materia, et forma judiciorum, et tertia de rebus sacris.

Prima pars dividitur in centum et unam distinctiones, quæ subdividuntur in capita, seu canones. Sic indicari solent: *Cap. Jejunium*, 7. dist. 76: vel etiam dist. 76, cap. 7.

Secunda pars dividitur in triginta et sex causas; causæ autem dividuntur in quæstiones, et quæstiones in capita. Citatur modo sequenti: *Cap. Qui viderit*, 13, *quæst.* 5, *causa* 32: vel *Canon* 32, *quæst.* 5, *c.* 13; *tract. de Pœnitentia;* et septem habet distinctiones, quæ sic citantur: *Cap. Mensuram*, 86, *dist.* 1, *de Pœnitentia;* vel *de Pœnitentia, dist.* 1, *cap.* 86.

Tertia pars, quæ de conservatione ecclesiarum, altarium, etc. tractat, constat quinque distinctionibus, quæ in varia capita dividuntur. Citantur: *Cap. Est unitas*, 49, *dist.* 4 *de Consecrat.*, vel *de Consecrat.*, *dist.* 4, *cap.* 49.

II. *Decretales* jussu Gregorii IX a S. Raymundo de Penyafort ex Conciliis generalibus, et Pontificum constitutionibus collectæ, anno 1230 publicatæ, in quinque libros distributæ, scilicet: *Judex, Judicum, Clerus, Connubia, Crimen.* Hoc modo citantur: *Cap. Pervenit,* 28, *de Appellationibus:* vel *Decretales*, *lib.* 2, *tit.* 28, *c.* 28.

III. *Sextus* liber Decretalium Bonifacii VIII sic dictus, quia additus est quinque libris Gregorii IX, complectitur Decretales ab hoc Pontifice

usque ad illum in quinque libros distributas, anno 1298 publicatas. Eodem modo citantur, sed additur, *in Sexto*, vel *apud Bonifacium*.

IV. *Clementinæ*, a Clemente V sic dictæ, qui eas colligi jussit, et complectuntur Canones Concilii Viennensis, cui præfuit ipse Pontifex, anno 1311, et alias nonnullas constitutiones ab eodem editas, in quinque libris distributas. Eas promulgavit Joannes XXII an. 1317. Eodem pariter modo citantur, sed additur *in Clementinis*, vel *Clem.*

V. *Extravagantes Joannis XXII* sunt constitutiones ab hoc Pontifice editæ, numero viginti. Sic vocantur, quia extra corpus juris hucusque collectum vagantur. Sic indicari solent : *Extrav. Joannis XXII, tit.* 4, *cap.* 1.

VI. Veniunt *Extravagantes communes* ab Urbano IV ad Sixtum IV in quinque libros distributæ, et habent capita cum titulis, sed non numeratis. Sic ordinarie citantur: *Cap. Vas electionis de Hæreticis; Extrav. communib.;* seu *Extrav. Comm., lib.* 5 *de Hæreticis, c.* 2.

138. Q. *An jus canonicum universim obliget?*

R. Certum est, librum septimum Decretalium Petri Matthæi, ac institutiones Lancellotti, quæ in fine habentur appositæ, non habere vim legis; cum non sint Pontificia confirmatione donatæ.—Item neque Decretum Gratiani, ex Bened. XIV *(de Synodo, l.* 7, *cap.* 15), etsi passim citetur.—Cæteræ autem partes juris canonici universim obligant, nisi contraria lege, vel legitima consuetudine abrogatæ sint. *(Scavini).*

Veniunt deinde *Rubricæ*, et *superinscriptiones*, quæ argumenta authenticitatis præbent.—Postea *Summaria, Glossæ*, et *Notæ*, quæ sunt explicationes doctrinæ catholicæ.

Jus novissimum, quod constituunt Canones Conciliorum Generalium post Viennense, et præcipue a Tridentino usque ad Vaticanum inclusive 8 dec., anni 1869 inceptum, et sequenti anno suspensum.

Bullæ, Brevia, Rescripta Pontificia edita post Sixtum IV, qui cessit e vita 3 augusti 1484, constituunt etiam *jus novissimum*, cum ab eo tempore non amplius inserta fuerint in corpore Juris Canonici.

Bullarum autem nomine veniunt Pontificum constitutiones, sic dictæ a *Bulla*, seu sigillo exhibenti hinc SS. Apostolorum Petri, et Pauli imagines, illinc vero nomen Pontificis, et graviora, ut plurimum negotia respiciunt.—*Bullæ dimidiæ* dicuntur, si a Pontifice ferantur nondum consecrato. Etiam *Encyclicæ* appellantur *Bullæ*.

Brevium nomine intelliguntur Pontificiæ Constitutiones, quæ per Secretarium *Brevium* expediuntur pro negotiis, ut plurimum, non ita gravioribus, et non universalibus. Sigillum habent ceræ rubræ, in quo impressa est imago D. Petri piscationem agentis; ideo dicuntur expediri sub *annulo piscatoris*.

Bullæ, et *Brevia*, et *Rescripta Pontificia* decretoria omnes obligant sub gravi, sunt enim Apostolicæ Sedis sanctiones. *(Del-Vechio, S. Ligor., n.* 105).

139. **Epistolæ Pontificiæ, et responsa decretoria in corpore Juris non inserta vim legis habent**, si de earum authenticitate constet, et sufficienter sint promulgatæ, vel ex usu, et sensu Ecclesiæ a pluribus sæculis jam habeantur pro authenticis. *(Gury, n.* 129, *S. Lig., n.* 106).

Rescripta sunt *rogatorum Pontificum responsa*. Alia dicuntur instar epistolarum familiarium, vel consilia viri docti, et ideo vim obligandi non

habent; quia magis ex animi comitate, quam auctoritate procedunt.—Alia instar decretorum. De hisce ajebat D. Augustinus: *Per Papæ rescriptum causa Pelagianorum finita est*, et vim obligandi plenam habent; quia per ea jus Pontificum, et suprema auctoritas exercetur. *(Gury, n.* 128, *Varceno, p.* 72).

Congregationis Romanæ sunt *illi spectatissimi cœtus ex Cardinalibus potissimum constituti, quibus Pontifex certa tradit Ecclesiæ universæ negotia administranda, et definienda.* Earum declarationes efferri ordinarie solent, consulto Pontifice.

Prima est *Congregatio Concilii Tridentini.* Pro illius observantia a Pio IV, primum instituta, quæ dein a Sixto V, Constitutione *Immensa* 1587, donata est potestate concilii decreta interpretandi, morum, aut disciplinæ reformationem respicientia.

Secunda est *Congregatio Episcoporum,* et *Regularium* ab eodem Sixto erecta, quæ in bonam totius orbis catholici diœceseon administrationem intendit, quæque etiam hodie Regularium utriusque sexus controversias dirimit.—Huc accedit alia Congregatio super statu Regularium a Pio IX, Encyclica *Ut primum*, anno 1847, instituta, cujus est statuere quæ ad cujusque religiosæ familiæ incolumitatem conferunt.

Tertia est *Congregatio de Propaganda* fide, a Gregorio XV anno 1622 fundata, cujus est munus in propagationem Catholicæ fidei incumbere. Ad eam pertinet celeberrimum collegium Romæ fundatum ab Urbano VIII de *Propaganda fide,* in quo pro missionibus ad terras infidelium alumni instituuntur. Huic Congregationi religiosæ res orientalium erant commissæ: cum tamen ejusdem curæ majores fierent in dies, Pius IX, Litteris *Romani Pontificis,* 6 jan. 1862, specialem Congregationem instituit, sub titulo de *Propaganda fide pro negotiis ritus orientalis,* quæ orientalium libris corrigendis, omnibusque illarum regionum negotiis tractandis unice operam navet.

Quarta est *Congregatio Sacrorum Rituum*, quam Sixtus V instituit anno 1587. Munus ejusdem est Liturgiam, et illa, quæ ad eam pertinent, definire. Beatificatio, et Sanctorum canonizatio inter officia hujus Congregationis referuntur.

Quinta est *Congregatio Indicis librorum prohibitorum,* qui in lucem eduntur, a S. Pio V instituta, ne quid inter fideles contra fidem, et bonos mores propagetur. Quos existimat fidelibus noxios notat, ac in Indicem refert, qui ideo dicitur *Index librorum prohibitorum.*—Si hæresim sapiunt, libri prohibentur tum a Congregatione S. Officii, tum etiam immediate a S. Pontifice peculiaribus Brevibus, et dogmaticis Constitutionibus.

Sexta est *Congregatio S. Officii*, vel *Sacræ universalis Inquisitionis,* quamvis hodie in pluribus locis Ordinarii locorum, tamquam Sedis Apostolicæ delegati, hujus partes agere solent, ut citius malum corrigatur, et dicitur *Suprema,* a Paulo III fundata, et a Sixto V confirmata. Hujus officium est inquirere, et cognoscere de hæresi, et de hæresis suspicione, et aliis irreligiositatibus, libros de hac re damnando, ac sententias doctrinales circa dubia proposita ferendo; sic plurima edidit quoad usuram, et magnetismum: Præsidem habet ipsum Pontificem, si res est de gravi negotio.

Septima est *Congregatio Indulgentiarum, et Reliquiarum*, a Clemen-

te XI anno 1669 erecta. Indulgentias vulgat, ac quæstiones de hac re, et etiam de sacris Reliquiis dirimit.

Octava est *Congregatio Immunitatis* ecclesiasticæ realis, personalis, et localis ab Urbano VIII instituta, ut causas de hac re definiat.

140. Q. *An Tridentinum obliget iis in locis, ubi non fuit promulgatum?*

R. 1.° Certum est omnes obligare quoad fidem, et bonos mores; quia istorum una est regula, et omnibus necessaria.

2.° Certum est non obligare quoad clandestina matrimonia, ubi non est receptum. *(Sess. 24, cap.* I *de reform).*

Quoad alia decreta disputatur. Recole quæ diximus n. 111 de Pontificiarum legum promulgatione, ibique adest solutio. Prout fidem facit Magister Cursor, Trid. publicatum fuit solitis modis, et locis.

141. *Sacrar. Congregationum declarationes, et decreta vim legis habent?*

I. Declarationes, ac decreta Sacror. Rituum, ut oracula ipsius Pontificis habenda sunt ex Bulla Sixti V, *Immensa*, et ex ipsius S. Congregationis decisione, 23 maji 1846, quam approbavit, et confirmavit Pius IX.— Hujusmodi declarationes, ac decreta etiam in similibus casibus obligare tenet communissima sententia, ideoque moraliter certa, cui S. Congreg., et Tribunalium urbis favet jurisprudentia, aiunt *(Gury, n.* 130, *et Varceno, pag.* 72*).*

II. Cæterarum vero Congreg. Declarationes, et Decreta tamquam leges obligant in casibus particularibus, pro quibus fiunt. *(Gury, Varceno, ibid.)*

III. Utrum obligent in *similibus casibus*, controvertitur. *S. Ligorius* utramque sententiam æque probabilem habet. *(Lib.* 1, *n.* 106).

Sed quia clare non constat, quænam ratio, vel circumstantia ad hanc potius quam ad illam sententiam S. Congregationem permoverit, melius erit distinguere cum *Ballerini*, *Varceno*, *aliisque.* Declarationes vel sunt mere *comprehensivæ*, id est, legis, vel verborum legis; aut *interpretativæ*,vel *extensivæ*, id est, si a propria verborum significatione recedunt, et aliquid decernunt, prohibent, concedunt, dispensant, etc.

Si 1.^{m}, prout voluerunt Pius V, et Gregorius XIII, et datæ sint consulto prius Pontifice, hujusque nomine in litteris expresso, ac in forma authentica producantur, nempe, cum Congregationis sigillo, atque Cardinalis præfecti, et secretarii subscriptione, ut voluit Urbanus VIII, tunc vim legis habent, non solum quoad eos, quibus responsa dantur, sed etiam quoad alios; quia hæ declarationes non condunt jus novum, sed jam conditum, et promulgatum mere explicant.—Si 2.^{m}, cujusmodi sunt plura decreta de celebratione Missarum, aut de reformatione Regularium, vim et auctoritatem legis non habent, nisi fiant ex speciali mandato Pontificis, et legitime promulgentur. Ratio perspicua est; quia, hoc ipso, quod non continentur verbis legum, proprio sensu acceptis, jam sunt novæ leges, quæ in declarante requirunt legislativam potestatem: atqui S. Congregatio ex sui institutione potestatem utique interpretandi, non autem leges condendi habet; ergo... *(Ballerini, Reiffenstuel, n.* 130, *etc., Schmal. n.* 373-377, *Pichler, n.* 46.)

Advertunt *S. Ligorius, Scavini, aliique,* hujusmodi declarationum promulgationem fieri posse multiplici modo; nempe, sive de speciali Pontificis mandato, sive per usum plurium annorum, vel relatione auc-

torum eas communiter referentium. Tamen contradicit *Ballerini*, *n.* 130, dicens: *Quando, juxta dicta, declarationes ejusmodi sint, quæ legitima promulgatione indigeant, hæc autem habita numquam fuerit; etsi ab auctoribus communiter referantur, hoc tamen non sufficiet ut ipsis vis obligandi accedat.*

142. I. **Sacra tribunalia penes Pontificem varia sunt.** *S. Pænitentiaria* tribunal est gratiosum, perantiquum, pro foro interno, et occultis casibus. Ex Benedict. XIV, Bulla *Pastor bonus*, Pœnitentiaria pro utroque foro absolvit ab omnibus casibus, et censuris occultis. Ita dispensat in irregularitatibus; cum simoniace ordinatis; cum male promotis; cum homicidis, et in impedimentis matrimonii; relaxat juramenta; vota simplicia, et divinum officium commutat, ac dispensat; dubia practica decernit; hæreticos absolvit; convalidat titulos beneficiorum, si res occulta sit; componit, ac etiam partem debiti incerti remittit; concedit Regularibus transitum ad mitiorem religionem, et monialibus confessarium, etc. *(Del-Vecchio, n.* 174).

Si agatur de absolvendo a censura eo, qui bona Ecclesiæ occupavit sine ipsius Ecclesiæ facultate, et de omnibus casibus occultis, simplex libellum confici potest, et mitti a confessario, vel pœnitente, sed securius erit opera Curiæ Episcopalis agere, minime vero opera procuratorum, aut litteris apertis, quod nuper reprobavit S. Pœnitentiaria. Semper autem litteris obsignatis mittendi sunt casus, nominibus relictis, ad Cardinalem Pœnitentiarium majorem, vel directe, vel per aliquem Romæ degentem.

II. *Dataria* est gratiosum, et amplissimum tribunal, et organum mentis, ac vocis Papæ. Ad hoc tribunal pertinent Cathedralium erectiones, uniones, divisiones, suppressiones, insignium concessiones, novorum canonicatuum, vel dignitatum creationes, beneficiorum reservatorum collationes, coadjutoriæ permissiones. Ad illud item dispensationes pro foro externo super matrimonii impedimentis publicis, irregularitatibus, votis, juramentis.

III. *Fabrica S. Petri* est Congregatio, cui committitur Missarum reductio, legatorum, piarumque fundationum, et similia, ut dispenset, componat, ac in Domino provideat. De hac autem re etiam S. Congregatio Regularium, et Concilii cognoscere solet.

IV. *Cancellaria* est item tribunal gratiæ, per quod Litteræ Apostolicæ conficiuntur; illi Cardinalis sub nomine Vicecancellarii præest. Mortuo Pontifice cessat illius jurisdictio.

V. *Rota (sacra).* Tribunal contentiosum, et Pontificium, de cujus origine non satis constat, in quo pro toto orbe controversiæ contentiosæ maxime beneficiales cognoscuntur, et deciduntur. Partes litigantes tantum obligant Rotæ decisiones. Ejus judices *Auditores Rotæ* appellantur. Ex Sixto IV duodecim sunt: octo itali, duo hispani, unus gallus, et unus germanus. *(S. Lig., n.* 106, *Del-Vecchio, n.* 174).

Et hæc quoad disciplinam in genere. Pro nostra autem Hispania sciendum est, Tribunal Rotæ, adinstar Romanæ a die 26 octobris an. 1773, instante Rege Carolo III, annuenteque Clemente XIV, Matriti erectum reperiri, ubi omnes causæ ecclesiasticæ horum regnorum, etiam castrensis jurisdictionis, cæteræque quantumvis exemptione gaudentes, in ultima appellatione finiuntur, cum Tribunal hoc, nedum Regali, verum etiam Pontificia auctoritate fulciatur.

Regulæ Cancellariæ, sic dictæ a Cancellario Romanæ Curiæ, qui iis sicut firmis regulis uti debet, sunt certæ Pontificum ordinationes, quæ maxime respiciunt reservationes beneficiorum, tum judiciales processus, tum modum hæc omnia negotia pertractandi. Primus illas scripto mandavit Joannes XXII; sequentes Pontifices, et præcipue Nicolaus V, eas numero auxerunt, adeo ut modo 72 recenseantur.

Sede suprema vacante, nullius habentur roboris, illæ præsertim reservationes, quæ obtinent ratione mensis quo beneficia vacant. Sed Sede plena illico confirmantur, et illico obligant, nisi iis per Concordata, privilegia, vel legitimas consuetudines derogatum sit. *(Scavini, n.* 175).

Sed adhuc sunt tres regulæ, quæ ubique ita receptæ sunt, ut habeantur tamquam leges Regni, et vacante Sede, non cadunt, uti regulæ 1.º de *verisimili notitia* (mortis beneficiati); 2.º de *infirmis resignantibus*, circa quos semper valent dictæ regulæ; et 3.º de *idiomate,* id est, de illis, qui ignorant idioma regionis ad cujus curam deputantur.

143. **Clausulæ nonnullæ, quæ in SS. Congregationum responsis leguntur, sic intelligendæ:**—*Dilata,* seu respondere differtur, ut res maturiori examini subjiciatur.—*Nihil,* seu non admittitur petitio, utpote incongrua.—*Relatum*, est cum supplex libellus Summo Pontifici relatus, exauditus non fuit.—*Lectum*, cum lectum fuerit in S. Congregatione postulatum, admissum tamen non est.—*Reponatur,* vel *non proposita,* seu non datur responsum, et petitio in S. Congreg. archiviis reponitur.

Affirmative, et amplius: negative, et amplius, seu cum res in S. Congregat. fuerit plus æquo discussa, et plenis votis prout jacet decisa, non amplius, vel nonnisi rarissime admittitur tale quæsitum. — *Detur decretum generale,* est quando agitur de re gravi, quæ a pluribus negligitur.—*Spectare ad Episcopum, vel orator adeat Episcopum*, ut nempe ipse provideat juxta canonicas ordinationes, si potest.—*Non congruere, vel non expedire* ob peculiares circumstantias concedere, vel decisionem emittere.

Quando S. Pœnitentiaria interrogata respondit: *Orator rem deferat ad Ordinarium, et ejus judicio se dirigat;* juxta ipsius S. Pœnitentiariæ responsum 1857 non ideo aliquam id tribuit facultatem, sed tantum recurrentem ad Ordinarium mittit, qui si facultatem habet, provideat juxta regulas prudentiæ; secus ad competentem judicem eum remittat.

Per summaria precum est quædam formula a S. C. Concilii adhibita, qua indicatur non agi de dubio gravi, vel de causa contentiosa; quando enim de hac agitur, usurpatur forma: *ponatur in Folio.*

In decretis et decisis: est quando orator preces iterat non exauditas, et S. C. decernit standum esse in jam data resolutione.

Ad mentem: est quando præter dubii solutionem aliquid aliud censet S. Cong. declarandum; et cum suam mentem ulterius aperiat, ideo dicitur *et ad mentem.* Aliquando tantum manifestatur illis, ad quos responsio dirigitur; aliquando in scriptis publice exaratur; tunc additur: *mens est...*

Dilata post aquas, post agnos, post reges.; seu differatur causæ discussio post aquas autumnales, post festa paschalia, post festa Epiphaniæ.

Resolutio S. C. Concilii *non est sententia* stricto sensu, nisi ipsa manu Præfecti, et Secretarii subscripta sit cum hac clasula: *Expediatur.*—Notat Fagnanus, quod S. Cong. frequentius in definiendo utitur verbo *censuit,* quæ est forma Senatus romani; et aliquando *declaravit, respondit.*

Facto verbo cum Sanctissimo: indicat quod S. Congreg. gratiæ conce-

dendæ facultatem non habet, et ideo Secretario injungitur, ut Rescriptum S. C. referat Pontifici.

Gaudeat impetratis : id est, gratia jam obtenta contentus sit.—*Providebitur in casibus particularibus,* seu proponatur casus determinate cum omnibus adjunctis circumstantiis, et non generice, et indeterminate.

Reportare rescriptum: id est, reddere Rescriptum S. Cong., a qua prodiit ; ita ut perinde sit, ac si concessum non fuisset.

Consulat probatos auctores : est quando S. Pœnitentiaria dubia non resolvit, sed pœnitentes mittit ad prudentiæ moralis leges. Dicuntur *probati auctores,* qui tum scientia proprio studio acquisita pollent, duce Episcopo, tum ex notitia auctorum, qui usu recepti in Ecclesia sint. *(Avancini.)*

Dimittatur causa : est quando S. Cong. Indicis librum non damnat, quin judicium emittat.

S. C. Rituum ordinarie non respondet per litteras privatorum supplicationibus circa rem liturgicam; unde si privatus aliquid postulet, in urbe statuat aliquem, qui nomine ipsius agat, et dictæ supplicationes, vel dubia a proprio Ordinario subscripta esse debent.

S. Congreg. sub triplici forma Rescripta expedire solet: 1.° in forma *gratiosa*, et est cum gratia directe conceditur sine ulla commissione pro executione, uti si *S. Cong. petitam gratiam oratori benigne impertiatur.*—2.° in *forma absolute commissaria,* si S. Cong. *oratoris preces remittit arbitrio, et conscientiæ Episcopi cum facultatibus necessariis, et opportunis.* Tunc Episcopus gratiam concedere, vel denegare valet, prout in Domino judicaverit.—3.° in forma *mixta*, si S. Cong. annuit pro gratia, eam tamen absolute non concedit, sed executori, seu Episcopo, committit, ut inquirat, an preces veritate nitantur. Tunc executor non potest pro suo arbitrio gratiam denegare, vel concedere, sed si prudenti suo judicio vera esse, quæ narrata sunt, judicaverit, Rescriptum executioni demandare debet; secus executionem negare tenetur.

Si a S. Cong. hac forma deputetur: *Re diligenter perpensa benigne annuit, ac propterea mandavit committi Episcopo, ut petitam gratiam Oratori concedat,* tunc executor *merus* dicitur, et absque exercitio jurisdictionis est deputatus; unde partes judicis non assumit, nec de subreptione cognoscit; sed si evidentem subreptionem advertat, ab executione se abstineat.

S. Congreg. responsa non semper sunt conformia; quod evenit 1.° quia casus singulares ob diversas rerum, ac locorum circumstantias diversimode resolvi oportet.—2.° Quia in rebus dubiis, nondum facta discussione, doctrinaliter, non decisive respondent juxta communem sententiam, quin intendant quidpiam veritati detrahere, ut ait *Benedict. XIV, De Syn., l.* 6, *n.* 4.—3.° Aliquando ob peculiares rationes, ad scandala vitanda, odia sopienda, lites sedandas, decisiones fulminantur, ut dicunt *a posteriori,* seu non secundum jus strictum, sed habita ratione illius casus specialis; et tunc decisio cum aliquo addito datur, v. g., *affirmative,* vel *negative, prout in casu,* vel *prout jacet...* (Scavini, n. 340-342).

144. Q. *An moralista versatus esse debeat in Jure canonico?*

R. *Ex hac ignorantia evenit, ut pauci de clero Ecclesiæ jura perspecta habeant,* ait Del- Vecchio, *et pauci valeant in hac temporum calamitate illa defendere, ac tueri.* Melchior Canus dicit: *Theologis, qui Pontificum canones ignorant, nimis multa desunt ad usus theologiæ necessaria.* Et

Cœlestinus Papa addit: *Nulli sacerdotum liceat canones ignorare.* (C. nulli dist. 38).—Ratio, quia jus canonicum est complexus legum ecclesiasticarum: at quomodo transgressores arguere, et etiam ipse sacerdos adimplere legem poterit, hanc ignorans?

CAPUT XI.

De lege civili.

145. Certum est principes sæculares potestatem habere, tum ferendi leges circa res civiles, tum subditos in conscientia ligandi. *Suarez* de fide esse dicit, vel saltem fidei proximum. Aperte constat ex S. Scriptura, ex Ecclesia, et ex ratione.

1.° Ex S. Scriptura: *Non est enim potestas nisi a Deo... Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt... Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam,* ait Apostolus. *(Rom.* XIII).—*Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt,* legitur in *Prov.* VIII. —Atqui regnare non possunt absque potestate leges ferendi, ac subditos ligandi: ergo...

2.° Ex Ecclesia: *Præceptum potestati ipsi obediendi a nemine unquam citra piaculum posse violari, nisi forte aliquid imperetur, quod Dei vel Ecclesiæ legibus obversetur,* ait Pius IX, Encyclic. *Qui pluribus,* hortans Episcopos, ut debitam erga principes, et potestates obedientiam christiano populo inculcare satagant.

3.° Ex ratione: Potestas ferendi leges necessaria est *a priori,* ut ajunt, in qualibet societate ad bonum regimen; atqui ea prorsus inutilis esset, si leges vim obligandi non haberent, etiam in conscientia... Quis se illis subderet? Si vim obligandi non haberent, essent tantum consilia, et non leges; ergo...

Unde etiam aperte deducitur civilem potestatem non a populo, sed a Deo originem ducere. Etsi a principio liber esset populus in eligendo sui gubernii formam, illa semel electa, a Deo confirmatur, eique potestatem ingerit, et suo vinculo ligatur. Non est societas absque ordine; at ordo in regula consistit, regula seu lex dari, et perdurare nequit sine potestate; ergo subsistere nequit societas sine legislativa potestate, et obligatione illi subjacendi. Hinc Pius IX in *Syllabo* hanc n. 43 prop. damnavit: *Legitimis principibus obedientiam detrectare, imo et rebellare licet.*

Ex quibus constat graviter peccare omnes contra legitimam auctoritatem, tumultus, et seditiones moventes, faventes, consulentes, et obedientiam detrectantes. Semper obtemperandum est principibus aliquid justa lege præcipientibus, cum de illius injustitia apud viros doctos, et probos communiter non constet, sive immediate a Deo, sive mediante populo, eos auctoritatem recepisse existimes. *(Gury).*

Objectum legum civilium. Principes legislare circa res civiles, et temporales possunt, minime vero circa res ecclesiasticas; quia nemo

potest excercere jurisdictionem, quam non habet.—Non principibus, sed Apostolis dixit Christus: *Euntes docete omnes gentes... Qui vos audit, me audit... Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, et publicanus.* Merito Osius Cordubensis Episcopus ad Constantium Imperatorem scribebat: *Ne te rebus misceas ecclesiasticis, neque nobis his de rebus præcepta mandes; sed a nobis potius hæc ediscas: tibi Deus imperium tradidit, nobis ecclesiastica concredidit: metue ne si ad te ecclesiastica pertrahas, magni criminis reus fias.*

146. **Regium Placitum, sive Exequatur** (hispanice, *Pase Régio),* quod Gubernium sibi arrogat.

1.º *Regium Placitum*, sive *Exequatar*, est facultas Bullis, Brevibus, aliisque Rescriptis Pontificiis a supremo status Rectore collata ad eorumdem observantiam. In regno Aragoniæ ab an. 1423 originem habet, juxta Villanueva in suo *Itinere litterario*, imperante Alphonso V; in Castella autem ab anno 1762, Carolo III Rege, prout liquet ex lege 9, titulo 3, lib. 2, *Noviss. Recopil.*

II. Hujus ergo legis vigore nulla Bulla Pontificia, nullum Breve, nullum Rescriptum in hispanica ditione, neque a Nuntio, neque ab Inquisitoribus, neque a Cœtibus, neque ab Episcopis publicari permittitur, quin *Regium Placitum, sive Exequatur* obtentum sit, Regio nempe examine, licentiaque præcedente, ut executioni mandentur, exceptis tantummodo quæ pro foro interno a S. Pœnitentiaria obtinentur, necnon Rescriptis indulgentias continentibus, quæ Ordinario, seu Commissario Generali S. Cruciatæ ad suam authenticitatem cognoscendam ostendere satis erit.

III. Unde Ecclesiam, veritatis utique Magistram, cui a D. N. J. C. docendi omnes gentes potestas facta est, quæque nonnisi quæ recta, nonnisi quæ sancta sunt, populis tradit, in suo ministerio a potestate temporali emendari, seu corrigi non posse, sua sponte fluit; quod, quam alienum sit a recto sentiendi tramite, tristiaque consectaria exinde sequenda, nemo non videt. Exoriantur, si placet, mala gravissima in aliqua natione; mores, fidem, Religionem ipsam viri nequam evertere conentur ab imis; Romanus Pontifex, uti Christi Vicarius, salutaribus monitis ulcus mederetur absdubio, ejus autem verba illius territorii incolis tantummodo innotescent, supremo Rectore, *Regio Placito* innixus, id non ægre ferente. Quapropter Ecclesia illud semper tædio aspexit, nec unquam sanctione donavit, ac nuperrime Allocutione 12 mart. an. 1877 Pius IX aperte improbavit, dicens: «Nos novissime declarare coacti fuimus, tolerari posse, ut acta canonicæ institutionis eorumdem Episcoporum (qui Ecclesiis Italiæ præsunt) laicæ potestati exhibeantur, ad occurrendum quantum in Nobis est, funestissimis rerum adjunctis, in quibus non amplius agebatur de temporalium bonorum possessione, sed ipsæ fidelium conscientiæ, earum pax, animarum procuratio et salus, quæ suprema Nobis lex est, in apertum discrimen vocabantur.

»Verum in hoc quod egimus ad gravissima pericula removenda, palam, ac iterum agnosci volumus, Nos injustam eam legem, quæ *Regium Placitum* vocatur, omnino improbare, ac detestari, aperte declarantes per ipsam lædi divinam Ecclesiæ auctoritatem, ejusque libertatem violari.»

Et idem dici debet de appellationibus ab abusu; nam in *Syllabo* hanc sub n. 41 Pius IX damnavit prop.: «Civili potestati, vel ab infideli impe-

rante exercitæ, competit potestas indirecta negativa in sacra; eidem proinde competit, nedum jus, quod vocant *Exequatur*, sed etiam jus *Appellationis*, quam nuncupant ab *abusu*.» Quibus præmissis:

Q. Quid faciendum circa *Regium Placitum*, seu *Exequatur*, quod gubernium sibi arrogat super Bullis, Brevibus, Rescriptis Pontificiis?

R. S. Pœnitentiaria, 10 dec. 1860, respondit: *Non esse inquietandas privatas personas, quæ ut se servent indemnes, ad gubernium pro Regio Placito, seu Exequatur recurrunt; verum Ordinarii hac in re, quantum poterunt, passive se habeant, et, si a Gubernio super hujusmodi petitionibus interrogati fuerint, juxta leges justitiæ, et ad formam sanctorum canonum sententiam suam patefaciant.*

147. Q. *An Ordinarii, parochi, beneficiarii, cæterique bonorum ecclesiasticorum administratores, si gravibus sub pœnis expostulentur, redditaum respectivorum inventarium gubernio tradere possint?*

R. S. Pœnitentiaria eadem die respondit: *Permitti, emissa tamen in scriptis protestatione in singulis actibus a respectivis administratoribus super necessitate traditionis ad vitanda majora mala, et pro tuitione jurium Ecclesiæ.* Mens autem est SS. Domini, ut Ordinarii ante, vel post traditionem, si fieri possit, super præmissis collectivam faciant protestationem, reverenter quidem, sed cum evangelica libertate. (*Varceno, pag.* 430).

148. Q. *Quinam potestatem habent leges ferendi?*

R. Principes, quibus legum ferendarum potestas inhæret, sunt, qui pacifice suprema gaudent auctoritate, vel perfectæ communitati præsunt, ut Imperator pro suo imperio, Rex pro suo regno, Respublica pro suis subditis, et civitas ab aliena jurisdictione exempta pro suo territorio. In guberniis mixtis potestas legislativa ad solum Regem non pertinet, sed etiam ad legatos, tum a Rege, tum a populo, electos. Non vero legislare possunt duces militum, nec præfecti provinciarum; quia proprio nomine agere nequeunt. (*Gury, Scavini, n.* 183).

149. **Tyrannus, et usurpator.** I. Qui justo titulo regnum possidet, sed illud administrans, injustitias, et inhumanitates committit, tyrannus *regimine* dicitur.—Tunc ipsi sub gravi obtemperandum est, si præcipiat quæ sine peccato præstari queunt, clamante D. Petro: *Subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis... sed etiam dyscolis.* (I Pet. II). Secus vero si res immorales præciperet, martyres tunc imitari teneremur.

II. Qui vero per vim regnum invadit, et potestatem usurpat, tyrannus *titulo* dici solet. In ipso invasionis actu non solum non est illi obtemperandum, sed etiam positive resistendum, si fieri potest, uti per se patet; quia fur est, et latro.

III. Si vero pacifice statum jam tenet, tunc distinguendum est: vel agitur de legibus ad tranquillitatem, et prosperitatem regni conducentibus, vel de legibus contra Deum, ejusque Ecclesiam, vel contra legitimum Principem, et bonum populi directis.—Si 1.m, subditi ad leges tenentur, ratione boni communis, neque ideo aliquid legitimo Principi detrahitur, quia bonum populi et ipse desiderare tenetur; nulla societas sine legibus diu subsistere potest.—Si 2.m, non licet obedire; quia prius obediendum est Deo, quam hominibus.

150 *An liceat fidelitatis juramentum emittere erga illegitimum gubernium, et* Te Deum *canere pro ejusdem possessione, vel victoria?*

R. I. Non licet juramentum absolutum emittere, quod injuriam, et infidelitatem erga Deum, Ecclesiam, aut legitimum Principem implicet, ut per se patet. Quare Pius VII anno 1809 declaravit illicitum, ac irritum juramentum sic præstitum. Permisit vero, ut fieret hac formula: *Ego promitto, ac juro, me nullam partem sumpturum in quacumque conspiratione adversus actuale gubernium, sicut etiam me submissum, et obedientem fore ipsi in omnibus, quæ nullo modo contraria sint legi Dei, et Ecclesiæ.*

II. Prohibet Episcopis, cæterisque pastoribus ecclesiasticis, accedere ad hymnum Ambrosianum canendum.

III. Etiam vetat sub excommunicationis pœna acceptare, ac exercere officia, ex quibus proveniret usurpationis recognitio; secus vero si id non eveniat; tamen semper cum intentione ab Ordinario dispensationem obtinendi, acceptandum est tale officium.

Et juxta responsiones S. Pœnitentiariæ dec. 1860, in nova Status Pontificii invasione, non licet: 1.° Hymnum *Te Deum* canere occasione proclaimationis intrusi gubernii, vel in alio simili eventu.—2.° Recitare in Missa alisque sacris functionibus collectam pro Rege, si edicatur a gubernio, intruso.—3.° Cooperari religiosis functionibus præscriptis a legibus civilibus in anniversario Statuti.—4.° A clero invitari Auctoritates gubernii ad ecclesiasticas functiones, et passive se habere debent clerici, si forte illæ interveniant.—Secus permisit quoad magistratus municipales, modo tamen non egerint actus reprobatos per Litteras Apostolicas 26 Mart. 1860.—Item licet dare suffragia ad componenda Consilia municipalia, et electis officiis fungi, modo non adigantur ad ea, quæ officiunt legibus divinis, et ecclesiasticis, et se abstineant ab emittendo juramento juxta formam ab ipso gubernio invasore propositam.—Quoad juramentum, S. Pœnitentiaria eligit formam a Pio VII approbatam.—Licet etiam retinere, et suscipere officia ab intruso gubernio, modo non agatur de officiis, quæ directe, et proxime influunt in spolium, vel in ejusdem spolii conservationem, et exerceri possint absque periculo, et læsione legum divinarum, et ecclesiasticarum, et cum Episcopi consilio. *(Scavini, l. 4, n. 237).*

Etsi Ecclesiastici ob personalem immunitatem, qua ex jure canonico gaudent, præsertim a Lateranensi IV, juramentum fidelitatis emittere nequeant, vel etiam erga legitimum Principem; nam qui illud præstat de jurisdictione fit illius, cui jurat; tamen ex legitima consuetudine, vel Principum privilegio id sæpe permittitur, maxime quoad Episcopos, qui antequam ecclesiarum suarum gubernacula suscipiant, juramentum fidelitatis coram Rege emittunt, ut habetur receptum, ac permissum in Austria, Gallia, Hispania, et Sardinia; neque ideo illi habentur uti gubernii functionarii, ab eo dependentes, ac obstricti. *(Scavini, l. 4, n. 242).*

151. **Corpus legum civilium.** Olim jus civile in jure Romano continebatur, quod vim fere ubique ad usque nostra tempora habuit. Nunc vero singula gubernia, Pontificio excepto, proprium habent jus civile modernum. Pauca de singulis.

I. *Jus Romanum* est *complexus legum, quas Justinianus Imperator, sæculo VI, opera præsertim Triboniani jurisconsulti celeberrimi in unum collegit, et edidit.* Constat duobus voluminibus.—Primus continet *Institutiones*, seu *Elementa* Juris universi in quatuor libros distributa, et sic

citantur : *Inst. de mand.*, § *I*, *mandantis* ; id est ; *Institutiones sub titulo de mandato* , § *primo* incipiente, *Mandantis.*—Secundus continet leges collectas ex veterum jurisconsultorum scriptis. Hæc collectio *Digestum* appellatur, quia auctor in ordine *digessit* universa, quæ pertinent ad jus civile. A *græcis* nuncupatur *Pandectæ* , quasi omnia complectens, quæ Jurisprudentiam spectant.—Pandectæ sic citantur : *L. VII*, § 4, *sed cum de pactis;* id est : *Lege septima* , § *quarto*, incipiente *Sed cum*, in Digestis, seu Pandectis, sub titulo *de pactis.*

Secundus tomus decisionum collectionem continet, quas postea edidit ipse Imperator sub *Codicis* nomine. Codici accedunt Constitutiones recentiores, quas vocant *Authenticas*, et *Novellas*, quasi de novo editas.—Codex sic citatur: *L. creditor , c. d. usuris*, id est; *Lege , quæ incipit Creditor in Codice, titulo de usuris.*—Authenticæ sic: *Nov. XXII, c.* 1, id est; *Novella vigesima secunda*, *capite primo.*

Codici adjuncti sunt libri feudorum, qui jura militaria vocabantur. Sic citantur: *Lib. I, f.*, *tit. VII*, *c. unic.*, id est: *Libro primo feudorum , titulo septimo*, *capite unico.*

II. *Jus civile* modernum, quod unicuique nationi proprium est, in codices pœnales, processus militares, maritimos, commerciales, etc., communiter distribuitur.

152. Q. *An deceat moralistam scientia juris civilis pollere ?*

R. Leges civiles a canonico jure non reprobatæ, nec correctæ, videntur eo ipso tacite approbari. Hinc Benedict. XIV, cum communi, docet judicem ecclesiasticum in quæstionibus, in quibus in jure canonico nihil reperitur decisum, debere se conformare juri civili (v. g. in adoptione). —Revera licet hæc duo jura sint ex natura sua valde diversa ratione objectorum, cum civile respiciat res hominum temporales, et ecclesiasticum res sacras, et religiosas, amice tamen in usibus humanæ vitæ consociantur, et adjuvantur, veluti duo ejusdem luminis radii. Hæc scientia maxime confessarios, et parochos urget ad fidelium directionem in testamentis conficiendis, contractibus ineundis, restitutionibus imponendis, etc.

CAPUT XII.

De lege consuetudinaria.

153. I. **Consuetudo**, prout vim legis habet, definitur: *Jus quoddam actibus uniformibus , diuturnis , ac liberis inductum.*

II. Triplex est consuetudo : 1.ª Secundum legem, *quæ est legis existentis interpretatio , vel executio.*—2.ª Præter legem , *quæ nec a lege præcipitur , nec legi adversatur , sed novum jus inducit.*—3.ª Contra legem, *quæ legi adversatur , et eam abrogat;* talis est consuetudo, quæ fere ubique viget non ponendi tertium cereum accensum ante consecrationem in Missa.

III. Consuetudo alia est *universalis*, alia *particularis* , prout in toto regno, vel Ecclesia viget, aut in aliqua provincia, vel diœcesi tantum.

IV. Consuetudo triplicem producit effectum.—1.° Legem dubiam interpretatur.—2.° Legem novam inducit.—3.° Veterem abrogat per desuetudinem. Constat tum ex utroque jure, tum ex ratione; nam, consuetudine semel inducta, lex non amplius confert ad bonum commune; tum ex communi thelogorum, et legisperitorum sententia. Hinc axioma: *Consuetudo optima legum interpres est.*

154. Q. *Quot conditiones requiruntur, ut consuetudo vim legis habeat, vel legem abroget?*

R. Requiritur I. Ut sit *rationalis, honesta*, et *bono communi utilis;* alias esset corruptela, fomes, et occasio mali, animarum pernicies; at non quidem in eo sensu quod non sit peccaminosa, sed eo sensu quod non sit contra legem naturalem; quia hæc respicit honestatem, contra quam non datur præscriptio; nec contra divinam, quam voluit Christus perduraturam ad mundi finem independenter a populo. Ratio enim, et veritas consuetudinem semper excludunt. (Decret. dist. VIII, c. 4; *S. Thom.* 1. 2. *q.* 97, *a.* 3). Unde consuetudo contra legem humanam tantum datur, vel de re quæ possit per legem humanam imperari, modo non sit bono communi perniciosa; vel si consuetudine rumpatur nervus disciplinæ ecclesiasticæ, ut esset usus non curandi ecclesiasticas censuras. *(Del-Vecchio, n.* 246).

—Probabilius non requiritur bona fides in consuetudine; initio qui eam introducunt contra legem, omnes peccant; quippe adhuc obtinet lex: in progressu non peccant, qui ea jam a majoribus inducta utuntur bona fide, sed adhuc possunt a Principe puniri; quia nondum est ea legitimata. In fine neque peccant, neque amplius puniri possunt, cum jam sit vera lex. *(Salmant.* 106, *Scavini.)*

II. Ut sit a majori communitatis parte introducta; uti monialium in suo conventu, ait *Reinffenstuel;* ab omnibus moraliter factum censetur, quod fit a parte majori; v. gr. a clero, magistratibus, vel a parte majori numerica habili ad condendam legem. Hic non attenditur ad privatorum, vel privatæ familiæ cupiditates; secus novæ leges continuo darentur. *(Suarez, Del-Vecchio).*

III. Ut actus, quibus ea inducitur, non sint per vim, aut ignorantiam positi, sed *liberi*, et cum intentione sese obligandi, vel saltem consuetudinem introducendi, alioquin deficeret ejus causa efficiens, quæ est populi consensus, accedente superioris approbatione.—Hinc si populus jejunium observasset, falso putans se aliqua lege ad id teneri, vel ex devotione tantum, uti mos est salutationem angelicam recitandi, aquam benedictam in ingressu Ecclesiæ sumendi etc., nulla evaderet consuetudo.

—Intentio se obligandi cognoscitur ex circumstantiis, nempe, si consuetudo a longo tempore constanter observetur; si cum incommodo etiam satis gravi tutetur; si tandem ita sentiant communiter pii homines. Ita *Scavini, Gury, S. Lig.*, *n.* 107. — Hac ratione communius dicitur, consuetudinem regularium, et monialium divinum officium recitandi sub gravi tenendam esse.

In dubio autem an consuetudo sit obligatoria necne, sub gravi, vel sub levi, ad culpam, an ad pœnam tantum, benignior pars est tenenda; nam quisque censetur ad minus, quod potest, se obligare. (*Scavini, n.* 246). Et etiam potest vi consuetudinis lex abrogari per partes, ut patet.

—Deinde actus esse debent *frequentes, continui, uniformes,* et *notorii*, ut rite colligatur communitatis consensus; nam consuetudo cum vim legis habeat, non minus quam lex esse debet voluntaria, et promulgata. Si enim interrumpuntur a majori communitatis parte, vel interim Princeps reclamat, aut introductores punit, consuetudo illa minime præscribet.—Nomine autem *actuum* hic intelliguntur etiam omissiones contingentes eo tempore, quo lex suam urgeret obligationem. Hoc modo cessavit obligatio audiendi Missam parochialem in die festo. (*Scavini*, *ibidem*).

IV. Ut adsit legislatoris consensus, *personalis*, vel *legalis*, id est, ut ipsam personaliter approbet, vel leges det, aut recipiat consuetudinem approbantes, saltem *tacite*, seu ut non contradicat, cum facile contradicere possit; quia lex a superiore prodit; ideoque si interim reclamat, vel punit consuetudinem introducentes, consuetudo illa minime præscribit, secus si eam tolerat.

V. Tandem ut sit legitime præscripta, id est, continuata toto tempore ad præscribendum requisito.—Si consuetudo via conniventiæ introducitur, quod evenit, quando legislator scit legem non recipi, et dissimulat, vel ejus observantiam non urget, cum facile possit, recte docet Benedict. XIV *nullum temporis spatium esse necessarium... Tunc quippe post paucos actus a superiore toleratos, præsumitur, quod idem per hanc ipsam conniventiam suam legem tacite revocet, nolitque eam obstringere communitatem, cui displicet.* (De Syn. Diœc., l. XIII, c. 5).

—Si vero consuetudo ordinaria præscriptionis via introducitur, requiritur longum tempus, quod a jure per decennium habetur, tam pro lege civili, quam pro ecclesiastica, ut affirmant plurimi cum *Lugo*, *Lessio*, *Ferraris*, *Scavini.* Et revera in jure nulla fit legis distinctio. Ita *S. Lig. n.* 107, *Hom. Ap.., n.* 11, *contra Billuart, aliosque*, qui 40 annos requirunt quoad legem ecclesiasticam.

—Respondet *Lessius* ad textus juris, qui ab his citari solent, dicens: Eos non loqui de legibus, sed de juribus, et bonis immobilibus Ecclesiæ præscribendis.—Quando vero lex numquam fuerit recepta, certe sufficit decennium pro utraque lege. (*Busem., n.* 3, *S. Lig., l.* 1, *n.* 139).

155. Q. *An per consuetudinem legitime derogari possit decretis Concilii Tridentini quoad humanum jus?*

R. Omnes consuetudines, quæ ad alterandam constitutionem Ecclesiæ, quæ vera est monarchia, vel ejusdem ordinem, uti sunt quæ emanare faciunt Pontificiarum Constitutionum executionem a *Regio Placet*, utpote ejus libero jurisdictionis exercitio contrariæ, præscribere nequeunt. (*Gousset*). Sunt enim contra divinam ordinationem.

Legantur nunc Acta S. Sedis l. IV, pag. 26. Non multo post Tridentinum apud canonistas incœpit invalescere dictio: *Contra Tridentinum nulla admittitur consuetudo.* Hæc dictio, quæ nec grave habuit ab initio fundamentum, admissa merito fuit a S. Cong. Conc. Nihilominus hæc dictio, ait *Del-Vecchio, n.* 378 contra *Bouix, et commune,* decursu sæculorum pedetentim amisit suam veritatem; et reapse modo videmus multas invaluisse consuetudines contra Tridentinum, quæ irrationabiles præsertim pro locorum adjunctis non reputantur.

Nemo autem mirabitur, cum agitur de legibus disciplinalibus, quæ natura sua rationales admittunt consuetudines; nam mutationi obnoxiæ sunt.

Nec refert, si forte præseferant clausulam: *exclusa quavis consuetudine contraria in futurum;* valor hujus clausulæ non alius esse potest, quam difficultatem ostendere, consuetudinem novæ legi contrariam introducendi, ac vigilantiam particularem ab auctoritate applicandam, ne consuetudo adversa invalescat. Solemnia autem habemus exempla in ipsis decretalibus quoad hanc mutationem per consuetudinem inductam. *De Angelis, l.* 1. *tit.* 4, *n.* 12.

156. Q. *Quid de consuetudine dubia?*

R. 1.° In dubio de ejus existentia generatim obligat lex; quia est in possessione. — 2.° Si tamen certo constet ejus existentia, sed dubitetur tantum de valore facti, an scilicet habeat requisitas conditiones, tunc suffragium doctorum, vel unius moderni eximii asserentis omnia adesse pro consuetudine requisita, illi credendum est, usque dum oppositum clare probetur. — 3.° Si vero dubitetur de consuetudinis honestate, vel an sit rationalis, ait Reiffenstuel: *In dubio favor consuetudinis velut in possessione existentis, erit firmandus. (Del-Vecc., n.*377, *S. Lig., l.* 3, *n.* 290).

157. Q. *An consuetudo per subsequentem legem abrogari possit?*

R. Affirma; quippe ab ipsa legislatoris auctoritate consuetudo vim habet obligandi; ergo eadem auctoritate abrogari potest. Ast commune est, non abrogari per legem contrariam generalem Ecclesiæ, vel regni consuetudines particulares provinciæ, nisi 1.° in lege illa fiat specialis ejusdem mentio;—2.° vel recte præsumatur princeps eam noscere, et abrogare voluisse;—3.° vel agatur de legibus ab Episcopis latis; quia præsumitur Episcopum omnium consuetudinum contrariarum habere notitiam (*Salmant., c.* VI, *n.* 88); — 4.° vel per clausulam generalem dicatur: *Non obstante quacumque consuetudine.*

Tamen hæc clausula non afficit 1.° subsequentes consuetudines, nisi eas nova lex prohibeat, vel reprobet; — 2.° neque consuetudinem immemorialem, nisi ea exprimatur in lege; nam illa majorem habet vim.— Ratio omnium est, quia aliter præsumitur legislatorem universalem ignorare peculiares consuetudines, minime vero generales, et ideo voluisse has abrogare, at non illas. (*Scavini, n.* 247).

158. Q. *An expediat inductas consuetudines evellere?*

R. 1.° Si laudabiles sint, quam maxime fovendæ. *Si tamen aliquorum infirmitas, non ita impedit, ut amplius detrimentum sint*, ait D. August. (Ep. 55 ad Januar. c. XIX). — 2.° In dubio an foveant, vel non pietatem, præsumendæ sunt rationales, uti dicunt *Reiffenstuel*, *Varceno, pag.* 75, *aliique.*—3.° Si vero sint corruptelæ, id est, contra fidem, et bonos mores, necesse est eas evellere; nulla siquidem hac de re dari potest præscriptio.—4.° Si autem fuerint tantum minus utiles, vel contra humanam legem, expedit etiam eas evellere, habita ratione loci, temporis, et personarum; ut enim observat D. Augustinus. *Ipsa mutatio consuetudinis, etiam quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat.* (Ep. 2, ad Jan., c. V.)

Circa hoc audiatur Benedictus XIV, qui, Constitutione *Paternæ charitatis*, quoad mercatus dierum festorum, ait: *Quia malum universale est, ac alte radices egit, opus est prudentia et maturitate, ne fructu careat medela, ac vulnus exasperet. Quod possumus exigendum est, non quod optamus... Non aspere quantum existimo,* ait S. August., Ep. XXII ad Aurel. Carthag. Episcopum, agens de auferenda conviviorum licentia, *non duriter, non modo imperioso ista tolluntur; magis docendo, quam ju-*

bendo; magis monendo, quam minando; sic enim agendum est cum multitudine; severitas autem exercenda est in peccata paucorum. Et si quid minamur, cum dolore fiat, de Scripturis comminando vindictam futurorum, ne nos ipsi in nostra potestate, sed Deus in nostro sermone timeatur.

CAPUT XIII.

De lege favorabili, seu de privilegio.

159. **Privilegium** est *lex privata, speciale aliquod alicui concedens beneficium.* Est lex non respectu personæ privilegiatæ, cui gratia, non onus, confertur, sed respectu communitatis, cui imponitur obligatio non impediendi gratiæ usum *contra*, vel *præter* legem communem a superiore concessæ, vel a consuetudine legitime præscripta.—Privilegium differt a licentia; quia hæc conceditur tantum ad paucos actus, et singularibus personis, illud vero in publicum bonum tribuitur, cum inde plurimum alliciantur homines ad præclara intendenda.

Divisio. Privilegium dividitur 1.° In *reale*, et *personale*.—2.° In *gratiosum*, et *remuneratorium*.—3.° In *favorabile*, et *odiosum*.

I. *Reale* est *quod immediate conceditur alicui rei, loco, dignitati, muneri, statui:* hoc privilegium ad hæredes, vel successores transit, cum rei inhæreat; sed illo uti nemo potest extra territorium concedentis.—*Personale* vero est *quod immediate conceditur personæ,* ratione sui ipsius, v. gr. ob scientiam, laborem, etc. Hoc extinguitur cum persona; et qui illud habent, eodem frui possunt quocumque pergant; quia personam afficit, modo non sit contra jus alterius: sic facultatem habens legendi libros prohibitos, legere non potest librum per statutum Episcopi illius loci prohibitum.

—Tamen ex consuetudine generali potest peregrinus privilegiis locorum gaudere, etsi privilegia sint contra legem communem. Sic galli per Hispaniam transeuntes, carnibus die sabbati vesci possunt; hispani in Gallia existentes ab obligatione Missam audiendi in festo Epiphaniæ Domini, et nonnullis aliis diebus, eximuntur. (*Varceno, Gury*, *n.* 142).

—Censetur *personale*, si nomen personæ exprimatur, v. gr. *Petro Episcopo Vicensi.* — *Reale* vero, si exprimatur tantum dignitas, v. gr. *Episcopo Vicensi.* In dubio, si odiosum, uti personale habetur; secus uti reale; quia *odia sunt restringenda, favores ampliandi.* (*Scavini*, *n.* 244).

II. *Gratiosum* est *quod gratis datur:* hoc sine causa revocare licet. —*Remuneratorium* est, *quod ratione meritorum sui ipsius*, vel *alterius alicui confertur:* hoc revocari nequit sine justa, et gravi causa, et ablati privilegii compensatione; nam erat quasi merces laboris.

III. *Favorabile* est, *quod privilegiato confert commodum*, *et nemini incommodum;* uti privilegium vescendi carnibus in Quadragesima, et est latæ interpretationis; quia *favores ampliandi.* — *Odiosum* vero est *quod uni confert commodum, et alteri incommodum*: talis est exemptio a tributis, quæ alios gravat; et est strictæ interpretationis; quia *odia sunt restringenda.*

IV. *Privilegium contra jus est,* si juri communi derogat, quod tantum concedi potest ab eo, qui a lege valide dispensare queat, et quidem solis subditis; etenim quoddam dispensationis genus est. — *Privilegium præter jus est,* si ejus actus a jure non attendatur, et potest concedi etiam non subditis; est enim quasi donatio, et non actus jurisdictionis. Sic Princeps potest concedere extraneo venandi facultatem in suo territorio.

V. Est *privilegium motu proprio datum,* et ita censetur, si illam clausulam proferat. Secus censetur datum *ad instantiam.* — Et *privilegium ad instar,* si quæ uni sunt concessa, alteri communicentur accessorie; atque *pari formiter,* si quæ uni data sunt, alteri communicentur æque principaliter. Illud extinguitur, minuitur, augetur, prout extinguitur, minuitur, vel augetur privilegium principale; non item istud, quod ab alio non dependet.

Q. *An privilegiatus teneatur privilegio uti?*

R. Per se loquendo non tenetur; est enim gratia, et non onus. Excipe tamen: — 1.° Cum privilegium datur ad aliquid alias præceptum, v. gr. ad Missam tempore interdicti audiendam, juxta plures AA.—2.° Ratione charitatis; sic peccaret confessarius facultatem habens absolvendi a reservatis, qui peccatorem in gravi necessitate positum audire nollet. —3.° Ratione boni communis, uti in privilegio *Canonis,* aut *Fori,* quippe non tam personæ, quam statui, seu conditioni conceditur. *(Gury, S. Lig., in App. de privil., n.* 3, *Ballerini, Varceno, pag.* 76). Idem dic de renuntiatione legis in sui favorem latæ. *(Scavini).*

Q. *Quomodo est interpretandum privilegium?*

R. Ut non sit inutile, vel onerosum privilegiato, cum sit gratia; quod si prohibeatur interpretatio, id intelligitur de sola juridica, et authentica, seu ex professo, quæ soli Principi, vel delegato reservatur; non vero de doctrinali, quæ fieri potest a quolibet viro docto. Privilegium autem large accipiendum est, maxime si sit reale, vel in corpore juris insertum ob illius perpetuitatem, *(Ex cap.* VI, *olim de verb. signif., et ex lege ult.),* vel concessum alicui Ordini, Communitati, aut ad aliam piam causam, uti remuneratorium. Contra vero privilegia odiosa, cujusmodi sunt illa, quæ sunt derogatoria juris communis, aut statutorum, et consuetudinum particularium; aut in damnum aliorum, uti ad obtinenda plura beneficia; vacantia conferenda; aut contra regularem observantiam. *S. Lig., n.* 7.

160. Q. *Quot modis amittitur privilegium?*

R. I. *Lapsu temporis præscripti.*

II. *Per liberam renuntiationem privilegiati,* modo aliis, vel bono communi non noceat, et sit ea acceptata ab eo, qui illam acceptare possit; aut *per cessationem causæ finalis,* quando privilegium est concessum sub conditione dictæ causæ, aut non servata conditione, sub qua concessum fuit. Nam privilegium non durat ultra concedentis, aut recipientis intentionem. Secus valde probabiliter, si absolute sit concessum. *Salm., n.* 3 *et* 4, *S. Lig., n.* 14.

III. *Per non usum,* spatio ad præscribendum sufficienti, si *alios gravat;* secus nemo jus habet querelam de eo movendi; imo et *se obtulerit occasio illo utendi;* quippe tunc adest tacita illius renuntiatio; secus non amittitur; uti qui privilegium haberet aquam ducendi de fundo alieno, et sic caretur fons.

IV. *Per usum privilegio formaliter contrarium,* si *alios gravat;* quia est præsumpta renuntiatio. Sic qui habet privilegium non solvendi decimas, vel tributa, et ea tamen solvit scienter, et libere, privilegium amittit. *(Arg. cap. Cum accessissent,* 1 *de const.)* Secus si *alios non gravat,* uti privilegium non jejunandi in quadragesima; eo quia non est odiosum, et censetur jejunare ex devotione.

V. *Per abusum,* si fuerit sub conditione de non abusu, vel post sententiam judicis declaratoriam, si sit absolutum: privilegium sane amittere meretur, qui eo abutitur; nisi datum sit sub conditione non illud amittendi propter abusum. *(Scavini, n.* 245).

VI. *Per revocationem concedentis, aut successoris, vel superioris.* Ad revocationem autem ordinarie sufficit clausula generalis: *Non obstatibus privilegiis,* nisi sint justitiæ, sive onerosa, sive remuneratoria; vel calificata, uti Regularium privilegia, veluti remuneratoria; aut privilegia, quæ clausulam habent, quod non intelligantur derogata, nisi particularis mentio fiat; vel inserta in corpore juris; quippe tunc sunt veræ leges, et ut revocentur, specialis clausula requiritur: *Non obstantibus legibus,* etc., *S. Lig.* Si vero dicatur: *Ex certa nostra scientia, ex motu proprio, de plenitudine potestatis,* vel si certo constet de legislatoris mente; tunc revocatur quodlibet privilegium, exceptis onerosis, nempe concessis ob pretium acceptum, vel ob onus privilegiato impositum. *(Cap.* 1.° *de const. in* 6, *Salm., n.* 42 *et* 43).

Demum privilegium regulariter intelligitur tacite revocatum per novam legem, quando aliter effectum suum hæc non posset sortiri; quia dici nequit conditam esse legem inutilem; aut concedi privilegium elusorium. Intellige, quando privilegia antea concessa nota sunt Principi, ut præsumitur de privilegiis insertis in corpore juris. Secus de aliis, unde horum specialis mentio est facienda. *(Suar., S. Lig. n.* 2 *et* 17. *Scavini, ibid.)*

161. Q. *An privilegium expiret morte concedentis?*

R. Distinguendum est *Rescriptum gratiæ,* ut esset dispensandi, absolvendi, etc., a *Rescripto Justitiæ,* ut appellandi, jurisdictionem exercendi. 1.^m^ dicitur etiam *Gratia facta,* et est quando delegatus habetur tanquam merus executor necessarius. 2.^m^ vero *Gratia facienda,* quando conceditur facultas dispensandi, et arbitrio delegati relinquitur. His positis:

Rescriptum justitiæ, et gratiæ faciendæ expirat morte Principis, si res adhuc sit integra; secus dicendum de Rescripto gratiæ factæ, si sit absolute concessum, cum sit gratia facta in favorem privilegiati, non autem simplex delegatio ad gratiam faciendam, et concessam gratiam decet esse mansuram. Hinc, qui obtinuerit indulta absolvendi a reservatis, dispensandi a casibus, benedicendi coronas, habendi oratorium, celebrandi ante auroram, recipiendi Ordines sacros extra tempora, etc., hisce facultatibus uti potest, etiam post mortem concedentis. *(Scavini, n.* 243, *S. Lig. n.* 13).

—Secus vero si concessio a superiore facta fuerit sub clausula, *quamdiu vixero. S. Lig. ibid.*—Si autem sit sub clausula, *donec voluero,* alii dicunt expirare morte concedentis; quia voluntas morte finitur. Alii probabiliter cum *Salm., n.* 149, *S. Lig., n.* 13, negant; nam privilegium utpote favorabile, ut extinguatur, debet concurrere actus positivus. In regno Pedemontano, ait *Alasia,* usu, et praxi receptum est, omnia offi-

cia, et gratias, quæ alicui conceduntur a principe, *durante ipsius beneplacito*, per illius obitum non extingui. Et idem de Hispania dicendum venit.

CAPUT XIV.

De lege pœnali.

162. **Lex pœnalis** ea est, *quæ obligat ad actum, vel ad omissionem sub pœna temporali.* Duplex est: *pure pœnalis*, et *mixta. Pure pœnalis* est, quæ *nullum dat præceptum, sed tantum transgressoribus pœnam imponit;* v. gr. qui hoc fecerit, solvat pœnam.

Q. *An dentur leges pure pœnales?*

R. 1.° Nequit dari lex pure pœnalis, ita ut nullo modo conscientiam obliget: secus non esset vera lex, sed consilium. Ita *omnes cum Gury, Scavini, n.* 204.—2.° Potest tantum dari lex civilis mere pœnalis, modo exposito, quæ in conscientia tantum obliget ad pœnam acceptandam; nam obligatio legis a voluntate legislatoris pendet. *(Gury, Scavini, S. Lig., n.* 145, *cum communi).* Tales communiter habentur leges vetantes piscationem, venationem, arma gestare sine licentia, cæsiones lignorum, et herbarum, quæ sunt communitatis, etc. *(S. Lig., ibid.)*—3.° Tamen quoad leges Ecclesiæ, omnes pœnas a jure canonico inflictas, culpam plerumque gravem supponere videtur, uti in censuris evenit. *(Gury, n.* 134, *aliique).*—4.° Si vero agatur de statutis regularium, et in iis distincte exponatur, religionis mentem esse, vi præcepti obligare velle, tunc obligant graviter, vel leviter pro ratione verborum, et materiæ, uti videtur esse regula S. Francisci.—Secus non obligant ad culpam, sed ad pœnam acceptandam, ut habet regula Fratrum Prædicatorum, Societatis Jesu, aliarumque.—Tamen in praxi fere semper adest culpa, saltem levis, ratione negligentiæ, concupiscentiæ, scandali, etc. *(Scav., S. Lig., l.* IV, *n.* 10).

—Dignoscitur an lex sit pure pœnalis. 1.° Ex communi sapientum interpretatione, a quibus in moralibus res est metienda.—2.° Ex legislatoris expressis verbis, velut si dicat: *Qui hoc fecerit, solvat talem pœnam.—Nemo tale faciat, vel solvat...* Si secus loquatur, lex erit mixta; ut si pœna illa culpam theologicam supponat, v. gr. excommunicationis pœna. *(Suarez, Del-Vecchio, n.* 204).

163. **Lex mixta** ea est, *quæ simul est præceptiva, et pœnalis conditionate;* v. gr. *Nemo hoc faciat sub pœna, etc.*, nimirum obligat ad præceptum, et subeundam pœnam, si præceptum non adimpleatur. Indeque obligat sub culpa, et sub pœna, juxta veriorem, et probabiliorem sententiam; nam impositio pœnæ tunc obligationem ad culpam indicat, ac magis firmat; aliter a *pure pœnali* non differret. *(Varceno, Suar., Sanch., Scavini, S. Lig., n.* 147, *aliique).*

Q. *Quotuplicis generis sunt pœnæ?*

R. Multiplicis: 1.° Alia est *activa*, quæ dari nequit sine aliqua delinquentis actione, uti pecuniæ solutio.—Alia *privativa*, quæ consistit in privatione alicujus rei, velut suspensio.—Alia *positiva*, prout exilium, incarceratio...

II. Alia *latæ sententiæ*, quæ ipso facto incurritur; alia *ferendæ*, quam lex infligendam per judicem decernit.

III. Alia *inhabilitans*, quæ inhabilem facit ad aliquid obtinendum,

v. gr. beneficium; alia *conditionalis*, quæ aliqua privat re sub data conditione, v. gr. fructibus beneficii absque fidei professione.

IV. *Sententia judicis* alia est *condemnatoria*, per quam *reus ad certam pœnam a judice condemnatur;* alia *declaratoria*, per quam *judex declarat aliquem in illud crimen incidisse, propter quod pœna statuta ipso facto incurritur.*

164. Q. *An leges pœnales ad subeundam pœnam obligent ante judicis sententiam, saltem declaratoriam?*

R. I. Nega: 1.° si agatur de pœna *ferendæ sententiæ*, ut patet;—2.° si de pœna activa, et gravi; v. g. aliquid restituendi, aut patiendi; aut si quis positive privare se debeat jure jam acquisito, uti beneficio, etsi apponatur clausula: *Nulla declaratione secuta: ipso facto incurrenda;*—3.° si reus pœnam subire nequeat sine infamia; est enim nimis durum, et supra vires communes pœnam active in semetipsum exequi. *S. Lig., n.* 148, *et* 149, *cum communi.*

Cum enim lex pœnalis accipi debeat in mitiori sensu, verba illa: *nulla declaratione*, etc., explicari queunt; scilicet, nulla expectata declaratione pœnæ; sed non excluditur criminis declaratio, ut pœna reo applicari possit. Sic hæretici, licet ipso jure priventur bonis suis, tamen bona tradere non tenentur ante sententiam ex jure. *S. Lig., n.* 148.

II. Affirma: 1.° si agatur de pœna spirituali, ut excommunicatio, irregularitas, etc., ipso facto incurrenda; seu etiam latæ sententiæ conditionali; quia tunc lex jus non tribuit, nisi sub tali conditione. Hinc clericus, qui beneficium obtinuit sub conditione, ut infra annum ordinetur sacerdos, eo ipso ab illo privatur, si non ordinatur. (*Commissa de elect. in* 6).

2.° Si sit inhabilitans; nemo enim acquirere illud potest, ad quod nullum habet jus. Unde electio hæretici ad beneficium nulla est; quippe hæreticus jure ad illud inhabilis fit. Item non residentes fructus non lucrantur.

3.° Si pœna sit *privativa simpliciter,* modo reus subire eam possit sine infamia, sicut esset privatio vocis activæ, et passivæ; et modo alicubi non habeat aliter particularis consuetudo. Hinc absque ulla sententia conjuges incestuosi privantur jure petendi. *Ex c. Si quis de eo qui cognov.*

4.° Demum post judicis sententiam; nam tunc tenetur reus pœnam exequi; siquidem justo superioris præcepto est subjiciendus; modo nihil illiciti, vel inhumani contineat, uti contineret, si pugione, aut veneno, etc., in se mortem inferre illi ordinaretur; nemo enim potest seipsum directe interimere. Item si pœna sit nimis dura, ultra sententiam requiritur judicis præceptum, et ministrorum executio. *S. Lig., n.* 150.

Q. *Quid de pœna conventionali apposita in contractibus?*

R. Alii cum *Suar.* dicunt solvendam esse ante sententiam, si aperte petatur; quisque enim tenetur stare pactis.—Alii vero cum *Less., Sanch.* negant; quia nemo censetur sibi pœnam imponere nisi secundum juris dispositionem circa leges pœnarum. Hin concludes: *In dubiis melior est conditio possidentis.*—Sed non tenetur reus ad solvendam pecuniam, nisi petatur a parte; nec alius quidem ad leges, quæ fundantur in falsa præsumptione. Sic hæres non tenetur in foro interno, omisso inventario, ad omnia debita solvenda, si hæreditas revera non est sufficiens. (*Salmant., c.* 2, *n.* 72, *S. Lig., n.* 150, *cum communi).*

165. Q. *An ignorantia reum excuset a pœna lege statuta?*

R. Si excusat ab omni culpa, et ut *communiter* tradunt auctores

cum *Ballerini*, a culpa gravi, excusat etiam ab omni pœna, pro foro interno. Secus non excusat a pœna proportionata, nisi aliter a lege statuatur; sane nemo puniri debet, nisi in eo quod peccaverit. Idem si quis legem sciat, et ignorantia circa solam pœnam ordinariam versetur; ipsum porro lumen naturale dictat, omnem transgressionem esse puniendam. (*S. Lig. l.* 1, *n.* 169).

Excipe: 1.° Si illa pœna esset extraordinaria, et exorbitans, uti exilium, injustæ gabellæ, etc., aut excedens meritum criminis; quia tunc est citra omnem prævisionem.—2.° Si sit censura ecclesiastica, quam ignorantes non incurrunt. Item esset irregularitas, ait *Ballerini, S. Lig.* l. 6. *n,* 1074, *afferens.*—3.° Si superior ad incurrendam pœnam requirit *dolum, contumaciam, ausum,* aut *temeritatem,* uti in censuris ecclesiasticis sæpe evenit. Eo enim in casu non excusat ignorantia affectata, sed excusat crassa, et supina; nam prima scientiæ æquiparatur, non vero aliæ. (*Laym., Scavini, Del-Vecchio, S. Lig., l.* 1, *n.* 169). (V. n. 222 et 455).

CAPUT XV.

De lege irritante.

166. **Lex irritans** est *abolitio actus, qui alioquin esset validus.*

Differt: 1.° a *prohibente*; quia hæc actum tantum illicitum reddit.—2.° Ab *inhabilitante*, cum hæc directe personam afficiat.—3.° A *præcipiente irritationem;* nam hæc non privat ante judicis sententiam.

—Dignoscitur autem legem esse irritantem, tum ex usu, tum ex legislatoris verbis, ut si dicat: *Irritum declaro, nullius roboris esse decerno;* et tunc dicitur irritatio *explicita;* vel si lex formam substantialem alicujus actus præscribat, quæ si non servetur, actum invalidat, et dicitur irritatio *implicita.*

Q. *Quotuplex est irritatio?*

R. 1.° Alia est *pœnalis,* quæ in pœnam peccati fit; sic irritatur consecutio fructuum beneficii Horas omittentibus.—2.° Alia est *legalis,* qua actus aliquis irritatur ob bonum commune; sic irritatur matrimonium clandestinum ob fraudis periculum. — 3.° Alia *absolute*, et alia *conditionate* irritat actum, si nimirum deficiunt requisitæ conditiones. —4.° Alia *immediate,* ut in dicto clandestinatis impedimento: et alia *mediate,* ut in impedimento consanguinitatis, personas ipsas inhabiles reddente.—5.° Alia a *principio* actum invalidum statuit, et alia post *sententiam judicis.*

—Omnis legislator leges irritantes condere potest; quia hoc ad bonum commune requiritur; secus fraudes, et pericula societatis humanæ satis propulsare nequiret. Et sententiæ judicis irritantis standum est in iis omnibus, quæ intrinsece ex irritatione nascuntur; nam auctoritati præcipienti obtemperandum est. (*Suarez, Gury, n.* 135).

Lex irritans, saltem in foro externo, ante judicis sententiam effectum sortitur, nisi dicat, actum rescindi posse; vel aliter sit per legem statutum; vel per legitimam consuetudinem; vel agatur de damno communi; quia

lex irritans actum potius quam personam afficit; nec agitur præcise de obligatione conscientiæ, sed de bono communi. Hinc non valeret matrimonium cum consanguinea, etiam metu mortis initum, sine dispensatione; valeret autem clandestinum in regione ubi parochus, vel delegatus haberi nequiret, ratione boni communis. (*Gury, Croix, Varceno*).

167. Q. *An lex irritans obliget in conscientia ad vitandum actum?*

R. I. *Affirma*, si agatur de lege ecclesiastica; nam hæc directe bonum animarum rescipit, ut est lex matrimonii impedimenta statuens: idem dic de civili, si sit simul irritans, et prohibens.

II. *Nega*, si sit tantum irritans; quia tunc sufficienter obtineretur finis legis sola irritatione, ut evenit in pluribus contractibus civilibus absque solemnitatibus initis. (*Gury, Varceno, Del-Vecchio, n.* 210).

Sic in Hispania, «cuando en los contratos se comete dolo por no manifestarse, como corresponde, las cargas, vicios ó defectos no patentes de la cosa, mueble ó raíz, que es su objeto, puede la parte perjudicada intentar dentro de seis meses, desde que supiese el engaño, la accion llamada *redhibitoria*, para deshacer la convencion, y pedir la indemnizacion de los perjuicios: ó bien dentro de un año la accion llamada *quintiminoris*, para recobrar de la parte contraria tanta parte del precio ó estimacion, cuanto valiese menos la cosa por razon de la carga ó vicio ocultado.» (*Leyes* 63 *y* 65, *tit.* 5, *Part.* 5).

168. Q. *An ignorantia invincibilis effectum irritationis impediat?*

R. Quælibet causa, quæ excuset a culpa, irritationem pœnalem impedit; siquidem pœna proprie dicta culpam supponit. Hinc inculpabiliter Horarum recitationem omittens, fructus facit suos; adulterium reale committens cum credita libera, impedimentum criminis non contrahit. —Sed ignorantia legalem irritationem non impedit; quippe culpam non supponit, sed fundatur in præsumptione periculi, vel fraudis. Hinc qui matrimonium clandestine contrahit, etsi bona fide, invalide contrahit. (*Gury, Varceno, Scavini, Del-Vecchio, n.* 208). (V. T. II, n. 937).

CAPUT XVI.

De legis interpretatione.

169. I. **Interpretatio legis** est *genuina ejus explicatio juxta legislatoris mentem*. Hæc per se in omni lege locum habet. Sic negamus ensem domino, qui illo sit certo abusurus, licet jure naturæ res clamet ad dominum. (*Scavini*).

II. *Duplex est legis interpretatio*; nempe *simplex*, et per *epickejam*. — 1.ª est *terminorum legis, quæ obscuritatem patiuntur, pura expositio*. — 2.ª vero est *benigna, ac rationabilis declaratio, qua decernitur ob particulares circumstantias, legislatorem noluisse illum casum sub lege comprehendi, quamvis lata sit per generalia, et perspicua verba*. *Salm. n.* 41.

III. *Interpretatio simplex subdividitur* tum ratione *modi*, tum ratione

causæ.—Ratione modi : 1.° Alia est *declaratoria,* quæ *verba legis obscura declarat.*—2.° Alia est *ampliativa ,* quæ *legem ad similes casus extendit.*— 3.° Alia *restrictiva ,* quæ *legem ad designatos casus restringit,* quamvis generalis videatur.

Ratione vero causæ : Alia est *authentica ,* quæ *ab ipso legislatore,* aut *superiore illius ,* vel *successore fit ,* habetque vim legis, si debite promulgetur ; cum ab ipsa legis fonte procedat. — 2.° Alia *usualis,* et *petitur ex consuetudine,* quæ cum sit optima legum interpres , etiam obligat.—3.° Alia *doctrinalis ,* quæ *fit per Doctorum explicationem.* Hæc vim legis non habet , sed magnam probabilitatem, juxta numerum, et auctoritatem Doctorum ; et si universali muniatur horum suffragio , sine temeritate sperni non posset ; cum magna sit vis consensionis. *(Scavini.)*

—Hinc observamus Pium IV, Bulla *Benedictus Deus,* doctrinalem ac privatam Tridentini interpretationem ex professo factam, et typis mandatam prohibuisse, ut vitetur sensus perversio. *Barbosa, Pal., aliique communiter.*

170. Q. *An authentica interpretatio nova promulgatione indigeat?*

R. Vel agitur de pura, vel de mera, aut ampliativa legis interpretatione.

I. Pura legis declaratio, seu *comprehensiva,* est cum explicatur *sensus in lege,* ab *initio jam satis imbibitus;* ut si dubitetur, an vocabulo filii intelligatur etiam filius spurius, et legislator declarat intelligi. Tunc legis declaratio statim omnes obligat, qui illam noverint, cum talis declaratio non sit nova lex; nisi fiat hæc a successore, vel superiore; quia cum rite mentem legislatoris non cognoscat, recurrere debet ad argumenta, et interpretationes, quæ, cum novam quasi legem inducant, reddendo certum quod erat dubium, nova indiget promulgatione; alias declaratio nunquam authentica, sed tantum doctrinalis reputabitur. *Suar., Castrop., S. Lig. n.* 200.

II. *Mera,* vel *ampliativa* legis interpretatio est cum explicatur *sensus in lege non clare imbibitus,* ut si legislator declaret, sub nomine patris venire etiam avum; hæc novam requirit promulgationem; nam cum ipsa nova constituitur obligatio. (*Scavini, n.* 228, *S. Lig. n.* 200*)*.

171. **Regulæ interpretationis** sunt : I. Accipienda sunt verba legis juxta eorum propriam, et usitatam acceptationem, nisi inde sequatur quid absurdum, aut injustum ; cum enim lex debeat esse clara, præsumi debet legislator eo loqui sensu, quem verba in communi acceptione referunt. Unde illud : *Ubi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus.*

II. In dubio de vero sensu, attendendum est ad mentem legislatoris, seu ad finem intrinsecum legis, ad rationem legis, et ad circumstantias antecedentes, et consequentes.

III. Lex pœnalis, et odiosa in dubio est stricte interpretanda ; lex vero favorabilis ampliter ; juxta illud : *Favores sunt ampliandi ; odia restringenda.* Idem dicendum, quando lex duplicem sensum exhibet: sensus naturalis accipiendus est in pœnalibus, civilis vero in favorabilibus; et in dubio fit interpretatio pro valore actus. Sic nomine filii venit ex communi filius naturalis, et ex beneficio legis etiam filius adoptivus. *(Gury, S. Lig., n.* 200).

172. **Epickeja** idem sonat ac æquitas ; nam legislatores attendunt ad id, quod in pluribus accidit, cum actus humani infinitis modis variari possint : hinc ea uti licet in omni lege, tum positiva, tum naturali, juxta

Salmant., si actio possit ex circumstantiis malitia denudari, ut 1.° si *lex reddatur damnosa*, vel *nimis onerosa*, vel *peccaminosa ;* sic quamvis de lege naturali res clamet ad dominum, negari debet gladius domino, qui illo sit abusurus. Sic interpretatur lex naturalis ; nam tunc non cessat simpliciter finis legis, sed cessat *contrarie.*

2.° *Cum observatio legis cedat in damnum Reipublicæ*, vel *communitatis;* sic cives contra legem existentem arma sumere possunt adversus hostes civitatem invadentes.

3.° *Cum observatio legis legi superioris adversetur :* sic licitum est non audire Missam ad inserviendum ægroto graviter indigenti ; sic etiam de lege divina positiva *panes propositionis* laicis non dabantur, et tamen Summus Sacerdos recte judicavit se illos Davidi præ lassitudine deficienti dare posse.

4.° *Quando vero legis materia, et circumstantiæ fiunt bono communi inutiles ;* vel *quando cessat respectu totius communitatis causa adæquata propter quam lex fuit lata ;* tunc cessat per se ipsam lex; quia non censetur legislatorem velle amplius obligare. *Scavini, n.* 431, *S. Lig. n.* 201.

173. Q. *An lex extendi debeat de casu ad casum?*

R. *Nega;* siquidem non ratio legis, sed legislatoris voluntas, subditis rite intimata, vim legis habet. Excipitur ubi eadem, et adæquata simul currit ratio, adeo ut, si non extenderetur, legislator argui posset de imprudentia, vel de injustitia ; tunc valet illud juris : *Ubi eadem est ratio, ibi eadem currit legis dispositio.* Sic conciliat *S. Lig. n.* 200 duas oppositas sententias. Id evenit :

I. In *correlativis ;* jure enim sancitur, ut dispositum in uno correlativo, censeatur esse dispositum in alio. Sic lex, quæ eximit maritum ab obligatione debitum adulteræ reddendi, censetur eximire uxorem ab obligatione reddendi viro adultero.

II. In *æquiparatis ;* sic ova, et lacticinia æquiparantur ratione abstinentiæ ; electio, præsentatio, collatio, seu provisio ad beneficium æquiparantur in jure ; et quod lex decernit circa unum, idem decernere censetur de aliis.

III. In *connexis;* sic illis, quibus lex permittit testamentum condere, permittit etiam legata, codicilla, et notas testamentarias addere.

IV. In *contentis;* sic si lex decernat aliquid causa frequentioris usus, etiam casum minus frequentem continet. Unde Pius V permittens e monasterio egressum ob incendium, aut epidemiam, censetur id etiam concedere ob inundationem, et hostium invasionem. In iis conveniunt omnes, licet de lege pœnali, vel correctoria agatur.

Regulam juris 49 in 6. Odia restringi, favores convenit ampliari, dicunt *Suar., Bon.*, etc., procedere, quando dispositio legis extenditur ex interpretatione congruitatis, non vero quando extendi debet ex interpretatione necessitatis. Hæc est omnino requisita ad justitiam, et restitutionem; ideoque ampliari nequit: illa est voluntaria, et extendi potest. *S. Ligor., n.* 200, *Varceno, pag.* 82.

CAPUT XVII.

De dispensatione legis.

174. **Dispensatio legis** est ejusdem *relaxatio legitima auctoritate in casu particulari facta.*

Differt 1.º a legis irritatione, abrogatione, et cessatione; in his enim pro omnibus lex extinguitur; in dispensatione vero tantum relaxatur legis vinculum pro particulari persona.—2.º a privilegio; quia hoc est facultas permanens; dispensatio autem actus transiens.—3.º a licentia; nam in hac non relaxatur legis obligatio, sed ponitur conditio ab ea liberans.

Divisio. Multiplex est dispensatio.

1.º *Totalis,* vel *partialis,* prout a tota, vel a parte legis dispensatur. —2.º *Licita*, vel *illicita,* prout fit justa de causa, vel non.—3.º *Valida,* vel *invalida,* prout eximit, vel non a legis observantia.—4.º *Necessaria,* vel *libera,* prout in jure a superiore decernitur tribuenda, tali existente causa; vel ejus voluntati liberæ relinquitur.—5.º *Absoluta*, vel *conditionata,* prout simpliciter, vel adjecta conditione conceditur.– 6.º *Tacita,* vel *expressa,* prout ex aliquo deducitur, vel expressis verbis declaratur. —7.º *Subreptitia*, vel *obreptitia*, prout tacetur in petitione aliquid manifestandum, vel e contrario aliquid falsum asseritur.

176. Q. *Quinam a lege dispensandi potestatem habent?*

R. Duplex est dispensandi potestas: *ordinaria*, et ea est, *quæ alicui competit vi officii sui.—Delegata*, et ea est, *quæ competit inferiori ex concessione illius, qui primam habet.* Si hæc conceditur a jure, ordinariæ æquiparatur, utpote officio et dignitati adnexa: talis est Vicarii Generalis Episcopi, et Capitularis potestas circa plura.

Quilibet legislator, ejusque superior, vel utriusque successor potest auctoritate ordinaria dispensare cum suis subditis in lege propria, vel prædecessorum; quia *res per quas causas nascitur, per easdem dissolvitur.* Excipe si lex transeat in contractum. *S. Lig. n.* 190. Hinc:

I. Papa dispensare potest in omni jure ecclesiastico, imo in iis etiam Constitutionibus, quas Apostoli ediderunt, prout Ecclesiæ Præsules; ut sunt jejunia, festa... Non tamen in legibus, quas Apostoli a Christo ipso tamquam Auctore principali acceperunt promulgandas, ut sunt, in probabiliori sententia, leges quæ materiam, et formam respiciunt sacramentorum, circa oblationem Sacrificii, etc. (*S. Thom., Salm., S. Lig., l.* 1, *n.* 188, *Scavini*, *n.* 234).

—Papa, et Prælati possunt dispensare in lege divina, ex justa causa, in iis in quibus jus divinum a voluntate humana oritur; ut in votis, et juramentis, cum in his gerant vicem Dei. (*S. Thomas*, 2, 2, *q.* 88, *a* 12, *S. Lig., l.* 1, *n.* 189).

—Disputatur utrum Papa dispensare possit in aliquibus præceptis divinis. Affirmant aliqui cum causa, ex potestate a Deo delegata. Negant *plurimi* probabilius *cum Salmant.*, et *S. Thoma;* quia nullibi reperitur facta hæc concessio Papæ a Deo. (*S. Lig., ibidem*).

II. Episcopus potest dispensare vi officii sui in omnibus Statutis

Episcopalibus, sive intra, sive extra Synodum latis, independenter a Capitulo, et a clero, etsi Synodus ab Apostolica Sede fuerit approbata; nam hæc approbatio nihil novi juris tribuit, ut cum *Fagnano* docet Benedictus XIV, *de Syn. Diœc., l. XIII, c.* 5.

Item Capitulum cathedrale, sede vacante, cum succedat in locum Episcopi. Non tamen Vicarius Episcopi, sine speciali delegatione; quia id non habet de jure suo ordinario. *(S. Lig., ibid.)*

Imo Episcopus dispensare potest in sua diœcesi a legibus latis in Concilio provinciali, modo non agatur de illis, quarum dispensationem provinciale Concilium sibi specialiter reservavit. *(Benedic. XIV, ibid., Salmant., Sanch., Suarez, S. Lig., n.* 190). Pariter in legibus communibus quoad casus, qui sæpe accidunt, v. gr. in jejuniis, esu ciborum, observatione festorum, Officii recitatione, votis non reservatis; sed in casibus tantum particularibus. *(Salmant., n.* 37, *S. Lig., l.* 1, *n.* 190).

III. Parochi de jure ordinario, ratione consuetudinis, etiam præsente Episcopo, dispensare possunt cum suis subditis pro casibus particularibus, in jejuniis, et in operibus die festo prohibitis; *(Silv., Sanch., Gran.)*, saltem ubi non est facilis recursus ad Episcopum. *(Suar., Varceno, Gury, S. Lig., n.* 190, et *Homo apost., n.* 59). Et confessarii omnes ab excommunicatione non reservata absolvere possunt. (*Scavini*).

176. Q. *An superior possit in suo territorio legitime dispensare cum iis, qui non sunt sui subditi?*

R. *Communissimum* est advenas dispensari posse in legibus, votis, juramentis a superiore loci, in quo hic et nunc resident, cum per domicilium sint ejus subditi. Item vagi, aliter non haberent a quibus dispensarentur a communibus legibus, quibus ligantur. (*Croix, n.* 721, *Salm., n.* 55, *S. Lig., n.* 158, *Scavini, n.* 235).

Controvertitur quoad peregrinos. Sunt qui cum *Pontio, Tanner.* affirmant; prudenter enim præsumitur connivere eorum superiores, vel saltem ratione consuetudinis, vel quia per illum accessum fit vere subditus superioris loci.—Verum sententia communissima cum *Varceno, Scavini, Del-Vecchio, Suar., Salmant., S. Lig., l.* 1, *n.* 158, negat; nam peregrini non habentes animum quasi domicilium ibi contrahendi, non fiunt subditi superioris loci.—Conniventia, et consuetudo non habentur nisi pro absolutione peccatorum, et censurarum, quæ illis sunt adnexæ, nec sunt reservatæ. Ratio distinctionis est, quia absolutio peccatorum requirit præsentiam, non vero dispensatio, quæ absentibus tribui potest.

177. Q. *An legislator possit in sua lege secum dispensare?*

R. Cum S. Thoma dicimus, posse legislatorem secum dispensare; sed improprie, et interpretative, explicando, nempe, casus in quibus non tenetur vi legis naturalis se membris communitatis conformare; non directe, et proprie, quia neque suis legibus ligatur, nisi de votis, et juramentis agatur.—Secus dicendum de illo, qui facultatem universalem obtinuit dispensandi cum aliis, iste potest secum dispensare. (Ita cum *communi Salm., n.* 60, *S. Thom., Sanch., Scavini, p.* 167).

178. Q. *An inferior dispensare possit in lege sui superioris?*

R. *Nega*, nisi delegationem obtinuerit; quia dispensatio est actus jurisdictionis, quam inferior in foro superioris non habet. Nec opus est ut superior facultatem dispensandi sibi reservet, cum de natura rei jam sit reservata, ita ut inferior nihil possit in lege superioris, sine ejus licentia.

Excipe, si communi doctorum sensu, vel consuetudine id ipsi permittatur, uti de parochis diximus. Sic Episcopo communiter tribuitur potestas dispensandi in lege Pontificia.

I. Quoties non sit reservata dispensatio, vel in ipsa lege addatur, ut *in ea possit dispensari, vel donec dispensetur; eo ipso*, ait Suarez, *intelligitur dispensationem committi Episcopo; tum quia alias verba illa essent superflua; tum quia potestas dispensandi ample est interpretanda. (De lege, l. VI, c.* 15, *Salm., n.* 38, *S. Lig., n.* 190 *et* 191). — Præcipue si expresse in jure, vel legitima consuetudine potestas hæc contineatur.

II. Si urget dispensandi necessitas, aut magna saltem utilitas, nec facile recurri possit ad Papam, vel in mora adest periculum gravis damni, vel incommodi, sive infamiæ, sive scandali, etc.; quia hoc expedit ad commune bonum, et reservatio est ad bonum commune. Hinc Episcopus *jure ordinario* dispensare potest in legibus communibus Pontificiis, v. gr. in impedimentis matrimonii, irregularitatibus, votis reservatis, et similibus in dictis casibus, cum talis facultas ei competat vi proprii officii, ideoque bene eam delegare aliis potest. *(Salmant., S. Lig., ibid.) (V. n.* 233).

III. Idem dic in casibus frequenter occurrentibus, et particularibus, ut in jejuniis, observantia festorum, Horarum recitatione, etc., ut supra.

IV. Si dubium tum negativum, tum positivum sit, utrum casus dispensatione indigeat, seu an dispensatio sit necessaria, vel an possumus licite agere necne, quamvis subditus sua uti valeat libertate, quæ tunc possidet; tamen consultius erit superiorem adire; et tunc potest Episcopus, seu prælatus inferior declarare illum dispensatione non indigere, vel melius ad cautelam dispensare. Ita *Del-Vecchio, n.* 233, *S. Lig., n.* 192, *cum communi.* Item in dubio an adsit causa sufficiens ad dispensandum, ac in dubio circa vota reservata; nam potestas dispensandi late est interpretanda, cum sit data per modum gratiæ, non commissionis. *S. Lig., n.* 192. Excipe dispensationes matrimoniales, ne frustretur sacramentum. *Scavini, S. Lig., H. A., tr.* 11, *n.* 51. In illis omnibus potest Episcopus alios quoque delegare, cum hæc potestas ordinariæ æquivaleat, utpote perpetue illius dignitati annexa. *Scavini.*

179. **Dispensatio ad cautelam.** *Diana sapienter advertit*, (notat Bened. XIV, Notif. 101,) *concedi a S. Pœnitentiaria, vel Dataria dispensationes ejusmodi non tanquam necessarias, sed ut ab omni scrupulo, animique sollicitudine fideles eripiantur.* Et clr. Avanzini ait: *Non est semper tutum argumentum illud, quod desumi solet a nonnullis ex praxi invalidandi litteras* (dispensatorias) *ad concludendum irritas fuisse, quamquam praxis Curiæ vim legis habeat.* (V. Acta S. Sedis l. 5, pag. 27.)

180. Q. *An Prælati Regulares dispensare possint in regula?*

R. *Nega,* nisi illis concedatur a *privilegio*, vel a *jure*. Ratione *privilegii*, quod ex se muneri Prælati adnectitur, dispensare possunt etiam Prælati inferiores in rebus levibus, et frequentibus, in Statutis propriis illius conventus. *S. Lig., n.* 194.

Ratione *juris* nequeunt dispensare in votis essentialibus: in aliis vero regulis bene possunt in casu particulari, ratione boni communis; nisi expresse eis interdicta sit dispensatio; quia lex humana providere non potest omnibus casibus. *(S. Lig., l.* 1, *n.* 194).

181. **Delegatus subdelegare nequit**, nisi id expresse sibi sit concessum. Excipitur 1.° si quis esset delegatus a principe, a Papa, et a

SS. Congregationibus, casu quo delegatio sit facta tamquam per officium; non vero si eligatur persona propter suam peritiam, aut si ei committatur alicujus causæ executio.—2.° Si quis sit delegatus ad universalitatem causarum, etsi non a principe, cum hac distinctione; quod si ei committatur aliquod officium, cui annexa est jurisdictio, etiamsi officium non sit proprium, sed vicarii, v. gr. viceparochi, seu vicerectoris pro parocho absente, hujusmodi vicarius bene potest jurisdictionem suam subdelegare, non quidem totam, sed pro una, vel altera causa; quia tunc non tantum est commissum parochi exercitium, sed etiam officium, cui competit non solus usus, sed etiam delegatio jurisdictionis. Ita *communiter D. Lig. l.* 6, *n.* 566, *S. Thom. quodl.* 12, *art.* 31, *Lay., Sanch., Scavini, n.* 168, *etc.*—Si vero alicui delegatur non officium, sed jurisdictio velut privilegium, perpetuo annexum suo officio, aut dignitati; tunc velut ordinaria reputatur talis jurisdictio, prout est facultas Episcopis impertita a Trid. in cap. *Liceat* 6, *sess.* 24. Dicunt communiter, quod si Episcopus concederet alicui ratione sui officii, v. gr. parochi, viceparochi facultatem absolvendi ab omnibus casibus reservatis, posset hic subdelegare illam facultatem in aliquo casu particulari... Ita *Lay., S. Lig., n.* 566, *et alii.* Secus docent cum facultas datur alicui ratione suæ peritiæ, aut probitatis; facultas enim subdelegandi tantum competit illi, cui officium committitur, sed non ei, cui committitur solus usus, sive exercitium jurisdictionis. *S. Lig., ibid.*—3.° Si subdelegandi alicui concedatur facultas ab illo, qui facultate ordinaria dispensat, modo delegatio acceptetur ab ipso delegato, aut ejus nuntio, sicuti ipsi intimari debet delegationis revocatio, ut ipsa cesset, si absque limitatione data fuerit.

Stylus Romanæ Curiæ est, ut litteræ dispensationis committantur pro executione Ordinario, seu Episcopo, vel ejus Vicario generali. Si Episcopus sit delegatus, ejus Vicarius non potest se ingerere in tali dispensatione, et e converso; quia in causis delegatis non faciunt unum tribunal. Tamen ex hodierna praxi si litteræ dispensatoriæ in delegando utuntur verbo *Episcopo, vel Diœcesano*, delegatio soli Episcopo, vel successori in Episcopatu, competit, non vero alteri, etsi habenti ordinariam jurisdicnem, uti sunt Vicarii generales. At poterunt Episcopi, generatim loquendo, uti delegati a Principe, suos Vicarios de vice in vicem subdelegare. *(Sanchez, Piasœcius, Sbrozzius, Del-Vecchio, l.* 1, *n.* 367).

—Excipe 1.° Si in delegatione inspiciatur industria personæ, aut si electio facta sit ratione confidentiæ.—2.° Si conscientia oneretur, et nomen delegati exprimatur.—3.° Si præstatio consilii requiratur in certo actu ad certum tempus.—4.° Si delegatus esset datus ad partis instantiam.—5.° Si gravia, et ardua mandentur.—6.° Si mandetur negotium non determinatum.—7.° Si agatur de re, et controversia, quæ ingenium, et hominis peritiam exposcat; tunc nec poterit Episcopus subdelegare, nec potest hanc causam cognoscere ejus successor, prout habet *Monacelli cum Graffio, Del-Vecchio, n.* 367.—8.° Si agatur de dispensando ab irregularitatibus *(ex c. fin.* § *Cœterum de off. deleg.).*—9.° Si denique sermo sit de dispensationibus matrimonialibus, in quibus prohibetur subdelegatio *(ex S. Pœnitentiaria,* 5 *sept.* 1859). Quod dictum est de Episcopo, valet etiam de Vicario generali respectu Episcopi, si ille a Papa delegatur.

Si vero litteræ utantur verbo: *Committimus Ordinario;* tunc comprehenduntur Episcopus, et ejus Vicarius generalis, ac illi omnes, qui

jurisdictionem ordinariam habent. *Gratianus, Genuensis, Guttier, aliique* ajunt, quod Vicarius censetur quasi Ordinarius, cum habeat delegationem ad universalitatem causarum; et hac ratione deducunt Vicarium generalem ea omnia, quæ Tridentinum Ordinario committit, exequi posse. *(Ferraris, Dejustis, Sanchez, Reiffenstuel).* V. Acta S. Sedis, vol. 1, pag. 674.

CAPUT XVIII.

De causis ad dispensationem requisitis.

182. Q. *Quinam dispensationem postulare possunt?*

R. Dispensatio a quovis, ac etiam pro invito, et ignorante, valide obtineri potest; cum id sit jure statutum, et valor ejus non a postulante, sed a legitimo concedente proveniat. *S. Lig.*, *n.* 186. Excipit *Marcus Leo* in sua praxi quod a Pœnitentiaria obtinetur: ut petitio tunc valeat, fieri debet a confessario, vel a pœnitente, vel a parocho, vel a consanguineis ad 4.m usque gradum. *(Sext. Decret.*, l. III, t. IV, *Si motu proprio, c.* 23 *de præb. et dignit. Salm.*, *n.* 38.)

Cæterum cum sit gratia facta, semper opus est, ut dispensatio a dispensato acceptetur, nisi aliter cautum sit. (*Scavini, n.* 233.)

183. Q. *Quænam sunt justæ causæ dispensationis?*

R. Tres vulgo assignantur: 1.° *Pietas in Deum:* sic dispensatur a lege vacandi ab operibus servilibus in festo ad divinum cultum pertinentibus. — 2.° *Utilitas, et charitas in proximum:* unde dispensatur a simplici castitatis voto, qui matrimonium contrahere velit ad familiæ succurrendum.—3.° *Difficultas, et bonum commune, vel necessitas;* non vero impotentia; quia tunc lex per se cessat; sic a jejunio dispensatur qui illud servare nequit absque incommodo satis gravi. — Potest esse etiam causa sufficiens *dignitas* postulantis, vel ut superior benignitatem suam ostendat. Cæterum superioris est judicare, an causa dispensandi adsit, et justa. *(Scavini, S. Lig.*, *n.* 195).

184. Q. *An superior, justa extante causa, dispensare teneatur?*

R. Causa, vel reddit dispensationem convenientem, vel necessariam. Si 1.m, non tenetur; nam est mera gratia, ideoque libera.—Si 2.m, tenetur, quoties sit necessaria ad evitandum commune damnum, vel privatum magni momenti, vel ad utile commune, vel magnum particulare, vel alias majus bonum privati impediretur; alioquin peccaret graviter, vel leviter juxta materiam, ideo enim ipsi potestas data fuit. *Ita omnes cum S. Lig.*, *n.* 179.

185. Q. *An liceat petere, vel concedere dispensationem ex causa dubia?*

R. *Affirma* in lege humana, si dubitetur, an causa existens sit justa, vel sufficiens; tum quia non pertinet ad subditos de sufficientia causæ judicare; tum quia possidet superioris potestas, et causa extans præsumitur legitima: aliter onus dispensandi nimis onerosum esset, et potestas favorabilis late accipitur. (*Varceno, Scavini).*

—Secus si dubitetur, an quis habeat potestatem, vel an adsit causa; nam hæc tunc sunt probandæ, nisi dubitetur post factum; quippe tunc præsumitur recte factum. (*Salm.*, *n.* 75, *Scavini).*

186. Q. *An graviter peccet dispensationem sine aliqua causa, vel injuste petens, concedens, et ea utens?*

R. I. Peccant utique petens, inducens ad petendum, vel ad falsum allegandum, et etiam concedens; quia unus alteri cooperatur in violatione legis naturalis, quæ dictat partem conformari debere toti; nec potestas est data ad destructionem, bene vero ad ædificationem, sed probabiliter *per se* leviter tantum, præciso scandalo, vel aliorum damno, si agatur cum ipso legislatore; agit enim in re sua, neque apparet in hoc magna deordinatio: unde esset valida, etsi illicita dispensatio. *Salm.*, *n.* 66, *Pont.*, *Gury*, *n.* 118, *cum communi* contra *Suarez*, qui mortaliter eos peccare dicit.

II. Ea utens probabiliter nec leviter peccat, cum non amplius sit sub lege. *Ita communiter cum Salm.*, *n.* 76.

III. Peccant utique graviter præfati omnes, ex *genere suo*, si cum delegato agatur, sicut ipse delegatus; nam hic non censetur delegatus nisi justa de causa, non autem ad peccandum; et ideo tunc etiam invalida esset dispensatio ob eamdem rationem. *(Gury, Ballerini, n.* 118, *S. Lig.*, *n.* 170, *cum communi).* Unde Pontifex sine justa causa dispensare non potest in lege Dei, in votis et juramentis, neque Episcopus in lege Ecclesiæ. *Sanchez*, *Suarez*.

187. Q. *An dispensatio sit stricte interpretanda?*

R. *Affirma;* est quippe odiosa, ac veluti vulnus, quod legem derogat; ideoque stricte accipienda est;—nisi sit debita;—vel inserta in corpore juris;—vel concedatur ex motu proprio;—aut communitati;—vel ob bonum commune;—vel per modum gratiæ; iis enim in casibus habetur dispensatio uti favor, et gratia, quæ late accipienda est. *S. Lig.*, *n.* 195.

188. Q. *An sit valida dispensatio metu extorta?*

R. *Affirma;* modo extet causa dispensandi; nec constet in superiore omnino defuisse hujusmodi animum; neque adsit alia nullitatis causa; metus siquidem non tollit voluntarium.

189. *An liceat uti dispensatione tacita, vel præsumpta?*

R. *Affirma,* modo ex aliquo signo prudenter consensus de præsenti colligi possit, ut si superior suam legem negligi sciat, et taceat, cum possit sine incommodo corrigere, nec monendo majus malum timeat; præsumitur enim dispensare, ne dicatur peccare superior. Item si Episcopus sciens te esse excommunicatum, tamen conferat tibi beneficium; secus dic de tacita, vel præsumpta de futuro; scire namque debet superior id de quo agitur; et aliunde cum dispensatio sit legis vulnus, est stricte accipienda. Licentia tamen, cum sit de re justa, minori momento, et non contra legem, facile præsumi potest. *(Sanch.*, *Suar.*, *Salm.*, *de leg.*, c. 5, *n.* 117, *S. Ligor.*, *n.* 187).

190. Q. *An denegata dispensatione, etiam injuste, subditus contra legem agere queat?*

R. *Nega;* etenim adhuc sub ipsa est. Excipe si causa adeo urgeat, ut eum a lege subducat; nam *quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum;* ut si urgeret gravis causa matrimonium contrahendi; v. gr. si sponsi, de quibus certo certior est parochus nullum adesse impedimentum, illico simul navigare debeant in longissimas regiones, et Episcopus injuste dispensationem publicationum denegaret. *(Sotus, Sanchez, Pal., Salmant., n.* 92, *S. Lig.*, *n.* 179).

Addit *Frassinetti,* ordinarie loquendo, parochum judicio Episcopi stare debere, etsi illi injusta videatur dispensationis denegatio; et respondeat Episcopus de damnis, et scandalis orituris. *(Del-Vecchio, l.* 1, *n,* 369).

191. Q. *Quid de dispensatione ob duritiam cordium?*

R. Hac de re audiatur Gousset: *Æqua causarum existimatio illorum sapientiæ est relinquenda, qui dispensandi jus habent; sæpe enim nostris præsertim temporibus superiores duritiei cordium indulgendum, et a lege dispensandum judicant, gravioribus malis providentes.*

Addit Frassinetti: *Si recte res expendatur, hæc est vera causa concessionis indultorum pro Quadragesimalis jejunii mitigatione.* (*Del-Vecchio, n.* 372).

Cæterum juvat hæc notare pro praxi: si confessarii vident suos pœnitentes nimis repugnantes quoad cibos esuriales, atque jejunium, qui tamen sunt in bona fide, putantes adesse valide dispensandi causas, cum illis indulgentes sint, et dispensent, vel melius permittant, ut id agant, quod putant recte agere posse, etsi causæ non sint sufficientes, casu quo prævideant, quod moniti non erunt obtemperaturi, sed et legem violarent, et sacramentis valedicerent. *(Del-Vecchio, ibidem).*

CAPUT XIX.

De dispensationis defectibus.

192. **Dispensatio tripliciter fit vitiosa:** *Vitio personarum*, nempe, *precum*, et *formæ*.

I. *Vitio personarum.* Si hæ inhabiles sint, sive ad concedendum, sive ad obtinendum, dispensatio irrita est; item probabilius si erratum sit in diœcesis nomine, juxta *Sanch., Corrad., Del-Vecchio, aliosque;* tunc quidem nullus adest delegatus ab auctoritate denominatus.—Si vero error contingat in nomine, vel pronomine supplicantis, communiter tenent, non substantialiter vitiari dispensationem, modo de persona constet; et tunc satis est, ut in executione error corrigatur. Contradicit *Pyrrus Corradus;* ratio est stylus Romanæ Curiæ, et usus iterum recurrendi; quod tamen *Rosa*, *Dejustis*, *Croix*, dumtaxat ad dispensationem in forma pauperum restringunt. Post factum, jura in dubio valori actus favent. (V. T. II, n. 947).

II. *Vitio precum:* 1.° Si veritas reticeatur, dicitur dispensatio *subreptitia.*—2.° Si falsum narratur, dicitur dispensatio *obreptitia.* Si tacetur veritas, quæ de stylo Curiæ necessario exprimi debeat, vel narratur quod de jure taceri debebat, invalida est dispensatio, sive in Rescripto dicatur: *Si preces veritate nitantur,* sive non.—3.° Item si irrepserit error circa causam principalem, vel finalem, vel circa objectum dispensationis, sive culpa oratoris, sive alterius, etsi ex mera inadvertentia id evenerit; ut si ponas in petitione consanguinitatem loco affinitatis, vel 3.^{m} gradum pro 2.° *Salm.*, *Sanch.*, *Suar.*, etc. Secus vero si ponas 2.^{m} pro 3.°; cum minor in majori ejusdem generis contineatur; vel si error versetur circa causam, vel causas tantum impulsivas, aut minus principales, modo vera sit una ex illis, quæ sufficiens sit ad dispensandum; nam habetur fundamentum sufficiens dispensationis, quando adest aliqua vera causa motiva; et tunc vera est tacita, vel expressa superioris adjecta conditio: *Si preces veritate nitantur. S. Lig., n.* 185, *Gury, n.* 119, cum *Salm.*, *n.* 36, *Suar.*, et *communi* contra *Salzano,* et *Innocent. III* dicentes, quod, si hic error malitia postulantis evenerit, nulla est dispensatio; secus vero si per ignorantiam, vel simplicitatem. *(Scavini, n.* 239).

In dubio autem, an causa allegata sit motiva, vel impulsiva, valida

censenda est dispensatio facta; cum in dubio jura valori actus faveant. *Ex* 1, *quoties tit. de rebus dubiis. Ita Salmant. de Matrimonio, cap.* XIV, *n.* 37, *Dicast., Sanch., S. Lig., n.* 185, etc.

III. *Vitio formæ,* si nempe dispensatio non sit ea forma exarata, qua ex stylo Curiæ fieri solet, et ideo suspicionem de falso ingerat; tunc veritas indaganda est.—Item, ex jure canonico, est irrita dispensatio, si error in latinitate occurrat gravis et manifestus; tunc valet illud canonistarum axioma: *Falsa latinitas vitiat Rescriptum:* minime vero si sit levis, ac modicus; quia tunc scriptori, vel nimiæ occupationi tribui potest. *(Cap.* I, *et* II *de Rescrip., Del-Vecchio, n.* 239).

193. Hinc deduces: I. Valet dispensatio, si error irrepserit in superioris Rescripto, v. gr. incuria secretarii; concessioni quippe jam factæ supervenit, et superior sic concedit: *Fiat, ut petitur.*

II. Valet dispensatio alicui improbo concessa, quem dispensator probum putavit, etsi, cognita improbitate, certe non esset dispensaturus; probitas enim reputatur causa mere impulsiva.

III. Valet etiam, si causa falsa tempore petitionis, vera fiat tempore concessionis; sed non viceversa; nisi quis motus fuerit ob probitatem, uti diximus. Item valet etsi concedatur mala fide, ut cum putat superior causam non adesse, quæ revera adest; nam in re sua superior agit, et superioris voluntas præcipue est attendenda, non cognitio causæ; aliunde adest causa, quæ requiritur. *S. Lig., n.* 181, *cum communi.*

IV. Valet dispensatio a superiore concessa, licet ab inferiore, vel ab ipso superiore jam fuerit negata, nec hujus negationis mentio fiat; nulla quidem lex, nec consuetudo hanc declarationem statuunt, et superior liber est eam concedendi. Imo probabilius etiam valet, si a superiore negata, ab inferiore concedatur; quia inferioris potestas non est restricta per superioris negationem, nisi hic expresse eam restringat. *(Suarez, Croix, Gury, n.* 119).

Tamen circa hoc magna requiritur prudentia, ne legislatores despiciantur.—Cæterum si secunda dispensatio circa eamdem rem petatur, exprimenda in petitione est prima, si difficilem reddat secundam; uti si relationem habet cum prima, v. gr. si vir, postquam uxorem suam occiderit, occidat etiam illam, cum qua nubere ei permittebatur, et secundam dispensationem petat. *(Scavini).*

V. Valet dispensatio pro aliquo inscio, aut invito obtenta, quando necessitas exigit; nisi impetretur ex S. Pœnitentiaria, quo in casu adhuc valeret, si a personis conjunctis, vel consanguineis intra 4.m gradum, vel saltem a confessario impetretur; quippe a superiore pendet. (*S. Lig., n.* 186).

194. Q. *An delegatio expiret morte delegantis?*

R. I. *Nega,* si data est in forma *gratiosa,* seu per modum *gratiæ factæ,* id est, quando executor habet nudum ministerium mandatum exequendi, etsi mandati executio nondum obtinuerit; gratia enim jam facta est perfecta gratia.

II. *Affirma,* si adhuc integra sit, et data in forma *dignum,* seu per modum *gratiæ faciendæ,* prout ordinarie solet, id est, quando tantum executori tribuitur facultas gratiæ concedendæ; secus si res jam sit incœpta, v. gr. si vocaverit partem ad cognoscendum de precum veritate. (*Ex reg. XVI juris, in* 6, *et ex c.* 1, § *de filiis præsbyt.*) (*Varceno, Scavini, l.* I, *n.* 237).

CAPUT XX.

De dispensationis cessatione.

195. Cessat dispensatio. I. Per *renuntiationem dispensati* cum dispensantis acceptatione tacita, vel expressa; quilibet enim cedere potest juri suo, nisi redundet in alterius damnum, vel effectus dispensationis jam sit secutus; vel Prælatus præcipiat subdito uti dispensatione concessa ex juxta causa. Hinc si Petrus post obtentam dispensationem ad contrahendum cum Lucia, Cajam ducat, hac mortua, sine nova dispensatione ducere illam potest, si dispensator primam dispensationem non revocaverit; secus si revocaverit, vel renunciationem acceptaverit. *(Salm. n.* 101, *S. Lig. n.* 198, *Scavini, n.* 240.*)* Qui obtinuit dispensationem jejunii, officii divini, potest illa uti, etsi officium, et jejunium postea servaverit. *Salm. n.* 103.

II. Per *dispensantis revocationem: per quas* enim *causas res nascitur, per easdem dissolvitur.* Quoad revocationem sine causa, vel cum ea factam a superiore, vel delegato. V. n. 181.

III. Per *totalem cessationem causæ finalis:* hæc est enim tota ratio dispensationis; secus autem per cessationem causæ impulsivæ, vel motivæ, sed non totaliter; in dubio de ejusdem totali cessatione, standum est pro dispensatione; quia possidet. Hinc si causa finalis dispensandi ab impedimento matrimonii sit prolis legitimatio; scandali, vel damni reparatio, si proles moriatur, vel fœtus ejectus fuit, adhuc sustinetur dispensatio ad scandalum, vel damnum reparandum, quippe causa finalis non cessat totaliter. *(Scavini, n.* 240, *S. Lig. n.* 196). Si dispensatio jam sortita sit suum effectum, vel adjuncta ipsi fuerit aliqua oneris commutatio, non cessat, cessante causa finali. *S. Lig. n.* 195.

Q. *Quandonam per cessationem causæ finalis cessat dispensatio?*

R. I. Si cessaverit ante, vel in actu litteras concedendi: superior enim non intendit eam concedere, nisi ob causam hic et nunc existentem. (*C.* 9 *de Rescript.)*

II. Si cessaverit ante, vel cum delegatus exequi vult dispensationem; quia nec iste muneri suo satisfacere potest, nisi sub tacita conditione: *Si preces veritate nitantur.* (C. 30 de præb., l. III). Sic Titius dispensationem petit ab impedimento, exponens pro sola causa finali prolis legitimationem; si hæc moriatur ante litterarum executionem, cessat dispensatio.

III. Si dispensatio sit conditionata, nempe *si causa perduret*, etc., et hæc conditio tacita, vel expressa cessat, antequam dispensatio suum ultimum effectum sortiatur; uti patet. Si dispensatur ad matrimonium contrahendum cum consanguinea ob paupertatem, etsi dispensatio partibus notificetur, si, nondum celebrato matrimonio, oratores divites evadant, nulla erit dispensatio. (*Scavini, n.* 240).

IV. Si autem dispensatio sit absoluta, probabilius valet etiam cessante causa finali; quia, semel sublata per dispensationem legis obligatione, non reviviscit, nisi a superiore iterum imponatur. Sic obtenta dispensatione voti castitatis ad contrahendum, etiam, mortua conjuge, perdurat dispensatio, nisi pro casu particulari fuerit concessa, nempe ad ducendam defloratam. Ita probabilius *Sanch., Lay., Silv., Salm., n.* 90, *Scavini, ibidem, etc.* contra *Bon., aliosque.* Utraque sententia est satis probabilis, ait *S. Lig. n.* 196.

196. Q. *Quando dispensatio erit absoluta, et quando non?*

R. Si causa finalis judicatur perpetua, dispensatio judicatur absoluta, etsi per accidens postea cesset; secus conditionata. *(S. Lig., n.* 196). —Judicatur perpetua, si dispensatio uno veluti actu tota consummetur, uti dispensatio voti, juramenti, atque irregularitatis ob parentum paupertatem, vel ob morum honestatem, vel ob inopiam ministrorum.—Judicatur vero causa temporanea, ideoque dispensatio erit sub conditione data, *si causa duret,* quando dispensatio habeat de se tractum successivum; unde si quis dispensatus sit ab Officio divino, vel a jejunio ob infirmitatem, temporanea censetur dispensatio, et cessat, si plene convaluerit. Hac enim in re dispensatio est virtute multiplex, et tot sunt dispensationes quot dies. *(Ballerini, Del-Vecchio, Suarez, S. Lig., l.* 1, *n.* 196).

197. Q. *An cesset dispensatio morte concedentis?*

R. *Nega,* si sit *absolute concessa,* vel *donec revocetur,* aut *ad arbitrium Sedis Apostolicæ,* vel *Episcopi,* quicumque sit dispensans, sive superior, sive inferior: tunc non expirat morte Pontificis, vel Episcopi; quia reputatur, et est absoluta; et gratia facta non expirat morte concedentis; vel melius non moritur Sedes. Secus si superior dispensaverit *donec ei placuerit,* vel *ad suum arbitrium;* vel per modum commissionis pro certo casu, tunc morte ejus expirat, si res adhuc sit integra, v. g. si confessarius nondum incœperit confessionem audire. *(Salm., S. Lig., l.* 1, *n.* 197).

CAPUT XXI.

De abrogatione, derogatione, et cessatione legis.

198. **Abrogatio legis** est *abolitio totius legis perfecte obligantis.* Derogatio, et abolitio fieri possunt: 1.° Per legislatoris, vel superioris revocationem; res per quas causas nascitur per easdem dissolvitur. — 2.° Per contrariæ consuetudinis præscriptionem. — 3.° Per legem posteriorem universalem priori legi universali derogantem; alioquin inanis foret posterior lex; nam jure statutum est speciali legi non derogari per generalem, nisi fiat specialis mentio, vel aliter constet esse legislatoris mentem, vel dicatur, *nostra certa scientia.*

199. **Derogatio legis,** est *imminutio legis adhuc vigentis secundum aliquam sui partem.*

—Legislator supremus valide potest, sed non licite, etiam sine justa causa, suam, aut prædecessoris legem derogare, vel abrogare; quia ejus est tollere cujus est condere. Delegatus vero sine justa causa non potest nec licite, nec valide, ut supra.

Hinc Episcopus potest etiam extra synodum leges ipsas synodales abrogare, et novas condere; tamen excipitur dispensatio in lege synodali scripta, vel in consuetudine regionis circa taxam congruæ pro ordinandis; quia Innocentius XII, Bulla *Speculatores*, quam refert Croix, n. 2166, edita anno 1691, statuit, ut *beneficium ejus sit redditus, ut ad congruam vitæ sustentationem, sive juxta taxam synodalem, sive, ea deficiente, juxta morem regionis pro promovendis ad Ss. ordines, detractis oneribus, per se sufficiat*, illudque ab ordinando pacifice possideatur. Unde Ponti-

lex implicite adimit Episcopo facultatem dispensandi, seu potius arbitrandi supplantationem suo modo, licet pro illa vice tantum. Ita resolvit lib. *Praxis Secretariæ Tribun. Card. Urb. V., auctore Romualdo Honorante, Romæ* 1662, *cap.* 8.

200. Q. *An legislator possit legem propriam abrogare, si a superiore confirmata fuerit?*

R. *Nega,* si confirmata fuerit in favorem communitatis; nam superior sic eam suam fecit.—*Affirma*, si in favorem legislatoris, ut legi ejus magis accedat splendor. *(Varceno, pag.* 86).

201. **Legis cessatio** est *pura, et simplex legis extinctio per se ipsam*, quod fit 1.º—Si per materiæ, vel circumstantiarum mutationem lex facta sit injusta, vel inutilis bono communi, tunc cessat contrarie.—2.º Si respectu communitatis totaliter cessat ejus causa finalis adæquata (si lex plures habet fines, finis adæquatus ex omnibus illis constituitur); nam *cessante causa, cessat etiam effectus*, et lex evadit inutilis. Communius cum *Salm.*, *n.* 4, tunc sufficit, ut mihi in particulari constet cessasse in communi finem legis adæquatum.—3.º Per desuetudinem contrariam, debitis vestitam conditionibus; nam tunc adest consensus legalis superioris. Ita *communissime cum Gury*, et certum dicit cum *S. Thoma, S. Lig., l.* 1, *n.* 199. Hinc si vovisti non ingredi talem domum, ob periculum fornicationis, cessante periculo, cessat votum; sane cum lex sit inutilis, vim obligandi amittit.—4.º Per revocationem legislatoris, vel successoris, aut ejus superioris; *res per quas causas nascitur, per easdem dissolvitur.*—5.º Per legem posteriorem universalem, vel specialem priori derogantem. Attamen per legem generalem nunquam abrogatur lex particularis alicujus loci, etsi expresse dicatur: *Non obstante quacumque lege particulari* nisi nominetur, vel dicatur *nostra certa scientia. Scavini, Salm., n.* 14, *S. Lig., n.* 199, etc.

Q. *An cesset lex, cessante fine adæquato in particulari?*

R. 1.º Si materia legis reddatur nociva, vel valde difficilis, tunc omnes asserunt, ait *S. Ligor.*, legem non obligare.—2.º Si vero tantum reddatur inutilis, negant probabilius, ait *idem S. Auctor*, legem cessare; quippe non cessat finis periculi in communi, ideo non cessat finis adæquatus, et in hoc semper adest periculum hallucinationis. Hinc a bannorum proclamatione non eximuntur sponsi, nec a prohibitione libros prohibitos legendi liberatur quisque, etsi certo sciat nullum subesse errandi periculum. *(Gury, Scavini, Suarez, Salmant., D. Thomas, S. Lig., n.* 199, *cum aliis plurimis).*—Alii tamen cum *Cujet., Sot., Silv., Ang., Valent., Hurt., Henr., Dian.*, affirmant, quando certo constet nullum adesse periculum hallucinationis; nam in quocumque casu cesset finis legis, et lex ipsa etiam cessat. Sicut, cessante fine legis in communi pro uno tempore, cessat lex, licet non cesset pro alio; sic etiam, cessante pro uno casu particulari, cessat lex pro eo, licet non cesset pro aliis. Nonne correctio fraterna obligare desinit, ubi fructus non speratur, licet natura sua semper obliget?

His tamen non obstantibus, *magis mihi arridet prior sententia,* concludit *D. Lig.*, eo quod, communiter loquendo, fere numquam in particulari cessat omnino periculum hallucinationis.—*Si hic casus acciderit, tunc non auderem secundam sententiam improbare.* Sed cum agatur de periculo peccandi avertendo, melius in praxi erit tutiorem sequi sententiam.

TRACTATUS QUARTUS.

DE LEGIBUS PŒNALIBUS

ECCLESIASTICIS, SEU DE CENSURIS.

CAPUT I.

De censuræ natura, et divisione.

202. **Censura definitur**: *Pœna spiritualis, et medicinalis, ab Ecclesiastica auctoritate in foro externo inflicta, qua homo baptizatus, adultus, delinquens, ac contumax privatur usu bonorum Ecclesiæ primario spiritualium, et communione.* Quæ omnia sunt attendenda.

—Non disputamus hic *de irregularitate, cessatione a divinis, depositione,* et *degradatione*, quæ quidem censuræ proprie non sunt. Erit de hisce suo loco.

—Censuræ nomen a latinis repetendum, penes quos vigebat *censoris* officium, et ejus præcipua pars erat, ut delinquentium mores corrigeret, atque notaret: nota hæc dicebatur *censura.*

Q. *An si de correctione delinquentis desperetur, ferri possit censura in ultionem delicti?*

R. *Affirma:* 1.° ad delicti ultionem; 2.° ne pravorum communione cæteri inficiantur; 3.° in terrorem aliorum. Unde cessante correctionis fine, non cessant eo ipso alii fines, et adhuc censura subsistit. *(Gury, n.* 932, *Scavini*, *n.* 816).

203. **Divisio.** Species censurarum multiplices sunt: —I. *Excommunicatio, suspensio,* et *interdictum*, de quibus speciatim dicemus.

II. Censuræ *latæ*, vel *ferendæ sententiæ;* prout est statutum eas incurrendas esse *eo ipso*, quod quis legem violaverit; vel tantum post judicis ecclesiastici sententiam, saltem declaratoriam.

—Erunt *latæ sententiæ* generatim censuræ: 1.° si verba, quibus feruntur, excludant alterius actionem, ut si dicatur *ipso facto, ipso jure, eo ipso, illico, ex tunc, protinus, sine alia sententia;* — 2.° si verba sint *temporis præteriti*, vel *præsentis*, vel *modi imperativi*, v. gr. *excommunicavimus, excommunico, incidat in excommunicationem, maneat suspensus, interdictus;* —3.° si in censura contra hæresim dicatur: *Excommunicatus sit, anathema sit.* Ita intelligitur verbum *anathema* in Conciliorum decretis de fide tenendis; aliter disputatur de ejus sensu.

—Censura vero *ferendæ sententiæ* ea dicitur, *quæ est tantum commi-*

natoria, vel *respicit tempus futurum,* aut *alterius ministerium,* uti ea quæ non contrahitur, nisi accedente judicis sententia post patratum crimen, vel quæ requirit ad eam incurrendam novam superioris actionem, v. gr. *excommunicetur, præcipimus sub pœna excommunicationis, sub interminatione anathematis, excommunicabitur,* nisi aliud ex adjunctis colligatur.

In dubio an sit *latæ,* vel *ferendæ sententiæ* censura, habetur uti *ferendæ,* cum res sit de odiosis. *(Conc., Sanch., Scavini, n.* 817).

III. Censuræ *latæ* sunt *a jure,* vel *ab homine :* 1.ᵃᵉ feruntur generaliter per canones, seu statuta in omnes subditos: 2.ᵃᵉ per sententiam judiciariam, vel privatam judicis, aut per præceptum, vel edictum, aut mandatum speciale ob aliquod factum in unam, vel plures personas. *(Suarez, d.* 3, *sect.* 1, *n.* 2).

—Hæ ferri etiam possunt pro peccatis præteritis, non vero illæ.—Itemque cessant morte, vel renuntiatione censurantis; ideoque dicuntur etiam transitoriæ, cum non sustineantur nisi ab homine; homine vero deficiente, et illæ deficere debent, nisi jam incursæ sint, uti patet; secus *latæ,* nam durant quamdiu lex, quæ natura sua est perpetua.

—Censuræ, quas fert Episcopus in synodo, dicuntur latæ per modum statuti; et ideo tamquam latæ a jure durant post mortem Episcopi.—Aliæ vero extra synodum dicuntur latæ ab homine per modum præcepti, seu mandati; cum Prælatus aliquid mandat, vel præcipit, aut prohibet, adjuncta sanctione censuræ; et hic modus actiones futuras respicit, cum de aliquo facto instituitur judicium, et judicialiter sententia fertur, censuram imponendo : utroque modo esse potest censura particularis, vel generalis, juxta *Ballerini :* et hæ per mortem, vel renuntiationem ferentis cessant, sive præceptum sit generale, sive particulare, nisi aliud expresse declarent Episcopi, vel illæ sint datæ, annuente Capitulo cathedrali. (Ita *Bened. XIV, de Syn. diœc., l.* 13, *c.* 5, *S. Ligor. l.* 7, *n.* 6, *Scavini, n.* 293-817).

IV. Censuræ *reservatæ,* vel non *reservatæ,* prout superior earum absolutionem reservavit, vel non.—Aliæ sunt Papæ reservatæ, aliæ Episcopo.—Censuræ *ab homine* semper reservatæ censentur, nisi per sententiam generalem latæ sint.

V. Censuræ *notoriæ,* vel *occultæ,* prout publice constat aliquem eas incurrisse ob factum cognitum, quod celari jam amplius nequit, vel non.

VI. Censuræ *justæ,* vel *injuste; valide,* vel *invalidæ,* prout superior veritati, legi, et justitiæ consuluerit, vel non, in censura imponenda.

CAPUT II.

De auctore censurarum.

204. Q. *An Ecclesia gaudeat potestate censuras ferendi ?*

R. Affirma, et de fide est. Probatur ex sacra Scriptura, ex ratione, et ex ipsa Ecclesiæ auctoritate.

I. *Ex sacra Scriptura :* Christus enim Ecclesiæ suæ tradidit potestatem ejiciendi e sinu suo filios delinquentes, et contumaces, dicens:

Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, et publicanus... Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo. (Math. XVIII). Hæc enim verba potestatem ferendi censuras includunt, ut patet. *(Vide n. 132).*

II. *Ex ratione.* Ecclesia, utpote vera, et perfecta societas potestatem cuilibet societati inhærentem habere debet; atqui quælibet societas potestatem habet e sinu suo ejiciendi membra ipsi inutilia, et nociva; ergo... Secus imperfectissima omnium esset ecclesiastica societas, quod sine blasphemia dici nequit.

III. *Ex ipsa Ecclesiæ auctoritate:* nam Tridentinum hanc Ecclesiæ potestatem dicit *nervum ecclesiasticæ disciplinæ ad continendos in officio populos valde salutarem, et spiritualem gladium.* (Sess. 25, c. 3 de R.).

—Et Pius IX, Const. *Apostolicæ Sedis*, subjecit excommunicationi latæ sententiæ *speciali modo* Papæ reservatæ *impedientes directe, vel indirecte exercitium jurisdictionis ecclesiasticæ, sive interni, sive externi fori.*

— Id ipsum jam decreverat Trident., ibid. dicens: *Nefas autem sit sæculari cuilibet magistratui prohibere ecclesiastico judici, ne quem excommunicet, aut mandare, ut latam excommunicationem revocet... cum non ad sæculares, sed ad ecclesiasticos hæc cognitio pertineat.* Et expresse constat ex definitione concilii Constantiensis contra Wiclephitas, et Hussitas, qui dicebant: non timendam excommunicationem Papæ, vel cujuscumque Prælati. Et ex Bulla Leonis X contra Lutherum, qui ajebat: *Excommunicationes esse tantum externas pœnas, nec privare homines communibus spiritualibus Ecclesiæ orationibus.* Hæc fuit universalis Ecclesiæ praxis: ab ætate Apostolorum exercitam invenimus: *Nisi essent quædam ita gravia, ut etiam excommunicatione plectenda sint, non diceret Apostolus: jam judicavi... congregatis vobis, et meo spiritu... tradere hujusmodi satanæ.* (S. Augustinus, de fide et oper. c. 2.) Sic Paulus satanæ tradidit incestuosum corinthium, Hymenæum et Alexandrum blasphemos. *(I Cor.* V, *et I Tim.* I).

— Non est ergo censura res nova in Ecclesia, etsi quoad nomen ita videatur, cum semper viguerit in ipsa, quod tali nomine significatur, tam in latina, quam in græca Ecclesia. Semper enim in usu fuerunt vocabula *canonicæ destructionis, pœnæ, gladii spiritualis, mucronis medicinalis, etc.*, quæ idem sonant ac censuræ.—Imo Gratianus citat canonem conc. Toletani, an. 675, ubi legitur: *Quisquis autem horum decretorum violator extiterit, sex mensibus Communione privatus... sub pœnitentiæ censura permaneat corrigendus.*

—Nulla ergo requiritur circa hoc Principis, seu Reipublicæ auctoritas; contraria doctrina semper in Ecclesia catholica uti *hæretica* habita est. Et Pius IX, Allocutione habita 3 nov. 1855, aperte tradidit *falsam opinionem, perversam, funestissimam, oppositam aperte divino Primatui, et jam damnatam, quæ docet Placitum Regium necessarium esse pro rebus spiritualibus, et ecclesiasticis negotiis.*

205. Q. *Quinam in Ecclesia censuras ferre possunt?*

R. Alii de potestate ordinaria, alii vero ex delegatione.

I. De potestate ordinaria possunt omnes, qui externam in ipsa Ecclesia jurisdictionem exercent; ita ex verbis Christi, ex jure canonico, et ex Ecclesiæ praxi constat. Unde

1.° Summus Pontifex independenter a cujuscumque consensu pro

tota Ecclesia. Contraria doctrina fuit damnata a Clemente XI, Bulla *Unigenitus*, prop. sub n. 90 Quesnelli.

2.° Archiepiscopi in archidiœcesibus propriis, ac etiam in suffraganeis, tempore visitationis, cum de jure ordinario tunc in suffraganeos jurisdictione polleant, et cum agitur de causa ad eorum tribunal per appellationem delata, si electi, confirmati, et possessionem adepti sint, etsi nondum consecrati; quia ex hodierna disciplina tunc jam habent jurisdictionem expeditam.

3.° Episcopi in sua diœcesi.

4.° Cardinales in ecclesia proprii tituli, et Legati in territorio suæ legationis.

5.° Generales, Provinciales, Superiores locales Religiosorum respectu subditorum pro variis eorum Statutis.

6.° Concilia provincialia in suis provinciis, ut dicunt *Tour.*, *Suar.*, *Zay.*—Vicarii generales Episcoporum, unum enim tribunal cum Episcopis constituunt.—Capitulum ecclesiæ cathedralis, sede vacante, primis octo diebus, et ante vicarii capitularis electionem, qui tali potestate deinceps gaudet.

7.° Omnes qui per errorem communem habentur uti legitimi superiores. — Nam hæc potestas censurandi acquiri potest etiam: 1.° per præscriptionem, ad quam requiruntur 40 anni cum titulo colorato, sin autem tempus immemorabile; 2.° consuetudine, et privilegio, ut constat *ex cap.* XIII *de off. jud. ord.*—*et ex cap.* XXIII *de verb. sign.*

Q. *An parochi, et etiam laici, censuras ferre possint?*

R. I. Nega, ex ordinaria potestate, *quia per excommunicationem homo a communione fidelium separatur; ideo excommunicatio ad forum externum pertinet. Et illi solum possunt excommunicare, qui habent jurisdictionem in foro judiciali. Et propter hoc soli Episcopi propria auctoritate, et majores Prælati possunt excommunicare; non presbyteri parochiales.* Ita S. Thom. in 4, d. 18, q. 3. Multo ergo minus poterunt cæteri clerici inferiores, et laici. (*Scavini, n.* 941).

II. De potestate delegata possunt, qui ab habente ordinariam eam acceperunt. Ubi notandum: 1.° Delegatam potestatem expirare morte delegantis, si de causa justitiæ agatur; secus vero si de causa gratiæ, juxta *Ballerini;* vel etiam si per solam citationem causa justitiæ incœpta fuerit.—2.° Delegatus non potest subdelegare, nisi vel expressam habuerit licentiam a delegante, vel sit delegatus a Pontifice, vel saltem ad universitatem causarum. *Ex cap.* III, *si pro debilit.*—*et ex cap.* XX *Gratian. de Offic. jud. deleg.*

206. Q. *Quinam delegari possunt ad ferendas censuras?*

R. Clerici, et etiam viri laici; nam eorum incapacitas non est de jure naturali, neque divino, sed tantum ecclesiastico, ut communiter dicunt Auct. cum *Tour.*, *Salm.*, *Ballerini:* consequenter potest Papa eos delegare, sicuti potest dispensare, ut laicus ab Episcopo assumatur in vicarium. *(Ballerini, n.* 943).

Mulieres jurisdictionis ecclesiasticæ adeo incapaces reputantur, ut neque Papa possit cum eis dispensare; quippe Apostolis et eorum successoribus a Christo est data jurisdictio hæc, non mulieribus. Ita *S. Lig. n.* 52, *Salmant., D. Thomas, suppl. q.* 19, *a.* 3, *Scavini.* Et ita se habet Ecclesiæ praxis. Proindeque neque Abbatissæ propria auctoritate censuras

ferre possunt, sed tantum decretum obtinere, quo sub pœna censuræ mandata sua servari debeant. (*Gury, n.* 943, *S. Ligor., n.* 12).

Et quia de fœminarum incapacitate in ordine ad censuras ferendas, sive ad jurisdictionem spiritualem, mentio facta est, de Burgensis monasterii, vulgo *Huelgas,* Abbatissis, quarum et meminit Bened. XIV, Bulla *Quamvis justo*, aliqua summatim dicere non abs re erit. Hoc igitur cœnobium, nostræ Hispaniæ non exiguum decus, propter jura, privilegia et exemptiones in suo genere unicum, ac per totum qua late patet catholicum orbem percelebre, labente sæculo xii, ab Alphonso VIII, urgente Regina Eleonore, erectum est. Ejus Abbatissæ, quidquid sit in præsentibus angustiis, Principis ecclesiastici et civilis partes agebant: dominii jura in diversa municipia, locaque sui territorii exercebant, quæ quidem nulli Episcopo erant subjectæ, sed ipsæ, adinstar Prælatorum, omnimodam, ac privativam jurisdictionem habebant, sicut et in quatuordecim Cistertii monasteria, *mediante assessore*, juxta Compendium Salm.; in causis civilibus, criminalibus, et beneficialibus cognoscebant; censuras ferebant, ab eis absolvebant, dimissorias ad Ordines, licentia sad celebrandum, verbum Dei prædicandum, confessiones audiendum, curam animarum exercendam, Religionem ingrediendam, ac in ea profitendum in territoriis sibi subjectis elargiebantur. Quin autem omnia prædicta in viridi observantia hodie servari asseramus, licentias tamen ad celebrandum, prædicandum, confessiones audiendas, ab actuali Abbatissa concessas, eo modo quo Prælati concedunt, vidimus, et mirati sumus. Videatur, si placet, Supp. Bergier, V. *Huelgas*, necnon P. Florez, *España Sagrada*, t. XXVII, pag. 574, et seq.

207. Q. *Quid requiritur ut quis censuras ferre possit?*

R. 1.° Ut sit masculus, baptizatus, saltem tonsuratus; nam qui non est in Ecclesia superior, incapax est ecclesiasticæ jurisdictionis.

2.° Liber, ac compos rationis; actum enim liberum exercet. Tamen censura, metu gravi lata, valida est, quia sufficienter voluntaria. (*Scavini, n.* 826).

3.° Jurisdictio expedita quoad usum, secus frustra ageretur.

4.° Ut in sibi subditos ferat, solemnitates essentiales servando; secus esset nulla censura.

5.° Ut in propria causa mere personali non infligat, quod in jure vindicta reputatur. (*Cau.* 27, *c.* 23, *q.* 4). Esset, v. g. si Prælatus aliquem censurasset, eo quia contra eum legitime ad superiorem recurrit.

208. Q. *An Episcopi hæretici, excommunicati, vel suspensi valide censuras ferre valeant?*

R. Affirma, si fuerint occulti, vel etiam notorii, sed tolerati; nam Ecclesia ob bonum commune iis jurisdictionem non aufert, nisi sint vitandi, ex Martino V. *Ad vitanda*. Tamen illicite agerent censurando; quia exercerent jurisdictionem tunc prohibitam. Secus vero negat; sane jurisdictionem tunc non habent expeditam quoad usum. Ita communiter *Gury, n.* 944, *Scavini, n.* 821, *S. Ligor., n.* 12, *et ex C. except. de except.*

209. Q. *An Episcopus censuras ferre possit, si sit extra suam diœcesim?*

R. Affirma, si censura sit actus *jurisdictionis voluntariæ,* seu per modum præcepti, vel statuti ad futura crimina præcavenda, vel communia delicta vitanda per modum sententiæ, quæ non indigeat causæ cogni-

tione, et judicii forma; aut si indiget, venia sit facta a territorii Ordinario. —Secus nega; ut si *jurisdictione contentiosa* ferantur censuræ, et licentiam negat loci Ordinarius; esset enim publicum ordinem turbare, et imperium in imperio ponere.

Excipe 1.° Si causa jam sit cognita in proprio territorio, tunc Ordinarius jus acquisivit; vel contumacia sit tam manifesta, ut cognitione causæ non egeat; tunc enim res per se interpellat.

2.° Si Episcopus sit injuste expulsus a sua diœcesi, modo a loci Ordinario licentiam petat, licet eam non obtineat, ne videatur dominium agere, ubi non est dominus: neque sine culpa est jure suo privandus. (*Gury, Scavini, n.* 942 *cum communi*).

210. Q. *An Episcopus in sua diœcesi existens censurare possit subditos extra eam existentes?*

R. Affirma: 1.° Si agatur de crimine in propria diœcesi commisso, uti est censura lata in non residentes in sua Ecclesia, vel in eos, qui ad synodum non accedunt; tametsi abierint, non tamen subesse jurisdictioni proprii Episcopi cessant, et tunc peccatum intra proprium territorium consummatur; secus delinquens a nullo puniri posset. (*C. ut animar. de constit. in* 6).—Nec obstat, quod citatio extra territorium fieri non possit; nam ad incurrendam censuram sufficit, ut reus in propria domo citetur, aut in loco publico. (*Gury, n.* 945, *S. Ligor., n.* 22). 2.° Item probabilius, si censura contra aliquem per præceptum particulare sit lata ad crimen præcavendum, modo ante transgressionem sit monitus, nempe ut sciat esse datum tale præceptum sub censuræ pœna *ipso facto*, ut dici possit contumax; quia tunc præceptum immediate personam afficit, ubicumque sit. (Ita *Suar., Salm., Gury, n.* 945, *Scavini, n.* 822, *S. Ligor., l.* 7, *n.* 25).

Secus vero, si lata sit per modum statuti, quod locum afficiat; nam legibus patriis non tenetur, qui extra degit; proinde delinquens extra territorium non subjicitur censuris per statuta generalia latis. (*Ex cap. ut animar.* 2, *c. de constit. in* 6).—Idem dic, si locus sit exemptus, licet situs intra diœcesis fines; nam delinquens in loco exempto, diœcesanas censuras non incurrit; quia non est delinquens in territorio censurantis. *Ballerini cum aliis, ibid.*

211. Q. *An Episcopus censurare possit alienum subditum in sua diœcesi delinquentem?*

R. I. Nega, 1.° si agitur de censuris *speciali jure loci;* 2.° vel contra *jus commune;* 3.° vel inflictis contra transgredientes leges ejusdem loci proprias.

II. Affirma, si sermo sit de censuris *ab homine* per sententiam; quia omnis delinquens sortitur forum loci, in quo delinquit, post monitionem, et citationem. (*C. fin. de foro compet., Gury, n.* 946).

212. Q. *An Prælati regulares censuram ferre possint in subditos ubicumque existentes?*

R. Affirma, cum communi; quippe horum jurisdictio est magis personalis, quam territorialis. (*S. Ligor., n.* 20).—Imo etiam Episcopus regulares, licet exemptos, censurare potest: 1.° Si extra clausuram, vel ecclesiam propriam delinquunt, et morantur absque licentia superioris, aut permanenter in loco remoto ab eorum superiore, ubi puniri non possint nisi post longissimum tempus; nam qui extra monasterium manet ex licentia superioris, in monasterio manere judicatur, et exemptio

directe locum, indirecte personas respicit.—Sed hæc, ut supra, sunt intelligenda de censura *ab homine. Salm., Sanch., Silv., Bord., aliique* contra *alios.*—2.° Si religiosus in monasterio degens, extra illud delinqueret cum publico populi scandalo, et superior eum, post plures Episcopi monitiones, non puniret. *Trid. sess.* 25, *cap.* 14. *Salm. n.* 46 *et* 48. (V. S. Lig. de privil. n. 83, et seq.)

213. Q. *An possit, quis simul pluribus censuris innodari?*

R. Affirma, eo modo quo potest quis plura perpetrare peccata specie, numero, et gravitate distincta, ita et diversis ligari censuris. (Ita *communiter cum Scavini, et D. Thoma, p.* 3, *q.* 22, *a.* 6).—Imo probabilius propter unum delictum, nempe a jure, ab homine, a Papa, ab Ordinario; ita ut ab utroque absolvi debeat. (*Scavini, n.* 945, *S. Ligor., n.* 28, *Gury,* n. 956).—Item qui iteret idem crimen, intervallo posito, v. gr. qui ter vel amplius clericum percuteret, vel sacerdos irregularis, qui plures pœnitentes successive absolvat, missam celebret. (*S. Ligor., Gury, ibid.*).

214. Q. *An censuræ sit præmittenda monitio?*

R. Affirma, juxta censuræ speciem; nam pœna medicinalis necessario contumaciam supponit, et contumacia præmonitionem de errore. Unde ait Christus: *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, et publicanus.* (Matth. XVIII). Sic in jure habetur, *C. Statuimus de sent. excom.*—*Diximus juxta censuræ speciem;* nam censura ferri solet:

I. Per modum legis generalis, uti sunt omnes censuræ, quæ in jure canonico, ac Pontificum Bullis habentur;—vel per modum præcepti particularis, ut si superior alicui censuram minetur, si tale agat opus: in hisce casibus nulla requiritur monitio, cum ipsa lex, et præceptum jam satis moneant. Tamen, si agatur de censura ab homine, et ferendæ sententiæ, præsertim si crimen aliquo modo in futurum tendat, verior est sententia, quæ monitionem necessariam censet, *ajunt Ballerini, n.* 941, *Suar., n.* 4, contra *Del-Vechio n.* 825, et *alios.*

II. Per modum puræ pœnæ peculiaris, uti suspensionis, vel interdicti, v. g. si Ordinarius hic et nunc sacerdotem a missæ celebratione suspendat, volens ita eum punire ob admissam ebrietatem; in hoc casu non requiritur monitio; nam præfatæ pœnæ non induunt naturam propriæ dictæ censuræ, tam si sit latæ, quam ferendæ sententiæ, ut probabilius dicit *Del Vecchio, n.* 825; et lex tam in una, quam in alia monet.

Tamen, si sit ferendæ, reus non statim post delictum, etsi notorium, est denuntiandus excommunicatus, sed citatio est præmittenda; quia denuntiatio est quædam executio pœnæ injunctæ, et etiam fieri potest, ut citatus innocentiam suam probet. (*S. Ligor., l.* 6, *n.* 55, *aliique*).

III. Per modum sententiæ judicialis, ut si superior clerico sententiam mandet, quod si intra tot dies fructus ex officii divini omissione non restituat, *ipso facto* in suspensionem incidat; et tunc requiritur trina monitio, vel saltem una pro tribus, modo 1.° hæc abbreviatio enuntietur. —2.° Tempus tribus monitionibus æquivalens concedatur, nempe spatium duorum dierum pro singula, ideoque dierum sex. Sufficit si dicatur: *Mandamus, ut intra sex dies restituat, alias ipso facto excommunicetur.*

—3.° Si periculum sit in mora, ut si urgeat violentiam reprimere, sufficit una monitio, modo terminus designetur incurrendi censuram. Hæc ad validitatem.

—Ad liceitatem requiritur etiam, ut censura authentico scripto feratur, adnotatis censura, persona, culpa, et copia infra mensem reo exhibita, si petat. (C. *cum medicinalis I de sent. excom. in* 6; *Pal., Schmalzg. l.* 5, *t.* 39, *n.* 28).—Hodie ex consuetudine generali in omni casu monitiones in scriptis fiunt, ait *Del-Vecchio n.* 825.

Tamen 1.º si censura in plures sit ferenda, generatim sufficit, ut in ecclesia fiat monitio coram populo.—2.º Si ponatur interdictum contra communitatem, sufficit ut nominentur qui in culpa sunt.—3.º Si autem contra particularem personam, ipsa est specialiter citanda, nisi abscondatur, aut monitionem fraude impediat; tunc enim satis est, ut fiat monitio in ejus domo; si hac careat, in ecclesia, vel tribunali, aut loco publico. *(Del-Vecchio, ibid.).*

CAPUT III.

De subjecto censuræ.

215. **Subjectum censuræ** est *omnis et solus homo baptizatus, rationis capax, et subditus.*

I. *Baptizatus. Quid enim mihi*, ait Apostolus, *de iis, qui fores sunt judicare?* (I Cor. v). Et Trident. sess. 14, c. 2, ait: *Cum Ecclesia in neminem judicium exerceat, qui non prius in ipsam per baptismi januam fuerit ingressus...*

II. *Rationis capax;* nam censura ad correctionem ordinatur; hæc autem locum habere nequit in eo, qui usu rationis caret. Unde pueri, et amentes, utpote culpæ incapaces, ita sunt et censuræ.—Amentes ad tempus, ebrii, et dormientes censuras incurrunt, si tempore, quo erant rationis compotes, causam iisdem dederint; tunc enim capaces sunt culpæ, et contumaciæ.—Impuberes, licet doli capaces, tamen ob ætatis levitatem, ex indulgentia, et benignitate Ecclesiæ, eas non incurrunt, nisi lex expresse aliud statuat, uti exprimit, si monialium monasteria ingressi fuerint. (Cons. *Apost. Sed. Pii IX* 1869).

III. *Subditus;* censura est quidem actus jurisdictionis; ideo nonnisi in subditos exerceri potest.—Item esse debet persona particularis, ac determinata, si excommunicanda, *ex C. Rom. de sent. excom. in* 6.

216. Q. *An subjectum censuræ esse possit integra communitas?*

R. I. Nega, quoad *excommunicationem*, nisi constet omnes, et singulas communitatis personas criminis esse participes, ac in eo contumaciter persistere; quippe ad illam culpa gravis requiritur, et rei nominatim excommunicari debent. *C. Romana, de sent. exc. in* 6. Si feratur censura per modum statuti, vel præcepti, in quo aliquid sub excommunicatione præcipiatur, tunc omnes transgressores eam incurrunt. *Scavini.*

II. Affirma, quoad *suspensionem*, et *interdictum;* cum hac distinctione, nempe: in *suspensione* innocentes, si qui sint, solum feriuntur quoad jura, et functiones communitati competentes; minime vero quoad spectantes singulos singillatim.—In interdicto autem generali etiam innocentes obstringuntur, *ex cap. Si civitas,* 17 *de sent. excom. in* 6. Neque

ideo innocentes proprie loquendo puniuntur; sed Ecclesia justas ob causas sua beneficia, ac officia eis una cum nocentibus subtrahit ob bonum commune; et tunc melius est dicenda inhabilitas, quam censura. *(Ita communiter cum Gury, n.* 950, *Scavini, n.* 823).

217. **Exempti a censuris.** 1.° Nemo seipsum censura ligare potest: nemo sane fit sui subditus vi coactiva, sed tantum directiva.—2.° Episcopi, et Cardinales non solum non ligantur censuris a se latis, sed ex privilegio, neque suspensione, et interdicto ligantur latis a jure, vel a Papa, nisi illorum fiat specialis mentio. *(C. Quia pericul. de sent. exc. in* 6, *S. Ligor., n.* 15).—3.° Subditi privilegiati; subjectio enim, et jurisdictio sunt correlativæ. Hinc officiales Romanæ Curiæ, et Nuntii Apostolici censurari non possunt ab Episcopo loci. *(Ex cap. II de priv. in* 6). —4.° Item imperatores, reges, et reginæ, eorumque filii, quamvis in spiritualibus subjiciantur Episcopo, ex privilegio nequeunt censura ab homine ligari, nisi a R. Pontifice. Ita *communiter cum S. Antonino, Scavini, n.* 822, *S. Ligor., l.* 7, *n.* 17, *Ballerini, n.* 948.—Aliter omnino dicendum de regiis consiliariis, de populorum repræsentantibus, parlamentis, etc.; his nullum privilegium.—Neque aliunde est episcopalis coërcenda potestas, nisi certa extent argumenta. — Nam id regibus est concessum decursu temporis ob eorum singularem dignitatem. *(Scavini, Salm., S. Ligor., n.* 16).

Q. *An regulares ab Episcopo loci censuris episcopalibus ligari possint?*

R. I. Si exempti non sunt, vel si Episcopus sit ejus proprius prælatus, ligari ab ipso poterunt æque ac cæteri fideles. *(Sanc., Schmalzgr., Ballerini, n.* 949).

II. Item, si regulares exempti delinquant circa ea, in quibus *vi canonum, ac constitutionum* jurisdictioni Episcoporum subjiciuntur; ut in festorum, vel censurarum observatione ab Episcopo promulgatarum, in colloquentes cum monialibus, etc., quia jurisdictio in foro externo ad leges, et statuta exequenda inermis, ac inutilis esse non potest. Tamen ex communiori sententia Episcopi quoad hæc nonnisi delegata a Sede Apostolica potestate procedunt; nam post exemptionis privilegium, regulares manent exempti, ac Romano Pontifici immediate subjecti. *(S. Ligor., l.* 7, *n.* 241, *Gury, Ballerini, n.* 949. *Benedict. XIV* uti certum habet., *De Synod., lib.* 9, *cap.* 16, *n.* 5,—*et lib.* 7, *cap.* XLI, *n.* 5, et hoc decretum esse a *S. Congreg.* 17 *febr.* 1632 hisce verbis testatur: *In his, in quibus a jure communi, a Sancto Concilio Tridentino, et a Constitutionibus Apostolicis, tributa est Episcopo jurisdictio in regulares, potest illos etiam per censuras ecclesiasticas compellere.*

III. Si non solum generali exemptione, sed præterea specialiori privilegio gaudent, ne censurari possint circa ea, in quibus alioquin Ordinariorum jurisdictioni subjiciuntur, etsi aliis pœnis coërceri, ac puniri ab iisdem possint.—Hoc privilegium a Sede Apostolica quibusdam regularibus est tributum, uti constat *ex cap. Volentes* I, *de Privilegiis in* 6. Hoc de mendicantibus testatur. *S. Ligor., l.* 7, *n.* 241.—Hoc est concessum religiosis Societatis Jesu, uti patet ex const. *Licet debitam* Pauli III, 18 octob. 1549.

—Tamen Gregorius XV, Const. *Inscrutabili*, § *VI*, hoc derogavit quoad quoscumque exemptos, sive sæculares, sive regulares «qui in alienis ecclesiis, aut quæ suorum Ordinum non sunt, absque Episcopi licentia,

et in ecclesiis suis, aut suorum ordinum, non petita illius benedictione, aut ipso contradicente, prædicare præsumpserint: et Episcopis fit facultas, ut in delinquentes, quoties, et quando opus fuerit... per censuras ecclesiasticas, aliasque pœnas... procedere libere, et licite valeant.»

218. Q. *An appellatio excuset ab incurrenda censura?*

R. 1.° Affirma de legitima appellatione a censura conditionali; modo fiat ante lapsum temporis concessi ad conditionem implendam.— 2.° Nega generatim de censura jam lata; siquidem appellatio non suspendit, sed ejus absolutio tunc requiritur, et postulatur. Communis canonistarum vox est, appellationem tunc devolutivam esse, non vero suspensivam. (Ita *Benedict. XIV. Const.* A militantes).

219. Q. *Quomodo se gerere debet dubitans, an censura ligetur?*

R. I. Si dubitat utrum censuram incurrerit, sive dubium sit juris, v. gr. si dubitet an censura sit *latæ*, vel *ferendæ* sententiæ, sive facti, uti si crimen, v. gr. clerici percussio graviter injuriosa fuerit, debita inquisitione adhibita, et scandalo secluso, liber manet. In dubio minus est tenendum, et possidet libertas. (*Ita communiter cum Lug., Gury, Scavini, S. Ligor., n.* 32 *et* 67).

II. Secus vero si dubitet de superioris potestate, vel an a censura fuerit absolutus; tunc possident quidem auctoritas, et censura. (*Gury, n.* 949, *Scavini, n.* 944).

CAPUT IV.

De materia censuræ.

220. **Materia censuræ** *est culpa gravis, propria, externa, in suo genere completa, contra legem Ecclesiæ, contumaciæ conjuncta.*

I. *Culpa gravis;* nam pœna culpæ proportionata esse debet. Unde 1.°, si quid sub gravi, ac totali censura præcipiatur, quod, *omnibus inspectis,* leve sit, nec ad mortale, nec ad censuram obligare poterit. — Secus vero si de levi suspensione, aut interdicto agatur. — 2.° Dicitur tamen *omnibus inspectis;* quia materia ex se levis, ex adjunctis fieri potest gravis, uti ratione scandali, periculi; et tunc sub censura prohiberi. — 3.° Item, si quis esset innocens, sed judicialiter reus probatus, ac censuratus, in foro conscientiæ irregularis non fieret ministrando; sed in foro externo, ratione scandali, uti censuratus se gerere deberet. *(Scavini, n.* 823, *cum communi).*

II. *Propria;* nam peccata una cum pœna suos auctores afficere debent.

III. *Externa;* quippe censura est actus fori externi, ad externam disciplinam pertinens.

IV. *In genere suo completo,* nisi aliud exprimatur; nam odia sunt restringenda. Quare censuram in homicidas latam non incurrunt graviter percutientes, nec mandantes, nec consulentes, etiam cum intentione hominem interficiendi, modo non sequatur mors.—Secus si ipsis expresse sit imposita censura. *(Scavini, n.* 823).

V. *Contra legem Ecclesiæ;* quia censura est tantum ab Ecclesia inflicta, non a jure naturali, vel divino, aut civili; nam per censuras punitur contumacia contra leges Ecclesiæ.

VI. *Contumaciæ conjuncta;* ita ut post monitionem adhuc delinquatur, quod censuræ contemptum involvit; secus censura non esset medicinalis, sed vindicativa.— Tamen ad contumaciam constituendam sufficit contemptus interpretativus auctoritatis ecclesiasticæ, qualem habere censetur, qui scit quidem legis illius transgressioni adnexam esse censuram, sed eam nihilominus transgreditur.—Hinc imponi non debet ob peccata mere præterita in eos, qui ad meliorem frugem sese receperunt, nisi de suspensione, aut interdicto agatur, quæ aliquando per modum puræ pœnæ infliguntur. *(Scavini, n.* 823).

Q. *Quid in dubio de materiæ gravitate?*

R. Obligat superioris præceptum; item si de justa causa sit dubium, qua movetur ad ferendam censuram; possidet enim superioris potestas, et ad inferiorem non causæ cognitio, sed ejus executio pertinet.—Item si executor sententiæ privatim sciat talem esse innocentem, et secundum allegata ac probata talis non sit; ne judicii ordo pervertatur. *(C. Pastoralis de off. et potest. jud. deleg. Scavini, n.* 944, *S. Lig. l.* 7, *n.* 68).

221. Q. *An censura esse possit injusta, et valida?*

R. Sententia, vel deficit in accidentalibus, vel in substantialibus.—Si 1.m, censura timenda, ac servanda est; uti si superior censuram ferat ob verum crimen, sed ex odio, invidia, privata vindicta, etc.; quia in rei veritate justa est.—Si 2.m, nullius est roboris, neque obligationis, nisi ratione scandali, vel judiciorum perturbatione; si enim exterius valida apparet, ob id esset servanda. (*Scavini, n.* 913).

CAPUT V.

De causis a censura excusantibus.

222. **Causæ a censura excusantes** sunt quinque.

Ignorantia, impotentia, metus, consensus illius in cujus favorem lata est censura, et appellatio legitima interposita.

I. **Ignorantia invincibilis** tum *juris,* tum *facti,* tum *pœnæ:* 1.° *Juris,* si scias te utique clericum percussisse, sed ignorabas tunc talem percussionem speciali modo ab Ecclesia esse prohibitam.—2.° *Facti,* si scias prohibitionem, et pœnam adesse, sed nesciebas percussum esse clericum. —3.° *Pœnæ,* si sciebas percussum esse clericum, et tale crimen esse ab Ecclesia vetitum, sed invincibiliter nesciebas percussorem clerici censurari; quippe semper deesset contumacia, vel censuræ contemptus; nam voluntas non fertur in incognitum. (*S. Ligor., l.* 7, *n.* 43, *et ex jure canonico*).

Q. *An a censura excuset ignorantia vincibilis?*

R. I. Affirma, si hæc graviter culpabilis non sit; quia tunc deest culpa gravis, et contumacia in Ecclesiam. (*S. Ligor., n.* 45, *Gury, n.* 935, *cum communi*).—Item excusat omnis invincibilis ignorantia antecedens,

ac etiam concomitans. *Unde si quis occidit clericum, ignorans esse clericum, non incurrit excommunicationem, quamvis si scivisset, etiam occidisset, aut si factum scienter approbat. Quia nec ille pravus animus, nec ratihabitio, nisi occisio sit facta nomine suo... de facto influunt in illam clerici occisionem ; secus vero esset, si diceret :* Volo hunc occidere, etiamsi sit clericus; *nam, si vere clericum occidit, tunc excommunicationem non effugiet. Ita S. Ligor., l.* 7, *n.* 43, *cum communi.*

Quod autem dicitur de excommunicatione, idem *de suspensione* dicendum putant *Salm. cap.* 1, *n.* 193. *Et idem probabiliter asserunt de irregularitate.* (S. Ligor., n. 44).

II. Nega, si ignorantia sit graviter culpabilis, contraria ratione; nam talis ignorantia crassæ seu supinæ æquiparatur, quæ ex se non excusat. Et sane, ut ait Suarez : *Omnis ignorantia, quæ ad mortalem trasgressionem sufficit, crassa, vel supina dicenda est.* (De cens., d. 4, sect. 10, n. 12). Major illis non invenitur nisi *affectata*. Excipe si in decreto dicatur : *Qui hoc fecerit scienter, temere, consulto, qui præsumpserit ausu temerario*, etc.; hæc enim verba voluntarium directum, ac perfectum postulant, et tunc ex certa scientia censura esse debet. (*Gury, S. Ligor., n.* 17).—*Et ex S. Congreg. Officii,* 12 *jan.* 1870, per dicta verba significatur, quod quis non coactus, aut ignarus, sed *prudens, et sciens deliquerit, quem porro omnis excusationis expertem censuræ subjacere mirum esse non debet.*

Q. *Utrum in hoc casu excuset etiam ignorantia affectata?*

R. Nega communius; nam hæc dolum formalem includit, et scientiæ æquivalet. (*Suarez, S. Antoninus, S. Ligor., n.* 48, *aliique plurimi*).

Alii non pauci cum *Sanch. Bon., Salm., c.* 1, *n.* 199, affirmant; nam qui peccat ex ignorantia affectata, etsi velit ignorare, ut liberius peccet, tamen demonstrat aliquam reverentiam erga legem, dum quærit ipsam ignorare ex timore, quod si ipsam sciret, retraheretur a peccando; ergo deest contemptus formalis legis, ac contumacia delinquentis. *Hanc sententiam non audeo dicere improbabilem,* ait S. Alph. ibi. *Sed primæ magis adhæreo, saltem ut communiori.* (V. n. 455).

223. II. **Metus respective gravis**, *generatim loquendo*, a censura excusat; quia lex ecclesiastica in se sumpta non obligat cum gravi incommodo; et corruente culpa, corruit etiam pœna illi adnexa. Hinc si quis gravi metu cogeretur Missam omittere die festo, nec peccaret, nec censuram incurreret, casu quo omissio sub censura esset.—Secus dic de metu levi. (*Gury, n.* 940, *Scavini, n.* 826, *S. Ligor., l.* 7, *n.* 46).

Q. *Quid si agatur de vetitis jure naturali, vel divino, ac simul etiam ecclesiastico cum censura ?*

R. Valde probabiliter a censura excusantur transgressores, etsi graviter peccent contra legem naturalem, vel divinam. Ratio est, quia metus gravis, etsi non eximat a lege naturali, vel divina, excusat a lege ecclesiastica; censura autem non incurritur per violationem legis divinæ, sed propter culpabilem transgressionem legis ecclesiasticæ; ergo cessante hac lege, cessat etiam censura. (*Ita Gury, Scavini, S. Ligor., ibid.*)

Tamen exceptiones hæc doctrina habet « Quando nempe observantia legis humanæ moraliter necessaria videtur pro conservando bono publico, aut si ejus violatio cedat in contemptum fidei, vel legis, vel potestatis ecclesiasticæ, transgrediens ex gravi metu, etiam vitæ, legem sub censura positam, non excusatur ab illa... quia cum in talibus casibus nullus

metus excuset ab observantia legis ecclesiasticæ... ita etiam non excusat a censura, ait Reiffenstuel, lib. 5, tit 89, n. 34.» *Ballerini, Scavini, Del-Vecchio, n.* 826.

224. III. **Impotentia** tum physica, tum moralis; ex juris enim regula, *nemo ad impossibilia obligari potest.* Aliunde lex humana non obligat cum gravi incommodo.

IV. **Consensus** *illius in cujus favorem censura lata est,* ut si creditor debitori proroget restitutionis tempus, vel debitum remittat.

V. **Appellatio** *legitime interposita;* quia hæc suspendit usum jurisdictionis in inferiore, ad superiorem causam elevans. Sed requiritur 1.° causa sufficiens; nam appellationis remedium *non est ad defensionem iniquitatis, sed ad præsidium innocentiæ institutum,* ut ait *Innocent. III.* —2.° Ut fiat ante incursam censuram; nam re consummata, nullus est amplius consilio, sed absolutioni locus.

CAPUT VI.

De censuræ cessatione, et absolutione.

225. Q. *Quot modis cessat censura?*

R. Vel agitur de pœna inflicta, et nondum incursa, vel jam incursa. —Si 1.m, cessat 1.° per *abrogationem,* et *revocationem* legis, vel mandati, aut statuti censuram infligentis; seu per novam legem, aut legitimam consuetudinem ei contrariam, *uti de legibus diximus.*—2.° Per *cessationem,* quæ fit superioris auctoritate in judicio appellationis.—3.° Per *mortem* tum *ferentis,* si sit *ab homine,* vel per *ejusdem* renuntiationem officii, vel per translationem, tum per mortem censura irretiti. (*Scavini, n,* 827).

—Si 2.m, cessat censura 1.° *lapsu temporis,* si per modum pœnæ ad tempus inflicta fuerit.—Idem dic de censura conditionali, post hujus conditionis adimplementum.—2.° *Absolutione, quæ est relaxatio censuræ formis ab Ecclesia præscriptis.*

226. **Censuræ absolutio** adeo necessaria est, ut etiam, satisfactione præstita, ac emendatione sequuta, *per se* adhuc coram Deo censura maneat, quousque absolvatur. Constat 1.° ex hac propos. sub n. 44 ab Alexandro VII damnata: *Quoad forum conscientiæ, reo correcto, ejusque contumacia cessante, cessant censuræ.*—2.° Ex jure canonico, *cap. Cum desideres de sent. excomm.*

Q. *An absens absolvi possit a censura?*

R. Affirma, saltem valide; sicut enim statui potest pœna in absentem, ut supra diximus, ita et ejusdem relaxatio ab imponente, seclusa speciali prohibitione. *(Gury, n.* 954, *Scavini, n.* 832).

Quod currit etsi superior absolvens, extra diœcesim moram trahat; nam hæc absolutio est mera vinculi relaxatio, quæ fieri potest per nuntium, vel per litteram, etc., nec requirit causæ cognitionem, neque judicii strepitum. Tamen extra necessitatem non licet, ut commune est. *(Scavini, n.* 832, *Suar., Croix, n.* 470, *Gury, n.* 954).

Q. *An absolvi possit invitus?*

R. Etsi absolutio peti debeat, *ne sententiam ecclesiasticam contemne-'e videatur* reus, *C. per tuas de sent. excom.*, tamen aliquando *licite*, et emper *valide*, invitis dari potest; quia sicut pœna in absentem et in-'itum ferri liquet, sic etiam ab eo auferri; non enim de statu gratiæ, ıeque de actu rei agitur, sed de relaxatione superioris.

Tamen id fieri, nisi ratione boni communis, vel alterius gravis causæ ıon expedit, ne dum a contumacia ille non cessat, censuræ contemptus ıabeatur. *Gury, n.* 955, *et S. Ligor., n.* 117.

Q. *An sit valida absolutio per metum extorta?*

R. Affirma, si metus juste incutiatur, ut si judex absolvere nolit, essante contumacia; cogitur sane is ad quod jam tenetur.—Secus si ıetus sit injuste incusus; nam talis injuria gratiam non mœretur.—'ariter nulla est absolutio data ob falsam causam, quæ sit principalis. *Scavini*).

Q. *An qui pluribus est obtrictus censuris, absolvi possit ab una, aliis emanentibus?*

R. Affirma, quia inter eas non est necessaria connexio. Habentur ıstar funiculorum, quorum alii sine aliis solvi possunt.

Q. *Quot modis spectari potest censuræ absolutio?*

R. Triplici, nempe; *ratione fori*, in quo conceditur; *ratione modi*, uo datur; et *ratione personæ*, cui, vel a qua tribuitur.

I. *Ratione fori:* duplex est Ecclesiæ forum, scilicet: *internum*, et *ex-ernum;* ideoque duplex est censuræ absolutio.

II. *Ratione modi*, est 1.° *Simplex.*—2.° *Conditionata*, vel de præte-ito, vel de præsenti, vel de futuro; v. g. si *satisfecisti*, si *satisfacis*, i *satisfacias.*— 3.° *Totalis,* vel *partialis*, prout ex integro tollitur, vel on.—4.° *Ad cautelam,* vel si forte quis censura fuerit ligatus.—5.° *Ad eincidentiam*, id est, ut, modo præscripto non impleto, reviviscat.—Sed ensura absoluta cum reincidentia, v. g. si intra mensem non satisfa-is, probabilius ad eam requiritur nova culpa; nam censuræ suspensio on admittitur sine Pontificis, vel censurantis auctoritate; quia si esset ıspensa, esset viva, proindeque cum effectibus suis; si mortua, revivis-ere nequit, nisi per novam causam. (*Del-Vecchio, n.* 828, *Salm.*, *Ronc.*, *'al.*, *S. Ligor., l.* 7, 125, *aliique*).

III. *Ratione personæ:* est considerandum an absolvens facultatem abeat, et absolvendus impedimentum aliquod.

227. **Absolutio a censuris non reservatis**. Quilibet confessarius pprobatus absolvere potest (*nisi censuræ sint latæ ab homine per senten-am specialem, vel a jure, sed in designatam communitatem*) omnes cen-ıratos, etsi de aliena diœcesi sint, ab excommunicatione, suspensione, et terdicto, tam pro foro interno, quam externo, ut colligitur ex jure cano-co. (*C. Nuper*, 29 *de sent. excomm.*), et communiter docent *Auct. cum . Thoma, Sup. q.* 42, *a.* 1,—ac confirmat Ecclesiæ praxis.

—Imo probabilius, qui in foro interno potest, id extra confessionem otest; hæc absolutio magis externum forum respiciat. (*S. Lig. n.* 70). onet tamen, quod ubi publica fuerit censura, licet non juridice denun-ıta, ad præcavendum scandalum, constare palam debere de absolutione. Satis tamen præcavetur scandalum (*ait P. Ballerini, n.* 951), si palam onstet, illum fuisse confessum habenti facultatem absolvendi, et sa-sfactio in casu necessario fuerit exhibita.—Hæc maxime in hæreticorum

conversione deservire poterit, præsertim si amplius a converso expectari nequeat.

—Si vero censura lata sit *ab homine per sententiam specialem, vel a jure, sed in designatam communitatem*, non potest confessarius ab ea absolvere; quia in 1.° casu, etsi reus domicilium mutet, absolvi nequit nisi ab eo, qui censuram tulit, vel ab ejus successore, aut superiore, vel horum delegato; tum quia ejus est solvere, cujus est ligare; tum quia aliter frustranea esset talis censura; nam ipso die absolvi posset quis a quolibet confessario, quod in auctoritatis, ordinis, ac moralitatis detrimentum vergeret.—Idem in 2.° casu; siquidem communitas pœnitentiali foro non subjacet, ex supradicta ratione.

—Secus dic de censuris *ab homine, vel a jure per sententiam generalem, vel in personas indeterminatas;* v. g. in omnes, *qui tale agant, vel agunt, vel egerint,* absque ulla reservatione latis ; nam tunc æquiparantur latis a jure non specialiter reservatis. Ita communissime *Croix*, *Salm.*, *Ballerini*, *n.* 951, *Del-Vecchio, n.* 829, *S. Ligor., l.* 7, *n.* 73, *aliique contra paucos.*

228. **Absolutio a reservatis censuris extra necessitatem.** Nullus sacerdos, neque inferior ab ipsis absolvere potest absque delegatione. *Id unum pœnitentibus persuadere nitantur, ut ad superiorem, et legitimos judices pro beneficio absolutionis accedant,* ait Tridentinum; secus frustanea esset reservatio.

—*Legitimi judices* sunt 1.° qui ipsas censuras tulerunt.

—2.° Ejus successores, vel superiores, etsi sacerdotes non sint; quia ad hoc non requiritur sacramentalis jurisdictio.

— 3.° Speciales a supradictis delegati; nam res per quas causas nascitur, per easdem dissolvitur.

—Qui autem generalem habet facultatem a Papalibus absolvendi, non ideo absolvere potest a casibus *speciali modo* reservatis, nisi id explicite in concessione exprimatur; specialia equidem non continentur in generalibus.

—Item qui potest absolvere ab *specialiter reservatis,* non ideo absolvere potest a censura *complicem absolventi inflicta;* uti declaravit *S. Officii C.* 17 *jun.* 1866. (*Gury, n.* 953). Unde Episcopus absolvere ab hac ceusura nequit, etsi occulta sit; quia est *speciali modo* Papæ reservata. Quoad regulares v. n. 764.

229. **Absolutio a reservatis censuris in mortis articulo.** Deficiente legitimo judice, vel delegato, aut approbato confessario, quilibet sacerdos, etsi ad confessiones nondum approbatus, absolvere potest ab omni excomunicatione, suspensione, et inter dicto, utcumque reservatis; imo etsi ipse excommunicatus sit, si alii desint; sed cum promissione, et onere satisfaciendi quamprimum parti læsæ, si adsit (*ita omnes*), et se præsentandi superiori, vel delegato, si convaluerint ita absoluti, sub onere reincidentiæ *ex jure.* Ita probabilius, et communius quoad præsentationem. (*Gury, n.* 570, *Scavini, n.* 829, *S. Ligor, l.* 7. *n.* 92, *aliique plurimi*).

—Tridentinum non loquitur de censuræ absolutione in articulo mortis, sed de casibus reservatis in genere. Unde aliqui putant, dictam præsentationem necessariam non esse, nisi 1.° quando censura est notoria, aut deducta ad forum contentiosum;—2.° cum est lata specialiter ab homine;—3.° cum lex expresse talem imponit obligationem per verba *standi mandatis Ecclesiæ.* Quoad Hispaniam v. T. II, n. 482.

—Ita Pius IX Const. *Apost. Sedis* hoc onus expresse imponit absoluti

ı mortis articulo a censuris *speciali modo* reservatis: quoad alias autem ensuras de hoc onere tacet. Patet igitur aliquam esse admittendam liıitationem, ait *Del-Veccio, n.* 829.

—Tamen pro interno foro sufficit promissio in illo tunc; pro externo equiritur etiam a pœnitente juramentum se præsentandi ad superioem, mandatisque Ecclesiæ standi.—Hæc præsentatio per procuratorem tiam fit. (*Del-Vechio, ibid., aliique plurimi*).

—Concessa confessariis amplissima absolvendi facultate in jubilæo b omnibus criminibus, et censuris Ordinariis, ac ipsi Papæ reservatis, ensetur data absolvendi etiam ab externa hæresi, aliisque censuris, etsi pecialiter reservatis. *Ita S. C. Officii* 12 *jan.* 1870.

230. **Absolutio a papalibus occultis.** Ex Trident. (*excipe ubi recepım non est*), ait *Gury, n.* 952, cum *Suar., Salm., S. Lig., n.* 30, et communi, Episcopus, non vero Cardinalis, absolvere potest, per se, vel per Vicaium ad id specialiter deputatum, vel generaliter deputatum cum faculıtum specificatione, ut docet *communissima sententia cum S. Lig., n.* 34, uos subditos in sacramentali confessione tantum, prout declaravit Gregoius XIII, a censuris occultis, et irregularitate R. Pontifici reservata, ea xcepta, quæ oritur ex homicidio voluntario. (*Cap* 6, *Liceat, sess.* 24, *. Ligor., l.* 7. *n.* 81). (V. n. 297.)

Insuper vigore *Cap. Liceat* potest Episcopus absolvere, et delegare abolvendi facultatem etiam a casibus reservatis cum censuris ab aliis piscopis, quando sunt occulti, ut probat *Bon.* et particula *etiam*: *In quiuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis*, ut legitur in odem capite: Excipit. *Bon.* censuram latam per sententiam particularem; am sic non est amplius occulta; et addit hoc consuetudine receptum vieri, citatque *Suar. n.* 27, *Avil. Coninch. et alios.*—Episcopus dispensare equit quoad inhabilitates a Pontificibus injunctas, v. gr. recipiendi benecia, celebrandi, sine speciali facultate Pontificia. *S. Lig. n.* 63, *contra alios.*

— Nomine Episcopi veniunt etiam Vicarii Capitulares, Sede vacante, ıon vero vicarii Episcoporum). *S. Lig. n.* 30. Item Abbates, aliique juiśdictionem episcopalem habentes. (*Sanch., Henr., Salmant., n.* 45, *liique contra Bon., Suar., apud Croix, lib.* 7, *n.* 141).—Et nomine subiti veniunt etiam vagi, peregrini; nam subjiciendo se foro sacramentali, unt Episcopum subditi: item omnes habentes animum permanendi in ɔco illo per majorem anni partem, ut tenent *Suar., Sanch., Bon., Barb., liique apud S. Ligor., n.* 79, *et l.* 1. *n.* 32 *de privil.*

—Imo Episcopus dispensare potest ab irregularitate, et suspensione ccultis cum suo subdito, qui in aliena diœcesi moratur; quia dispenıtio est actus voluntariæ jurisdictionis, quæ per se absenti concedi otest. *Ita probabilius et communius. Suar., Sanch., S. Ligor., lib.* 7, *n.* 1, *aliique plurimi contra paucos.*

— Excipe censuras *speciali modo* Papæ reservatas, et casum in Bulı Benedic. XIV *Sacramentum Pœnitentiæ* ex Const. *Apost. Sedis*, et ex ecreto 27 jun. 1866. *Scavini, n.* 878.

831. Q. *An Episcopus absolvere possit ab irregularitatibus, et a Papaus occultis, etiam post Tridentinum reservatis?*

R. Affirma, siquidem Concilium indefinite hanc dat facultatem; *ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus.* Excipe, si in aliqua ulla posteriori adsit clausula derogatoria, ut si dicatur: *Non obstanti-*

bus decretis cujusvis Concilii, vel nisi in mortis articulo, etc.—Item alienigenas personas ab hisce occultis casibus absolvere possunt Episcopi, et Vicarii Capitulares, *Sede vacante,* cum fiant subditi in pœnitentiæ sacramento. (*Ita communisime cum Suar., Bon., Sanch., Dian., S. Lig. n.* 36).

232. Q. *Quandonam casus dicitur occultus?*

R. Communiter dicunt AA. illud esse occultum, quod non est notorium, et potest aliqua tergiversatione celari, etiamsi per aliquos testes probari possit. *Ita Suar., Sanch., Bon., Avila, Reg., Asor., Tour., Sagr., Salm., Barb., Fagn., S. Lig., lib.* 6, *n.* 593, *aliique plurimi.*—Ut crimen dicatur publicum requiritur: 1.° ut sit notum fere omnibus, vel saltem majori parti viciniæ, parochiæ, collegii, seu monasterii, modo ibi adsint decem personæ;—2.° vel ut sit deductum ad forum contentiosum, et probatum saltem per unum testem. Secus si nullo modo fuerit probatum[1], etsi reus malis artibus hoc obtinuerit, et ibi absolutus fuerit. (*Sanch., Bon., Con., etc.*)

Unde dicitur occultum: 1.° etsi illud sciant quinque, vel sex personæ. —2.° Licet crimen complicis sit ad forum deductum. (*Salm., Nav., Bon., Sanch., S. Lig, l.* 7, *n.* 76.)—3.° Si factum appareat dubium, vel si reus se conferat in longinquum, ubi est ejus crimen occultum, ibi ab Episcopo absolvi poterit. (*Sanch., Barb., Coll., contra Suar., Scavini, n.* 940). (V. T. II n. 413).

233. **Absolutio a reservatis papalibus quoad impeditos Romam adire.** Non vi Tridentini, sed vi juris communis potest Espiscopus per se, vel per alios specialiter deputatos, ab omnibus casibus, etsi publicis *speciali modo* Papæ a jure, vel ab homine reservatis, etiam ab hæresi externa absolvere; nulla sane habetur specialis exceptio: sed cum onere se præsentandi superiori, si cessaverit impedimentum, quod temporaneum judicatur.—Si impedimentum sit perpetuum, absoluti omnino liberi manent ab onere comparendi.—Ut autem impedimentum dicatur perpetuum, sufficit ut per decennium duret; et secundum Tamb. *etiam per quinquennium, et consentit Viva in prop.* 3 *Alex. VII, n.* 6, *et Ronc. dict. q.* 4, *R.* 2, ait *D. Ligor., lib.* 7, *n.* 88.

Q. *Quinam dicuntur impediti?*

R. Sequentes: 1.° *Senes* septuagenarii, et probabiliter sexagenarii, ut dicunt *P. Viva, et S. Ligor., n.* 88, ac etiam impotentes ad ambulandum. (*Barb., Silv., etc.*)

2.° *Impuberes*, quorum absolutio ex jure ordinario datur Episcopis *in C. Fin. de sent. excom.* Ideoque hi sunt exempti ab onere comparendi, etiamsi post pubertatem absolutionem petant. (*Salm., n.* 67, *S. Ligor., ibid.*).

3.° *Mulieres*, nisi expresse in censura notetur, uti excommunicatio incursa a moniali ob fractionem clausuræ, quamvis occultam, quæ semper reservatur Papæ ex declaratione Greg. XIII; *filii familias, carcerati, collegialiter viventes, et milites.* (S. Lig., ibid.).

4.° *Regulares*, etsi censura incursa sit ante ingressum in Religionem, absolvi possunt a suis Prælatis, nisi *excessus extiterit enormis.* Ita *jus canonicum.*

5.° *Servi, pauperes* (nisi jam sint mendicantes), scilicet, qui ob inopiam nequeunt Romam petere.

6.° *Infirmi*, scilicet, laborantes longa, et gravi ægritudine, licet non mortifera, puta, quartana, ut dicunt *P. Milante, Salm., Potest.,*

Pal., qui his addunt *debiles*, sive *delicatos*, non valentes ferre labores itineris. Sed pro istis, nisi periculum sit in mora, consulendus est Papa. *(Ex cap. Mulieres de sent. excom. S. Ligor. ibid.)*

7.° *Cura obstricti alendi, administrandi familiam, vel publicum gerendi officium,* quod non potest relinqui sine publico detrimento. *(Laym., Potest., Pal.)*

Denique censentur impediti, quicumque iter arripere nequeunt sine gravi damno spirituali, vel temporali suo, vel suorum. *(Viva, S. Ligor. ibid).*

Advertit *S. Ligor.*, *n.* 88, *cum Avila,* quod si sacerdos carens facultate absolvendi, absolvat impuberem in periculi mortis a censura Papali, debet ei imponere, ut extra periculum se præsentet Episcopo.

234. Q. *Quid si impedimentum sit per longum tempus?*

R. 1.° Si impedimentum censeatur perpetuum, id est duraturum per decem annos, vel saltem per quinque, ut dicunt *Ronc., Viva, et Tamb.,* absoluti ab Episcopo liberi penitus manent. *(Ex C. de Cœtero, de sent. excom. Tunc onus sistendi superiori non imponitur,* ait *Ballerini, n.* 952). —2.° Si duret impedimentum per annum, vel per sex menses, adhuc absolvere potest Episcopus, sed *exceptis pueris, ac mulieribus*, juramentum ab impedito emitti debet de se quantocius superiori præsentando, sub reincidentiæ pœna, ut absolvi quis possit. *S. Lig., l.* 1, *de privil. n.* 42, *et l.* 7, *n.* 86.—3.° Si ad breve tempus sit, nempe per dies, potest tantum absolvere Episcopus, si urgeat necessitas communicandi, vel celebrandi, ad infamiam, vel scandalum vitandum, in suo statu manente censura, et cum obligatione superiorem adeundi; nam censura cum statu gratiæ non pugnat, sed tantum Ecclesia indispositum facit censuratum, et a sacramentis arcet; quæ prohibitio obligare desinit, ubi contra ipsam concurrat fortius præceptum; vitandi nempe grave damnum, sub quo non obligat lex humana. (*Del-Vecchio, n.* 829).

235. Q. *An impediti personaliter Romam adire teneantur per procuratorem, vel epistolam ad absolutionem a casibus Sedi Apostolicæ reservatis?*

Respondit *S. Officii Congr.* 8 jul. 1860: *Consulat probatos auctores, inter quos S. Alphonsum Mariam de Ligorio.* Sanctus ait: *Probabilior et communis est sententia negativa cum Ronc., qui vocat tutissimam sententiam Milan., Viva, Pal., et Spor. cum communi, et Salmant. cum Con., Enriq., Dic., Avila, Diana:* ergo non adest talis obligatio.—Ratio, quia, extante impedimento Romam adeundi, ex jure restituitur Episcopis potestas ordinaria absolvendi per reservationem Bullæ ablata; aliunde jus, ut ait *Roncaglia,* non obligat reum, nisi ut personaliter Papam adeat; unde, si id præstare nequeat, ad aliud non tenetur. *(S. Lig. de privil. n.* 44, *Del-Vecchio, n.* 830).

—Quod autem ad Pœnitentiariam fiat recursus, non concludit: hoc privilegium favorabile est, quo nemo uti tenetur.—Et etiam ob temporaneum impedimentum fit recursus, ut non amplius reviviscat. *Et sic pariter ab Episcopo in casu impedimenti reus absolvi potest, etiamsi adsit Nuntius Apostolicus, qui possit facile adiri, ut probabilius tenet Ronc., Salm., Corn., Dian., Avil., Henr., et Lugo contra Mol., Con., etc.,* ait *S. Ligor., lib.* 7, *n.* 89, cui adhæret *Del-Vecchio*, *n.* 830.

236. Q. *An etiam impediti adire Episcopum, absolute a reservatis absolvi possint a quoqumque confessario?*

R. Affirmant *probabiliter,* ait *S. Ligor., l.* 7, *n.* 92, cum onere comparendi ad Episcopum, impedimento cessante, *Ronc., Pal., Spor., Croix, cum Navar., Abb., Ang., Tamb., Salm., Tann., Silv., Henr., Viva, Perez, Gran., Dic., Ross., et Cœlest. contra Suar., Lugo, Dec., etc.,* quia ubi eadem est ratio, idem jus debet esse; tum *quia in C. Nuper* 29 *de sent. excom.* habetur, *quod impeditus a suo absolvatur Episcopo,vel proprio sacerdote:* et nomine proprii sacerdotis, ut notat Glossa, *ex cap. ult., q.* 26, et recte inferunt *Salm., c.* 3, *n,* 164, *ex c. Omnis, de pœn.,* venit quidem quilibet legitimus confessarius. Ita etiam *Ballerini, t.* 2, *n.* 575.

S. Ligorius tamen addit : *Sed probabilius puto cum Spor., Salm., Ronc. et aliis communiter, ut supra , hoc non admittendum, nisi quando non patet facilis recursus ad Episcopum; nam* to *a suo Episcopo, vel proprio sacerdote, communissime DD. interpretantur non disjunctive, sed subrogative, nempe quando Episcopus nequit adiri. (V. T. II, n.* 781 *et* 782).

237. Q. *Quid requiritur in abssolvendo a censuris?*

R. I. Ut reus primum parti læsæ satisfaciat, in cujus damnum est commissum crimen; ita postulant justitia, pœnitentiæ ordo, conscientia rei, et absolventis tranquillitas, ac securitas. Constat etiam ex declaratione *S. Pœnitentiar.* 5 *jul.* 1857. Unde *plures* contra *plures* censent quod, si satisfieri possit, est conditio *sine qua non valet absolutio. (Scavini, n.* 834). Et ita erit cum delegatus sub hac conditione parti læsæ satisfaciendi a superiore facultatem obtinuit. Secus si ita non eveniat, vel si absolvens est superior, et aliunde rite dispositus pœnitens.

Excipe: 1.° Si pars læsa remittat.—2.° Si justam satisfactionem rejiciat; tunc enim non per reum stat omissio.—3.° Si reus impotens est ad satisfaciendum; tunc judex debet eum absolvere; nam ad impossibile nemo tenetur. *(S. Ligor., lib.* 7, *n.* 128).

—*Si vero non possit* (antea satisfacere), *nec etiam absolutio differri possit, nisi per multum tempus, vel cum magno detrimento , tunc censeo,* ait Suarez, *posse absolvi, si satisfaciat eo modo , quo de præsenti potest, id est præstando cautionem, vel pignoratitiam, si potest, vel juratoriam, si majorem non potest.* (De cens., D. 7. Sect. 5, n. 41). *Quia non est verisimile, Pontificem postulare conditionem impossibilem.* (*V. T.* II, *n.* 482).

Hæc tamen pro foro externo, seu judiciali videntur esse intelligenda; nam pro interno, in casu impossibilitatis, sufficit seria promissio, spectata personæ qualitate, saltem si censura est occulta. (*Dian., Val., Henr., Lay.*) Hoc præcipue servire poterit quoad usurpatores bonorum Ecclesiæ, et clericorum percussores.

II. Ut scandalum propter quod censura fuit inflicta reparetur. Imo si agatur de scandalosa ecclesiæ violatione, vel de enormi clericorum percussione, ante absolutionem juramentum exigi solet, de tali crimine amplius non patrando.

238. Q. *Quænam est absolutionis forma?*

R. Quoad validitatem sufficit, ut per quodlibet sensibile signum manifestetur absolutio; nulla quippe adest forma præscripta.—Sed ad licite absolvendum in foro interno adhibetur forma in pœnitentia consueta: *Ego te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, et interdicti.*—In foro externo adhibetur forma in Rituali descripta. Hæc sine Episcopi licentia adhiberi non debet. Plerumque, ut fert praxis universalis, secreto, et in pœnitentiæ sacramento absolvi debent censuræ. (*In Scavini, p.* 473).

DE SINGULIS CENSURÆ SPECIEBUS.

CAPUT I.

De excommunicatione.

239. I. **Excommunicatio** est quasi *a communione exclusio*, et definitur : *Censura per quam baptizatus ab Ecclesiæ communione separatur; sive bonis, quæ inter fideles communia sunt ex parte, vel ex toto privatur.* Intelliguntur bona externa, et mixta, non vero interna tantum.

II. Dixerunt Lutherus, et jansenistæ : *Excommunicationem esse pœnam tantummodo externam, neque privare fidelem communibus spiritualibus Ecclesiæ orationibus;* quorum error damnatus est contra Lutherum a Leone X, Bulla *Exurge,* et contra jansenistas a Pio VI, Bulla *Auctorem fidei.*

III. Excommunicati majori excommunicatione dicuntur *tolerati,* et *non tolerati,* prout fideles illos vitare, vel non vitare tenentur.

240. **Excommunicati vitandi.** Hodie tantum sunt vitandi ii, *qui excommunicati sunt nominatim,* id est, per sententiam in ipsos *expressis nominibus latam, a judice publicatam, et denuntiatam specialiter, et expresse,* ut ab aliis omnino secernantur. Non adest ergo obligatio excommunicatos vitandi, etiam notorios, licet hæreticos, nisi isti sint *nominatim excommunicati,* modo dicto, et in *loco publico, aut scripto, aut voce declarati.* (Scavini, n. 834, Gury, n. 958). Ita ex Cont. seu Extravagant. Martini V. *Ad vitanda scandala,* an. 1418, et nunc ex Const. *Apostolicæ Sedis* Pii IX, an. 1869, remota omni exceptione.—Cæteri dicuntur tolerati, et non vitandi, qui utique per se communicare nequeunt cum fidelibus ; at non prohibentur hi cum illis communicare, ex juris dispositione.

In dubio an quis sit vitandus necne, eum vitare non tenemur ; nam odia sunt restringenda. *(Scavini, n.* 834). Tamen id urgere prudentia potest, vel charitas, quoties nempe adest scandali, vel damni spiritualis periculum, aut si illos fugiendo, eorum emendationis oriatur spes.

Hodie minor excommunicatio per Const. *Apost. Sedis* sublata est, manet tamen prohibitio sub culpa cum vitandis communicandi, et adest major excommunicatio *latæ sententiæ* simpliciter reservata in his duobus tantum casibus : 1.° Si vitando auxilium impenderint, vel favorem *in crimine criminoso*, nempe, *in eo delicto propter quod lata erat censura.*—2.° Si eum scienter, et sponte receperint in divinis officiis, scilicet in illis quæ clerici, ut Ecclesiæ ministri, obeunt.—Cæterum præceptum abstinendi a divinis officiis videtur obsoletum, sicut et prohibitio communicationis in civilibus. (*Del-Vecchio, n.* 834).

CAPUT II.

De excommunicationis effectibus.

221. **Excommunicationis effectus** sunt *immediati, et mediati. Immediati* sunt: 1.° Privatio sacramentorum.—2.° Privatio divinorum officiorum.—3.° Privatio Ecclesiæ suffragiorum.—4.° Privatio sepulturæ ecclesiasticæ.—5.° Privatio ecclesiasticæ jurisdictionis.—6.° Privatio beneficiorum.—7.° Privatio forensis, et civilis communicationis.

Mediati autem sunt: 1.° Irregularitas, quam incurrunt qui, excommunicatione innodati, solemniter Ordinis sacri actum exercent, vel illicite sacramenta ministrant.—2.° Hæresis suspicio; qui enim per annum in excommunicatione insordescit, contra illum, ex Tridentino, sess. 25, c. 2, de R., tanquam de hæresi suspectum procedi potest; nam præsumitur male sentire de Ecclesiæ potestate. *Croix, Del-Vecchio, n.* 836, *S. Ligor., lib.* 7, *n.* 157, ad omnes censuras extendunt. *Ballerini, n.* 159, ad solam excommunicationem; et adhuc ad solos vitandos extendi addit, in quo conveniunt *Covarr., Sayrus, Marius, Alterius*, et *Ugolinus.*—Tridentinum enim ait generatim: *Si obdurato animo censuris annexus in illis per annum insorduerit...* Ergo ad omnes censuratos extendi valet.—3.° Probatio delicti; qui enim per annum obstinate perdurat in excommunicatione, in jure habetur pro convicto de delicto.—4.° Privatio beneficiorum jam obtentorum; si enim excommunicatus triennio sic perseveret, debet a judice beneficiis omnibus privari. Ita ex jure canonico.—Tamen *etsi possint judices hanc pœnam... irrogare, non tamen tenentur; quia numquam cavetur in jure hæc obligatio,* ait Schmalz. lib. 5, tit. 39, n. 197. Pauca de singulis.

242. I. **Privatio sacramentorum.** Excommunicatus sive toleratus sit, sive non, *valide sacramenta conficit, ac recipit;* modo omnia ad sacramentum necessaria concurrant. Excipe pœnitentiam quoad confectionem 1.° pro vitando, extra necessitatis casum, vel errorem communem cum titulo colorato; quia extra hos casus, ex Ecclesiæ præscripto, jurisdictione caret.—2.° Pro tolerato quoad susceptionem, nisi invincibiliter id sibi prohiberi ignoret, sicut et vitandus in hoc casu; quippe cum dispositus sit, nequit Ecclesia inhabiles reddere ad sacramenta directe eos, qui jure naturali, ac divino habiles sunt. *S. Lig. n.* 166.

Q. *An excommunicati sacramenta licite conficiant, suscipiant, et ministrent?*

R. I. Vitandi sive rogati, sive non, extra necessitatis casum illicite in iis agunt; graviter enim omnis cum fidelibus communicatio, et maxime in divinis, est eis interdicta.—Imo irregularitatem incurrunt sic ministrantes sacramenta ob censuræ violationem. *(C. ult. de cler. excom. min., Ballerini, n.* 960, *S. Ligor., n.* 172).

In casu gravissimæ necessitatis tum propriæ, tum alienæ, tum spiritualis, tum temporalis, licite ministrari, et ministrare permittitur eis; maxime baptismum, et pœnitentiam; quia non præsumitur piam Matrem Ecclesiam filios suos cum tali damno obligare velle, v. gr. si ad mortis, mutilationis, infamiæ periculum, vel gravem bonorum jacturam aver-

tendam quis eorum agat. (*S. Ligor., n.* 170, *Schmalzgr.,* 144). — Vel si infirmus confiteri rite nequeat; tunc vitandus probabiliter ei ministrare poterit Viaticum, et Extremam-Unctionem; nam his forte indiget, et in extremis omni quo potest modo est proximus juvandus. *(Schmalzg., n.* 146, *Scavini, n.* 837, *S. Lig. l.* 7, *n.* 170, *et l.* 6, *n.* 88).

Parochus vitandus valide, sed illicite matrimonio assisteret, et baptismum privatim conferret; quia in primo casu non ministrat, sed testatur, et communicat cum fidelibus; indeque irregularitatem non incurrit; et licite alium ad assistendum deputare potest. *(S. Ligor., lib.* 7, *n.* 166).—In secundo casu proprie officium suum non exercet. *(Scavini).*

II. Non vitandus extra necessitatem, vel fidelium petitionem, sub gravi privatur sacramenta administrare; et irregularis fieret administrando. *(C. Apostolicæ de cler. excom. min.; S. Ligor., n.* 171).—Tamen si adsit necessitas, vel a fidelibus expresse, vel tacite saltem cum gravi causa rogetur, non peccabit, ut omnes docent.—Alii cum *S. Ligor., l.* 6, *n.* 88 gravem causam non requirunt, sed tantum petitionem; nam fidelibus permittitur cum toleratis communicare.— Tacita erit rogatio, si occurrat dies festus, et desit alius ad celebrandum.—Supponitur in statu gratiæ esse talis minister, et absolutionem a censura prius obtinere non posse; secus sacrilege ageret, uti patet.

243. Q. *Quid de eo, qui sacramentum excommunicato confert?*

R. I. Si id scienter, et sponte vitando confert, graviter peccat: quia in divinis communicat cum eo, ac indigno dat sancta, et si admittit nominatim excommunicatos ad divina officia, seu ad ecclesiastica sacramenta, interdictum ab ingressu Ecclesiæ ipso facto incurrit, donec ad arbitrium ejus, cujus sententiam contempsit, competenter satisfecerit. (Const. *Apost. Sedis* Pii IX.)

II. Si vero scienter sacramenta conferat non vitando, graviter peccat contra jus divinum, non ecclesiasticum; quippe indigno ministrat; et majus erit peccatum, si id notum sit, ratione scandali.

— Licet tamen 1.° Si excomunicatus toleratus sit in bona fide; quia non indigno datur.—2.° Si publice petat, et occulta sit indignitas, ne prodigatur ejus fama.—3.° Si dubitetur, casu quo petat, an sit jam a censura absolutus; nemo enim præsumitur malus, nisi probetur, maxime si affirmat esse absolutum, nisi gravia adsint in contrarium indicia. *(Scavini, n.* 839).

244. II.—**Privatio divinorum officiorum.** Per divina officia intelliguntur *Missa, publicæ processiones, Horæ solemniter, vel in choro decantatæ, benedictio solemnis cinerum, palmarum, fontis baptismalis, nuptiarum, candelarum, chrismatis consecratio, solemnis aspersio aquæ lustralis,* et similia, quæ ex Christi, vel Ecclesiæ institutione publice, et solemniter fiunt; et quæ proprie Ordinis clericalis sunt, uti *sepultura ecclesiastica, cantus solemnis Epistolæ, vel Evangelii cum propriis ornamentis,* etc.

Q. *An excommunicatus possit iis divinis officiis interesse?*

R. Quilibet excommunicatus sub gravi prohibetur officiis proprie divinis et publicis interesse, ac etiam Missam in festis audire, vel celebrare; imo si celebrans recordetur se esse excommunicatum, interrumpere Missam tenetur, si ante Canonem sit; secus eam continuare, ne sacrificium mutiletur; quia censura eorum usu privat, nisi ignorantia, vel necessitas scandalum vitandi excuset. (*S. Ligor., n.* 175, *et ex cap. Alma* 24 *de sent. excom. in* 6).

Excipe 1.° concionem, lectionem S. Scripturæ, vel theologiæ audire; non ita quidem communicatur in divinis, et Ecclesia ea libenter ad conversionem permittit. Item toleratus ea peragere potest, si rogatus, aut ob officium suum obligatus sit; nam requiri tunc præsumitur; secus non posset; vitandus tamen hac non gaudet facultate. (*Schmalzgr., lib.* 5, *tit.* 39, *n.* 132, *Scavini, n.* 843).

2.° Usum sacramentalium, imaginum, ac reliquiarum, non ut participet de fructibus Ecclesiæ, sed ut ea veneretur. (*S. Ligor., n.* 174).—3.° Ecclesiæ ingressum, ut privatim oret, cum non celebrantur divina officia, vel etsi celebrentur, justa tamen de causa, v. gr. ut hostium manus effugiat, quin communicet in divinis, licet privatim oret; et tunc non cessare tenentur officia divina, nec eum repellere fideles, nec ii de templo egredi. (*S. Ligor., n.* 174, *Gury, n.* 962).

Q. *Quid si absque ulla causa vitandus ingrediatur, dum divina officia celebrantur?*

R. 1.° Est monendus ut exeat. — 2.° Erit vi repellendus sine percussione, et scandalo, etsi sit sacerdos, si opus fuerit; nec tunc in pœnam canonis incurritur; quippe manus illi injicientur in Ecclesiæ, et auctoritatis defensionem.—3.° Si ex hoc grave timeatur incommodum, quod hodie facile timeri potest: si nondum Canon incœperit, obrumpatur Missa. Tamen, Canone incœpto, Missam continuare, vel ab ea cessare potest, solo manente ministro.—4.° Si facta sit consecratio, usque ad sumptionem inclusive pergat, dein ad sacristiam recedat sacerdos.—5.° Si fideles tunc non exeant, saltem venialiter peccant, etsi alii graviter peccare probabilius dicant; nam cum vitando in divinis communicant, et probabilius graviter peccat, qui cum vitando assistit eidem Missæ, solemni benedictioni, processioni, etc. (*Scavini, n.* 843, *S. Ligor., n.* 176 *et* 177).

245. Q. *An excommunicatus ad Horas canonicas obligatus ab iis liberetur?*

R. Nega; nemo enim reportare debet commodum ex propria iniquitate; sed eas privatim recitare debet; nec socium adhibere, nisi sit toleratus, et rogatus; vel si vitandus, aliqua adsit justa necessitatis, vel utilitatis causa, præsertim si hic dominus, vel Episcopus sit, et servum, vel capellanum vocat; nam tunc servus non peccat; quia non privatur communione domini sui, in quibus servire ipsi tenetur. (*Schmalzgr., lib.* 5, *tit.* 39, *n.* 131).—Alii permittunt, ut *Dominus vobiscum* dicat, si solus recitat; quippe tunc est tantum privata oratio: alii venialiter peccare sentiunt. Item venialiter peccare dicunt vitandum, qui privatim cum aliis officium, vel rosarium recitat; scandalo siquidem secluso, ac Ecclesiæ contemptu, id grave non censetur. (*Scavini, n.* 842).

246. III. **Privatio suffragiorum communium Ecclesiæ.** Suffragia alia sunt *communia*, alia *privata*.

1.° *Communia* ea sunt, *quæ fidelibus proveniunt ex bonis operibus, nomine Ecclesiæ ab ejus ministris factis;* uti *Missæ, Ecclesiæ indulgentiæ, Horæ canonicæ, exequiæ, aliaque pia opera,* quæ fiunt ab Ecclesiæ ministris, prout tales sunt, et nomine ipsius Ecclesiæ.

2.° *Privata* vero ea sunt, *quæ proveniunt ex bonis operibus, quæ fideles nomine proprio agunt;* uti jejunia, orationes, aliaque, quæ privati fiunt, sive fideles, sivi ministri Ecclesiæ sint. (*Gury, n.* 963, *Scavini, n.* 840).

Bona Ecclesiæ alia procedunt *a capite*, uti merita Christi, gratia,

fides, spes, charitas;—alia procedunt *a corpore*, uti sacramenta, suffragia communia, sacrificia;—alia *a membris*, uti preces, ac bona omnia singulorum fidelium.

His positis: 1.° Excommunicati *vitandi* omnibus Ecclesiæ suffragiis communibus privantur, probabilius etsi sint contriti, et ad meliorem vitam sese receperint; quia Ecclesia jure suo prohibet, ne ulla pars bonorum suorum ad eos deveniat, aut pro illis oretur, nisi absolvantur a censura. (*Cap. sacris, et a nobis de sent. excom., Gury, n.* 964, *Scavini, n.* 840, *S. Ligor., n.* 163).

2.° Tolerati, satis probabiliter non privantur communibus suffragiis, et Missæ sacrificio; nam Ecclesia non amplius prohibet cum talibus fidelibus communicare, etsi publicis et notoriis; ideoque neque quoad divina officia; ubi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus. *(Ita Gury, Scavini, Salm., S. Lig. n.* 104 , etc.).

Si scandalum exinde eveniret, esset prius amovendum; quo remoto, dicunt posse parochum, v. g. si aliter gravissima timeat incommoda, toleratis excommunicatis funebres honores concedere, sacrificia pro iis offerre, passive se habendo, seu actionem patiendo; nam quod iis negari debeant suffragia, est tantum de jure ecclesiastico (modo non constet ipsos impœnitentes decessisse, vel nisi agatur de insigni, et publico Ecclesiæ persecutore); lex enim humana non obligat cum gravi incommodo. *(Del Vecc. n.* 840).

3.° Item licet publice orare pro legitimo principe, vel Episcopo tolerato, si aliter confusio oriretur; uti si esset usus in sacrificio, vel in alia publica prece eos nominare: non vero pro usurpatore, ne illum videamur uti legitimum agnoscere. (*Ita Del-Vecchio, n.* 840).

4.° Neque tolerati, neque vitandi privatis suffragiis privantur, seu primi, et tertii ordinis præfati; nullibi sane prohibetur orare fideles privatim pro quibuscumque impiis, etiam in ecclesia; ergo bonorum operum fructum eis applicare possunt. Imo sacerdos, uti privata persona, potest etiam pro iis Sacrum offerre, et ab iis stipendium accipere, ex *Billuart*, vel eorum in specie meminisse in *Memento*, ut Deus eos convertat. Ratio est, quia Ecclesia ejusdem merita applicare illis prohibet ad terrorem, non vero officia christianæ charitatis erga proximos. (*Scavini, ibid.*)

247. IV. **Privatio sepulturæ ecclesiasticæ.** *Sepultura ecclesiastica ea est, quæ in loco sacro fit ritu, et Ecclesiæ solemnitate.* Unde 1.° excommunicatus vitandus jure canonico privatur sepultura ecclesiastica; si vero in loco sacro fuerit sepultus, ejus cadaver erui debet, si fieri adhuc possit, et locus sacer, tali contacto pollutus, est expiandus. Excipe, si cum signis pœnitentiæ decessisset, quo in casu est absolvendus ante ejus sepulturam, maxime si pro eo veniam petant hæredes. (*Clement.* 1 *de sepul., Schmalzgr., l.* 5, *tit.* 39, *n.* 127, *Scavini, n.* 848).

2.° Cum fiat impossibilis exhumatio cadaveris excommunicati vitandi, hæretici notorii, vel interdicti vitandi, ut maxime evenit tempore belli, in quo tot confuse sepeliuntur, satis tunc erit totum postea reconciliare cœmeterium.

3.° Mandantes autem, seu cogentes eos tradi ecclesiasticæ sepulturæ, excommunicationem latæ sententiæ nemini reservatam incurrunt.

4.° Qui vero nominatim excommunicatos ad hanc sepulturam admittunt, interdictum ab ingressu Ecclesiæ incurrunt, donec ad arbi-

trium ejus, cujus sententiam contempserunt, competenter satisfaciant. (Const. *Apost. Sedis* Pii IX).

5.° Etsi corpora vitanda efferre, ritu catholico sepelire, preces canere, crucem et luminaria deferre, sepulchrum effodere, funus associare, grave sit peccatum in se, eisque justa persolvere sit pars ecclesiasticæ sepulturæ, tamen id agentes excommunicationem non incurrunt; quia est strictæ interpretationis; sed tantum eam incurrunt mandantes, vel cogentes, etiam nullo adhibito catholico ritu, in loco sacro tradi. (*Del-Vecchio, n.* 848). Disputatur de procurantibus ea fieri.

6.° Excommunicatus *toleratus* sepultura ecclesiastica etiam privatur, et si in loco sacro fuerit sepultus, extrahendus est; attamen locus non censetur pollutus, neque expiatione indiget; et si pœnitentiæ signa dederit, quamvis deceat, eum prius a censura absolvi, ratione publicæ indignitatis, in loco sacro sepeliri potest. Tamen si id non fiat, non polluitur locus sacer; quibus enim vivis communicavimus, mortuis communicare possumus. (*Ita probabilius Lay.*, *Nav.*, *Schmalzgr.*, *Del-Vecchio*, *Gury*, *n.* 965).

248. V. **Privatio jurisdictionis ecclesiasticæ.** Excommunicatus vitandus tam pro foro interno, quam externo privatur omni usu jurisdictionis, si aliquam antea habebat. Unde absolvere valide non potest in foro pœnitentiæ, nec leges, aut censuras, vel sententias ferre, nec ad beneficia eligere, præsentare, aut ea conferre; et qui ab eo beneficium accipit, est intrusus. (*Gury*, *n.* 966, *Scavini*, *n.* 847, *S. Ligor.*, *n.* 185).

Toleratus vero, etsi notorius, valide ista agit; quia non privatur jurisdictione, sed ejusdem libero usu: unde ejus jurisdictionis actus accipi, vel repelli, ac infirmari possunt; quippe non prohibetur fidelibus cum eo communicare, sed ei cum his, nisi rogetur. Inde nisi rogatus sit, et in re gravi agat, absque gravi necessitate, a gravi peccato sacerdos excusari nequit, et probabilius etiam laicus. (*Gury, Scavini, n.* 847, *S. Ligor.*, *lib.* 7, *n.* 139, *et lib.* 6, *n.* 88).

249. VI. **Privatio beneficiorum.** 1.° *Quilibet excommunicatus* sive vitandus, sive non, ex jure fit prorsus inhabilis ad ecclesiastica beneficia obtinenda, *C. Postulatis, de cler. excom. min.*, adeo ut collatio, electio, præsentatio, et institutio in ejus favorem factæ, nullæ sint, etsi ignoretur excommunicatio; et scienter, conferentes graviter peccant, ratio est, quia beneficium datur propter officium, cujus incapax est excommunicatus, nisi beneficium scienter ab ipso Episcopo conferatur, vel a Papa, vel addat absolutionis clausulam ad cautelam, uti mos est, et non agatur de hæresis crimine, cujus absolutio sub ipsa generali absolutione non comprehenditur; siquidem etiam obtentis beneficiis privat. (*Scavini, n.* 849).

2.° Quod de ecclesiasticis beneficiis dictum est, etiam communiter dicunt de collatione, et receptione dignitatum ecclesiasticarum, quibus inhæret jurisdictio, uti *prioratus, episcopatus, guardianatus,* etc.—Idem est de pensione clericali, quæ in titulum beneficii datur ob ecclesiasticum ministerium; et de ecclesiastica pensione, licet temporali, quæ datur ob officium ecclesiasticum, uti Vicario Episcopi, etc. (*Scavini, n.* 849).

Excipitur casus a Concilio Constant., et est, cum beneficio officium inhærens sit exercendum in commodum collatoris communionem petentis cum non vitando circa officia beneficii ipsius.

3.° Item omnis excommunicatus ineptus fit ad obtinenda quæcumque ecclesiastica Rescripta tum gratiæ, tum justitiæ, ita ut quidquid fuerit im-

petratum, nullum sit. *(Ex cap. Dilectus* XXVI *de rescript.)*—Etsi absolutio a censuris præmitti solet ad effectum illius specialis gratiæ, non vero quoad alios effectus, ut probant *Del-Vecchio, n.* 849, et *Scavini* ex Brevi *Quamquam* Pii IX an. 1853 pro reductione festorum in pedemontano regno, ubi legitur: *Huius tantum rei gratia absolventes ab omnibus censuris, et pœnis...*

4.° Non tamen excommunicatio beneficio jam obtento privat, nec ejus fructibus probabilius ante judicis sententiam. Si vero per annum absolutionem obtinere negligat, per judicem beneficio privari poterit.—Imo ex probabiliori, et communiori sententia valida est acceptatio, et possessio, vel alterius in possessionem missio beneficii, quod collatum fuerit ante excommunicationem, licet illud jam hac ligatus acceptet; quia tam acceptatio, quam possessio, sunt actus privati, non vero jurisdictionis. *(Scavini, Reiffenstuel, l.* 5, *tit.* 30, *n.* 65).

5.° Excommunicatus accipiens beneficium, et ille a quo accipit, graviter peccant; nam contra gravem Ecclesiæ prohibitionem agunt; sed hodie sine ulla censura, olim vero conferens incurrebat minorem excommunicationem, et suspensionem ipso facto a collatione illius beneficii, si excommunicatus erat vitandus.—Probabiliter valida est collatio pensionis, quæ excommunicato clerico ad sustentationem datur, dum beneficium resignat, aut permutat, aut in lite cedit, ait *Ballerini, n.* 96.

250. Q. *Quid si quis sit excommunicatus præsentationis tempore, sed absolutus tempore acceptationis?*

R. Si non constet de primæ collatoris voluntatis perseverantia, nova requiritur collatio; nam possidet nullitas; secus probabile censent *Salmant.* eamdem minime requiri; censetur enim virtualiter de novo fieri ipsa præsentatio.

Q. *Quid facere debet excommunicatus de sui beneficii fructibus?*

R. Vel ipse fuit excommunicatus ante beneficii receptionem, vel postea. Si 1.^m^, non potest suos facere fructus perceptos tempore excommunicationis, etsi postea ab ea absolvatur, et rite beneficium obtineat; quippe nec valide, nec licite illud obtinebat.—Excipe, si onera vel per se, vel per alium implevisset.

Si 2.^m^, cum fructus dentur propter officium, quo privatus est, veluti merces propter opus, illos restituere debet, sed non ante judicis sententiam, si per se, vel per alios onera ejusdem impleverit, uti de pœnis privativis dicitur. Hac secuta declaratione, utique fructus restituere debet, nisi jam sibi eos applicasset, uti vere pauperi. (*Lay., Pal., Salm., Silv., S. Ligor., n.* 183, *aliique*).

251. Q. *An excommunicatus curare absolutionem teneatur ad implendum præceptum Missæ, confessionis, et Communionis?*

R. Nega communiter quoad Missam, nisi de levi incommodo admovendo agatur; nam lex humana non obligat cum gravi incommodo.—Affirma quoad confessionem, et Communionem; quia radicaliter, et proxime hæ sunt de divinis præceptis, quæ porro magis urgent, minusque propterea interpretationem patiuntur. (*Scavini, n.* 850).

252. VII. **Privatio communicationis forensis.** Hoc nomine intelligitur *communicatio in iis, quæ ad judicium tum civile, tum ecclesiasticum pertinent. (C. Pia de excep., in* 6). Hinc:

1.° Vitandus omni actu ad judicium pertinente in civili foro privatur. Unde nequit esse judex, advocatus, actor, testis, tabellio, procurator,

tutor, curator, aut testamenti executor, atque reo, vel pupillo de incapacitate legali persuaso facultas semper erit in judicio eum repellendi, etsi non sit vitandus.—2.° Imo si judex sit *vitandus*, etiam jurisdictione privatur; idcirco ejus sententia nulla erit.—Imo neque licite contractus inire, neque testari potest; valide utique. (*Scavini*). Verum istæ juris dispositiones hodie plerisque in locis non vigent, ait *Del-Vechio, n.* 845, item *Gury*, *n.* 968; v. gr. in nostra Hispania.—3.° A fortiori omni communicatione in foro ecclesiastico privatur *vitandus*. Tamen appellare, et appellationem prosequi potest, *ex jure canonico*, *tit. de exceptionibus, cap.* 5.—4.° Excommunicatus *toleratus* hodie nulla forensi ac civili communicatione ipso facto privatur, etsi non rogatus sit; tamen etsi valide ea utatur, juridice repelli potest per exceptionem tum a judice, tum ab adversariis. *(S. Ligor., n.* 184, *Gury, ibid.*, *Scavini, n.* 845*)*.

253. VII. **Privatio societatis civilis**, hisce versiculus expressa:

Si pro delictis anathema quis efficiatur,
Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

I. *Os:* significat communicationem per colloquium, litteras, et quodcumque benevolentiæ signum, uti osculum, missio, et acceptatio munerum, ac probabilius etiam rescriptio. *(Scavini, n.* 949).

II. *Orare:* significat omnem in divinis conmunicationem, uti assistere publicis Missarum, funerum, processionum functionibus.

III. *Vale:* significat quamlibet salutationem, et honoris exhibitionem verbo, amplexu, facto, vel signo; et probabilius etiam resalutationem, etsi alii resalutare concedant ad inurbanitatis, et contumeliæ notam fugiendam, uti assurgendo, caput aperiendo, locum cedendo, sed sine ulla verborum expressione, et animo honorandi. Idque magis si sit persona publica, vel superior, uti Prælatus, parochus, judex; quia tunc signa potius ad ejus indignationem vitandam dantur. Ita communiter, et probabiliter *Salm.*, *S. Antonin.*, *S. Ligor.*, *lib.* 7, *n.* 188 *et* 191.

IV. *Communio:* significat omnem contractus, negotii, cooperationis, vel cohabitationis unionem per *modum societatis*. Ideo non licet cum vitando laborare, dormire, sub eodem tecto vivere; secus si non sit per *modum societatis*, uti in diversorio.

V. *Mensa:* significat societatem in eadem mensa, quod ipse vetat ApostolusI Cor. v), uti invitatio ad convivia; vel vitam communem agere, ut in monasteriis, seminariis evenit, etsi non omnes in eadem mensa, vel refectorio; omnes enim communicant in una mensa.—Secus si id casu eveniat, ut in publico diversorio. *(Scavini)*.

254. **Causæ permittentes cum vitando communicare** in hoc alio includuntur versu:

Utile, lex, humile, res ignorata, necesse.

I. *Utile,* seu utilitas, sive spiritualis, sive temporalis, tam excommunicati, quam aliorum, tam si verbo, quam scripto communicetur, v. g.: 1.° causa consilii, uti pro lite, si desit alius æque idoneus; 2.° correctionis; 3.° societatis prius jam cum ipso initæ continuandæ; 4.° medicinas, vel eleemosynas ab eo petendi, et similia. Et ob has causas eum salutare, ac benevolentiæ signa ipsi præbere licet. (*Del-Vecchio*, *n.* 949).

II. *Lex,* matrimonalis nempe, qua in omnibus mutuo conversari, et

communicare conjuges possunt; excipe: 1.° Si per divortium sint separati. —2.° Si censura sit lata ob dubium de matrimonii valore; quippe tunc cessat finis, ac necessitas communicandi.—3.°—Ob compartis hæresim.— 4.° In divinis, ut verius dicunt AA. cum *Scavini, ibid.*

III. *Humile,* seu subjectio majoribus debita, quæ adhuc vitandis licite exhibetur, uti 1.° filii, etsi emancipati, erga proprios parentes, et adoptivi, ac illegitimi, quod extenditur ad pronepotes, atque in eodem gradu ad affines erga suos.—2.° Religiosi, clerici, milites, servi, licet gratis servientes, et tota excommunicati familia erga suos superiores; sed in iis tantum, quæ ratione subjectionis debentur.—3.° Famuli vitandi, si in eadem domo versentur, tantum invicem communicare poterunt in necessitate, si obligantur simul cohabitare, et necessitate se sustentandi ibi serviunt. Peccant famuli si de novo scienter, et spontanee absque gravi causa in excommunicati familiam veniunt. (*Scavini, ibid.)*

IV. *Res ignorata*, cum quis alterum esse vitandum ignorat. Probabilius, et communius etiam ignorantia crassa, tum juris, tum facti, tum pœnæ excusat, ut eruitur *Ex* c. 1, *cel. de cleric. excom.* Ita *Suar., Hurt., Holz., Scavini* contra *Salm., Bon., et alios.*

V. *Necesse,* seu gravis necessitas, tum spiritualis, tum temporalis, sive ipsius vitandi, sive aliorum. Unde licet ei necessaria vendere, eleemosynam dare, equum ad iter faciendum in necessitate tradere, vel ab eo hunc pro alio petere.

Item in cæteris, etiam divinis, communicare, si aliter gravissimum detrimentum quis sit passurus; uti si vi, aut gravi metu ad id cogatur, modo non sit in formalem religionis, aut auctoritatis contemptum, et omni amoto scandalo; quia lex humana per se non obligat cum gravi incommodo.

CAPUT III.

De excommunicationibus in particulari.

255. Quoad censurarum modificationem, en Pii IX verba, Constit. *Apost. Sedis*, 12 oct. 1869:

«I. Cum animo Nostro jampridem revolveremus, ecclesiasticas censuras, quæ per modum latæ sententiæ, ipsoque facto incurrendæ..... per singulas ætates indictæ, ac promulgatæ sunt, magnum ad numerum sensim excrevisse; quasdam etiam temporibus, moribusque mutatis, a fine, atque causis, ob quas impositæ fuerant, vel a pristina utilitate, atque opportunitate excidisse; eamque ob rem non infrequentes oriri sive in iis, quibus animarum cura commissa est, sive in ipsis fidelibus dubietates..., angoresque conscientiæ; Nos ejusmodi incommodis occurrere volentes... re diu, ac mature perpensa, motu proprio, certa scientia, matura deliberatione Nostra, deque Apostolicæ Nostræ potestatis plenitudine, hac perpetuo valitura Constitutione decernimus, ut ex quibuscumque censuris, sive excommunicationis, sive suspensionis, sive interdicti, quæ per modum latæ sententiæ, ipsoque facto incurrendæ hactenus impositæ sunt, nonnisi illæ, quas in hac ipsa Constitutione inserimus, eoque modo, quo inserimus, robur exinde habeant...

«II. Præter hos hactenus recensitos, eos quoque, quos sacrosanctum Concilium Tridentinum, sive reservata Summo Pontifici, aut Ordinariis absolutione, sive absque ulla reservatione excommunicavit, Nos pariter ita excommunicatos esse declaramus; excepta anathematis pœna in decreto Sess. IV, *De editione, et usu sacrorum Librorum* constituta, cui illos tantum subjacere volumus, qui libros de rebus sacris tractantes, sine Ordinarii approbatione imprimunt, aut imprimi faciunt.

«Quoscumque alios sacrosanctum Concilium Trident. suspensos, aut interdictos ipso jure esse decernit, Nos pari modo suspensioni, aut interdicto eosdem obnoxios esse volumus, et declaramus...

«III. Quæ vero censuræ, sive excommunicationis, sive suspensionis, sive interdicti, Nostris, aut Prædecessorum Nostrorum Constitutionibus, aut sacris canonibus præter eas, quas recensuimus, latæ sunt, atque hactenus in suo vigore perstiterunt, sive pro Romani Pontificis electione, sive pro interno regimine quorumcumque Ordinum, et Institutorum Regularium, nec non quorumcumque Collegiorum, Congregationum, Cœtuum, Locorumque piorum, cujuscumque nominis, aut generis sint, eas omnes firmas esse, et in suo robore permanere volumus, et declaramus...»

Quæcumque ergo nunc extant censuræ, fere eas omnes amplectitur prædicta Constitutio, sive explicite, sive implicite. Explicite contentæ sunt, quæ expresse in ipsa recensentur; implicite autem quæ in ea confirmantur.

—Circa Const. *Apost. Sedis* est advertendum: 1.° Nihil esse innovatum nec immutatum quoad censuras ferendæ sententiæ. — 2.° Censuræ quæ in hac Const. non sunt primum latæ, juxta anteriorem earumdem censurarum sensum sunt intelligendæ. — 3.° Quæ temperatæ sunt per hanc Constit., temperatæ manent. — 4.° Si quid in conflictum veniat, quod componi non possit intra Pianam Constitutionem, v. g. et Tridentinum, prævalere debet Pontificia Const.; commune siquidem est posteriorem derogare anteriori. — 5.° Censura Pontificia componitur cum censura Tridentina in eadem materia, v. g. circa usurpantes, et alienantes bona ecclesiastica, ut infra disseremus; quia diversos ejusdem rei respiciunt casus.

—Excommunicationes quæ post Const. *Apost. Sedis* remanserunt, præter illas expresse in ipsa notatas, et præter illam inflictam per Const. *Romanus Pontifex*, nec non aliam ut infra, sunt: 1.° omnes excommunicationes *directe* a Tridentino inflictæ. — 2.° Omnes aliæ particulares, quas unusquisque Ordo religiosus, sive Institutum, sive Societas, sive Locus pius, sive Collegium, et locus particularis cujusque generis prius habebat; nam per legem generalem nunquam abrogatur lex particularis alicujus loci, etsi dicatur: Non obstante quacumque lege particulari. *Salm. n.* 14, *Sanch., Bon., S. Lig.* 199. — 3.° Illæ censuræ per Constitutiones Urbani VIII *Ex debito*, et Clementis IX *Sollicitudo*.

—Ex his aperte deduci videtur in suo vigore manere censuras sive a Concilio provinciali, sive nationali, sive diœcesano, sive ab Ordinario inflictas; nam consuetudines, ac leges speciales, seu particulares non abrogantur per consuetudinem, aut legem generalem, nisi specialis mentio de ipsis fiat.

—Novem erant excommunicationes *latæ sententiæ* a Tridentino inflictæ; sed post Const. *Apost. Sedis* quatuor tantum remanserunt; nam: 1.° Censura contra *violantes clausuram monialium* comprehenditur in articulo vi

excommunicationum simpliciter Papæ reservatarum. — 2.° Contra duellantes in art. III —3.° Contra docentes: *Contritos, etiamsi habeant copiam confessarii, posse absque sacramentali confessione peccatorum mortalium recipere Eucharistiam.* —4.° Et contra docentes: *Matrimonia clandestina, facta libero contrahentium consensu, non esse vera, et rata matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit,* in art. I. —5.° Demum censura contra magistratum, *si ad instantiam Episcopi non præbeat auxilium adversus contradictores clausuræ monialium;* in actuali societatis statu in desuetudinem abiit. (*Del-Vecchio, n.* 877, *Varceno, p.* 507). De reliquis, ut infra.

Excommunicationes a Conc. Trident. memoratæ a veteribus canonibus jam illatæ, ac non ab ipso *directe* inflictæ, sunt per Const. *Apost. Sedis* omnino abrogatæ, ut colligitur ex Const. scopo, qui est ut certus determinatusque censurarum numerus ad plura vitanda incommoda haberetur: *Præter hos hactenus recensitos, eos quoque, quos sacrosanctum Conc. Trident... excommunicavit, Nos pariter...* Non dicit innovavit; ergo non plus extendi potest, quia odia restringenda. *(Avanzini, n.* 28, *Scavini, n.* 876, *Varceno, p.* 409).

Censuræ, quas Trident. indirecte inflixit, et abrogatæ manent, indicantur per generalia verba, v. g.: *Et qui secus fecerit, pœnas a jure inflictas ipso facto incurrat.—Antiquorum canonum pœnas super his innovando.* Sive *per speciales allegationes,* v. g. *Constitutionem Clementis V in Concilio Viennensi editam.—Juxta Const. Concilii generalis Lugdunensis, etc.*

256. Q. *Quotuplicis generis sunt censuræ nunc vigentes?*

R. Quadruplicis, sicut ferme in præcedenti jure videbantur, nempe: 1.° *Speciali modo* Papæ reservatæ, quibus respondent fere quæ in *Bulla Cœnæ* continebantur. — 2.° Romano Pontifici *simpliciter* reservatæ. — 3.° Reservatæ Ordinariis.—4.° Nemini demum reservatæ.

Ex decreto S. Officii 4 apr. 1871 statutum est, ut ubi mentio fit de casibus in *Bulla Cœnæ* reservatis in formulis facultatum, quas S. Congr. de Prop. Fide concedere solet, substituantur censuræ *speciali modo* in Bulla *Apost. Sedis* Romano Pont. reservatæ.

Sit nunc de hac quadruplici censurarum partitione in suo vigore subsistentium. Nam Const. *Apost. Sedis* ex instructione *S. Officii* 1 *febr.* 1871 ubique vim habet.

CAPUT IV.

De excommunicationibus speciali modo Summo Pontifici reservatis.

257. «Excommunicationi latæ sententiæ speciali modo Romano Pontifici reservatæ subjacere declaramus.

«I. Omnes christiana fide apostatas, et omnes, ac singulos hæreticos, eisque credentes, eorumque receptatores, fautores, ac generaliter quoslibet illorum defensores.»

Explicatio: 1.° Apostatæ hic vocantur, qui fidem christianam, vel divinam revelationem totam, vel partem rejiciunt, vel transeunt ad

quamcumque falsam religionem, vel ut nullam profiteantur, uti sunt judæi, pagani, rationalistæ, naturalistæ, spiritistæ, liberi cogitatores, etc. (*Ballerini, n.* 972, *Del-Vecchio, n.* 564, *Varceno, p.* 410).

2.° Hæretici sunt qui scienter aliquam sectam, vel aliquem errorem contra fidem profitentur; uti moderni anti-infallibilistæ (*vulgo católicos viejos*); item evangelici, crisiaci, seu magnetizantes, aliique similes, qui futuras hominum liberas actiones, quæ soli Deo patent, divinare præsumunt per tabulas semet moventes. Sic constat ex Epistola Encyclica S. R. Inquisitionis ad omnes Episcopos adversus magnetismi abusus, 30 jul. 1856, et in Cancellaria S. Officii apud Vaticanum, 4 aug. 1856, in qua legitur: *In hisce omnibus, quacumque demum arte, vel illusione, cum ordinentur media physica ad effectus non naturales, reperitur deceptio omnino illicita, et hæreticalis, et scandalum contra honestatem morum.* Item omnes schismatici, protestantes, et superstitiosi cum errore in fide.

Item omnes qui positive dubitant in rebus fidei, modo exterius dubium manifestent; voluntarie quidem errant, judicando incerta esse, quæ vera sunt.—Ita errant qui paratos se esse credere dicunt, si rationibus convincantur. *(Suar., Vazq., Varceno, Mauri, Comm., p.* 20 *not.)* Item hanc censuram incurrunt, qui per verba æquivoca suam hæresim satis ostendunt. *(Suar., Bon., Varceno, aliique). (V. n.* 433 *et seq.)*

Tamen non est hæreticus, qui negat veritatem de fide non divina, sed ecclesiastica, v. g. esse Sanctum aliquem ab Ecclesia, uti talem propositum; vel animas in purgatorio igne torqueri.—Item qui negant conclusionem theologicam, uti Christum esse risibilem; præditum fuisse libero arbitrio, etc. *(Lugo, de fide, Varceno).* Secus si conclusio in præmissis in toto revelatis contineatur; uti Christum pro me mortuum esse. *(Suar. de fide).*

—Ut quis hæreticus, vel apostata *speciali modo* censuretur, requiritur ut externe in re gravi ita se ostendat; secus a quolibet confessario absolvi poterit.—Item ut ostendat hæresim non animo consilium petendi, aut in ebrietate, somno, vel per jocum, aut per disputationem, etc., sed animo eam profitendi. *(Varceno).*

Item excusat ab hac censura ignorantia, etsi affectata; secus non erit hæreticus formalis, et cum pertinacia; et magis facit contra fidei præceptum, quam contra fidem, ait *Varceno, p.* 413, *cum Suar., Lugo, aliisque.*—Non requiritur ut hæreticus sit denuntiatus, vel notorius, ut ei credentes, receptatores, censuram incurrant, sed sufficit ut cognoscatur uti talis. *(Varceno).*

3.° *Credentes* sunt, qui verbis, factis, aliisque modis externis hæreticorum doctrinæ adhærent, vel damnatis eorum erroribus, sive externe tantum, vel sine animi pertinacia, sive interne etiam. *(Ballerini, n.* 972).

4.° *Receptatores,* qui nempe in terras suas, ædes, vel hospitium quavis de causa recipiunt, aut occultant hæreticum, ut pœnas effugiat, vel qui ex officio eos capere, custodire, et punire tenentur, si hoc omittunt, vel intendentes sic eum fovere, defendere; non vero qui ratione amicitiæ, vel propinquitatis recipiunt.

—Item *Fautores*, qui favorem præstant, ut facilius hæresim doceant, ac diffundant.—*Defensores*, qui doctrinas, vel personas, qua hæreticæ sunt, tuentur; nam isti omnes externe hæretici impliciti saltem sunt, et huic censuræ subjiciuntur. (*V. de hæresi, n.* 436 *et* 437).—(*Varceno, n.* 412).

« II. Omnes, et singulos scienter legentes sine auctoritate Sedis Apost. libros eorumdem apostatarum, et hæreticorum hæresim propugnantes, nec non libros cujusvis auctoris per Apostolicas litteras nominatim prohibitos, eosdemque libros retinentes, imprimentes, et quomodolibet defendentes. (*V. de libris prohibitis, n.* 455).

«III. Schismaticos, et eos, qui a Rom. Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter se subtrahunt, vel recedunt.»

Explic.: Hic veniunt: 1.° Non solum qui a debita Rom. Pontificis subjectione pertinaciter recedunt, sed etiam qui, in auctoritatem se erigentes, novas ecclesias ab unitatis centro separatas constituunt, uti promotores ecclesiarum nationalium, ac eos sequentes; vel qui de rebus Ecclesiæ, veluti suprema auctoritas, disponunt.

2.° Qui scientes, et volentes a debita Rom. Pontificis, ut talis, pro tempore existentis subjectione, recedunt se habentes solutos a totali suprema ejus divina, ac spirituali auctoritate; non autem inobedientes, etsi pertinaces, in quadam materia; neque qui temporale ejus dominium detrectant; neque qui renuunt obedire propter rem præceptam, ut in festorum, vel jejuniorum observantia.—Dicitur *pro tempore existentis;* quippe a censura non excusantur, qui ab actuali Pontifice decedentes, futuro Papæ se subjecturos pollicentur. (*Lugo, n.* 37). Non vero requiritur ut universim se subtrahant ab auctoritate R. Pontificis, sed sufficit ad hanc censuram incurrendam, ut sint rebelles ab ejus obedientia, qui actu B. Petri Sedem legitime occupat, ut ait *Varceno, p.* 419.

3.° Item *pro tempore existentis*... significantur illi, qui ad schisma imperfectum pertinent. Unde *Avanzini*, *Comm.*, *n.* 10, comprehendi eos putat, qui se *catholicos liberales* appellant, qui, nempe, posthabitis legibus, ac mandatis R. Pontificis, sese publice gerunt tamquam ab ejus obedientia solutos, *quippe et hi vero sensu rebelles sunt a R Pontificis existentis obedientia,* ait *Ballerini;* nam futili prætextu ejus doctrinas pertinaciter rejiciunt. (*Varceno, p.* 420). *Catholici liberales* ita se habent respectu absolute liberalium, perinde semipelagiani respectu pelagianorum. Unde ex se juxta præfatos, AA. absolutione indigni judicantur. (*V. n.* 433 *et* 438).

4.° Qui exterius tantum se subtrahunt a dicta Papæ obedientia, etsi non interius, sunt veri schismatici, hic comprehensi; nam schisma in facto consistit. (*Suar., Sanch., Lugo, Varceno, p.* 420).

5.° Qui vero etiam interius tenent R. Pontificem non esse caput Ecclesiæ, ut rutheni, vel non ei competere primatum jurisdictionis, ut jansenistæ, sed honoris tantum, duplici excommunicatione irretiuntur, utpote hæretici, et schismatici. (*Del-Vecchio, n.* 571, *Varceno, Ballerini, n.* 972, *et Conc. Vaticanum, sess.* 4).

«IV. Omnes et singulos cujuscumque status, gradus, seu conditionis fuerint, ab ordinationibus, seu mandatis Romanorum Pontificum pro tempore existentium ad universale futurum Concilium appellantes, nec non eos, quorum auxilio, consilio, vel favore appellatum fuerit.»

Explic.: 1.° Hic recensentur omnes sive Reges, sive Cardinales, sive Regulares, sive sæculares, qui non ad futurum R. Pont., vel Concilium præcedens appellaverint; neque a synodali, vel a provinciali ad aliud provinciale, vel synodale, neque ab his ad generale; sed qui a Concilio, cui Papa interesset, appellarent ad aliud generale Concilium. Nam

odia sunt restringenda. *Ita Sayr., Reginal., Fill., Varceno , p.* 421, *aliique.*

2.° *Ab ordinationibus, seu mandatis...* nempe, a sententiis , decretis, præceptis , admonitis , censuris , pœnis quibuscumque Romanor. Pontificum, ut docent *Alterius, Duard., Ugol., Varceno*, etsi hæ ordinationes sint injustæ, ut ait *Suarez ;* vel circa ordinationes temporales, ac omnes ejus ordinationes, ut ait *Bonac., n.* 5; tamen *Reginaldus, Varceno, Avanzini, Comm., edit.* 2.ª, *p.* 14, ad solas res spirituales, vel spiritualibus adnexas limitant; quia istæ solæ ad Papam pertinent, ut Papa.

3.° Censurantur qui media suppeditarunt, suaserunt, patrocinium efficax dederunt ad appellandum ; secus vero qui secutam appellationem approbant. (*Suarez, Varceno*).

4.° Si quis appellaret a decretis, quæ Papa ex cathedra in rebus fidei, et morum tulit, hæreticus esset, et duplici irretitus esset excommunicatione. (*Varceno, Del-Vecchio, n.* 572).

5.° Si corpus morale, seu communitas ad futurum concilium appellaverit, interdictum, speciali modo reservatum, incurrit, ut infra dicetur.

«V. Omnes interficientes, mutilantes , percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales , Patriarchas , Archiepiscopos , Episcopos , Sedisque Apostolicæ Legatos , vel Nuntios , aut eos a suis diœcesibus, territoriis, terris, seu dominiis ejicientes , nec non ea mandantes, vel rata habentes, seu præstantes in eis auxilium, consilium, vel favorem.»

Explan. : Hac censura punitur injuria in *corpus,* et in *libertatem, dignitatem* Ecclesiæ Procerum.—1.° In *corpus ,* scilicet percutiendo , mutilando, interficiendo , sive fame , sive veneno, etc.

2.° In *libertatem* , nempe *capiendo, carcerando , detinendo : capere* est comprehendere ; *carcerare* est detrudere, vel continere quovis loco, etiam privato; *detinere* est quovis loco inclusum custodire , ne excedere possit.

3.° In *dignitatem* , nimirum hostiliter *insequendo*, vel *ejiciendo. Hostiliter insequi ,* est persequi animo nocendi. Proinde hanc censuram non incurrunt qui perterrefaciendi, vel diripiendi causa, eos insequuntur. — Secus qui persequuntur animo capiendi, aut vulnerandi , vel alia ratione lædendi, etsi actualis vulneratio, carceratio, vel spoliatio non sequatur; nam sola insequendi actio hic est prohibita cum hac censura.—Item qui Prælatum persequens , telum, vel saxum projicit, ut ipsum interficiat, vel detineat, etsi eum non attingat. *(Varceno , p.* 423).

— *Ejicere* est antea receptum expellere *(Bon., n.* 7): ideo non excommunicantur, qui non recipiunt.—*A suis terris, vel dominiis ;* nempe a civitate , vel quovis loco in quo Prælatus officium suum obire solet titulo patrimonii, vel hæreditatis , vel in quo natus est, aut domicilium habet. (*Alter. , Bon. , Varceno , aliique*).

—Dominium importat jurisdictionem. Unde ejiciens Cardinales ab Ecclesiis suis titularibus hanc censuram incurrit.

—Non distinguitur, qua auctoritate eos ejecerint, publica ne , an privata ; quove modo , vi nempe adhibita, an minis , vel nudo præcepto. Tamen requiritur ut Pælatus ob minas recedat, actu relinquat locum suum ; nam verba intelligi debent cum effectu. (*Fill., Duard., Alter., Bon., Varceno, et alii*).

—Quare censura ligatur, qui præcipiens Episcopo, ut a regno, vel diœcesi, aut urbe exeat, sequitur effectus. Idem dic de lictoribus, mandata exequentibus, auxilium, vel favorem præbentibus.

—*Rata habentes;* intellige: 1.° non qui animo indicata crimina approbant, sed requiritur ut percussio, mutilatio, etc., facta fuerit eorum nomine; non enim potest ratum quis habere, quod non suo nomine gestum est. (*C.* 23 *de sent. excom. in* 6).—2.° Ut quo tempore hæc perpetrata sunt, ipsi ea admittere, ac mandare potuerint; nam tunc ratihabitio retrotrahitur, et mandato æquiparatur. (*Ita c.* 10 *de reg. jur. in* 6, *Schmalzg., lib.* 5, *n.* 224, *Suar., Ballerini, Varceno, p.* 424).

Idem dic de Episcopo hæretico, suspenso, excommunicato, irregulari, vel verbaliter tantum degradato, vel de illo, qui dignitatem et locum renuntiavit; quia isti ordinem episcopalem retinent.—Secus dic de nondum consecrato, vel de realiter degradato; nam prior Episcopus proprie non est; posterior privilegiis omnibus clericorum caret. (*Duar., Ugol., Bon., Varceno, n.* 424).

«VI. Impedientes directe, vel indirecte exercitium jurisdictionis ecclesiasticæ, sive interni, sive externi fori; et ad hoc recurrentes ad forum sæculare, ejusque mandata procurantes, edentes, aut auxilium, consilium, vel favorem præstantes.»

Explan.: *Primo.* Aliud est potestas *Ordinis,* aliud *jurisdictionis:* 1.° Ad Ordinis potestatem spectat sacramenta ministrare, consecrare, benedicere, sacra obire.—2.° Ad potestatem jurisdictionis spectat leges, et mandata edere, absolvere, delegare, diœcesim visitare, prædicatores mittere, beneficia conferre, decernere munia ecclesiastica, etc.—3.° Alia est potius officii, vel juris, ut docere, prædicare, acquirere, alienare, contractus inire.

Hanc censuram incurrunt: 1.° qui obsistunt eis, qui jurisdictionem ecclesiasticam, sive ordinariam, sive delegatam, sive interni, sive externi fori habent, uti Ordinario, S. Pœnitent., parocho, judici, et quidem obsistunt, ne illorum jurisdictio aut incipiat, aut pergat, aut sententiam, vel decretum exequatur, ad eludendum ejus judicium.—2.° Qui ob id ad laicum tribunal recursum faciunt, ut ajunt, propter abusum.

Secundo. Impedire dicitur, qui facit, ut alius invitus ab opere cesset (*Salm.*), sive vi, sive minis, vel imperio, ut ait *Filluc.*, sive nomine proprio, sive alieno, uti justitiæ ministri, nisi id metu gravis incommodi faciant; non vero: 1.° Qui consiliis, precibus, vel fallaciis utitur.—2.° Neque qui prohibet alii, v. g. actori, ad judicem ecclesiasticum recurrere, vel tantum cogitat recurrere ad laicum.—3.° Neque qui clericum vexat, postquam hic jurisdictione sua functus est, vel eum cogit hac uti, v. gr. excommunicare, vel absolvere; quia sic non impeditur jurisdictio, sed extorquetur. (*Varceno, p.* 425). Aliter esset, si causa coram judice ecclesiastico jam introducta, reum cogeret ad judicem laicum eam evocare, si exinde ecclesiasticus judex suam jurisdictionem amplius exercere nequiret.

—*Directe* autem impedire est obstare ipsimet jurisdictionem exercere volenti, vi, imperio, minis; ut si quis Episcopo necem minetur, si censuram ferat, vel ne executioni mandetur sententia.

—*Indirecte,* si ei obsistat in alia re, ne jurisdictionem exercere possit in edendis legibus, conferendis beneficiis, vel in aliena persona, v. gr. si

parentes, vel amicos superioris ad hoc vexaret, aut si prohiberet scribas, apparitores, præcones, lictores Curiæ ecclesiasticæ addictos ea obire, quæ sui muneris sunt.

—*Injuste*; nam qui juste impedit, minime peccat; et excommunicatio peccatum mortale supponit. (*Ita Alter., Ugol., Duard., Fill., Bon., Varceno*). Sic quis judicem ecclesiasticum prævenit in causa mixti fori, non censuratur; quia utitur jure suo; secus vero si impediat judicem ecclesiast. in ipsa causa cognoscere, quippe impedit jus suum.

Tertio. Recurrere est alterius opem contra aliquem implorare.—*Forum* hic intelligitur locus in quo fieri solent judicia. Unde hanc censuram non incurrunt: 1.° Qui ad eum recurrit, cui nulla est in foro jurisdictio, vel in loco non suo; tunc enim habetur tamquam homo privatus.—2.° Si non fit recursus ad eludendum judicium fori ecclesiastici, sed ob aliam causam, v. g. quia improbe differtur causa, vel merito suspicatur de ipso judice; vel quia si ei obediatur, gubernii persecutionem non effugiet, etc. (*Ita Duard., Bon., Ugol., Varceno, p.* 429).

Quarto. Edere hic significat condere, ferre, decernere; ideoque excommunicationem incurrunt judices, et omnes alii jurisdictionem in sæculari foro habentes, mandata edentes circa hoc; secus dic de auctariis, qui ea scribunt; de præconibus, qui ea denuntiant, et de allis talem jurisdictionem non habentibus.

Quinto. Consilium, vel favorem præstantes, v. g. qui impedire valentibus procurant mandata, ne impediant; hi hanc censuram incurrunt tantum postquam impedimentum, vel recursus effectum habuerit. (*Bon., Duard, Varceno, p.* 427).

Idem dic de mandata edentibus, recurrentibus, impedientibus. Clerici autem ad forum sæculare recurrentes, ex Martino V, et Innocentio VIII, insuper beneficiis privati denuntiantur.

Huc etiam veniunt qui, suffragante populo, electi, audent legitimæ potestati obstando, sese introducere in parochiale regimen, et munera obire ecclesiastici ministerii. Item qui intrusos eligunt, adjuvant, iisque favent.

«VII. Cogentes sive directe, sive indirecte, judices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas præter canonicas dispositiones: item edentes leges, vel decreta contra libertatem, aut jura Ecclesiæ.»

Explan.: 1.° *Judex* hic est qui pro tribunali sive clericus, sive laicus, nempe, qui ex potestate laica judicium exercet, ideoque hic non alii veniunt magistratus.—2.° *Directe*, si minis; *indirecte*, si per alium quis cogit ad trahendum ecclesiasticos in jus quasi reos, sive ex causa pœnali, ob crimen etiam gravissimum, sive ex causa civili, etiam unius teruncii.—3.° *Ad suum tribunal;* qui ergo cogit clericum coram se trahere ob quemlibet finem extra actum judicialem, hanc censuram non contrahit: item si non ut reum, sed ut peritum, testem, etc., ad tribunal trahere cogit. Idem dic de illis locis, ubi non viget privilegium fori. (*Varceno, p.* 428).

4.° Idem dicendum de illis judicibus laicis, qui ex officio imposito per leges sive regni, sive imperii, quæ contra ecclesiasticas sanctiones sunt, ad suum tribunal clericos trahunt, ut dicto suo officio fungantur. Constat ex declaratione S. Inquis. 1 febr. 1871: *Excommunicationem eos*

non attingere, ait, *qui subordinati sint, etiamsi judices fuerint, sed in eos tantum esse latam, qui a nemine coacti, vel talia agunt, vel alios ad agendum cogunt.*

5. *Præter canonicas dispositiones*, intelligitur non servatis conditionibus, quibus trahi permittitur, et alluditur ad concordata cum Apostolica Sede, quæ alicubi vigent, et ad casum, quo clericus rite fuerit degradatus, et laico judici puniendus traditus; vel clericus non tamquam reus ad laicum judicium trahatur, sed uti actor, etc. *(Varceno).*

6. *Item edentes leges*, nempe, *leges* quæ a suprema potestate in perpetuum constituuntur.—*Decreta* quæ a quavis potestate, uti præfecto urbis, municipio, generaliter feruntur. Unde non veniunt huc illa decreta, quæ in singulas feruntur personas, vel in singulos casus, neque judicum sententiæ. *(Varceno, p.* 429, *Ballerini, n.* 972).—*Sententia est definitio judicis, qua litibus invicem contendentium finis imponitur.*—Decretum vero significat quamcumque judicis definitionem, ordinationem, et sententiam tam definitivam, quam interlocutoriam. *(Alter., Duard., Bon., Varceno*). Hinc cum articulus dicat *leges vel decreta,* non est pœna ad *sententias* extendenda; ideoque si judex, nullo edito decreto, alicui mandet, ut compellat clericum ad tributa solvenda, non afficitur hac censura; quia odia restringenda.

7.° Verba autem *contra libertatem, aut jura*, omne prorsus feriunt legum et decretorum genus, quibus tum Ordinis, tum jurisdictionis exercitium, tum quodvis aliud jus intercipitur, restringitur, perturbatur; ut jus docendi, prædicandi, beneficia conferendi, ad ordines promovendi, pia sodalitia erigendi, et eligere parochos, creare Episcopos, prædicatores mittere, sacramenta ministrare, et sacra obire sine ullo laicæ potestatis interventu: imo et jura, quæ Ecclesiæ, ut societati competunt, ut jus acquirendi actibus ultimæ voluntatis, sive inter vivos; alienandi, elocandi bona sua ultra novennium, ad Apost. Sedem recurrendi. (*Varceno, p.* 429, *Ballerini, ibid*).

8.° Sub hoc articulo comprehenduntur *cogentes* ad id agendum, ac etiam *non cogentes,* sed sponte id agentes. Hujusmodi legum, ac decretorum conditores, sive reges sint, sive municipia, sive populi, et quotquot suffragium præbuerunt, censuram incurrunt statim ac hæ leges, vel decreta promulgata fuerint. *(Bonac., t.* 3, *p.* 1, *n.* 4). Non autem contrahunt præcones eas evulgantes, nec eas observare facientes, vel eis utentes, aut se iis tuentes. (*Suar., Varceno*).

—Unde contra Ecclesiæ jura, et libertatem est: 1.° Lex, quæ in Italia omnes clericos astringit, sicut cæteros cives, ad sæcularem militiam. Contra istam legem protestatus est Romanus Pontifex 25 jun. 1969.—2.° Item leges, quæ in Italia, Helvetia, Hispania, Borussia, etc., supprimunt monasteria, eorumque usurpant bona. (*Pius IX* Alloc. 25 jul. 1873).—3.° Item leges quæ prohibent, ne acta Rom. Pontificis, aut Episcoporum publicentur, et executioni mandentur, sine prævio gubernii consensu.—4.° Item lex, quæ in Russia, et in aliis locis prohibet catholicis, ne communicent cum Rom. Pontifice, nisi intermedio gubernio.—5.° Et legislatores, qui in legiferis cœtibus suffragia pro præfatis legibus tulerunt; nec non principes, qui eas sanciverunt, in hanc censuram incurrerunt. (*Varceno, p.* 430, *Ballerini, ibid*).

«VIII. Recurrentes ad laicam potestatem, ad impediendas litteras,

vel acta quælibet a Sede Apostolica, vel ab ejusdem Legatis, aut Delegatis quibuscumque profecta, eorumque promulgationem, vel executionem directe, vel indirecte prohibentes, aut eorum causa sive ipsas partes, sive alios lædentes, vel perterrefacientes.»

Explan. 1.° *Recurrentes*, id est, sive appellando, sive provocando, sive supplicando, quocumque modo fiat, non vero qui vocati ad tribunal, vel ad solvendam pensionem sibi Litteris Apostolicis impositam respondent.—2.° Ad *laicam potestatem*, quæ in cives jurisdictionem exercet, uti sunt judices, præsides, præfecti. —Non vero quæsitores, et similes.—Insuper recurrere ad eos necesse est, qua judices; nam si ut ad amicos, vel necessarios, aut potentes, hæc censura non incurritur. (*Fill.*, *Duard.*, *Varceno, aliique*).—3.° *Ad impediendas litteras, vel acta, etc.* Litteræ Apost. sunt, quæ a R. Pontifice prodeunt, vel ejusdum nomine, sive in forma *Brevis,* sive *Bullæ*, vel *Encyclicæ*, vel quavis alia forma.—*Acta* vero appellantur, quæ Romæ geruntur Pontificis mandato, sive spirituale, sive temporale negotium contineant, uti sunt monitoria, citationes, processus. (*Bon.*, *Varceno, p.* 431).—4.° *Legati* sunt qui a R. Pontifice ad principes sæculares reipublicæ causa mittuntur.—*Delegati*, quibus aliquod committitur negotium gerendum; ideoque nec *Legati nati*, nec Episcopi in his, quæ ordinariæ sunt jurisdictionis hic comprehenduntur.—5.° *Prohibentes promulgationem*, modo ac forma consueta, qua fit promulgatio; vel executionem impediendo, v. g. ne litteræ suum obtineant effectum; vel si quis notarios prohibeat super his instrumenta conficere; aut confecta partibus tradere, aut partes uti jam traditis. Non tamen censurantur, qui Litteras, vel Acta hujusmodi impetrare vetant, vel qui ab aliis impetratas publicare, expedire, tradere, exequi recusant, vel eis obedire, quamvis recusent, quia nondum principis, vel magistratus examen, beneplacitum, vel consensus accesserit. (*Regin. IX*, 324, *Varceno, p.* 432). Ratio, quia hoc non importat recursum ad laicam potestatem, nec positivam impeditionem.

Probabilius ad hanc censuram incurrendam prohibitio ab auctoritate laica publica fluere debet. Ita *Varceno, Comment., Reat.; nam Pontifex de ea prohibitione loqui videtur, quæ profluit ex recursu ad laicam potestatem.*

6.° *Lædere*, id est lædere corpus juxta *Brisson, Varceno,* et *Ballerini;* et juxta alios etiam lædere bona famæ, et fortunæ.—*Perterrefacere,* puta gravi metu impediendo.—*Sive ipsas partes,* id est, eos ad quos Litteræ, vel Acta Apost. pertinent.—*Sive alios,* intellige eos, ad quos spectat publicatio, vel executio Litterarum harum, uti *agentes, notarii, procuratores, executores;* vel eos, quos *lædendo, terrendo,* intelligitur, lædere, terrere notarios, executores ipsos, puta, eorum parentes, conjuges, filios. (*Ita ex lib.* 8, § *Ult. D., quod met. caus. Varceno, p.* 432).

Hæc censura incurritur sive a laicis, sive a clericis, licet tantum ad tempus recurrant, vel impediant; v. g. quoadusque *regium placitum* obtentum fuerit; non enim cessat injuria in Sedem Apostolicam. Sed juris regula, ut incurratur censura, necesse est ut prohibitio, recursus, læsio effectum obtinuerint.

Juxta *Varceno* excusantur ab hac censura *mandantes, vel consulentes;* quia hic articulus non continet verba *per se, vel per alios.*

«IX. Omnes falsarii Litterarum Apostolicarum, etiam in forma Brevis ac supplicationum gratiam vel justitiam concernentium, per R.

Pontificem, vel per S. R. E. Vice-Cancellarios, seu Gerentes vices eorum, aut de mandato ejusdem R. Pontificis signatarum: nec non falso publicantes Litteras Apostolicas, etiam in forma Brevis, et etiam falso signantes supplicationes hujusmodi sub nomine Romani Pontificis, seu Vice-Cancellarii, aut Gerentis vices prædictorum.»

Explic.: 1.° *Falsarius* est qui falsum admittit.—Falsum hic admittitur formaliter Litteras corrumpendo, vel confingendo, vel supplicationes signando.

2.° *Corrumpitur* quoties aliquid variatur, deletur, additur, etsi unum verbum, punctum, vel apex, modo mutetur sensus a Romano Pontifice intentus.—Item si per illam mutationem Bulla ex valida fiat invalida, aut ex valida præsumatur magis valida, ut dicunt *Nav., Alter., Fill., Suar., Regin., Ugol., Varceno, p.* 434, *aliique*. Secus si error sit tantum grammaticalis, vel nominis, cognominis, patriæ emendati; nam veritatem restituit, qui errorem emendat. *(Bon., Suar.)*.

3.° *Confingitur* quoties falsa scriptura subjicitur, sive sigillum verum falsis litteris apponendo, vel falsas litteras fabricando, vel signando falso sigillo, vel etiam vero sine consensu illius ad quem spectat. (*Alter., Ugol., Duard., Suar., Varceno, aliique*).

4.° *Supplicationes signando* fit quoties in eis falso rescribitur: *Fiat.* Ita *Varceno, Ballerini.* Tamen ad hanc censuram incurrendam requiritur: 1.° ut veritas supprimatur, vel immutetur;—2.° ut dolo malo fiat;—3.° ut hoc graviter decipere, et nocere proximo queat, non sibi ipsi;—4.° ut falsitatem compleveris, etsi Litteris non utaris; nisi statim ac eas corruperis, mox sis ipsas laceraturus, ut ait *Silv. cum Duard.*

Quoad falsitatem, quæ admittitur confingendo Litteras Apostolicas, ante harum publicationem non incurritur censura hæc; nam Constitutio ait *publicantes*, et non confingentes.—Publicare hic intelligitur sive facto, sive jure, nempe tam evulgatio earum, quam promulgatio; eum qui paucis ostenderet, ita ut notoriæ adhuc dici non possent, *excommunicationem puto non incurrere,* ait *Varceno, p.* 435. Qui vero his utitur, aliam censuram Episcopo reservatam incurrit, ut infra dicetur.

—Verum non ligantur censura: 1.° Qui aliorum extra Sedis Apostolicæ, vel Datariæ Litteras falsaret, puta Nuntii Apostolici, Legati a Latere, Pœnitentiarii majoris, SS. Congregationum. (*Ita Navar., Suar., n.* 42, *Schmalzgr., n.* 28).—2.° Qui Litteras Apostolicas falsaret, sed nondum signatas, vel sigillo munitas; quia nondum authenticæ sunt, nec valent. (*Dard., Bon., n.* 11, *Varceno, p.* 434.)—3.° Nec ea quæ valere desierint; v. g. mortuo dispensato.—4.° Nec qui nomine alieno, vel falso, litteras impetrant; veras sane obtinent Litteras Apost.—5.° Nec falsificantes Litteras, quas Summus Pontifex, uti persona privata, scribit, v. g. si amico scribat; istæ enim non dicuntur Litteræ Apostolicæ. (*Duard., Bon., Ugol., n.* 5).

Gratia hic est aliquod Papæ beneficium, aut liberalitas, seu indulgentia.—*Justitia* est id, quod ad lites, vel ad causæ alicujus cognitionem, ac definitionem pertinet.—*Supplicatio* est instantia S. Sedi porrecta sive ad obtinendam gratiam, sive justitiam.

«X. Absolventes complicem in peccato turpi, etiam in mortis articulo, si alius sacerdos, licet non approbatus ad confessiones, sine gravi aliqua exoritura infamia, et scandalo, possit excipere morientis confessionem.» (*V. T.* II, *n.* 789).

« XI. Usurpantes, aut sequestrantes jurisdictionem, bona, redditus, ad personas ecclesiasticas ratione suarum ecclesiarum, aut beneficiorum pertinentes. »

Explan.: *Primo. Usurpare* est rem alienam occupare quasi suam, vel ea uti quasi jure proprio. (*Suarez*). Unde hanc censuram non incurrunt: 1.° Qui justa compensatione aliquid, ad personas ecclesiasticas pertinens, sibi vindicat. (*Bonac.*, *n.* 6).—2.° Nec qui ædes incendit, sata læserit, arbores ceciderit, etc.—3.° Nec qui furatur beneficiariis fructus suorum beneficiorum, ex *S. C. Inquisit.* 9 *mart.* 1870; quia eos uti alienos usurpat.—4.° Nec qui decimas non solvit, vel eas temere occupat, quas alius dare debebat; sane nondum sub Ecclesiæ dominio sunt: item qui rem sibi commodatam, vel apud se depositam non restituit.—5.° Nec qui aliquem percussit, ne mercedes agrorum solvat, quos ab Ecclesia conduxit: nec qui usurpant, vel sequestrant per alios, seu per interpositas personas, etsi comprehendantur sub censura Tridentini, ut infra.—6.° Nec ipsa persona ecclesiastica, quæ aliquod bonum ecclesiæ suæ, vel sui beneficii interceperit. (*Varceno*, *p.* 439).

Secundo. Sequestrare est judicis auctoritate injuste impedire, ne bona, fructus, etc., ab ecclesiasticis personis, ad quas ratione ecclesiarum, vel beneficiorum suorum pertinent, percipiantur. Unde hac censura non ligantur: 1.° Qui bona usurpant, vel sequestrant addicta sacris ædibus servandis, reparandis, vel sacris obeundis, etc.—2.° Vel quæ ad personas ecclesiasticas non pertinent ratione suarum ecclesiarum, vel beneficiorum, uti sunt bona piorum locorum, seu monasteriorum, nosocomiorum, confraternitatum laicalium, et similium; tamen comprehenduntur sub censura Tridentini, *de qua infra*, n. 258, art. XIX. (*Del-Vecchio*, *n.* 583).—3.° Nec ligantur, qui sequestro justo sequestrant. (*Fill.*, *Nav.*, *Varceno*, *p.* 439, *aliique*).—4.° Nec qui a justo sequestro non deducant, quod clerico necessarium est, ut vivere possit, ubi huic privilegio derogatum sit, vel ubi contraria viget consuetudo legitima. (*Varceno*). — 5.° Nec comprehendi videntur usurpantes, vel sequestrantes bona, aut redditus capellaniarum laicalium; quia non sunt vera beneficia. (*Varceno*). —Secus dic de usurpatoribus, vel sequestrantibus bona, vel redditus juris patronatus laicalis; sunt equidem bona ad ecclesiasticas personas pertinentia ratione beneficiorum stricto sensu acceptorum, quamquam hæc beneficia sint obnoxia alicui servituti patronorum, qui jus habent beneficiatum præsentandi, cum vacaverint. (*Varceno*, *p.* 440.)—S. Pœnitentiaria, 10 dec. 1860, *Omnibus, et singulis locorum Ordinariis... ad sex menses duraturam concedit facultatem... habilitandi Cursores, et Exactores ad exequenda mandata, tum contra loca pia, tum contra personas ecclesiasticas, petita, et obtenta prius in singulis casibus venia a respectivo Ordinario, et remoto prudenter scandalo : contrariis quibuscumque non obstantibus.*

Tertio. Jurisdictionem intellige, sive spiritualem, sive temporalem gubernandi, administrandi, judicandi. — *Bona* autem sive mobilia, sive immobilia, sive etiam jura.—*Redditus* vero quidquid res fert, vel intuitu rei percipitur, ut vinum ex vinea, pretium a locatione.

— Dubitatum fuit, an usurpatores bonorum ecclesiasticorum duplici innodentur censura.—Et S. Cong. S. Off., 8 jul. 1874, respondit: *Negative.* Sed sola excommunicatione Rom. Pontifici *specialiter* reservata.

Item dubitatum fuit, an eadem censura incurratur, si quis prædicta ab

usurpatore emerit; sed utique incurri definiti juris est ex Pio IX. Allocut. 25 jul. 1873, ait *Ballerini, n.* 972. Adde rèsponsum S. C. O. 8 jul. 1874. V. n. 258, art. XIX. Quæstio tamen perdurat: ast videtur hos ementes secundarios in stricto sensu minime venire nomine usurpatoris; usurpata siquidem jam invenerunt præfata bona: unde illi melius retentores ac in proprios usus ea convertentes vocari convenit. Id ipsum innuere videtur *S. O. C.*, dicens: usurpatores innodari sola excomm. *specialiter* Pontifici reservata; quod dicit pœnas non esse extendendas nec multiplicandas, præsertim a nobis, cum versamur in odiosis dubiis.

Quoad patronos, aliosque bona ecclesiastica ementes, ac habentes vide (*T.* II, *n.* 22, *et* 23).

«XII. Invadentes, destruentes, detinentes per se, vel per alios civitates, terras, loca aut jura ad Ecclesiam Romanam pertinentia; vel usurpantes, perturbantes, retinentes supremam jurisdictionem in eis nec non ad singula prædicta auxilium, consilium, favorem præbentes.»

Explic.: Hæc censura ad defensionem, et tutelam dominii temporalis ad Apostolicam Sedem pertinentis spectat. Hinc 1.° *Invadentes, destruentes, detinentes, etc.*, intelliguntur, invita Sede Apostolica id facientes. —*Perturbantes* sunt omnes, qui impediunt ne Papa leges ferat, vel publicet in suis civitatibus.—*Retinentes* intelliguntur qui ab aliis talia acceperint, velut hæredes hæredum. (*Varceno, p.* 441).—2.° *Jura:* veniunt jura principalia, et temporalia, non spiritualia; ut jus vitæ, et necis, indicendi tributa, creandi magistratus.—Per *Jurisdictionem* venit suprema jurisdictio, uti princeps temporalis, v. gr. jurisdictio gubernandi.

Incurrunt hanc excommunicationem 1.° qui civitates, terras, loca destruunt, invadunt, vi adhibita.—2.° Qui supremam Romani Pontificis in his jurisdictionem perturbant, v. gr. qui ipsum impediunt, quominus leges in his civitatibus promulget, tributa indicet.—3.° Qui hanc jurisdictionem, vel civitates, etc., retinent, tametsi ab aliis eas acceperint, velut hæredes, et horum hæredes; sunt quidem retentores.—4.° Qui ad singula prædicta auxilium, consilium, favorem præbent.

Quæsitum fuit, an confessarii debeant habere uti censuratos eos, qui suffragia pro Italiæ, sub uno rege, unione, sive timore, sive dolo, sive ignorantia ducti, dedere; tum eos qui dederunt in aliis provinciis extra Pontificiam ditionem, aut dederunt suffragium negativum, aut nihil significans; tum eos, qui non timore gravi permoti domos suas luminibus ornarunt, vel usi sunt signis tricoloribus, etc., aut levitate ducti, cantui *Te Deum* interfuerunt; tum denique mulieres, et minores, qui votorum, sive honoris protestationem subscripserunt, vexilla consuerunt, etc.

S. Pœnitent., 10 decemb. 1860, respondit: *Censuras ecclesiasticas juxta Litteras Apostolicas,* 26 *mart.* 1860, *incurri ab iis, qui formaliter cooperantur, vel adhærent rebellioni ditionis Pontificiæ. Quare ad dignoscendum in foro conscientiæ utrum quis censuras incurrerit, discutienda est per confessarium uniuscujusque conscientia.*

Unde, ut censuram incurrant *auxilium, consilium, aut favorem* præbentes, aut adhærentes, requiritur vera, et formalis cooperatio, et realis adhæsio; et quidem non ex ignorantia, aut gravi metu, sed ex deliberata voluntate procedente. Ita *Del-Vecchio, n.* 588, *et Varceno, p.* 442.

Hinc subalterni, qui officia retinent in romana ditione pro tuenda pu-

blica tranquillitate, municipia, aliique, qui directe, et proxime non influunt in spolium, vel in ejusdem spolii manutentionem, censuram non incurrunt; modo 1.° juramentum non præstent, quo usurpatori obedientiam positivam polliceantur, quod quasi pretium muneris foret; et si omnino jurare necesse sit, *passivam* dumtaxat, et legibus tum divinis, tum ecclesiasticis obedientiam promittant, ut indictum est per *Pium VII*, 30 *aug.* 1808, *et S. Pœnitent.*, 10 *decemb.* 1860.—2.° Ut dum jurant, palam profiteantur, se nihil facturos, quod legibus divinis, et ecclesiasticis adversetur; secus ab hisce abstinere, aut officio valedicere necesse est.

En nunc circa hanc rem aliqua ex S. Pœnitent. responsa, 10 dec. 1860. —1.° Non licet cooperari functioni religiosæ legibus Subalpinis expostulatæ die anniversaria Statuti.—2.° Nec propriam domum ornare luminibus ratione inaugurationis novi gubernii, aut in alio simili eventu; neque insignibus novi gubernii uti, nisi immineant gravia damna, et absit scandalum.—3.° Nec clerici gubernativas auctoritates invitare possunt ad ecclesiasticas functiones; et si forte non invitatæ intersint, iis honoris actus in cæremoniali præscriptos tribuere non licet, sed passive se habere debent clerici.—Tamen excipi in ecclesia queunt municipales magistratus, iisque tribui honoris actus, dummodo tamen *non peregerint actus reprobatos per Litteras Apostolicas* 26 *mart.* 1860; secus ut in præcedenti.—4.° Nec licet in Missa, aliisque sacris functionibus recitare *Collectam* pro rege, ab invasore gubernio indictam.—5.° Nec nomen dare nationali, aut civicæ militiæ, quæ ab intruso gubernio ad suam conservationem est constituta. *Posse tolerari milites civicos coactos, qui militiam absque gravi damno, seu incommodo deserere nequeunt, dummodo tamen animo parati sint eam deserere, quamprimum poterunt, et interim abstinere ab omnibus actibus hostilitatis in subditos, et milites legitimi principis, et ab actibus contra bona, jura, et personas ecclesiasticas.* Ita *S. Pœnitent.* die prædicta.—6.° Nec licet parochis elenchos dare gubernio intruso pro militiæ nationalis, et militaris delectu.....; et quatenus per vim libri auferantur, passive se habeant.—7.° Potest tolerari suffragia dare ad municipia componenda, et electi officio fungi valent, modo non adigantur ad ea, quæ adversantur legibus divinis, et ecclesiasticis, et se abstineant a præstando juramento juxta formam a gubernio invasore propositam. Ita *S. Pœnitent.*

Potest Episcopus urbanitatis officia explere, præsides ab intruso gubernio visitando; sed nec rogatus jusjurandum præferre potest, *tum quia a SS. canonibus prohibitum est ecclesiasticis juramenta emittere coram auctoritatibus laicis; tum quia juramentum, prout proponitur, est illicitum; uti constat ex responso S. Pœnitent.*, 10 *dec.* 1860.

Q. *Potest ne Episcopus, aliive ex clero hymno* Te Deum, *politicam ob causam canendo, operam dare?*

R. *Prout exponitur non licet, ex pluribus S. Pœnitent. responsis, et ex Litteris* 10 *dec.* 1860, *neque ad rem facit responsum datum ab ipsa S. Pœnitent. circa cessationem belli, quo declaratum fuit legere cantum hymni* Te Deum *sub sequentibus conditionibus:* 1.° Modo cantus prædictus fiat solo fine gratias agendi Deo pro cessatione belli, et hic finis sit publice notus.—2.° Ut recitentur tantum versiculi communes, et unica oratio pro gratiarum actione. (*Varceno, p.* 446).

XIII. Ex Const. *Romanus Pontifex,* 28 aug. 1873, *Canonici, et Dignitates Cathedralium vacantium, qui ausi fuerint transferre, ac concedere curam, regimen, et administrationem ecclesiæ vacantis sub quovis titulo, nomine, quæsito colore in nominatum, et præsentatum ad Sedem episcopalem, vel a Capitulo, si habet jus, vel a sæculari potestate, si hoc gaudet privilegio, antequam nominatus exhibeat Bullas ei, cui de jure, excommunicationem speciali modo reservatam Pontifici eo ipso incurrunt.*

In eamdem pœnam incurrit ipse nominatus, et præsentatus, vel ut supra electus ad vacantem ecclesiam, si curam, regimen, et administrationem suscipere audet sub nomine Provisoris, Vicarii generalis, aliove nomine ex concessione, et translatione in eo peractam a Dignitatibus, et Canonicis, aliisque qui, deficientibus Capitulis, Vicarios deputant, aut vacantes ecclesias legitime administrant.

Item sic omnes qui præmissis paruerint, vel auxilium, consilium, aut favorem præstiterint cujusque status, aut præeminentiæ, et Dignitatis fuerint.

Præfati canonici, etc., alia pœna ex eadem Bulla sic plectuntur: *Necnon privationis fructuum ecclesiasticorum beneficiorum quorumcumque, aliorumque reddituum ecclesiasticorum per eos respective obtentorum, similiter eo ipso incurrendis pœnis innodamus, et innodatos fore decernimus, et declaramus : ipsarumque pœnarum... relaxationem, Nobis et Rom. Pontifici pro tempore existenti dumtaxat* specialiter *reservamus.*

Insuper quoad sic electos, seu præsentatos additur: *Præterea nominatos, et præsentatos jure, quod eis per nominationem, et præsentationem forte quæsitum fuerit, decernimus eo ipso privatos. — Insuper quæcumque a sic nominatis, et præsentatis in administrationem vacantium ecclesiarum intrusis fiant, mandentur, decernantur, et ordinentur cum omnibus, et singulis inde quovis modo secutis, et quomodocumque secuturis, nulla, invalida... et a non habentibus potestatem damnabiliter attentata, et de facto præsumpta, nulliusque valoris... esse, et perpetuo fore tenore præsentium declaramus, et decernimus, illaque damnamus.*

Interdictum, et suspensio contra eos nominatos, etc., si episcopali sint charactere insigniti, infra ponentur.

XIV. Pius IX per decretum S. Conc. Congreg., 23 maj. 1874, declaravit quod *ecclesiastici qui, suffragante populo, ad parochi, sive vicarii officium electi, audent sive ecclesiæ, sive jurium, ac bonorum prætensam possessionem arripere, atque obire munera ecclesiastici ministerii, ipso facto incurrunt excommunicationem majorem peculiariter, sive speciali modo reservatam S. Sedi, aliasque pœnas canonicas; iidemque omnes* (intrusi) *fugiendi sunt a fidelibus, juxta divinum monitum, tamquam alieni, aut fures, qui non veniunt, nisi ut furentur, mactent, et perdant.*

Hæc tamen quæ jam constituta erant pro Helvetiæ fœderatione, Encycl. 21 nov. 1873, applicantur tantummodo ecclesiasticis provinciarum Venetiarum, et Mediolani, singulisque diœcesibus, Patriarchali, ac Metropolitanæ jurisdictioni subjectis. Quoad cæteras provincias, habetur censura lata contra impedientes exercitium jurisdictionis ecclesiasticæ, ut supra.

Advertendum hic vero est, censuram, ac decretum de quo nunc, extendi non debere alibi, neque ad sic in parœcias intrusos; attamen hi excommunicationem non effugient sup. n. XI positam. Nam vel pastor legitimus parœciæ jam datus supponitur, et sic ex parte intrusi usurpatio jurisdictionis ad alium pertinentis adest ratione beneficii; vel supponimus, nondum legitimum datum fuisse pastorem, et sic læsam habemus Ordinarii jurisdictionem in eamdem parœciam. Decretum igitur speciale pro dictis provinciis haberi potest, ceu merum articuli XI consectarium, vel applicatio. (*Ballerini*, *n.* 973).

Q. *Quænam norma a catholicis observanda est quoad intrusos?*

R. En præcipua ex Pio VI præscripta pro intrusis in Gallia, quæ sub gravi veniunt observanda.

I. Non licet parochum intrusum adire pro administratione baptismi, nisi in casu extremæ necessitatis; neque ab hoc Communionem suscipere, adhuc in Paschate; neque pro matrimonii celebratione, ita ut, si alius desit omnino recursus, contrahere debeant fideles sine pastoris præsentia, cum solis testibus, in hoc saltem Trid. servantes.

II. Non licet diebus etiam festivis ab intruso Missam audire, etsi alia audiri nequeat; neque ejus concioni, aliisque functionibus interesse; vel ab eo alia petere ministeria, vel Missam celebrandam eidem tribuere; neque ab ipso benedictionem, quæ dari solet puerperæ, suscipere; neque funus, vel exequias ab intruso celebratas comitari; neque alias preces, vel Ecclesiæ ritus socialiter cum eo agere.

III. Exequiæ a legitimo pastore sunt celebrandæ, etsi in domo privata, si aliter fieri nequeat. Et sacerdotes catholici, quamvis non jejuni, consumere debent hostias ab ipsis catholicis consecratas, ne in manus intrusi veniant.—Si hic cum hostiis consecratis ministret, etsi coram Sacramento sit genuflectendum, declinandus est ejus occursus, ne in hoc videantur catholici cum schismatico communicare.

IV. In mortis articulo, deficiente quovis alio sacerdote catholico, scandalo amoto, pœnitentiæ sacramentum ab intruso in ea necessitate recipi posse, responsum fuit. (*Del-Vecchio, Gury*, *n.* 973).

CAPUT V.

Excommunicationem latæ sententiæ Romano Pontifici simpliciter reservatam ex Const. Apost. Sedis incurrunt.

258. I. *Docentes, vel defendentes, sive publice, sive privatim propositiones ab Apost. Sede damnatas sub excommunicationis pœna latæ sententiæ. Item docentes, vel defendentes tamquam licitam praxim inquirendi a pœnitente nomen complicis, prouti damnata est a Bened, XIV, in Const.* Suprema 7 jul. 1745, Ubi primum 2 jul. 1746, Ad eradicandum 28 sept. 1746.

Explic.: 1.° Qui docet, etc., propositiones a Rom. Pontifice sine censura proscriptas, uti in *Syllabo* contentas, hanc censuram non incurrit.

—2.° Qui docet nescientes, vel defendit, id est, sive patrocinium suscipit publice, sive privatim propositionum, quæ proscriptæ sunt, quatenus hæreticæ; sive singillatim, sive conglobatim cum aliis erroneis, hæreticus est, ideoque excommunicationem *speciali modo* reservatam incurrit. *(Del-Vecchio, n.* 594). – 3.° Qui docet, vel defendit propositiones sub censura ab Apost. Sede damnatas, non vero in Conciliis generalibus, aut particularibus, hanc censuram incurrit. *(Varceno, p.* 454).—4.° Cum Pontifices propositiones damnarunt hisce verbis: *Sub pœnis et censuris contra hæreticos in jure expressis, ipso facto incurrendis, vel sub ecclesiasticis censuris, aliisque contra similia patrantes a jure statutis pœnis, ipso facto incurrendis*, non incurritur hæc censura; quia in decreto non exprimitur censura generatim sumpta, sed speciatim, id est, excommunicatio. Excipe si sub *ly* censuris sit etiam inflicta excommunicatio. *(Varceno).*

Inter propositiones, quas docere, vel defendere interdictum est ab Apost. Sede sub dicta pœna recenseri solent præcipue sequentes. 1.° Articuli 45 Joannis Wiclephi, et articuli 30 Joannis Hus, ex Const. Martini V *In eminentis.*—2.° Errores 41 Martini Lutheri damnati a Leone X, Bulla *Exurge.* —3.° Propositiones 79 Michaëlis Baji damnatæ a Pio V, Bulla *Ex omnibus.*—4.° Propositio de confessione sacramentali, et absolutione, obtinenda per litteras, a Clement. VIII.—5.° Propositiones 45 damnatæ ab Alexandro VII.—6.° Propos. 65 damnatæ ab Innocentio XI.—7.° Prop. 68 Michaëlis de Molinos damnatæ ab Inocent. XI, Cons. *Cœlestis Pastor.*—8.° Prop. 2 damnatæ ab Alexandro VIII, 24 aug. 1690.—9.° Prop. 31 ab eodem damnatæ, 7 dec. 1690.—10.° Prop. 101 Paschasii Quesnelli, damnatæ a Clemente XI, Cons. *Unigenitus.*—11.° Prop. 5 de duello, damnatæ a Bened. XIV, Cons. *Detestabilem.*—12.° Prop. 85 synodi diœcesani Pistoriensis, damnatæ a Pio VI, Const. *Auctorem fidei.*

Quoad *complicem*, ut quis hanc contrahat censuram, necesse est 1.° ut doceat hanc praxim licitam esse.—2.° Ut utrumque simul licitum esse doceat, nempe, exquirere complicis nomen, et reticenti absolutionem negare.—3.° Ut temere hæc doceat; nam Const. Bened. XIV ait: *Qui ausus in posterum fuerit docere licitam esse ejusmodi praxim, si manifestare renuerit, sacramentalem absolutionem denegando.* Si unum ex dictis desit, excommunicatio abest. (V. T. II, n. 720).

II. *Violentas manus, suadente diabolo, injicientes in clericos, vel utriusque sexus monachos; exceptis quoad reservationem casibus, et personis, de quibus jure, vel privilegio permittitur, ut Episcopus, vel alius absolvat.*

Explan.: En privilegium *Canonis* Conc. Lateranensis II, an. 1139 celebrati, quod Pius IX confirmavit. Dicitur *Canonis,* quia est in favorem Status, et non personæ.

Q. *Quid venit per violentas manus?*

R. *Injuria externa, et realis in personam, vel rem ipsi inhærentem, quæ corpus, vel libertatem, aut dignitatem ejusdem graviter lædat.*—Hinc qui lapidem in clericum injiciat, quin eum tangat, censuram non incurrit; deest quidem percussionis realitas. Unde gravis aderit violentia:— 1.° *In corpus*, percutiendo, vulnerando quocumque modo, vel instrumento.—Item res ipsi clerico adhærentes per vim auferendo, uti pileum, baculum, crumenam, vestes, etc.—2.° *In libertatem,* ipsum carcerando, vel

alio privatim detrudendo. Excipe si aliquem noctis tempore inveniret civilis potestas arma prohibita deferentem; vel sine veste clericali, vel *inflagranti* aliquod crimen patrantem, tunc enim potest ad ejus carcerationem procedere, ut postea ad curiam ecclesiasticam remittat. Imo potest illum punire (sed non pœna mortis), si ille rebellionem adversus principem moliretur, aut populum ad seditionem excitaret, et a proprio Episcopo non esset de hoc punitus. *S. Lig., l.* 1 *de privil., n.* 19.—3.° *In dignitatem,* v. g. spuere in faciem ejus, vestes, quas indutas habet, lacerare, vel per vim ab eis denudare, aut luto, atramento, stercore fœdare, vel per contemptum super eum aquam fundere.—Item rhedam parare, vel foveam aperire, ut cadat; vel eum ab equo excutere, aut ab ipso, vel cum ipso in terram præcipitare, aut aliud contumeliosum in eum inferre. *(Ita Ballerini, n.* 975, *Del-Vecchio, n.* 855).

Si clericus in sui percussionem consentiat, percutiens adhuc censuram incurrit; nam ille cedere nequit, cum in totius Status decorem sit privilegium.

Non autem censuram incurrit qui baculum, marsupium, actu subdolo, vel joco aufert, etsi interveniat præcisio. Neque qui vestes, et alia bona sine violentia a clerico eripiat; vel in ejusdem absentia; vel etiamsi per metum verbis, aut factis incussum, modo ejus persona non attingat; quia non est manus violentas imponere... Item dic de eo, qui sibi ipsi violentiam infert. *(Ballerini, Scavini, ibid.)*

Q. *Quotuplex est percussio hæc?*

R. Triplex: *Enormis, mediocris, et levis.*

I. *Enormis* est *magna vulneratio, aut mutilatio, vel magna sanguinis effusio aliunde quam a naribus*, *vel magna injuria.*

II. *Mediocris* est cum fit *carnis contusio, aut macula, etsi pugnis, vel ungulis, qua sanguinis quidem copia effundatur, sed absque gravi læsione, vel injuria*, ut si extrahatur dens, vel capillorum copia evellatur.

III. *Levis*, non ratione sui, sed relate ad mediocrem, et enormem, ea dicitur, *quæ fit pugno, pede, lapide, baculo, modo neque carnis contusionem relinquat, neque sanguinis effusionem producat.*

Levis percussio gravis evadere potest ratione circumstantiarum loci, modi, et personæ. 1.° Ratione *personæ læsæ*, ut si sit Prælatus, judex, vel dignitas; et etiam ratione personæ lædentis, ut si officialis laicus auctoritative, vel religiosus clericum percutiat; ac etiam ratione personæ coram qua fit percussio, ut si coram Episcopo.—2.° *Ratione loci, et scandali*, ut si fiat in platea publica, vel in ecclesia, aut tempore sacrarum functionum.—3.° *Ratione modi*, v. g. si quis clericum atramento, vel stercore fœdaret, vel illum vi publice denudaret.—In dubio an sit gravis, vel levis percussio, judicanda est gravis, ne occasio Statum lædendi præbeatur. *(S. Ligor., lib.* 3, *n.* 274, *et ex Joan. XXII, Extrav. Perlectis).*

Titius religiosus vespere Cajum item sacerdotem in tenebris spectat, invadit, et impactis iteratis sat vehementibus in facie alapis, taliter cædit, ut copiosissimus sanguis ex naribus effluat, et vestigium notum aliquot diebus a toto conventu visum retineret, idque duobus sacerdotibus præsentibus. Quæritur 1.° An Titius sit habendus pro notorio clerici percussore? 2.° An talis percussio sit levis, vel gravis, aut enormis? S. C. C., 8 aug. 1682, respondit: *Ad* 1.^m^ *negative: ad* 2.^m^ *esse levem.*

Idem respondit circa duos clericos, quorum unus poculum cerviciæ

effudit in caput alterius, ejusque vestimenta dilaceravit.—Idem de aliis duobus acriter contendentibus.

Q. *Quid si quis venenum clerico præbeat?*

R. Communius docent, excommunicationem non incurri, quousque venenum lædere incipiat; quippe ad censuram incurrendam requiritur violentia activa, et effectiva; et antea non adest nisi actio apta ad effectum, sicut qui lapidem in eum jecerit, quem attingere non potest; ideoque effectus est expectandus, ut censura incurratur. *(Ita Bon., Viva, Dian., Scavini, n.* 855, *S. Ligor., lib.* 7, *n.* 280, *cum aliis).*

Qui vero clerico venenum propinat, vel mandatum, aut consilium de illo occidendo dederit, si antequam illud operari incipiat, vel mors sequatur, corde pœniteat, ac mandatum accuratim revocare studeat, valde probabiliter censuram non incurrit, etsi effectus eveniat; nam censura, ut pœna medicinalis, reum contumacem afficit.—Incurrit tamen irregularitatem; quia hæc est inhabilitas canonica, cui subjicitur delinquens, etsi pœniteat. *(Ita Salm., Scavini, S. Ligor., n.* 40).

Q. *Quid intelligitur per hæc verba, suadente diabolo?*

R. Significat quod ad hanc censuram requiritur, ut percussio sit graviter peccaminosa. Hinc ab hac excomm. communiter eximuntur: 1.º Qui clericum percutiendo, graviter non peccant ob subitam iram, vel ob advertentiæ defectum. Ita jure excusatur, qui clericum turpiter agentem cum matre, filia, sorore, aut uxore sua occidit.—Item dic si jocose, vel casualiter, etsi gravis sit percussio, et quamvis cum aliqua ira conjuncta, quæ tamen non pertingat ad grave peccatum.

2.º Pueri in minoribus, qui se invicem pugnis percutiunt, licet sanguis e naribus emanet; siquidem tales percussiones non reputantur graviter injuriosæ, cum proveniant ex levitate jocosa. *(Ita Bon., Fil., Lay., Mol., Salm., Pal.)*

3.º Mulier quæ percutit clericum, qui eam sollicitat, cum illa aliter se liberare nequeat, etsi solis verbis esset tentata, si in periculo labendi esset, ut rationabiliter dicunt *Suar., Lay., Silv., Salm., etc.*

4.º Qui auctoritate in clericum potitur, ut Prælatus, magister, frater ætate major, qui illius curam habet, modo ad correptionem moderate percutiat; item pater, etsi clericus jam in sacris sit, ut probabilius docent *Scavini, n.* 854, *S. Ligor., lib.* 7, *n.* 275, *aliique.*

5.º Qui percutit ob defensionem sui, vel suorum, ac etiam propriorum temporalium bonorum. *(Del-Vecchio).*

Q. *Quinam veniunt nomine clerici, vel monachi?*

R. I. Quicumque viri, qui tonsuram acceperunt, licet sint excommunicati, suspensi, interdicti (conjugati cum una virgine tamen), modo habitum clericalem, et tonsuram deferant, et alicui ecclesiæ de Episcopi mandato inserviant; vel in seminario clericorum, aut in aliqua schola, vel universitate de licentia Episcopi, quasi in via ad suscipiendos majores Ordines versentur. *(Trid. sess.* 23, *cap.* 6, *et ex cap.* 3 *de cler. conj. in* 6).

Quod si habitum per longum tempus dimiserint, neque per tres Prælati sui monitiones eumdem reasumpserint, tunc privilegio Canonis privantur, nisi illum gestare nequeant, uti in Anglia. Trina monitio, quoad privilegium fori, tantum requiritur pro beneficiatis, et pro ordinatis in sacris; *ex cap. Ex litteris de vot., et bon. Cleric.* Item Canonis privilegio privatur degradatus.

II. Appellantur autem monachi omnes regulares utriusque sexus, etiam conversi, ac novitii; item tertiarii habitum deferentes una cum castitatis voto, et omnes vitam in communi agentes sub Prælato ex R. Pontificis auctoritate, saltem tacita.—Item eremitæ, qui de Episcopi mandato alicui ecclesiæ, vel sacro loco sunt addicti.—Item Equites S. Joannis, S. Jacobi, Alcantaræ, et Calatravæ, non vero vagi illi qui de Episcopi licentia, ad colligendas eleemosynas discurrunt, quamvis alicui inserviant ecclesiæ, *ex decisione Rotæ Romanæ, Bon., Fil., Dian., etc.*

Q. *An incurrant hanc censuram impuberes, vel mandantes, aut percussionem ratam habentes?*

R. Nega probabilius; quia præsens Constitutio de his omnibus silet; et verba odiosa ultra propriam, et strictam significationem non sunt extendenda; cum enim legislator id intelligi vult, exprimit, ut patet de aliis censuris; v. g. quoad impuberes de clausuræ violatione. Et Constitutio ad antiquos canones appellat, non quoad incurrendam hanc censuram, sed quoad reservationem, seu facultatem ab illa absolvendi. (*Del-Vecchio, n.* 595). *Ballerini, n.* 975 impuberes non eximit.

Q. *Quisnam absolvere potest ab hac censura?*

R. Vel agitur de levi, vel de mediocri, aut enormi percussione.—Si 1.^{m}, etsi publica, ex jure ab illa absolvere potest Episcopus, ac ejus Vicarius Generalis, cum sit de facultate juris Ordinarii; item Vicarius capitularis, *ex cap. Pervenit, de sent. excom.*—Si 2.^{m}, vel est publica, vel occulta: si occulta prædictis item competit, *ex cap. Liceat Trid. sess.*, 24.—Si vero publica sit, Papæ est reservata, et eam absolvere potest legatus a *Latere*, et Legatus *missus ex C. ad eminentiam de sent. excom. et C. pæn. de off. Leg.*—Excipe impeditos Romam adire, ut supra *n.* 232.—Pro absolutione hujus censuræ fit recursus ad S. Pœnitent. ex Bened. XIV, Bulla *Pastor bonus.*

III. *Duellum perpetrantes, aut simpliciter ad illud provocantes, vel ipsum acceptantes, et quoslibet complices, vel qualemcumque operam aut favorem præbentes, necnon de industria spectantes, illudque permittentes, vel quantum in illis est non prohibentes, cujuscumque dignitatis sint, etiam regalis, vel imperialis.* (V. *n.* 894).

IV. *Nomen dantes sectæ massonicæ, aut carbonariæ, aut aliis ejusdem generis sectis, quæ contra Ecclesiam, vel legitimas potestates, seu palam, seu clandestine machinantur, necnon iisdem sectis favorem qualemcumque præstantes, earumque occultos coriphæos, ac duces non denuntiantes, donec non denuutiaverint*

Explic.: 1.° Sectæ nomine hic illæ omnes associationes intelliguntur, quæ in Ecclesiam, vel legitimum gubernium sibi aliquid proponunt. *S. Inquis.* 5 *aug.* 1846.—Tales sunt societates biblicæ, veterum catholicorum, clerico-liberales emancipatrices, secta massonica, et carbonaria, fenianorum, ut declaravit *S. Cong. Inq.*, 12 *jan.* 1870, aliæque hujusmodi.

2.° Item cœtus illi occulti, qui profitentur se nihil contra religionem, vel rempublicam moliri, et nihilominus occultum ineunt fœdus cum juramento, ex declaratione *S. Pœnitent.*, 21 *aug.*, 1850, *quæ in Bullis Pontificiis comprehendi* respondit.

3.° Item Pius IX, Encycl. *Quanta cura*, 8 dec. 1864, hanc proscripsit prop.: *Constitutiones Apostolicæ, quibus damnantur clandestinæ societates, sive in eis exigatur, sive non exigatur juramentum de secreto servan-*

do, earumque asseclæ, et fautores anathemate mulctantur, nullam vim habent in illis orbis regionibus, ubi ejusmodi aggregationes tolerantur a civili gubernio.

Non vero damnantur operariorum societates ob suas utilitates coëuntium, etsi propter arcanum sæpe res periculo plena sit.

4.° Contra Ecclesiam aliquid *moliri* est quidvis docere, struere, suadere quod ab ejus doctrina, disciplina, regiminis forma alienum est, sive sint reges, sive plebeji, sive palam, sive occulte id fiat.

5.° Hac censura tenentur etiam qui sectis nomen dant, vel qualemcumque favorem eis præstant directe, vel indirecte, palam, vel occulte, per se, vel per alios, ex Clem. XII.—Item qui eas in suis ædibus receptant, occultant, vel commoditatem faciunt, ut convocentur.—Item qui alios hortantur, et suadent, ut eis adscribantur.

6.° Qui non denuntiant coryphæos earum, ac duces. Quamvis non sit obligatio denuntiandi sub hac censura complices, seu simplices sectarios, tamen præceptum adest eos denuntiandi: nam Leo XII Epist. *Quo graviora* ait: *Nec absolutionem deinceps impetrare poterit, nisi denuntiatis antea complicibus, vel saltem juramento emisso de iis quamprimum denuntiandis.*

Qui culpabiliter denuntiare neglexerit duces, ac coryphæos, ab hac censura absolvi a quovis confessario potest, postquam denuntiationem expleverit; quippe articulus ait: *donec non denuntiaverint.*

7.° Denuntiatio Inquisitori, vel Ordinario, et in missionibus Vicario, vel Præfecto Apostolico, *ex S. Pœnitent.* 10 *feb.* 1871, intra 30 dies, a die scientiæ hujus obligationis; vel si aliquod obstiterit impedimentum, hoc sublato, sub pœna excommunicationis, latæ, de qua hic, est facienda. —Non cessat hæc obligatio, etsi eorum nomina per ephemerides publicentur, nec obstat an quis audierit, viderit, vel notitiam acceperit ab aliis fide dignis, *ex S. Cong. Inquis.* 1 *feb.* 1871; ita etiam *S. Ligor., lib.* 4, *n.* 254, *Varceno, p.* 461.—Item nihil interest, utrum hæc probare queat, *ex prop.* 5.ª *damn. ab Alex. VII.*—Vel denuntiaverit alius. (*Ferraris*).—Nec quod sciverit sub secreto commisso. (*S. Ligor., n.* 248, *etc.*)

Cessat denuntiandi obligatio: 1.° Cum quis eam per se facere nequit, vel quin seipsum prodat. (*Ferr., Fil., Potest., n.* 248).—2.° Si nulla omnino sit spes punitionis, vel remedium adhibendi a Prælato, vel probabiliter sic creditur; quia nullus obligatur ad opus inutile. (*Ita Bon., Alasia, Scavini, Varceno, p.* 461, *Ballerini, n.* 975).—Sive ut habet decretum S. Inquis., *quando denuntiator facile pœnam declinare posse credatur,* ut addit *Ballerini*, ibid.—3.° N*on teneris denuntiare ob metum cadentem in constantem virum: sic non tenetur fœmina ob metum cadentem in constantem fœminam; ut si timeat propter hanc causam occidi, vel male tractari,* ait Thomas del Bene. De offic. S. Inquis., p. 1, dub. 19, n. 9: *Non tenetur quis denuntiare cum probabili periculo mortis, infamiæ, vel gravis damni proprii, aut patris, aut matris, aut uxoris, aut fratrum, aut aliorum sanguine conjunctissimorum,* addit in dubio 21, n. 1.—Ita habet *Ballerini, ibid.*

Cum quis prædictos sectarios absolvere possit, præ oculis habeat satis non esse, quod quis emissi juramenti pœniteat, ut absolvi possit; si externe cum iisdem sociis adhuc communicat. Sectæ etiam externe valedicere debet, et omnes libros, statuta, manuscripta harum sectarum legitimo superiori sub gravi tradere debet ex SS. Pontificum præscripto.—Cum

ex Const. *Apost. Sedis*, Pii IX n. II, excommunicationem *speciali modo reservatam incurrant legentes libros cujusvis auctoris per Apost. Litteras nominatim prohibitos, eosdem libros retinentes, imprimentes, et quomodolibet defendentes;* quæstio moveri potest, an hoc sensu veniant libri istiusmodi sectariorum, de quibus ita sanxit Pius VII, Const. *Ecclesiam a Jesu Christo*, 13 sept. 1821, dicens: *Postremo ut omne erroris periculum efficacius arceatur, damnamus, et proscribimus omnes Carbonariorum, ut ajunt, catechismos, et libros, quibus a Carbonariis describuntur, quæ in eorum conventibus geri solent; eorum etiam statuta, codices, ac libros omnes ad eorum defensionem exaratos, sive typis editos, sive manuscriptos; et quibuscumque fidelibus sub eadem pœna majoris excommunicationis eodem modo reservatæ prohibemus memoratos libros, vel eorum aliquem legere, aut retinere.* Respondendum videtur, satis censeri posse *nominatim* prohibitos, quorum titulus designatur, uti *statuta, codices, catechismi, descriptiones gestorum in conventibus, etc.* (Ballerini, n. 975).

V. *Immunitatem ecclesiastici asyli ausu temerario violare jubentes aut violantes.*

Explan.: 1.° Immunitas asyli in eo sita est, ut delinquens extrahi nequeat e loco sacro, si in illum confugiat. Id vero competit ecclesiis, etsi nondum consecratis, pollutis, interdictis, capellis, sacristiis, cœmeteriis, campanalibus, tectis, atriorum gradibus, ac locis sacris, et religiosis, uti Episcoporum palatiis, monasteriis, seminariis, nosocomiis Episcopi auctoritate erectis cum suis claustris, hortis, et porticibus ante ecclesias, vel monasteria. *S. Lig. l.* 1 *de privil. n.* 25, *Salm. n.* 84.—Jus asyli favet omnibus christianis, etsi hæreticis, interdictis, carceratis ad prædicta loca confugientibus, omnibusque aliis delinquentibus. Jus autem asyli favere non cessat evadenti e militum manibus, ad hæc loca cenfugienti, *ex S. C. Immunitatis*, 9 *aug.* 1842. Judex ergo ecclesiasticus restitui faciat captum in locum immunem, a quo fuerit extractus.—Tamen in pluribus per concordata est derogatum quoad majora delicta. (*Del-Vecchio, n.* 606).

Excipiunt 1.° qui in locis sacris occidunt, vel mutilant, vel existentes extra ecclesiam in ea stantem occidunt, vel mutilant, aut viceversa.—2.° Id fieri jubentes.—3.° Publicus ac notorius latro (non fures) et viarum frequens grassator.—4.° Depopulator agrorum.—5.° Homicida proditorius, et assassinus. Bened. XIV excepit omnia homicidia pro tota Ecclesia, vel in ipsa ecclesia, vel cœmeterio, et hæreticos, ac rebelles contra personam principis.—6.° Cooperatores assassinii.—7.° Hæreticus, si ob hæresim confugiat.—8.° Reus læsæ majestatis in principem, ex Greg. XIV, Const. *Cum alias*, 24 maj. 1591. Ita *Reiffenst., lib.* 3, *tit.* 49, *de immunit. Eccl.* § 4, 5, *etc.* Tunc potest judex secularis reos extrahere ab ecclesia. In dubio autem judicium exceptionis ad Episcopum expectat. *S. Lig. n.* 26. Religiosi qui expellunt e suis ecclesiis, vel monasteriis aliquem delinquentem ad avertendum aliquod incommodum, seu periculum, non violant immunitatem, et rite id facere possunt. *Salm. n.* 118.

2.° Hanc excom. incurrunt qui violant, vel violari jubent immunitatem sequentibus modis: 1.° Vi extrahendo, non vero dolo, aut fallaciis.—2.° *Ausu temerario;* nam S. Offic. Cong., 1 feb. 1871, declaravit, eum tantum excommunic. incurrere qui, ab aliis minime coactus, *prudens*, et *sciens* immunitatem asyli ecclesiastici aut violari jubet, aut exequendo violat.—Ideoque hanc censuram incurrunt jubentes, sed non milites ad

hoc coacti a ducibus.—Item excusantur duces, qui a superioribus coacti id militibus jubent. *(Varceno, Del-Vecchio).*

3.° *Obsessione;* ut is qui eo in loco se tuetur, ad se dedendum adigatur.

4.° *Prohibitione;* ne illuc, quæ ad vitam necessaria sunt, deferantur. *(Bened. XIV Const.* Officii nostri, § 14).

Hæc censura locum etiam habet in regnis sæcularibus, seu extra Pontificiam ditionem, nisi a S. Sede aliter sit dispositum. Et S. C. Inquis., approbante Gregor. XVI, 27 jun. 1838, declaravit has censuras a Pontificibus illatas, incurri etiam ubi Pontificiæ Constitutiones non fuerunt promulgatæ.—Et omnes personæ, etsi judæi, infideles, excommunicati, interdicti hoc asyli jure gaudent. *(Ita communiter* ait *Varceno, p.* 465).

VI. *Violantes clausuram monialium cujuscumque generis, aut conditionis, sexus, vel ætatis fuerint, in earum monasteria absque legitima licentia ingrediendo; pariterque eos introducentes, vel admittentes. Itemque moniales ab illa exeuntes extra casus, et formam a S. Pio V in Const.* Decori *præscriptam.*—Clausuræ nomine venit spatium illud, quod septis monasterii continetur, ex Greg. XIII Const. *Inscrutabilis.*

Explan.: Hanc censuram incurrunt etiam fœminæ, ac impuberes, non vero septennio minores, ut verius dicunt AA. cum Bened. XIV, *Notif.* 29, *n.* 24, etsi censuram incurrant, qui eos introducunt, vel admittunt, si in monasteriis vigeat clausura Papalis. *(Varceno, p.* 467, *Del-Vecc.)* Nec ipsi locorum Ordinarii, ex Greg. XIII, C. *dubiis,* nisi absque necessitate ingrediantur, limitat. (*Del-Vecchio, n.* 872*).* Nec confessarius ad exorcizandas obsessas, ex S. Cong. Episc., 1 jul. 1606; nec ad exequias defunctæ monialis peragendas, ex ead. Cong., 10 mart. 1577.—2.° *Admittentes* sunt, qui ingressum præbent, sive physicum, januam aperiendo, sive moralem, jubendo, consulendo, aut non prohibendo, cum possint, ac debeant impedire eos, qui ingredi volunt. — Huc non veniunt mulierum cœtus cum simplicibus votis, sed cum solemnibus tantum, ex *S. Cong. Episc. et Reg., 1 aug.* 1839.

Casus autem a Pio V notati sunt *magnum incendium, gravis infirmitas, lepra, epidemia,* quæ cœnobium tantum, et non urbem invadit, ex *S. Cong. Episc.,* 20 *feb.* 1720, et paritate rationis inundatio, ruina, latronum incursus, etc.—Forma autem hæc est; ut infirmitas, præter alios superiores, quibus cura monasterii incumbit, etiam per Ordinarium cognita et expresse in scriptis approbata sit. (Vide de statu religioso, n. 778).

VII. *Mulieres violantes Regularium virorum clausuram, et superiores, aliosve eas admittentes.*

Explic. : 1.° Clausura est omne illud spatium quod monasterii septis continetur; ideo officinæ, prata, sylvæ, viridaria, valetudinaria, cœnacula, nisi separata sint muro, et clavi convenienti.—2.° Secus de sacristia, si ab ecclesia ad eam aditus pateat.—3.° Regulares hic veniunt, qui solemnia vota emittunt, non qui aliis religiosis congregationibus sunt addicti. *Ita ex S. Cong.,* 2 *dec.* 1616. (Vide de statu religioso).

VIII. *Rei simoniæ realis in beneficiis quibuscumque, eorumque complices:* ut qui emit, aut vendit, 1.° Beneficium.—2.° Ejus collationem, aut institutionem, vel provisionem.—3.° Electionem, præsentationem, postulationem, aut commendationem ad illud obtinendum. *(Ita Reiff., Schmalzg., n.* 265). Non vero qui emit, vel vendit officium Rectoris, Œconomi. *(Varceno, p.* 470).

IX. *Rei simoniæ confidentialis in beneficiis quibuslibet cujuscumquæ sint dignitatis.* (V. n. 493).

X. *Rei simoniæ realis ob ingressum in religionem.* (V. n. 493).

XI. *Omnes qui, quæstum facientes ex indulgentiis, aliisque gratiis spiritualibus, excommunicationis censura plectuntur.* Const. S. Pii V, *Quam plenum*, 2 jan. 1569.

Explic.: Hac plectuntur 1.° Episcopis inferiores tantum qui, accepta pecunia, indulgentias, aut facultates spirituales elargiuntur, vel eas publicant; publicare etiam censetur qui indicem indulgentiarum ædibus sacris appendi jubet; qui facultatem concedunt sacerdotem sibi eligendi, qui ipsum a reservatis absolvat; 2.° celebrandi, aut sepeliendi interdicti tempore; 3.° cibos vetitos edendi; 4.° duos, aut plures patrinos assumendi ad baptismum, contra Tridentini præscriptum; 5.° a reali simonia reservata absolvendi.—Non incurrunt hanc censuram Prælati superiores, nec alii cooperatores; quia Constit. de his non loquitur. (*Scavini, t.* 3, *n.* 328, *Varceno, p.* 473, *Ballerini*, *n.* 975). En quæ hic appellantur *gratiæ spirituales.*

XII. *Colligentes eleemosynas majoris pretii pro Missis, et ex iis lucrum captantes, faciendo eas celebrari in loco ubi Missarum stipendia minoris pretii esse solent.*

Explic.: Censuræ huic obnoxii sunt clerici, et laici, quoties ex collectis partem retinent, quæ grave furtum constituat. Sed est necesse 1.° ut eleemosynarum collectores sint pro Missis manualibus, quasi ex officio, ac in notabili Missarum numero, et a pluribus. Unde excomm. non incurrit qui eas ab uno, vel altero tantum quærit, vel qui alibi minori pretio celebrare facit Missas sibi commissas, vel sponte obligatas, etsi turpis quæstus reus sit. *(Avanzini, Comm.*, *n.* 34, *Ballerini*, *n.* 979, *Varceno*, *p.* 474).

2.° Ut Missas quæstus causa colligant. Ideo non incurrit censuram qui stipendii partem in pios usus distribuat, uti pro altaris, vel ecclesiæ ædificatione, licet id *S. Cong. Con.*, 9 *sept.* 1874 improbaverit.—Item neque qui aliquid retinent quasi laboris in colligendo justum pretium, vel a celebrantibus sponte aliquid collectoribus titulo eleemosynæ tribuatur; quod improbabile non videtur, si ille ad hoc munus sit destinatus, et labor revera mercede dignus sit; tunc ex naturali æquitate id debetur, et etiam ex rationabili ipsorum offerentium voluntate. *(S. Ligor.*, *lib.* 6,*n.* 322). —Secus dic si ex conventione cum collectore, præter laborem, ut diximus, vel ad eum alliciendum, ut ad ipsos hæc stipendia mittat; cum ad hoc mercimonium compescendum etiam censuram intulit Ecclesia. *(Varceno).*

3.° Ut Missas collectas celebrare faciant ubi minoris pretii sunt,; et probabilius docent, et satis ex textu patet, ut Missæ non in eo loco ubi collectæ eleemosynæ, sed alibi celebrentur, ubi minoris pretii esse solent, etsi graviter peccaret ob turpe lucrum a Pontificibus prohibitum, *Del-Vecchio*, *Var.*, *p.* 474, contra *Cretoni* qui ait contrarium erui etiam ex verbis illis Benedictinæ Const. § 5, *Sive ibidem, sive alibi... celebrari fecerit.—Avanzini* addit, non improbabilem esse asserentium sententiam, censuram incurri, etiamsi Missæ ibi celebrentur, ubi collecta sunt stipendia.

Advertendum est ex Bened. XIV, Const. *Quanta cura*, majora stipendia intelliguntur cujusmodi *alicubi consuetudines*, *vel synodalia statuta exigunt...*, *minora vero ubi eleemosynæ seu stipendia, vel consuetudine, vel synodali lege...*, *sunt minoris pretii*, minores nempe, ac alibi, vel consuetudo, vel synodale statutum exigat.

Q. *Quid si quis in alio loco, ubi celebrantur eodem stipendio, minoris*

stipendio pretii Missas celebrare faceret a carentibus aliis eleemosynis?

R. Censuram incurreret, si eleemosynarum penuria sit frequens, et non obstante taxa synodali, et consuetudine, communiter sacerdotes minoris pretii stipendio celebrent; quippe adimpletur illud *minoris pretii esse solent.*—Secus si nonnisi raro id eveniat; nam lex non est data pro casibus singularibus. (*Varceno, p.* 479).

Q. *Quid si quis superfluas manuales Missarum eleemosynas cumulasset, et ad negotiatores mitteret, ad vendendas eorum merces presbyteris lucrum non capientes ex stipendiis, sed ex frequentiori negotiatione?*

R. Etsi illicite agant; quippe ad Episcopum mittere illa stipendia deberent, vel ad alios presbyteros, ut Missas quamprimum celebrarent, vel celebrare facerent; tamen hanc censuram effugiunt, cum non minoris pretii celebrare faciunt. (*Varceno).*

XIII. «*Omnes qui excommunicatione mulctantur in Constitutionibus S. Pii V,* Admonet nos, *quarto kalendas aprilis* 1567, *Innocentii IX,* Quæ ab hac Sede, *pridie nonas nov.* 1591, *Clementis VIII,* Ad Romani Pontificis curam, 26 *jun.* 1592, *et Alexandri VII,* Inter cæteras, *nono kalendas nov.* 1660, *alienationem, et infeudationem civitatum, et locorum S. R. E. respicientibus.*»

Explan.: Ex allegatis Constitutionibus, juxta *Comm. Reatinæ*, deducitur: quod actio quæ excommunicatione hac coërcetur, est tractare, consulere, et agere penes Romanum Pontificem de alienatione civitatum, oppidorum, locorum ad jus, et proprietatem S. Sedis seu immediate, seu mediate pertinentium, exceptis locis publicatis, et fisco addictis, seu confinatis a Gubernio Pontificio. Nec excusatur, *quocumque titulo* id petatur, v. g. gubernii, vicariatus, feudi, uti ducatus parmensis, census, permutationis, ducis, gubernatoris, aut alius gradus in præfatis locis, *quacumque ex causa*, etiam *meritorum erga S. Sedem*, vel *necessitatis*, vel evidentis utilitatis per quodcumque tempus, etiam longum tantum, vel ad vitam, aut ad beneplacitum. Huic excomm. obnoxii fiunt 1.° tractantes, consulentes, aut alias de hac re verba facientes, ac propterea de eligendis ob id oratoribus ad S. Sedem, statim ac oratores proposuerint, ac electi fuerint. Item censuram incurrunt, qui hodie cum italico gubernio conciliationem Papæ proponunt. (*Varceno, p.* 477).—2.° Oratoris hujusmodi munus recipientes, statim ac mandatum susceperint.—3.° Alii quicumque alienationes hujusmodi Romano Pontifici per se, vel per alium, voce, aut scripto insinuantes, vel suadentes, statim ac de hac re sermonem habuerint, vel scriptum obtulerint, etsi non sequatur alienatio. (*Ballerini, Varceno, p.* 477).

Hanc censuram effugeret qui, priusquam proponat, a Rom. Pontifice petat loquendi facultatem de nonnullis, quorum tractatio est sub censura prohibita; item si Papa, sciens aliquem velle sibi hoc proponere, de hac re prius alloquatur; tunc censetur jam dispensasse.—Tamen Rom. Pontifex alienare nequit bona Cameræ Apostolicæ; secus reus esset violationis juramenti. (*Varceno, p.* 478).

XIV. «*Religiosi præsumentes clericis, aut laicis extra casum necessitatis sacramentum Extremæ-Unctionis, aut Eucharistiæ per Viaticum ministrare absque parochi licentia.*»

Explan.: Ad hanc excomm. incurrendam requiritur 1.° Ut dicta sacramenta absque licentia expressa, vel mere præsumpta parochi, aut

Ordinarii administrentur.—2.° Ut administrentur extra necessitatis casum; secus in mortis periculo, cum parochus, vel alius sæcularis clericus facile accersiri nequit, vel si crederet religiosus parochum consentire, etsi ita non sit, modo regularis id præsumpserit; nam Const. ait *præsumentes*, unde excusat ignorantia crassa, vel affectata, modo cum ingenti temeritate conjuncta non sit. *(Bon., Varceno, cum communi).*—3.° Ut administrans sit vere *religiosus*, seu *professus*, et non in aliquo instituto cum votis simplicibus; nam odia sunt restringenda.—4.° Ut religiosus sacramenta illa clericis, aut laicis administret; secus si aliis regularibus, etsi diversi ordinis, et nationis, et extra monasterium, vel novitiis, et famulis eorum; quia regularium jure censentur, modo sub eorum obedientia vivant. —His adde pauperes in regularium hospitalibus degentes, et viros tertiarios, qui collegialiter vivunt, vel cum claustralibus habitant, *ait Ballerini, contra Del-Vecchio, n.* 614.

Parochus autem hic intelligitur, qui curam ibi habet animarum, quocumque nomine vocetur, aut vices ejus gerat.—Viaticum proprie dictum; non autem ex devotione, antea vel post Viaticum.—Licentia sufficit generalis antea data ad omnia sacramenta ministranda. *(Varceno).*

XV. «*Extrahentes absque legitima venia reliquias ex sacris cœmeteriis, sive catacumbis Urbis Romæ, ejusque territorii; eisque auxilium, vel favorem præbentes.*»

Explan.: Hanc excomm. non incurret qui, cryptas visitans devotionis, vel memoriæ causa, sivi aliquid assumeret de ossibus, vel cineribus fidelium ibi reconditorum, uti sunt illa, quæ in apertis loculis reperiuntur; quia non sunt de Sanctis.—Secus, si de reliquiis ageretur, de quibus sintne Martyrum, an mere fidelium nondum constaret; et nihil refert, si etiam minima auferatur particula absque venia; nam a tali furto gravi communiter non excusatur, propter materiæ parvitatem, ex decretis Pauli V, et Clementis X. (*Del-Vecchio, n.* 619, in Compendio). (V. ubi de cultu Sanctorum). Licentia est petenda a Cardinali Urbis Vicario, ut habet Constitutio *Ex commissæ* Clementis X, 13 jun. 1672.

XVI. *Communicantes cum excommunicato nominatim a Papa in crimine criminoso, ei scilicet impendendo auxilium, vel favorem.*

Hac censura ligantur, qui efficaciter communicant cum vitando in crimine criminoso, id est, in eodem crimine propter quod fuit nominatim excommunicatus; v. g. si fuit excommunicatus propter hæresim, si ei quis, ut tali cognito, consilium, auxilium, aut favorem præberet, sive ad errorem defendendum, sive diffundendum, sive ne ab eo crimine resipiscat.—Secus si tantum illum salutaret, secum oraret, etc. Huc venit Jacobus Humbertus apostata, electus ab hæreticis, qui se *veteres catholicos* dicunt, et contra omnes qui eorum partes secuti sunt, a Pio IX excommunicati, Litt. Apost. 21 nov. 1873.

Ad hanc excommunicationem incurrendam requiritur: 1.° Ut participatio sit mortale peccatum; levis enim participatio hac gravi pœna non punitur.—2.° Ut participatio fiat, postquam excommunicationem vitandus contraxit.—Ab hac censura non excusat ignorantia crassa, vel supina; quippe nostra Const. abstulit verbum scienter.—Neque excusat metus levis.—4.° Hæc censura universim afficit sive clericos, sive laicos Papæ inferiores. (*Bon., Varceno, p.* 482).

Si quis excommunicatus non nominatim a Papa, postea nominatim

excommunicetur, vel declaretur nominatim ab Episcopo, non est habendus ut vitandus; siquidem declaratio, seu nominatio non est a Papa; tamen subjaceret interdicto de quo infra. *(Ballerini, n.* 975).

XVII. *Clerici scienter, et sponte communicantes in divinis cum personis a Rom. Pontifice nominatim excommunicatis, et ipsos in officiis recipientes.*

Hac plectuntur censura: 1.° Qui cum vitandis in re gravi communicant, recipiendo eos in divinis, uti solemniter Horas recitare cum eis; ipsos scienter ad sacrificium admittere; illorum sacrificio assistere; cum Ecclesiæ ritu eos sepelire; beneficium ab eis obtinere, etc.—2.° Clerici qui vitandos in divinis officiis admittunt, ut Missam celebrare, celebranti ministrare, sacramenta administrare, et alia quæ a solis clericis fieri solent. (*Salm., Ballerini, Del-Vecchio, n.* 617, *Varceno, p.* 483).

Ad hanc censuram incurrendam requiritur: 1.° Ut clerici communicent cum vitando in officiis, eum recipiendo; insuper eum admittendo ad divina officia obeunda: hoc sensu explicant hujus articuli verba conjunctive prolata; adeoque non sufficit divinis cum vitando, vel ejus Missæ, tanquam unus ex populo, assistere, vel ab ipso sacramenta suscipere, vel ejus cadaver ad sepulturam comitari, aut ei dare sepulturam in loco sacro, *ut aiunt cum Comm. Reat.* § 112, *in not.* 17, *Varceno, p.* 484, *Ballerini, n.* 975 *in fine.*

2.° Requiritur ut scienter, et sponte prædicto modo communicent; id est, sine metu, etiam levi, minis, sine ignorantia etiam crassa, et supina, item affectata; quia in hoc art. dicitur: *scienter, et sponte. (Ita Varceno).*

3.° Hæc censura tantum clericos afficit, et probabilius ipsi non subjiciuntur religiosi; nam in materia pœnali communiter hi non veniunt clericorum nomine, uti in interdicto evenit, maxime hodie, post censurarum specialem reservationem. *(Ugol., Sayr., n.* 24, *Bon., n.* 6, *Varceno, p.* 484, *etc.*)

XVIII. «*Præsumentes extra mortis articulum absolvere ab excommunicationibus speciali modo Apost. Sedi reservatis, sine debita facultate, etiam quovis prætextu revocati indulti, concessa sub quavis forma, et quibusvis personis, etiam regularibus cujuscumque ordinis, congregationis, societatis, et instituti, etiam speciali mentione dignis, et in quavis dignitate constitutis.*» Const. Apost. Sedis.

Explic.: 1.° Materia hujus censuræ est absolutio a papalibus *speciali modo* reservatis, non ab aliis papalibus simpliciter reservatis.—2.° Non hic veniunt ii, qui legitime impediti Romam adeundi, Ordinario subduntur.—3.° Requiritur præsumptio, id est, ut clerici sciant se absolvere non posse, et tamen absolvunt.—Excusat ergo ab hac censura inadvertentia, oblivio, ignorantia, etsi crassa, et supina censuræ. *Ita communiter cum Varceno, p.* 485; quia tunc deest præsumptio.—4.° Item excusatur ab hac censura, qui ex metu gravi, vel ut gravi apprehenso absolvit, dicta ratione. *(Ugol., Duard., n.* 3, *Alter., Anton., n.* 3, 6, *Varceno, ibid.*)—Tamen si quis advertit sufficere verba materialiter proferre ad malum comminatum vitandum, quin absolvere intendat, ita se gerere tenetur. *(Suar., Reginal., Bon., Varceno, aliique).*—Item probabilius dic de eo, qui absque ulla rationabili causa materialiter absolvere fingeret; nam revere non absolvit. (*Ita Ugol., Alter., Duard., Varceno, aliique contra alios).*—Idem dic de eo, qui absolvere præsumit a peccato propter quod lata est censura, non

vero ab hac; etsi graviter peccaret sacerdos; etenim peccata non reservantur nisi ratione censuræ, et odia restringenda. (*Ita Silvester, Ugol., n.* 3, *aliique*).—5.° Qui autem sine facultate absolveret, pertinaciter persuasus Rom. Pontificem, vel Episcopos jus peccata reservandi non habere, hæreticus esset: *ex Tridentino, sess.* 14. (Vide de pœnitentia, ac reservatione).—6.° Qui vero unica absolutione plures simul absolvit, unicam transgressionem committit, ac unicam incurrit censuram. (*Duard., Anton., Bon., Varceno, p.* 487).

Huic censuræ subjiciuntur omnes confessarii, etiam Episcopi, et Cardinales, juxta Const.

XIX. *Clerici, vel laici, quacumque dignitate, etiam imperiali, aut regali præfulgeant, qui alicujus ecclesiæ, seu cujusvis sæcularis, vel regularis beneficii, montium pietatis, aliorumque piorum locorum jurisdictiones, bona, census, ac jura etiam feudalia, et emphyteutica, fructus, emolumenta, seu quascumque obventiones, quæ in ministrorum, et pauperum necessitates converti debent per se, vel per alios, vi, vel timore incusso, seu etiam per suppositas personas clericorum, aut laicorum, seu quacumque arte, aut quocumque quæsito colore in proprios usus convertere, illosque usurpare præsumpserint, seu impedire, ne ab iis, ad quos de jure pertinet, percipiantur.* (Ex Trident. sess. 22, c. 11 de R.)

Explan.: Hanc censuram incurrunt etiam emptores bonorum ecclesiasticorum, de quibus agitur; nam ut notat *Avanzini, n.* 62, emptores bona hujusmodi *in suos usus convertunt, usurpando sub colore contractus, cum noscant usurpatorem neque dominum eorum esse, neque legitimum administratorem*,—ac etiam bona esse furtiva, quæ clamant ad dominum;—et demum, quia id juris definiti est ex Allocutione 25 jul. 1873, in qua et Trident. hoc decretum in medium trahitur. (*Ita Ballerini, n.* 975).—(V. supra, n. 257, art. XI).

Tamen ibi Trident. non comprehendit decimas subtrahentes, aut eas impedientes, ut colligitur ex sess. 25, c. 12 de R., ubi dicitur de his: *Excommunicentur; nec ab hoc crimine, nisi plena restitutione secuta, absolvantur.*

Ut clarior autem res pateat, adverte, quod bona, et jura ecclesiastica respectu censuræ ad tres classes revocari possunt: 1.ª Respicit bona, et jura ad Ecclesiam Romanam spectantia.—2.ª Bona, et jura pertinentia ad ecclesiasticas personas ratione suarum ecclesiarum, aut beneficiorum.—3.ª Cætera bona, et jura, uti bona fabricæ ecclesiæ.

Usurpatores bonorum, et jurium 1.æ et 2.æ classis in excommunicationem *speciali modo* Pontifici reservatam sub n. 11 et 12 incidunt.—3.æ classis usurpatores, mandantes, impedientes, et sequestrantes sive bona, sive jura prædicta, præsenti excomm. *simpliciter* Pontifici ex Trident. reservatæ subjacent.—Nec refert quod usurpator ecclesiæ usurpationis loco redditus assignet, semper enim verificatur quod bona usurpat.

Item in eam incidit, qui bona sive mobilia, sive immobilia emit ab eo, qui illa usurpaverat; quippe actione sua in usurpationem concurrit, se usurpatori associando per immediatum bonorum transitum, eademque proinde bona in proprios usus convertit sub contractus colore.—Idem dic de eo, qui bona illa conducit, sine debita facultate pretium ultro usurpatori solvendo.—Qui nullam vim, metum, fraudem, aut prætextum adhibuit, ut si quis rem sibi commodatam, vel apud se depositam non restituat, a censura liber est; *ait Del-Veccio, n.* 630.

Q. Quæsitum fuit, *qua parte Tridentinæ censuræ a Const. Apost. Sedis confirmatæ adhuc vigent?*

R. S. Officii Cong. 8 jul. 1874 respondit: *Negative*, videlicet usurpatores bonorum ecclesiasticorum innodari sola excomm. Pontifici *specialiter* reservata.

2.° Quæritur: *An qui emunt ecclesiastica bona ab usurpatoribus usurpata incidant in excommunicationem Rom. Pontifici speciali modo reservatam vi art* XI *memorata Constitutionis?*

R. Eadem S. C., et eodem decreto, respondit: *Ad 2.m minime dubitandum, quin ementes bona ecclesiastica ab usurpatoribus usurpata incidant in excomm. R. Pontifici reservatam. Etenim, præscindendo a quæstione, an supradicta emptio aliquo modo attingatur a Const.* Apost. Sedis, *art.* XI, *nulli dubium esse potest, quin comprehendantur a clarissima dispositione cap.* XI *de Ref., sess.* 22 *Conc. Trident.*

Hanc censuram incurrunt omnes jurisdictionem ecclesiarum, vel beneficiorum usurpantes, uti usurpare potestatem loca pia gubernandi, vel contra leges in fundatione præscriptas, etsi sint patroni; vel usurpationem coadjuvantes; cædentes arbores alieni beneficii, non proprii; nam Concilium intelligitur de extraneis.—Item laici beneficia, vel bona ecclesiastica sine Papæ auctoritate possidentes, etsi sint bona proprii jurispatronatus; inique enim bona ecclesiastica occupant. (*Fill., Marzilla, aliique affirmant, ita sensisse S. Cardinalium Congregationem*).

Item rectores locorum piorum, vel legitimi administratores beneficii eorum bona alienantes, usurpantes, arbores frugiferas cædentes, ac in proprios usus ea convertentes; secus excomm. non incurrunt.—Item inique sequestrantes, vel usurpantes quotidianas distributiones, vel quascumque obventiones ministrorum; quia sunt vere *impedientes*.—Item dic de vacante beneficio, et de retinentibus bona prædicta ab aliis usurpata. (*Varceno, p.* 511).

CAPUT VI.

Excommunicationes Episcopo reservatæ ex Constit. Apost. Sedis.

259. Excommunicationi latæ sententiæ Episcopis, sive Ordinariis reservatæ subjacere declaramus.

I. «Clericos in sacris constitutos, vel regulares, aut moniales post votum solemne castitatis matrimonium contrahere præsumentes; necnon omnes cum aliqua ex prædictis personis matrimonium contrahere præsumentes.»

Explic.: Ordinati in sacris, et religiosi solemniter professi tantum hic comprehenduntur; non autem simplex castitatis votum habentes.—Hac ligantur censura omnes sæculares utriusque sexus cum prædictis ordinatis, ac religiosis matrimonium contrahere præsumentes.—Ab ista censura excusantur 1.° contrahentes eo modo, quo alias adhuc invalidum esset matrimonium; ut si deficiat legitimus consensus, sive ex una, sive ex utraque parte; aut si civiliter tantum contrahant ubi viget Tridentina

lex; vel si intercesserit error, violentia, metus gravis, vel quodlibet aliud dirimens impedimentum; quippe tunc non est res perfecta, sed attentata, aut inchoata; consequenter illa non est quæ sub censura vetatur. (*Ita Cretoni, Avanzini, n.* 35, *Ballerini, n.* 976).—2.º Si uterque, vel alter eorum ignorantia laboraverit seu juris, seu facti, etiam crassa, et supina, hæc enim excomm. ignorantem non tenet; etsi postea, re cognita, in cohabitatione perseveret; quia non punitur cohabitatio, sed contractus, qui jam præcessit. (*Ita Comm. Reat., Sanch., de matr., lib.* 7, *d.* 48 *n.* 20, *Varceno, p.* 492).—3.º Neque huic censuræ subjiciuntur cooperatores, nec parochus assistens, nec testes, nec procurator nomine alterius sic contrahens, nec parentes consensum filio præbentes; etenim de solis contrahentibus loquitur Const. (*Suar., Navar., Varceno, p.* 493).—4.º Si quis autem præsumeret non ex humana fragilitate, sed ex pertinaci persuasione, quod conjugium illud validum sit, quia Ecclesia irrita facere non potest ejusmodi matrimonia, pœnas hæreticorum incurreret, et hæreticus esset: *ex Trident. sess.* 9, *c.* 24 *de R.*

II. «Procurantes abortum, effectu secuto.»

Explic.: Ad hanc incurrendam censuram requiritur: 1.º Ut abortus fuerit procuratus.—2.º Ut fuerit procuratus directe, dato studio, seu de industria.—3.º Ut cum censuræ scientia fuerit procuratus.—4.º Ut revera, et certo ex illa data causa fuerit secutus. Si una ex hisce conditionibus deest, non habet locum censura. (V. n. 893).

III. «Litteris Apostolicis falsis scienter utentes, vel crimini ea in re cooperantes.»

Explic.: Quid nomine harum Litterarum venit, et quomodo hæ falsificantur, sub art. IX de excomm. *specialiter* reservatis adnotavimus.—Hanc censuram incurrit: 1.º Qui falsis Litteris Apost. utitur; id est, eas ad alium mittit, exhibet, præsentat, ut effectum ab ipso intentum habere possint.—2.º Qui eis utenti cooperatur, vel opem alicui præstat, ut ipsis utatur. Tamen in hanc censuram non inciditur nisi post effectum secutum.—3.º Qui scienter hisce Litteris utitur; ideoque excusat ignorantia crassa. Idem dic de cooperatoribus.—Excusantur consulentes, et hortantes ad eis utendum, et qui nullam opem utenti adhibuerint. (*Varceno, p.* 497).

Si quis autem Litteras falsificaverit, eisque dein usus fuerit, excomm. *speciali modo* Papæ reservatam incurreret, et simul hanc censuram Episcopo reservatam. (*Del Vecchio, n.* 622, *Varceno, ibid.*) Hæc casuum reservatio Episcopis facta, non comprehendit Cardinalem Urbis Vicarium pro tempore; adeoque confesarii Urbis speciali facultate ipsius Vicarii non indigent, ut ab his censuris absolvant. (*S. R. U. Inquisit.* 1 *dec.* 1875).

CAPUT VII.

Excommunicationes latæ sententiæ nemini reservatæ. Ex Constit. Apost. Sedis.

260. I. «Mandantes, seu cogentes tradi ecclesiasticæ sepulturæ hæreticos notorios, aut nominatim excomm. vel interdictos.»

Explan.: 1.º Nomine ecclesiasticæ sepulturæ intelligitur sepultura

in cœmeterio, ecclesia, claustro, et in quolibet alio loco sacro, etsi sine ullo ritu fiat. Non est ergo vetitum sepelire in loco profano, etsi cum aliqua cæremonia ecclesiastica, et oratione. (*Suar.*, *n.* 13, *Sayr.*, *n.* 9, *Alter.*, *Bon.*, *Varceno*, *p.* 498).

2.° Per hæreticos notorios intelligimus hæreticos ad aliquam sectam pertinentes, etsi non vitandos; apostatas a fide: *Ita Avanzini*; ac hæreticos publicos, et denuntiatos. (*Bon.*, *Varceno*, *ibid.*)

3.° Schismatici, hæretici, non vero hæreticorum receptatores, fautores, defensores; de his enim non loquitur nostra Const., ut olim. (*Varceno*).

4.° Nominatim interdicti vitandi; nam hæc prohibitio in alios fideles cadit. (*S. Alph.*, *lib.* 7, *n.* 164).—Insuper licitum est cum interdictis communicare in iis, a quibus non sunt interdicti; unde illicitum non videtur communicare in divinis etiam cum interdicto a jurisdictione; aut etiam ab aliquo spirituali exercitio, non autem a divinis; ergo etiam in loco sacro sepeliri posse videtur. (*Ita Sayr.*, *lib.* 3, *c.* 15, *n.* 9, *Bon.*, *Varceno*).

5.° Censuram incurrunt tantum mandantes, vel cogentes ecclesiasticæ sepulturæ tradi prædictos; non vero hæretici cadaver comitantes, consulentes, foventes, cooperantes, pretium solventes, foveam struentes, etc. (*Ita Navar.*, *Henriq.*, *Alter.*, *Bon.*, *Varceno*, *p.* 499.)

6.° Scienter, ac temere mandates, seu cogentes; quia mandatum, seu coactio reductionem jus habentis supponit; proindeque per se plenam cognitionem in mandante indicat hujusmodi pœnæ, ac simul præsumptionem contra faciendi. Unde ab hac censura excusat ignorantia crassa, imo et affectata, juxta *Varceno*, *p.* 497.

II. «Lædentes, aut perterrefacientes Inquisitores, denuntiantes, testes, aliosve ministros S. Officii, ejusve sacri Tribunalis scripturas diripientes, aut comburentes; vel prædictis quibuslibet auxilium, consilium, favorem præstantes.»

Explic.: 1.° *Lædentes, etc.*, intellige, modo gravis injuria personæ sit facta, ac metus item gravis sit; censura equidem actionem mortaliter malam supponit.

2.° Intellige etiam causa impediendi, ne ad sacrum Tribunal causas deferant, vel sententiam ipsum det, vel in contemptum, ac odium ipsius sacri Tribunalis; secus hanc non incurrent censuram. (*Bon.*, *Varceno*, *p.* 499).

3.° Per *scripturas* huc veniunt libri, litteræ, auctoritates, exemplaria, protocola, regesta, instrumenta, sive publica, sive privata; secus fere vana esset hæc censura. (*Varceno*).—*Diripientes* sunt qui in diversas partes rapiunt, et qui vi prædictas scripturas auferunt; non vero qui scripturas S. Officii clam furantur.

Subjiciuntur huic censuræ: 1.° Lædentes, aut perterrefacientes. - 2.° S. Officii scripturas diripientes.—3.° Ipsas scripturas comburentes, supprimentes per se, vel per alios.—4.° Auxilium, consilium, vel favorem publice, aut occulte in quovis prædictorum scienter præstantes. Hæc censura ob consilium non incurritur ante effectum præstitum. (*Varceno*).

III. «Alienantes, et recipere præsumentes bona ecclesiastica absque beneplacito Apost., ad formam Extravagantis *Ambitiosæ* de reb. Eccl. non. alienandis.»

Explic.: 1.° Bona ecclesiastica dicuntur, quæ in alicujus ecclesiæ, vel monasterii patrimonio sunt.—2.° Beneficia ecclesiastica, et capellaniæ

etiam mere laicales.—3.° Bona quorumvis piorum locorum, uti vasa sacra, ornamenta pretiosa, gemmæ, bibliothecæ copiosæ, et similia valorem 25 aureorum excedentia. (*Ex S. C. C.*).—4.° Greges, et armenta totaliter considerata, arborum, et sylvarum incisio.—5.° Reliquiæ insignes ex S. C. C. 14 jan. 1702. Nam ejusmodi bonorum dominium est penes ipsas ecclesias, et loca pia, modo auctoritate ecclesiastica hæc sint erecta, vel possessa; administratio penes eorum rectores, vel œconomos; cura, et tutela penes locorum, seu regularium Ordinarios.

Huic censuræ duæ personarum classes subjiciuntur; nempe, *alienantes*, et *recipientes*: 1.° Per *alienantes* intelliguntur ii, quorum mandato ac nomine bona alienantur, ut sunt tantum Prælati tam sæculares, quam regulares, beneficiati, et administratores bonorum ecclesiasticorum, modo non sint Episcopi, vel Abbates, ut patet ex Extravag. *Ambitiosæ*: hi incurrunt interdictum ab ingressu ecclesiæ; et si per sex menses in interdicto manserint, a regimine, et ecclesiæ administratione, vel monasterii, cui præsident, suspensi remanent.—2.° Per *recipientes* intelliguntur qui dicta bona emunt, vel conducunt, uno verbo, ii, quorum nomine, et mandato bona ecclesiastica recipiuntur.

Q. *Quid venit alienationis nomine?*

R. Veniunt venditio, donatio, permutatio, emphyteusis, servitutis realis constitutio, pignus, hypotheca, locatio, mutatio; generatim omne pactum, quo dominium sive directum, sive utile transfertur, immutatur, imminuitur, obligatur, etc.

Quocirca administratores, et Ordinarii alienare sine Sedis Apost. licentia ea non possunt; secus graviter peccant, censuram incurrunt, et probabilius invalide agunt. Porro requiritur Papæ licentia, non excluso Episcopi consensu, et Capituli (si ad Episcopatum, vel Capitulum bona pertineant), et etiam possessoris rei alienandæ; non autem patronorum, *ex S. Officii Congr.*

Hæc censura incurritur per alienationem bonorum ecclesiasticorum tam immobilium, quam mobilium pretiosiorum, quæ valorem 25 aureorum, seu 212 libellarum circiter excedunt; et quæ servando servari non possunt.—Unde aliquando sine Papæ licentia absque censura alienari possunt.

1.° Cum alienantur res pretiosæ, quæ ultra triennium servando servari non possunt sine notabili detrimento, ut vestes, singularia jumenta, et alia quæ usu consumuntur. Item donata, vel relicta ecclesiæ ea lege, ut alienari possint, aut cum pacto retrovenditionis, ut docent *Comm.*, *Reat.*, *Ballerini*, *etc.*—Item res omnes mobiles, vel immobiles, quæ prædictam summam 25 aureorum non excedant, uti prædia, terrulæ, vineolæ, pro quibus licentiam tribuit Episcopus ex inducta consuetudine; modo per modicas partes fraudulenter ingens prædium non alienetur.—Sed alia est alicubi consuetudo indicta. Sic Novariæ Episcopus usque ad 600 fr. valorem alienare permittit.

2.° Item si alienatio imperfecta sit ultro citroque, ut si res non sit tradita, vel vendita, aut tradita suspensiva conditione; nam pœna facienti imposita non incurritur per criminis attentationem. (*Ita Barb.*, *Covar.*, *Reiff.*, *n.* 67, *Schmalzg.*, *n.* 165).

3.° Item probabilius si alienatio fiat de una in aliam ecclesiam; quia etsi sit invalida, si absque justa causa fuerit facta, vel ad pœnam res-

cindi possit, si ex justa causa, non videtur plectenda censura, cum non sit ex temeritate facta. (*Ita Barb., Trevisan., Ricc., Pal., Ludov., Varceno, p.* 502, *aliique).*

4.° Item bona incapaci possidendi relicta, ut sunt minores observantes, et capuccini; tunc pretium expendi poterit in Ecclesiæ utilitatem. (*S. Ligor., lib.* 4, *n.* 187).—Item alienantes bona patrimonii, quorum titulo ordinati sunt; quia Extravag. *Ambitiosæ* expresse loquitur de bonis immobilibus, et pretiosis mobilibus Deo dicatis. (*Ita Bonac., n.* 28, *Varceno, ibid.*).

5.° Neque hic excommunicantur consentientes, consulentes, faventes, et cooperantes alienationi; neque destruentes, furantes, aut qui occasione acquirendi non utitur, aut qui hæreditatem possidere omittit, aut optionem intra certum tempus datam non amplectitur; uti etiam oblata repudiantes, conditioni donationis non parentes; qui enim destruit, vel non accipit, dominium non transfert, nec alienat. Tamen usurpatores incidunt in censuram Pontifici reservatam, ut supra. -Neque hic excommunicantur clerici, vel religiosi subditi, qui administrationem de bonis ecclesiasticis non habent, quæ destruunt, immutant, distrahunt, vel quocumque alio modo alienant; cum in Extravaganti *Ambitiosæ* sermo tantum fiat de Prælatis, beneficiatis, et aliis administrationem habentibus. *(Zabarella, n.* 28, *Felin, Sopran., Fill., Varceno, p.* 503, *aliique).* Qui rem a se acquisitam contra formam Extravag. *Ambit.* alienaverit, nec ipse, nec accipiens excomm. incurrunt; (*Ballerini, n.* 977, *Varceno, p.* 504) quippe non datur ut res ecclesiastica, sed ut propria.—Neque isti censuram contra usurpatores, ut supra, incurrunt; siquidem alienando bona, non occupant, et in rem suam ea vertunt, ut fert usurpatio; nec fraude aliqua *impediunt, ne ab iis, ad quos jure pertinent, percipiantur,* ut ait Trident., sess. 22, c. 11 de R.

6.° Neque qui alienant ex ignorantia juris, vel facti; unde ab hac censura excusat ignorantia crassa, imo etiam affectata, modo non sit conjuncta cum ingenti temeritate; nam Extrav. *Ambitiosæ* ait: *Quidquam alienare præsumpserit.* (*Ita Navar., Quaranta, Varceno., ibid.).*

7.° Item si alienatio sit facta absque juris solemnitate, et Sedis Apost. beneplacito, sed ex justa necessitatis causa (ut si creditor apud judicem cito ad solutionem compellat, pro quo vendere oportet), aut pietatis, vel ecclesiæ utilitatis, v. gr. si expectari nequit superioris consensus, quin transeat occasio, ut aliqui dicunt, modo fiat sine ecclesiæ læsione, et de Episcopi consensu, quæ alienatio, etsi in foro interno valeat, rescindi per judicis sententiam potest in externo foro. (*Ita Laym., Navar., Azor., Reiffenst., n.* 53 et 54, *aliique).*

8.° Item si beneficiatus conducat emphyteusis caducitatem, modo bona incorporata non sint, et ecclesiæ applicata. (*Ita Bon., Reiff., aliique*).—Quoad locationem, et conductionem bonorum sive mobilium, sive immobilium, si ultra triennium fiat, absque Papæ licentia ab hac censura nemo liberatur.—Si locatio eo pacto fiat, ut finito unoquoque triennio, liceat locatori a locatione discedere, ut ait *Reiff., n.* 43, vel renovari debeat, non incurritur censura.—Idem si beneficiatus se obligat personaliter ad dandam commoditatem, et jus percipiendi fructus ad multos annos, vel durante ejus vita; hæc quidem est tantum alienatio personalis, non vero bonorum ecclesiasticorum. *(Mol., Nav., Bon., Varceno, p.* 501,

aliique).—Item si beneficiatus se obliget ad tradendum debitori fructus, donec extinguatur debitum. (*Sopranus, Quaranta, n.* 18, *et alii*).—Item si beneficiatus fructus beneficii vendiderit pro mercede, vel pensione annua ultra triennium. (*Azor., Covar., Gonzal., aliique*).—Modo non recipiatur merces, seu pensio per unicam, vel plures solutiones simul, vel brevi temporis spatio faciendas; quippe tunc censuram incurreret. Ita Bened. XIV, Const. *Universalis Ecelesia*, § 2, ubi prohibuit vendere universos beneficii fructus ad vitam, vel ad longum tempus, recipiendo una, vel pluribus solutionibus determinatis certam pecuniæ quantitatem.

9.º Neque hac censura plectuntur, qui rem a se acquisitam contra Extravag. *Ambitiosæ* formam alienant; neque eam recipientes; quia cum res ab ecclesia jam fuerit alienata, non ut ad ecclesiæ pertinentiam, sed ut propriam alienant.

Demum præter hanc censuram patronus tale crimen committens, incurrit ipso facto juris patronatus privationem. Clericus cooperans, aut consentiens insuper contrahit privationem beneficiorum, et inhabilitatem ad alia habenda, et ab usu suorum Ordinum, etiam satisfactione præstita, et obtenta absolutione, arbitrio sui Ordinarii suspendi debet. (*Varceno, p.* 508).

Q. *An hanc censuram incurrat qui laicales capellanias alienat?*

R. Probabilius nega, cum *Lucidi*, et *Del-Vecchio* contra *Berardi;* quia in his capellaniis non intervenit formalis Episcopi auctoritas erigens, sed tantum ratam habet erectionem. Inalienabilia sunt hæc bona sola fundatoris voluntate, quæ uti pia est servanda, adhuc post ejusdem mortem. Ideo alienari sine Sedis Apost. licentia non possunt, cum Ecclesiæ sit pias dispositiones moderari. (*Del-Vecchio*).

Q. *Quid de bonorum fabricæ ecclesiæ alienatione, confraternitatum, et piorum locorum?*

R. I. Etsi bona fabricæ ecclesiæ, et etiam confraternitatum a lege civili alicubi habeantur ut bona sua natura laicalia; tamen ab Ecclesia habentur ut bona Deo dicata, ideoque in conscientia etiam Ecclesiæ beneplacitum exigitur pro eorum alienatione.

II. Quoad autem confraternitates si non tantum ab auctoritate Ecclesiæ sint approbatæ, sed revera canonice erectæ formali decreto fuerint, ut instituta vere ecclesiastica tunc habentur; ideoque ipsius legibus subjecta; etsi eorum inspectionem, et administrationem sibi vindicet sæcularis potestas. (*Del-Vecchio*).

Q. *An præter excomm. aliæ latæ sint pœnæ in alienantes dicta bona ecclesiastica?*

R. Affirma ex jure canonico.—1.º Si Episcopi, vel Abbates sint absque facultate alienantes, interdicto ab ingressu ecclesiæ subjacent: quod si absolvi neglexerint intra sex menses, suspensi manent a beneficii administratione.—2.º Si fuerint Prælati inferiores, vel ecclesiarum rectores, beneficium cujus bona alienarunt, amittunt.—3.º Regulares insuper officiis suiis privantur, ac inhabiles ad alia fiunt, simulque vocem activam, et passivam amittunt, ex Decretali Urbani VIII.

Hæc Extravag. *Ambitiosæ* non est ubique, saltem in toto rigore, recepta. Verum in tota Italia est recepta in toto suo rigore, ut testantur *Schmalzg.* et *Genuens.*—In Germania, in locis ab Urbe remotis, non est recepta saltem quoad recursum ad Pontificem pro beneplacito, sed sufficit licentia Episcopi. (*Ita Engel., n.* 15, *Reiff., n.* 32).

IV. «Negligentes, sive culpabiliter omittentes denuntiare infra mensem confessarios, sive sacerdotes, a quibus sollicitati fuerint ad turpia in quibuslibet casibus expressis a Prædecessoribus Nostris Gregorio V, Const. *Universi* 20 aug. 1622, et Bened. XIV, Const. *Sacramentum Pœnitentiæ* 1 jun. 1741.»

Explan.: Cum tempus ignoranti non currat, mensis est computandus ex quo quis noverit 1.° denuntiandi obligationem.—2.° Excomm. huic obligationi adnexam.—3.° Tempus huic præfixum; secus tum culpa, tum pœna caret; et si legem sciat, pœnam tamen ignorat, hanc non incurrit; quia deest contumacia. Si vero falso existimet protinus censuram incurri, tamen denuntiationem negligit, eam non incurrit, nisi elapso mense; siquidem error ad eam incurrendam non sufficit.

Etsi ad denuntiationem teneantur omnes, qui hujusmodi sollicitationem a personis fidedignis resciverint, tamen hodie excomm. non subeunt, si non denuntiaverint; quippe art. loquitur tantum de iis, qui fuerint sollicitati. *(Ballerini, ibid., Varceno, p.* 506).—Vide T. II, n. 795.

V. «Qui libros de rebus sacris tractantes sine Ordinarii approbatione imprimunt, aut imprimi faciunt.» *Ex Tridentino.*

Explic.: Cum hæc censura a Trident. desumatur ex decreto de *editione, et usu sacrorum librorum*, videre oportet de quibus agit. Porro ibi agitur de sacræ Scripturæ libris, eorumque adnotationibus, et explanationibus, ut dicunt alii cum *Avanzini;* nam de his præcipue fit sermo; alii vero omnes libros ad religionem pertinentes intelligunt. Quoad alios, etsi non adsit censura, adest tamen Ecclesiæ præceptum de non imprimendis sine Ordinarii licentia, quod maxime ecclesiasticos urget.

Hanc censuram incurrunt 1.° tales libros *imprimentes*, seu qui typos ordinant, torcular premunt, etc.—2.° *Imprimi facientes, et scripto eos communicantes;* uti auctor libri, editor, vel alius qui curat per se, ut liber typis mandetur. -*Retinentes, vendentes, evulgantes, et legentes*, ut ait Trident. sess. 4, hodie hac censura non ligantur; nam quoad hæc Trident. temperatum est per Const. *Apost. Sedis. Del-Vecchio*, *n.* 874.

Non excusat ignorantia crassa, aut affectata; Concilium enim de præsumptione nullam mentionem facit. Regulares, præter Ordinarii licentiam sub censuræ pœna, indigent ipsi sui superioris venia sub peccato. Qui librum jam approbatum corrigit, vel parum auget, censuram non incurrit, modo ea quæ inseruntur tanti momenti non sint, ut liber majori ex parte hujusmodi additionibus constet. *(Varceno, p.* 512).—Vide n. 455, et seq.

VI. «Excommunicantur magistratus, si ad Episcopi instantiam non præbeant auxilium adversus contradictores clausuræ monialium.» *Ex Trident. sess.* 25, *c.* 5, *de Reg.*

Hæc tamen censura, ait Avanzini, n. 63, *in præsenti societatis statu per non usum jam videtur in desuetudinem abiisse.* Sed potius cum *Dumas*, et *Del-Vecchio, n.* 633, ob temporum iniquitatem pluribus in locis vix in usum deduci potest.

VII. «Raptores mulierum, et hujusmodi raptoribus consilium, auxilium, et favorem præbentes.» *Ex Trident., sess.* 24 *de Ref.*

Q. *Quænam sunt pœnæ in mulierum raptores?*

R. Ex Trident., sess. 24, c. 6 de R., sunt sequentes, hodie etiam post Const. *Apost. Sedis* vigentes.—1.° Ipso jure raptor, ac omnes illi consi-

lium, auxilium, et favorem præbentes, excommunicantur; sed non est reservata hæc censura.—2.° Item qui dolo, aut precibus adeo importunis utitur, ut violentiæ æquiparentur; secus si precibus, et blanditiis quis voluntarie consentientem adduxit.—3.° Incurrit talia agens, etsi dein pœniteat; et etiamsi matrimonium non amplius cum rapta celebret; quia in actu raptus jam contrahitur censura. *(Molin., Gutt., Bon., Varceno, p.* 513).—4.° Item qui fraudibus puellam circumvenit, ne ad suam domum redeat, postquam libere exivit, etsi fraudibus assentire videatur puella; nam talis consensus, fraudibus extortus, violentiæ æquiparatur. *Ita S. C. Conc.* 25 *jul.* 1864.

Tamen ad hanc censuram incurrendum requiritur, ut raptus fiat ineundi matrimonium causa, non vero explendæ libidinis fine; nam Conc. de matrimonio inter eos contrahendo loquitur, et pœna non est extendenda.

VIII. «Qui libertatem matrimonii contrahendi sive directe, sive indirecte violant.» *Ex Trident. sess.* 24, *c.* 9, *de Ref.*

Hanc censuram incurrunt: 1.° Cogentes per vim, seu per injuriam inducentes ad matrimonium contrahendum; ut qui grave malum alicui minatur; vel renuit alicui debitum magni momenti solvere, nisi matrimonium contrahat. Secus dic de levi metu quoad censuram. (*Ita communiter cum Suar., Fill., Bon., Varceno, p.* 514).

2.° Incurrunt hanc censuram etiam principes, prætores, judices, aliique jurisdictionem temporalem habentes, etsi alienos subditos cogant; nam Conc. ait: *Subditos suos, vel quoscumque alios cogant.* Ita *Varceno, p.* 515, *cum aliis plurimis.*—Disputatur de Regibus; quia Papa solet hos exprimere, cum eos ligare intendit, et *odia restringenda.* (Varceno).—Unde non incurrunt hanc censuram pater, nec mater, aut dominus, parochus, Episcopus subditos suos cogentes ad matrimonium; non enim gaudent temporali jurisdictione in foro externo; secus si habent. (*Varceno*).—Neque incurrit qui gratuita beneficia ex industria alicui deneget; neque qui officium aliquod, aut hæreditatem promittit, ut matrimonium contrahat; nam hoc est allicere, non cogere; et Conc. loquitur de cogentibus minis, et pœnis, non de allicientibus, neque de retrahentibus. Ita *Perez, Henriq., Bon., Varceno* contra alios, qui affirmant de retrahentibus cum injuria.

IX. «Cogentes mulierem ad ingrediendum monasterium, vel eam ab igressu sine justa causa impedientes.» *Ex Trid. sess.* 25, *c.* 18, *de Ref.*

Hac ligantur censura: 1.° Cogentes mulierem, sive ad ingrediendum monasterium, sive ad suscipiendum habitum religionis ad modum novitiæ, seu ad emittendam professionem per vim, aut gravem, ac injustum metum, vel dolum.—2.° Omnes auxilium, consilium, vel favorem præbentes, aut quocumque modo præsentiam, vel consensum, aut auctoritatem suam interponentes.—Sed isti quavis ignorantia excusantur; quia Conc. de his ait: Quique scientes eam non sponte ingredi monasterium, aut habitum suscipere, aut professionem emittere... quod non legitur de cogentibus, et auxilium præbentibus.—Unde isti non excusantur ignorantia crassa, et supina; illi vero excusantur quavis ignorantia, tum *juris*, tum *facti*, nempe, tum censuræ, tum violentiæ personæ.—3.° Superiores omnes, et consanguinei puellæ, etsi sint Episcopi, aut Vicarii, hac censura ligantur, si scienter præsentia, vel actu suo ad talem violentum ingres-

sum cooperantur. Secus si quis casualiter, vel ob alium finem ibi accederet, etsi ut testis violentiæ a fœmina vocatus; quippe tunc non active cooperatur. *(Sanch., n.* 21 , *Bon., n.* 6, *Varceno, p.* 518).— 4.° Item ligantur hac censura parentes, qui injuste legitimam saltem, vel congruam sustentationem filiæ suæ solvere nolunt, ne monasterium ingrediatur.— Vel ubi viget lex civilis circa patris consensum quoad minores, si pater absque justa causa consensum denegat; nam efficaciter impedit, ne filia frui possit Trident. dispositione. *(Ita Varceno, ibid.).*

Tamen hanc censuram non incurrit: 1.° qui metu justo, vel levi cogit, aut impedit; vel tantum precibus, etsi importunis; sane ita vim non infert.—2.° Qui ingredi suadet metu privationis hæreditatis, vel alterius boni, ad quod jus non habet fœmina. Idem dic de parentibus, qui secus denegant filiæ partem bonorum liberæ collationis.—3.° Qui cogit ad emittendum votum ingrediendi; cum sic non cogatur fœmina ad religionem; nam votum ex gravi metu non obligat et levis metus censura non punitur.—Idem dic de eo qui fœminam cogit ad ingrediendum, ut educetur, vel a mundi periculis retrahatur. *(Rodrig., Sanch., n.* 12 , *Bon., n.* 6, *Varceno, p.* 517, *Del-Vecchio, n.* 636, *aliique).* Secus si coëgerit ad ingrediendum monasterium, in quo emittuntur vota simplicia perpetua; quippe hæc coactio in decreto Trid. continetur; nam talia emittens vota, statum religiosum amplectitur. (*Varceno*). Sic Pius IX, decreto 12 nov. 1847, benigne indulsit, ut subsidia dotalia pro monialibus relicta, assequi possint, etiam moniales votorum simplicium, modo earum instituta sint ab Apost. Sede probata, et vota simplicia perpetua, nec testatores expresse voluerint illa subsidia nonnisi monialibus cum votis solemnibus esse tribuenda.

5.° Non incurritur hæc censura nisi ingressu sequuto, vel habitu suscepto, aut professione emissa. *(Ita Navar., Sanch., Rodrig., Bon., Varceno).*

6.° Probabilius non ligantur hac censura Reges, et Imperatores cogentes... *(Ita Sanch., aliique).*—Neque cogentes viros; nam Trident. loquitur de fœminis. *(Suar.).*—Neque impedientes ne puella votum ingrediendi emittat; quia sine voto ingredi potest. *(Suar., Fill., Sanch.).*

Duo excipiuntur casus, ut ait Trident.: 1.° cum mulier formaliter consentit, ut vir religionem ingrediatur, et profiteatur, ac ipsa, etsi castitatis votum fecerit, rationabiliter haberi suspicio potest de ejus continentia. Tunc compelli debet religionem ingredi.—2.° Quando mulieres, relicto maritali toro, lapsu carnis ceciderunt, si mariti earum, diligenter commoniti, eas ad frugem melioris vitæ conversas noluerint recipere, in claustris cum religiosis mulieribus collocentur, si fieri potest, ut perpetuam ibi pœnitentiam agant. *Ita Greg. IX, C.* 18 *et* 19 *de Conv. Conjug.*

X. Huc spectare videtur excommunicatio *in missionarios mercaturæ in Indiis orientalibus operam dantes, et in superiores eorum immediatos, qui delinquentes non puniverint*, juxta Const. Urbani VIII *Ex debito*, 21 febr. 1633; et Clementis IX *Sollicitudo*, 17 jul. 1669, quam excommunicationem adhuc vigere ex Summi Pontificis declaratione constat ex Encyclicis a S. Congr. de Propag. datis 29 mart. 1873.

Constitutio Clementis IX ita decernit: «Omnibus, ac singulis personis ecclesiasticis, tam sæcularibus, quam regularibus, cujuscumque status, gradus, conditionis, et qualitatis, ac cujusvis ordinis, congregationis, et

instituti... quæ ad insulas, provincias, regna Indiarum orientalium, et præsertim in provinciam societatis Jesu nuncupatam, ac in partes Americæ, tam australes, quam septentrionales... sub nomine missionariorum, aut quovis alio titulo, pro tempore missæ fuerint, aut in illis partibus quomodolibet morabuntur, sub excommunicationis latæ sententiæ... tenore præsentium districte prohibemus, pariter ac interdicimus, ne mercaturis et negotiationibus sæcularibus hujusmodi, quovis prætextu, titulo, colore, ingenio, causa, occasione, et forma, etiam semel, per se, aut mediantibus ministris, seu aliis personis subsidiariis, directe, vel indirecte, tam nomine proprio, quam suarum respective religionum, seu congregationum, ac societatum ; etiam Jesu, vel aliorum quorumlibet...

Insuper eisdemmet censuris, et pœnis innodamus, et innodatos fore declaramus superiores immediatos, ac provinciales, et generales prædictorum ordinum, congregationum, et societatum... qui eorum respective subditos in præmissis, vel circa ea etiam pro unica vice quomodolibet delinquentes, saltem per amotionem illorum a locis commissi per eos delicti non puniverint. A sententia vero excommunicationis hujusmodi per superiores, vel alium, seu alios quoscumque, etiam quavis facultate suffultos, nemo ex prædictis delinquentibus absolvi possit, præterquam in mortis articulo constitutus, nisi lucris hujusmodi prius restitutis. »

Explic.: 1.° Per mercaturam hic intelligitur quævis merx pretio æstimabilis.—2.° Per negotiationem sæcularem comprehenditur quælibet negotiatio clericis prohibita, uti negotiatio lucrativa, v. gr. alios locare ad pannum ex lana conficiendum. Secus si clerici manibus suis laborarent.

Hac censura plectuntur: 1.° Omnes delinquentes missionarii, seu qui nomine missionum in illis regionibus quomodolibet morantur.—2.° Præterea mulctantur ipso facto pœna privationis vocis activæ, et pasivæ, si regulares fuerint, et etiam omnes alii privatione officiorum, dignitatum, et graduum obtentorum, et inhabilitatis ad illa, et alia obtinenda, necnon amissionis mercium, ac lucrorum omnium. Merces, et lucra hujusmodi in usus pios applicari debent a locorum Ordinariis, seu eorum Vicariis generalibus, vel Apostolicis Vicariis, seu provicariis, non autem in usum religionum, vel societatum ipsorum delinquentium. Ita ex Const. Clement. IX. Hæc censura absolvi potest a quovis confessario, facta lucri restitutione; sed ante a solo Papa; unde talis censura *ex se* nemini est reservata. *(Ballerini).*

Præfatam censuram non incurrunt: 1.° Clerici locorum indigenæ; quia de illis non loquitur Constit.—2.° Neque Episcopi missionarii; nam utraque constitutio de his tacet.

XI. Demum in Const. *Apost. Sedis* legitur: *Quæ vero censuræ sive excomm., sive suspensionis, sive interdicti, Nostris, aut Prædecessorum Nostrorum Constitutionibus, aut sacris canonibus præter eas, quas recensuimus, latæ sunt, atque hactenus in suo vigore perstiterunt, sive pro R. Pontificis electione, sive pro interno regimine quorumcumque Ordinum, et institutorum Regularium, necnon quorumcumque Collegiorum, Congregationum, Cœtuum locorumque piorum, cujuscumque nominis, aut generis sint eas omnes firmas esse, et in suo robore permanere volumus, et declaramus.* Nempe illæ censuræ, quæ ante hanc Constit. erant in vigore in unoquoque ordine religioso, instituto, sunt etiam nunc in vigore; illæ vero, quæ jam in desuetudinem abierant, inno-

vatæ per hanc Constit. non sunt; quod indicatur per hæc Const. verba: *Atque hactenus in suo vigore perstiterunt.*

Hujus generis sunt quæ ad externum tantum regimen pertinent. I. Excomunicatione latæ sententiæ plectuntur regulares, qui temere habitum religionis suæ dimittunt. (*Ex cap. Ut periculosa* II. Tit. *Ne Clerici, vel monachi, in* 6).—Hæc dimissio contingere potest absque apostasia, et e contra potest esse apostata absque hac dimissione. In primo tantum casu hanc incurrit censuram religiosus si id fiat sine causa. (*Ballerini*).

II. Item monachi, aut regulares canonici, si ut suis Prælatis, aut monasteriis damnum aliquod inferant, ad curias principum se conferre præsumpserint. (*Ex Clemen.* 4 *de stat. Monach.*, § 5).—Item monachi intra septa monasteriorum sine Abbatum licentia arma tenentes. (*Ex Clemen., l. C.*)

III. Excomm. Summo Pontifici reservatam incurrunt regularium superiores, qui quosvis religiosos, etiam non subditos, quos hæresis labe infectos, vel etiam suspectos esse noverint, non denuntiant. (*Paulus V. Const.* R. Pontifex, *et Alexander VIII, Const.* Licet alias).

Item si in causis ad S. Officium spectantibus iidem superiores se audeant utcumque intromittere. (*Ex præmis. Const.*) Item si superiores iidem subditos suos ad S. Officium recurrere volentes quovis modo avertant, retrahant, dissuadeant. (*Ex iisdem Const.*)

IV. Eamdem excomm. reservatam incurrunt religiosi subditi, si non denuntiant confratres, vel etiam superiores ejusdem ordinis, quos noverint esse de fide quomodolibet, etiam leviter suspectos. (*Ex cit. Const.*)

Item omnes isti incurrunt, si sub correptionis fraternæ, aut alio pretextu a denuntiando retrahant, aut retardent petentes a se consilium. (*Ex cit. Const. Ballerini, n.* 979).

Q. An Prælati regulares post Const. *Apost. Sedis* iisdem privilegiis gaudeant, quibus antea, id est, possint necne suos subditos absolvere a casibus in dicta Const. simpliciter reservatis?—S. Pœnitent. 5 dec. 1873, respondit: *Negative, salvis illis facultatibus quæ promanant ex rescriptis particularibus ad tempus concessis.*

Quoad censuras ferendæ sententiæ, eo quia hodie rarissime locum habent, sufficit ut confessarius attendat ad casus in singulis locis vigentes, qui reperiuntur in libello censurarum singulis diœcesibus proprio; plerumque de jure ordinario reservantur Episcopo.

CAPUT VII.

De suspensione.

261. **Suspensio** *est censura, qua clericus privatur usu ecclesiastici officii, vel Ordinis, vel beneficii, vel utriusque simul.* Ex quo patet:

I. Suspensionis subjectum esse solum clericum.

II. Esse suspensionem veram censuram; cum per se in medicinam feratur, ut delinquens a contumacia desistat. Unde differt 1.° A depositione, et degradatione; quia istæ sunt meræ pœnæ, et perpetuæ in criminis præteriti vindictam.—2.° Ab irregularitate, quæ *per se* non est pœna medicinalis, sed canonica inhabilitas.

III. Non tamen suspensio est essentialiter censura, aliquando enim fertur ad tempus, vel in perpetuum ad crimen mere præteritum puniendum; unde tunc non est medicinalis, nec censura; neque irregularis fit eam transgrediens. Constat ex Ecclesiæ praxi, et ex jure canonico. (*Ex l.* 2, *Decret. tit.* 20, *c.* 33).

IV. Suspensio diuturna non incurritur nisi per culpam gravem; nam pœna culpæ proportionari debet.—Partialis, et etiam totalis, sed ad breve tempus, puta per hebdomadam, aut ferendæ sententiæ, nec indicta a jure, potest incurri ob levem culpam; sed eo in casu non habetur uti proprii nominis censura. (*Gury, Ballerini, Scavini, n.* 858, *S. Ligor., l.* 7, *n.* 321).

V. Suspensio clericum comitatur ubique, cum immediate personam afficiat.—Tamen per hanc censuram non privatur clericus usu passivo sacramentorum, Ordine excepto, nec confessione sacramentali, Eucharistiæ susceptione, etc., neque ecclesiæ ingressu, communibus suffragiis, ecclesiastica sepultura, nec communione fidelium.

VI. Cæterum hanc pœnam, utpote gravissimam, infligere non debent Prælati, sine justa, ac rationabili causa, et cum scriptura; ita ut si superior alicui dicat ore tenus: *ego te suspendo*, habeatur uti simplex celebrandi prohibitio, et qui eam violat, gravis inobedientiæ reus evadit, sed non fit irregularis. (*S. Conc. Congr. in Vercellen.*, 18 *aug.* 1703, *penes Monacelli, Salm., S. Ligor., n.* 317). Excipe si religio aliqua privilegium habeat sine scripto censuras ferendi.

262. Q. *Quotupliciter accipi potest suspensio?*

R. 1.° Suspensio alia est ab *Ordine*, alia ab *officio*, alia a *beneficio*, alia ab *omnibus simul*.—2.° Utraque *totalis*, vel *partialis*, prout *totaliter*, vel *partialiter* afficit Ordinem, officium, vel beneficium.— 3.° Alia est ad *tempus præfixum*, quo elapso cessat; alia *indeterminata*, quæ durat donec tollatur.—4.° *Pure, simpliciter, absolute* suspendens; ut si dicat superior: *Qui tale egerit, suspensionem incurrat,* intelligitur totaliter, ac indeterminate suspensus, nisi aliter ferat usus.—Excipe cum *Suarez,* nisi ratione materiæ, vel causæ eruatur ordinarie ipsam tantum partialem esse; ita si esset lata in male celebrantes, tunc esset intelligenda de sola celebratione; si in male beneficium administrantes, esset suspensio a solo beneficio; sed si ex mente legislatoris, vel textu legis id clare non eruatur, totaliter intelligatur; nam ubi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus.

Ex his sequitur: I. Suspensus ab Ordine tantum, exercere prohibetur omnem actum cujuscumque Ordinis, tam majoris, quam minoris; at potest agere quæ simplicis jurisdictionis sunt, ut beneficia conferre, a censuris absolvere, excipe in pœnitentiæ sacramento, cum etiam Ordinis sit potestas.—Item potest in divinis officiis, nisi sit vitandus, ea omnia agere quæ a laicis fieri solent, etiam canere Epistolam modo quo alii canunt. Imo suspensus ab Ordine superiori non censetur suspensus ab inferiori, et viceversa. Unde suspensus a presbyteratu, Evangelium, ac Epistolam solemniter canere potest, et confessarius a diaconatu suspensus, adhuc potest absolvere. (*Scavini*).

II. Suspensus ab officio, omni usu Ordinis, et jurisdictionis privatur. Ideo sacramenta administrare, celebrare, absolvere, excommunicare, indulgentias concedere, pontificalia exercere nequit.—Tamen non censetur suspensus a beneficio; unde fructus percipere potest, modo per se, vel

er alios beneficii onera impleat, si crimen non sit enorme, et per annum on *insordescat.*

III. Suspensus ab ecclesiastico beneficio, nempe, ab ejus administra- one, et emolumentis, non censetur suspensus ab Ordine, neque ab ficio; imo probabilius neque ab aliis ecclesiasticis beneficiis, quæ ex- a diœcesim habeat, nisi suspensus sit a jure, vel ab homine expri- ente ab omnibus beneficiis suspensionem.—At si tempore suspensionis iud acquirit ecclesiasticum beneficium, ejus collatio probabilius irrita on est, cum nulla lege id expressum sit, sed irritanda. (*Scavini, n.* 859).

Tamen suspenso a beneficio non est interdictum alia beneficia præ- ntare, licet jus ei competat ratione ipsius beneficii, a quo est suspensus; uia isti non sunt actus præcise beneficii, ut sic, sed jurisdictionis. . *Ligor., l.* 3, *n.* 316).

—Item tenetur ad officia præstanda, etsi ab ipso beneficio proveniant, i recitare Horas, et cætera onera, quamvis fructus non percipiat; nam sibi imputare debet.—Tamen non privatur commodo proveniente ex nniversariis, Missarum stipendiis, et ab omni, quod ob onus personale ericis datur; quippe hæc fructus beneficii non sunt.

Imo suspensus a beneficio, si pauper sit, et suspensio fuerit ob crimen nnino præteritum, dicunt communiter cum *Renzi*, et *Suarez*, quod potest bi fructus retinere.—Et alii cum *Tournely* dicunt, quod si beneficiatus occulte suspensus, et onera adimpleat, retinere potest partem, quam bstituto deberet; quia in hoc casu esset laboris stipendium.

IV. Suspensus ab Ordine, officio, et beneficio simul, ab omni usu ædicto interdicitur. Hinc parochus ita suspensus nequit Missam cele- are, sacramenta administrare, prædicare, officiis præesse, regere, neque uctus percipere, quousque absolvatur.

Q. *Quid importat suspensio a divinis sine alio addito?*

R. Juxta comm. sententiam importat suspensionem ab officio eccle- stico, modo dicto, nisi verba, vel usus aliter explicent. Ita *Fagnan., ugn., Rotær., Suar., Goritia, Scavini, n.* 956, quod colligunt ex jure *In lecr. c. Responsio, n.* 2.°—Controvertitur an ita suspensus distributiones choro accipere possit: affirmat *Avila;* nam illæ præsentibus dantur; gat vero *Bonacina;* quia ille præsens non est ut talis ex officio, et ut um membrum Capituli, sed ut laicus. *Canonicus suspensus a divinis n percipit distributiones chorales, et reliqua emolumenta. Ita S. C. Episc. febr.* 1869, Penes *Scav., l.* 1, *n.* 955.

263. **Suspensio ad cautelam** est, *quæ datur, quando fama publi- male refert de aliquo, vel accusatio publici criminis, aut inquisitio judi- liter jam est instituta.* Hujus ratio est, quia non expedit ut ad sacrum nisterium accedant, nisi qui integræ vitæ, et famæ sunt penes fideles. ec, utpote partialis, stricte censura non est, ideoque non exigit canoni- s formulas pro censuris infligendis; nec irregularitatem ejus violator urrit, etsi graviter peccet, cum ob gravem causam sit lata. (*Scavini,* 864, *S. Ligor., l.* 7, *n.* 214).

264. **Suspensio ex informata conscientia** est, *cum prælatus ex cau- sibi notis etiam ob crimen occultum, quomodolibet, extrajudicialiter, que prævia monitione, censuram infligit per modum simplicis punitionis crimen prœteritum, tum ab Ordinibus excludendo, tum suspendendo.*

Hanc potestatem Episcopis competere constat 1.° ex Trident., sess. 14,

c. 1, de R., et ex Bened. XIV, *De Synod., l. 12, c.* 8.—2.° Ex Bulla *Auctorem fidei*, quæ sub n. 49 prop. Synodi Pistoriensis docentis: *nullas et invalidas esse suspensiones ex informata conscientia*, damnavit *uti falsam, perniciosam, et in Trident. injuriosam.* —3.° Ex S. Congr. Conc. in *Sagonensi*, 21 jun. 1625, quæ declaravit contraxisse irregularitatem parochum, qui a proprio Episcopo *ex informata conscientia* ab omni suæ parœciæ exercitio indeterminate suspensus, apellatione interposita, adhuc in celebratione, et curæ exercitio manebat; ergo vera, et stricte suspensio erat. Imo etiam perpetuas suspensiones sic infligere potest Episcopus ex jure, ut ait *Bouix*. Quod de Episcopis dicitur, aptatur etiam prælatis circa suos subditos: disputatur de Vicariis gen. Episcopi.

Tamen probabilius hoc modo suspensio a beneficio fieri non potest ab Episcopo; cum de hoc nullum sit in Trident. verbum. (*Bouix, Vecchoiti*). Certum est nullam dari appellationem ad Metropolitanum in suspensionibus *ex informata conscientia* latis; sed tantum ad supremam Sedem, ut docet Bened. XIV, *De Synod., l.* 12, *c.* 8, et *S. C. Cong.*—Alii volunt de solo crimine occulto loqui Trident.; alii autem etiam de non occulto; nam Trid. ait: *extrajudicialiter ex quacumque causa etiam ob occultum crimen ;* id ergo quoque quando crimen non est occultum ; alias contingere posset ob temporum iniquitatem, ut formalitates servari non valerent. Ita *Episcopus Lucion., Del-Vec., n.* 957, *Bouix, de judiciis, t. 2, p.* 2). Interdicere ascensum ad sacros Ordines, et suspendere ab iisdem, nec non a dignitatibus, officiis, gradibus, honoribus ecclesiasticis, ideoque ab animarum curæ exercitio; en totam Trid. facultatem Episcopis concessam, juxta verosimiliorem sententiam.

265. **Effectus suspensionis sunt sequentes.** I. Suspensus ab Ordine, non solum graviter peccat, hunc solemniter exercens, sed etiam irregularitatem incurrit, ut infra. Tamen excusatur a peccato, et ab irregularitate 1.° si gravis adsit causa functiones exercendi, modo actus sit validus; lex enim humana non obligat cum gravi damno. Hinc dicunt *Sayr., Bon., Andeg., cum aliis,* excomm. vel suspensum occultum posse sine peccato, et irregularitate audire Sacrum, celebrare, et absolvere ad vitandum grave scandalum, infamiam, detractionem, vel grave proximi periculum, aut ob necessitatem; nam censura aufert quidem usum Ordinis, non vero habilitatem ad eum.—Tamen, *nomine scandali,* ait *Suarez*, non intelligo administrationem hominum cum frequenti sermocinatione de ea re, sed occasionem peccati, ut detractionis, et judicii temerarii.—2.° Excusatur ab irregularitate ob censuræ ignorantiam. — 3.° Ab irregularitate, et culpa gravi ob materiæ parvitatem, tum ratione imperfectæ deliberationis, tum ratione materiæ, ut si mensam benediceret, Ordinem non sacrum exerceret, vel sacrum, sed non solemniter; uti canere in choro, ac etiam Epistolam more laicorum. (*Ita Gury, n.* 994, *S. Antonin., Suar., Scavini cum communi*).

II. Suspensus vitandus, et publicus invalide jurisdictionis actus exercet extra necessitatis casum; cum jure illa sit privatus. Hinc invalide absolveret.—Toleratus, et etiam non toleratus, sed occultus, valide, etsi illicite, nisi ab aliis rogentur, jurisdictionem exercent; Ecclesia equidem eis jurisdictionem non adimit ob fidelium bonum.

Tamen vitandus suspensus Ordinem tantum exercens, valide exercet; Ecclesia namque potestatem Ordinis tollere nequit, sed illius exercitium

prohibere. Hinc Episcopus vitandus valide Sacrum faceret; at invalide censuras ferret. (*S. Ligor., l. 7, n.* 314, *Gury, n*. 995).

Porro suspensio *per se* non prohibet cum aliis communicare, sicut excommunicatio; ideo Missam audire licet, etsi quis suspensus sit nominatim, scandalo secluso; nec cessare debent officia divina, si ille assistat; ut verius docent *Del-Vecchio, S. Ligor, l. 7, n.* 313.

Imo absolvi potest suspensus a simplici confessario, et SS. Eucharistiam suscipere, antequam per superiorem a suspensione absolvatur; etenim suspensionis effectus non est privare receptione sacramentorum; modo aliter sit dispositus, atque suspensionis causam tollere, et ejus absolutionem curare studeat. (*Gury, n.* 996).

266. Q. *An incurrat irregularitatem clericus actum exercens, a quo erat suspensus pro tempore determinato?*

R. I. Si suspensio fuerit lata per modum statuti, aut præcepti ob futurum crimen, vel etiam præteritum, sed habens tractum successivum, tunc transgrediens verius irregularitatem incurrit, ut patet ex *c.* 1, *de sent., et re judic. in* 6, ubi quidam, cum fuerit suspensus ad tempus, et sic ministraverit, fuit expresse declaratus irregularis.—Secus si suspensio lata sit ab homine per sententiam ob meram criminis punitionem omnino præteriti; nam talis suspensio rationem habet meræ pœnæ, juxta dicta, et censura ex se est medicinalis: præterea irregularitas non ex violatione pœnæ, sed ex censuræ violatione incurritur: ergo... (*Ita probabilius Bon., Scavini, Gury, S. Ligor., l. 7, n.* 314).

II. Suspenso Capitulo, vel conventu, non censentur suspensi singuli, nisi sint in culpa. (*Sa, Laym.*). Suspensa communitate, non suspenduntur singulæ personæ quoad particularia munia, sed tantum quoad officia, vel beneficia totius communitatis. (*Ita communiter cum Bon., Salm., Dian., D. Thom., S. Ligor., n.* 317).

III. Quod si aliqui exercent functiones communitatis tunc vetitas, irregularitatem non incurrunt; nam prohibitio illa non est proprie censura, sed potius inhabilitas particularium personarum ad talia officia. (*Ita Pal., Suar., Ronc., Con.,* Corn., *Salm., n.* 47).

IV. Si vero suspensio feratur in communitatem, et in singulas ipsius personas, tunc delinquentes tantum afficit; nemo quidem censurari potest pro aliena culpa. (*Ita Suar., Sanch., Salm., S. Ligor., ibid., cum communi*).

267. **Tollitur suspensio.** 1.° Si rationem censuræ habet, tollitur ut excommunicatio, sicut supra n. 226, et seqq. diximus.—2.° Si vero imposita sit in perpetuum propter culpam omnino præteritam, tollitur ut mera pœna, per solam superioris dispensationem, vel delegati; quippe tunc non est censura. (*Ita Gury, n.* 997, *Scavini, cum communi*).—3.° Si suspensio occulta sit, tollitur per absolutionem illa generali forma: *Absolvo te ab omni vinculo, etc.* Item si sit publica, in foro interno.—4.° In foro autem externo adhibenda est Ritualis forma, eaque servanda, quæ inibi præscribuntur.

Q. *An sacerdos simpliciter approbatus in mortis articulo a suspensione absolvere possit, deficiente superiore?*

R. Alii negant; quia nulla adest necessitas; cum suspensio sacramentis non privet, excepta promotione ad superiorem Ordinem.—Alii affirmant; nam generaliter dicit Trident.: *a quibusvis censuris;* et ubi lex non distinguit, neque nos...

CAPUT VIII.

De suspensionibus latæ sententiæ in particulari.

268. Quindecim adnumerantur latæ sententiæ suspensiones, quarum una est *speciali modo* reservata, vigore Constitutionis nuperrime editæ a Pio IX incipientis: *Romanus Pontifex;* septem *latæ sententiæ* vigore Const. *Apost. Sedis* ab eodem Pontifice; aliæ tandem septem sunt a Conc. Trident. directe inflictæ, e quibus aliæ Episcopis sunt reservatæ, aliæ nemini.

Unica suspensio latæ sententiæ speciali modo Summo Pontifici reservata. Illi, qui episcopali charactere jam insigniti, nominati et præsentati, vel electi, ut supra n. 257, art. XIII, ad vacantes ecclesias, earum curam, regimen, et administrationem ante exhibitionem Litterarum Apostolicarum suscipere audent ex concessione, et translatione in eis peracta a Dignitatibus, et Canonicis, aliisque, in pœnam suspensionis ab exercitio Pontificalium ipso facto absque ulla declaratione incidunt.»

Explic.: Requiritur ad hanc suspensionem incurrendam actus alias validus, seu verum jus concedendi, vel transferendi. — Pontificalium nomine intelligitur auctoritativus usus insignium Pontificalium, ut mitræ, baculi pastoralis, et pallii; et suspensus a Pontificalibus repellitur ab actibus, qui fieri solent cum præfatis insignibus, uti confirmare, Ordines, et tonsuram conferre, ecclesias, calices, aut virgines consecrare. (*Ita Alter., Zerola, Bon., Varceno, p.* 525, *Ballerini, n.* 998).

Verum Episcopus ita suspensus baptizare potest, confessiones audire, Sacrum facere, juxta morem aliorum sacerdotum. Insuper censuras ferre, beneficia conferre, aliosque jurisdictionis actus exercere; quippe ad Pontificalia minime spectant. (*Suar., Ugol., Bon., Ballerini, ibid., etc.*)

De suspensionibus latæ sententiæ ex Const. Apost. Sedis simpliciter Papæ reservatis.

269. I. «Suspensionem ipso facto incurrunt a suorum beneficiorum perceptione ad beneplacitum S. Sedis Capitula, et conventus ecclesiarum, et monasteriorum, aliique omnes, qui ad illarum, seu illorum regimen, et administrationem recipiunt Episcopos, aliosve prælatos de prædictis ecclesiis, seu monasteriis apud eamdem S. Sedem quovis modo provisos, antequam ipsi exhibuerint Litteras Apostolicas de sua promotione.»

Explic.: 1.° Per has Litteras intelliguntur Bullæ Pontificiæ promotionis Episcopatus, Abbatis, Prioris, etc., quæ exibendæ prius sunt Capitulo, monasterio, vel cui de jure competit; secus hi suspensi remanent a perceptione suorum beneficiorum, et sic promoti nil percipere possunt de ipsarum ecclesiarum, et monasteriorum redditibus, et irritum est quidquid per ipsos interim actum fuerit, et velut usurpatores, aut cooperatores, uti supra, habendi sunt.—2.° Suspensio est a solis beneficiis, quæ capi-

tulariter possidentur, non ab iis, quæ aliunde possident. (*Suar.*, *n.* 25, *Varceno, aliique*).—3.° Requiritur ad hanc suspensionem ut Episcopus, ei obedientiam præstando, eumque uti legitimum superiorem agnoscendo, recipiatur.

II. «Suspensionem per triennium a collatione Ordinum ipso jure incurrunt aliquem ordinantes absque titulo beneficii, vel patrimonii cum pacto, ut ordinatus non petat ab ipsis alimenta.»

Explic.: 1.° Hæc suspensio generatim in Episcopum fertur.—2.° Qui cum pacto huic juri contrario ordinat, nulli conferre potest Ordines tantum per triennium.—Poterit tamen Pontificalia, et alia munia exercere.—3.° Hæc pacta quamdam redolent simoniam. (*Ballerini, n.* 999).—4.° Clericus sæcularis, qui ficto titulo ordinare se facit, nullam incurrit censuram; quia illam non renovavit hæc Const. *Apost. Sedis.* (*Varceno, p.* 525). Vide de titulo. T. II, n. 885.

III. «Suspensionem per annum ab Ordinum administratione ipso jure incurrunt ordinantes alienum subditum, etiam sub prætextu beneficii statim conferendi, aut jam collati, sed minime sufficientis, absque ejus Episcopi litteris dimissorialibus. Vel etiam subditum proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit, absque Ordinarii ejus loci litteris testimonialibus.»

Explic.: 1.° Alienum subditum intelligimus eum, qui neque ratione originis, neque domicilii, neque beneficii, neque famulatus, seu familiaritatis Episcopi subditus est, licet in sua diœcesi fortuito sit natus.—2.° Nil interest, utrum dimissoriæ, et commendatitiæ in scriptis dentur, vel oretenus, *ex Trident. sess*, 14 *de R. c.* 2, *Reiff. n.* 110, præterquam ultramontanis in Italia degentibus.—3.° Si Episcopus ordinare velit alienum clericum, collato prius ei beneficio, Episcopus ejusdem clerici non potest hujusmodi litteras denegare. (*S. Cong. Conc.* 16 *jul.* 1841).—4.° Si beneficium ad constituendum ordinationis titulum non sufficiat, suppleri nequit per patrimonium sine litteris Episcopi candidati. (*Varceno*). (Vide de Ordine ubi de hoc).

IV. «Suspensionem per annum a collatione Ordinum ipso jure incurrit, qui, excepto casu legitimi privilegii, Ordinem sacrum contulerit absque titulo beneficii, vel patrimonii clerico in aliqua congregatione viventi, in qua solemnis professio non emittitur; vel etiam religioso nondum professo.»

Explic.: Hæc suspensio omnes religiones respicit, in quibus emittuntur vota simplicia, etsi ex ipsa primæva institutione solum vota solemnia habuerint.—Hinc post editas jussu Pii IX Litteras super regularium statu, fuit quæsitum: *Possuntne novitii, post emissa simplicia vota, ante emissionem solemnium ad sacros Ordines promoveri titulo paupertatis, non obstante Const. Rom. S. Pii V?* Respondit S. Congr. Reg., 20 jan. 1860: *Sanctissimus rescribendum mandavit:* Negative quoad Ordines sacros.

Dicitur excepto casu *legitimi privilegii;* quod concessum fuisse Societati Jesu constat ex const. Gregorii XIII *Ex Sedis Apost.*, 28 *febr.* 1573.

V. «Suspensionem perpetuam ab exercitio Ordinum ipso jure incurrunt religiosi ejecti, extra religionem degentes.»

Explic.: 1.° Non hac comprehenduntur novitii; quia nondum sunt religiosi; neque qui vota simplicia in aliqua congregatione emiserunt; quia non veniunt nomine veri religiosi.—2.° Neque fugitivi, vel apostatæ;

non enim sunt ejecti, etsi alias pœnas mereantur.—3.° Neque injuste ejecti; nam censura culpam supponit, etsi in externo foro non audiantur, tamen recursum habent ad S. Sedem. Ratio hujus censuræ est, quia ejectus eo ipso titulo suæ ordinationis caret, imo et ecclesia, cui adscriptus sit. Ejecto id remanet, ut redeat ad suam, vel ad aliam religionem, etsi laxiorem transeat, vel alium ineat novitiatum, vel a S. Sede indultum obtineat. (*Bon., Varceno, p.* 529).

VI. «Suspensionem ab Ordine suscepto ipso jure incurrit, qui eumdem Ordinem recipere præsumpserit ab excommunicato, vel suspenso, vel interdicto nominatim denuntiatis, aut ab hæretico, vel schismatico notorio. Eum vero qui bona fide a quopiam eorum est ordinatus, exercitium non habere Ordinis sic suscepti, donec dispensetur, declaramus.»

Explic.: 1.° Qui Ordines ab excommunicato nominatim a Papa recipit, insuper excomm. eidem Pontifici reservatam incurrit, juxta dicta supra n. XVII.—2.° Qui vero mala fide Ordines valide sic susceperit, vi hujus Const. suspensione perpetua tenetur, a qua dispensare ad solum Papam spectat; quippe adest præsumptio, vel ausus.—3.° Si autem bona fide, vel cum ignorantia saltem censuræ egerit, usus tantum ei interdicitur, a quo suus Episcopus dispensare potest; et graviter peccaret, Ordinem exercens, donec dispensetur. *(Varceno, p.* 531).—An excuset ignorantia supina modo non sit cum præsumptione? *Quando semper id accipiendum est, quod reo est favorabilius, hoc magis puto,* ait *Comm. Reat.* Differentia est, quia suspensio ab Ordine est vera censura; et suspensio ab exercitio Ordinis est in hoc casu improprie suspensio. *(Varceno, ibid. Ballerini, n.* 999).

VII. «Clerici sæculares exteri ultra quatuor menses in Urbe commorantes, ordinati ab alio quam ab ipso suo Ordinario absque licentia Cardinalis Urbis Vicarii, vel absque prævio examine coram eodem peracto, vel etiam a proprio Ordinario posteaquam in prædicto examine rejecti fuerint: nec non clerici pertinentes ad aliquam e sex episcopatibus suburbicariis, si ordinentur extra suam diœcesim, dimissorialibus sui Ordinarii ad alium directis, quam ad Card. Urbis Vicarium: vel non præmissis ante Ordinem sacrum suscipiendum exercitiis spiritualibus per decem dies in domo Urbana sacerdotum a missione nuncupatorum, suspensionem ab Ordinibus sic susceptis ad beneplacitum S. Sedis ipso jure incurrunt: Episcopi vero ordinantes ab usu Pontificalium per annum.»

Explic.: 1.° Hæc non respiciunt regulares, neque laicos, qui tonsuram, et cum ea Ordines minores una simul recipiunt.—2.° Si proprius Ordinarius esset impeditus, modo non sit Ordinarius alicujus diœcesis suburbicariæ, cum litteris dimissorialibus poterit eum mittere ad alium Ordinarium, quem maluerit.—3.° Imo neque Ordinarius, neque clericus ordinandus hanc suspensionem incurrunt, etsi clericus ad proprium Ordinarium reversus sit, ut examen Romæ declinaret; quia jure suo utitur, et a suo Ordinario Ordines recipit.—4.° Item qui per quatuor menses Romæ commorati, si litteris dimissorialibus, quamvis amplissimis, a proprio Ordinario obtentis ad Ordines promoveri cupiant, declinare non possunt examen Romæ subeundum, neque sacram ordinationem sine licentia in scriptis obtinenda ab Em. Urbis Vicario suscipere possunt. Tamen reverti valent ad suum Ordinarium, et sic rite ordinari.—5.° In suspensionem autem incideret clericus, qui in examine Romæ

exhibito reprobatus, nulla dein venia obtenta, nulloque Romæ renovato examine, in suam diœcesim revertens, ibi ordinibus initietur, ex Decl. Alexandri VII, an 1668. – 6.° Clerici exteri, qui completis Romæ quatuor commorationis mensibus, obtentisque litteris dimissoriis a suo Ordinario, ex Urbe discedunt animo illuc non redeundi, possunt ab alio Episcopo ordinari sine Em. Urbis Vicarii licentia, et sine examine Romæ subeundo; nam hic articulus loquitur de *in Urbe commorantibus, ab alio ordinatis.* (*Ita Avanzini, Varceno, p.* 533, *Del-Vecchio, n.* 645, *et ex praxi Romana a Clemente VIII inducta).*

CAPUT IX.

De suspensionibus latæ sententiæ a Conc. Tridentino inflictis.

270. I. «Nulli Episcopo liceat, cujusvis privilegii prætextu, Pontificalia in alterius diœcesi exercere, nisi de Ordinarii loci expressa licentia, et in personas eidem Ordinario subjectas tantum. Si secus factum fuerit, Episcopus ab exercitio pontificalium, et sic ordinati ab executione ordinum sint ipso jure suspensi.» (*Sess.* 6, *c.* 5, *de R.)*

Expl.: Episcopus in alterius diœcesi existens, prævia diœcesani licentia, tum subditos proprios, tum Episcopi facultatem concedentis, tum etiam aliarum diœceseon, quando a proprio Ordinario litteras habent dimissorias, absque pœnarum incursu ordinare potest. (*Ita ex hoc decreto, et ex R. S. Congr.,* 22 *febr.* 1630).

II. «Qui arctati occasione ecclesiastici beneficii recepti, sive recipiendi non fuerint, et Sede vacante, infra annum a die vacationis per litteras dimissorias, a Capitulo acceptas, fuerint ordinati, si in minoribus Ordinibus constituti fuerint, nullo privilegio clericali, præsertim in criminalibus, gaudeant; in majoribus vero constituti, ab executione Ordinum, ad beneplacitum futuri prælati, sint ipso jure suspensi.» (*Sess.* 7, *c.* 10, *de R.)*

Expl.: 1.° Dimissorias concedere post luctus annum ad Vicarium Capitularem spectat, et non ad Capitulum, ut patet ex decisione *S. Congr. Episc.,* 12 *jan.* 1604, nisi aliqua specialis adsit exceptio, ut in Novara.— 2.° Potest tamen Capitulum, Sede vacante, infra annum, testimonium idoneitatis, seu litteras testimoniales dare.—3.° Sede vacante, pro suscipiendis infra annum Ordinibus ad S. Sedem est adeundum.—4.° Vicarius Papæ non prohibetur, etiam statim post vacantem Sedem Apost., dimissorias litteras concedere; nam Tridentinum decretum minime restringit jurisdictionem Sedis Apostolicæ, quamvis vacantis.—5.° Litteræ dimissoriæ licite expediri possunt infra dictum annum, quibus ab Episcopo in mortis articulo concessæ fuerunt ad effectum se promoveri faciendi in præfato anno, ut declaravit *S. Conc. Cong.,* 24 *apr.* 1700.—6.° Dicuntur arctati ratione beneficii, qui infra annum Ordinem requirunt, quem non habent.

III. «Nemo Episcoporum, qui *titulares* vocantur, etiamsi in loco *Nullius* diœcesis, etiam exempto, aut aliquo monasterio cujusvis ordinis resederint,... vigore cujusvis privilegii,... etiam pretextu familiaritatis...; absque sui proprii prælati expresso consensu, aut litteris dimissoriis, ad aliquos... Ordines, vel primam tonsuram promovere valeat: contra fa-

ciens ab exercitio Pontificalium per annum, taliter vero promoti ab executione Ordinum sic susceptorum, donec suo prælato visum fuerit, ipso jure sint suspensi.» (*Sess.* 14, *c.* 2, *de R.*)

IV. «Si quis ab alio (quam a proprio Episcopo) promoveri petat; nullatenus id ei, etiam cujusvis generalis, aut specialis rescripti, vel privilegii pretextu... permittatur; nisi ejus probitas, ac mores Ordinarii sui testimonio commendentur. Si secus fiat, ordinans a collatione Ordinum per annum, et ordinatus a susceptorum Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus.» (*Sess.* 23, *c.* 8, *de R.*)

Explic.: Agitur de defectu litterarum testimonialium sui Ordinarii tantum, non vero de dimissoriarum carentia. *Ballerini, n.* 100.

V. «Abbatibus, et aliis quibuscumque quantumvis exemptis, non liceat in posterum... cuiquam, qui regularis subditus sibi non sit, tonsuram, vel minores Ordines conferre: nec ipsi Abbates, et alii exempti, aut Collegia, vel Capitula quæcumque, etiam ecclesiarum cathedralium, litteras dimissorias aliquibus clericis sæcularibus, ut ab aliis ordinentur, concedant. Sed horum omnium ordinatio... ad Episcopos, intra quorum diœcesis fines existant, pertineat... Concedentes autem dimissorias contra formam decreti, ab oficio, et beneficio per annum sint ipso jure suspensi.» (*Sess.* 23, *c.* 10 *de R.*)

Explic.: 1.º Intellige Capitula, quæ aliquo jure speciali jurisdictionem habeant in aliqua diœcesis parte; nam de Capitulis, Sede vacante, aliud extat decretum. -2.º Abbates vero intra fines cujuspiam diœcesis consistentes, suis dumtaxat regularibus subditis tonsuram, et minores Ordines conferre possunt, non sæcularibus; ita et de concedendis litteris dimissoriis est statutum.

VI. «Episcopi, quod absit, si ab hujusmodi (concubinatus) crimine non abstinuerint, et a synodo provinciali admoniti, se non emendaverint, ipso facto sint suspensi.» (*Sess.* 25, *c.* 14 *de R.*)

Requiritur ad hanc pœnam, ut cum eadem plures habeantur copulæ, et ut mulier cum alio viro, non suo, commercium carnale habeat.

VII. «Si quis parochus, vel alius sacerdos, sive regularis, sive sæcularis sit, etiam si id sibi ex privilegio, vel immemorabili consuetudine licere contendat, alterius parochiæ sponsos sine illorum parochi licentia matrimonio conjungere, aut benedicere, ausus fuerit, ipso jure tamdiu suspensus maneat, quamdiu ab Ordinario illius parochi, qui matrimonio interesse debeat, seu a quo benedictio suscipienda erat, absolvatur.» (*Sess.* 24, *c.* 1 *de R.*)

Expl.: 1.º Hæc suspensio probabilius locum non habet ubi non est promulgatum Tridentini decretum *Tametsi,* nisi aliunde vigeat per consuetudinem, etc.—2.º Non viget pœna excommunicationis latæ in religiosos per *Clementinam;* cum de ea non fiat mentio in Const. *Apost. Sedis.*—3.º Non contrahunt hanc pœnam, qui assistunt, vel benedicunt matrimonium cum ignorantia supina; neque si unus sponsus subditus illius parochiæ sit, cujus parochus assistit, vel licentiam assistendi præbet.—Neque clericus sacerdotali ordine minor, modo non sit aliorum parochus.—Neque mandans, aut consulens; nam de iis præfatis non loquitur in decreto. (*Sanch., Alter., Varceno, p.* 545).

Incurrit 1.º Assistens matrimonio cum licentia per dolum obtenta, seu per mendacia circa causam finalem.—2.º Sacerdos assistens, et

benedicens secundas nuptias, etiam hanc incurrit pœnam. (*Reiff.*, *n.* 34).

Absolutio hujus censuræ pertinet ad Episcopum loci, cujus parochus matrimonio assistere debebat. (*Barb.*, *Alter.*, *Sanch.*, *n.* 4, *Varceno*, *p.* 545).

VIII. «Præfectæ monasteriorum, quæ si de professione suarum novitiarum Episcopum ante mensem certiorem non faciunt, incurrunt suspensionem ab officio, quamdiu Episcopo videbitur.» (*Sess.* 25, *c.* 17, *de Regularibus*).

CAPUT X.

De depositione, et degradatione.

271. **Depositio** *est pœna ecclesiastica, qua clericus in perpetuum privatur usu potestatis ecclesiasticæ, et omni titulo radicali ad eam exercendam; nec non omni jure ad beneficia valide possidenda.*

Degradatio *est solemnis omnium titulorum privatio, privilegiorum, et bonorum ecclesiasticorum, ita ut degradatus, solo remanente Ordinis indelebili charactere, ad conditionem laicalem reducatur.* — Unde iste utroque privilegio clericali, nempe, canonis, et fori privatur; ita ut a laico non differat, nec excomm. incurrat in ipsum violentas manus imponens. Secus vero dicendum de deposito.

Depositio, et degradatio infligi non possunt, nisi pro immanibus criminibus, uti hæresis manifestæ, falsificationis Litterarum Apostolicarum, sodomiæ frequentatæ, ac notoriæ, gravissimæ calumniæ Episcopo appositæ, etc.

Q. *An degradatus teneatur ad horas canonicas, et ad castitatis votum?*

R. Affirma, porro non debet ex sua iniquitate commodum percipere, nec onere solvi. (*Gury*, *n.* 1001, *cum communi*).

CAPUT XI.

De interdicto.

272. **Interdictum** definitur: *Censura privans hominem, vel locum, vel utrumque simul publica divinorum officiorum celebratione, aliquorum sacramentorum administratione, et usu sepulturæ ecclesiasticæ.* Interdictum ferre possunt, qui excommunicare.

Q. *Quam ob causam ferri potest interdictum?*

R. 1.° Pro interdicto locali, et generali peccatum atrox commissum a capite, vel a principalibus requiritur; nam pœna est propter culpam. — 2.° Pro interdicto vero personali requiritur etiam culpa gravis; cum pœna semper culpæ respondere debeat.—Tamen si sit ad breve tempus, et in ordine ad unum, vel alium usum, sufficit veniale peccatum.

Divisio: Interdictum dividitur 1.° In *locale, personale,* et *mixtum,*

prout immediate locum, vel personam afficit, vel utrumque simul.—2.° Tam locale, quam personale subdividitur in *generale*, et *particulare*, prout generaliter totam communitatem, collegium, capitulum, civitatem, regnum complectitur, vel datum locum, oratorium, aut personas in tali loco. Hinc

I. Interdictum *generale personale* non cadit nisi in personas designatas. Unde interdicto clero alicujus loci, non interdicitur populus, nec alii clerici, neque regulares, qui beneficium, vel officium ibi non habent; nam omnes hi unum corpus non constituunt cum clero. (*Salm.*, *c.* 5, *n.* 16, *et* 17).—Viceversa, interdicto populo, non interdicuntur clerici, regulares, studiosi, peregrini, innocentes, et doli incapaces, nec Episcopus, nec ecclesiæ civitatis. (*Ita Salm.*, *S. Ligor.*, *l.* 7, *n.* 331, *cum communi*).

II. Interdictum *generale locale* omnes ejus partes afficit. Hinc 1.° interdicta civitate, interdicuntur etiam suburbia, et omnes illius urbis ecclesiæ, etiam exemptæ, et regularium; tunc enim a jure interdicuntur, et omnes tenentur illud servare, etiam Episcopus, qui illud tulit, uno excepto Pontifice.—2.° Interdicta parochia, etiam sacellum, et cœmeterium contiguum interdicuntur; quippe accessorium sequitur principale.—3.° Interdicta communitate, vel familia, singula ejus membra interdicuntur, etiam ea quæ post latum interdictum ejus communitatis membra esse cœperunt. Licet tamen hoc in casu iis, qui interdicto causam non dederunt, alio ire, ut divinis officiis assistant. (*Scavini, n.* 866, *Gury*, *n.* 1003, *S. Ligor.*, *n.* 330).

273. **Effectus interdicti.** Ex jure, C. *Alma Mater*, 24 *de Sent. exc. in* 6, et communi DD. sensu sunt tres, nempe, *privatio a divinis, a sacramentis,* et *ab ecclesiastica sepultura*.

I. Privatio *a divinis officiis,* scilicet ab iis, quæ solemniter a clericis exerceri solent.—Nomine divinorum officiorum (*ex C. Si sententia* 16, *de sent. excomm... in* 6, *et cap. Permittimus* 57, h. *tit.*) tempore interdicti prohibitorum intelliguntur sequentes publici actus: celebratio Missæ, recitatio Horarum canonicarum in choro, processiones, benedictiones templi, fontis baptismalis, cinerum, palmarum, candelarum, nuptiarum, solemnis aspersio aquæ lustralis, professio solemnis in religione, et similia; exceptis offic. B. V., defunctorum, ac Horarum privata recitatione, a qua omnes obligati non eximuntur, et concione, ad quam per campanæ pulsum convocari possunt interdicti, ut resipiscant. (*Ex cap. Responso de sent. excom.*)—Idque singulis diebus, præter dies Nativitatis Domini, Paschæ, Pentecostes, Assumptionis, et Conceptionis B. V., die, et per octavam Corporis Christi, quibus diebus permittitur solemniter divina officia celebrare, interdictis assistentibus, modo qui causam interdicto dederunt, ad altare, offertorium, vel Communionem non accedant. Hinc hisce diebus interdicti Missam audire tenentur. Qui vero privilegium habent Sacrum audiendi, possunt etiam abstinere a Sacro, et se conformare juri communi, juxta *Salm., n.* 64, *Corn.*, *Dian.*, *Con.*, *etc.*—V. T. II, n. 497. (*S. Ligor.*, *n.* 333).

Clerici, qui non cadunt sub interdicto, celebrare possunt januis clausis, et sine campanarum sonitu, nisi ad concionem, salutationem angelicam, vel obitum alicujus; et regulares admittere possunt ad divina officia famulos, procuratores, advocatos, operarios, beatas, tertiarios, si hi non sint specialiter interdicti, nec causam ipsi dederunt. *(Gury, Scavini, S. Ligor., l.* 7. *n.* 333, *et ex C. Alma Mater, etc.)*

In ecclesiis tamen specialiter interdictis, in quibus servatur Eucharistia, fas est semel in hebdomada Sacrum facere ad eam renovandam... Et si interdicatur altare tantum, prohibentur functiones in illo, non vero in ecclesia.

Nomine clericorum, et monachorum, veniunt omnes, qui privilegio fori, et canonis gaudent; et nomine ecclesiarum veniunt etiam eremitoria, et hospitalia auctoritate Episcopi erecta; non vero oratoria privata sæcularia. (*Ita Salm. comm., n.* 56).—Dicitur, *exclusis interdictis*, et intelligitur, modo sint nominatim excommunicati, vel interdicti, aut hæretici notorii, denuntiati, ex Const. *Apost. Sedis, ut infra.*

II. Prohibitio administrandi, et recipiendi sacramenta, exceptis baptismo, etiam solemni, confirmatione, et pœnitentia, modo non in gratiam personaliter et specialiter interdictorum, vel eorum, qui causam interdicto, et favorem dederunt, nisi satisfactionem præstent, aut juratam cautionem. (*Salm. c.* 6, *n*, 37, *cum communi, et ex jure canonico, l. c.*)

Item ministrari potest Viaticum moribundis, et etiam extrema-unctio, maxime si alia sacramenta infirmus rite suscipere nequeat, ut ex attrito fiat contritus. (*Ita Suar., Dicast., Croix, l.* 7, *n.* 198, *Scavini, n.* 867, *contra Salm., n.* 44). Item et matrimonium absque solemni benedictione, cum jure habeatur illud *contrahi posse quovis tempore*, et quia a contrahentibus ministratur; imo etiam Ordo clericis non specialiter interdictis, causa magnæ necessitatis, et penuriæ sacerdotum. *Ita probabilius, Salm., l.* 6, *n,* 47, *Sanch., Lay., Con., aliique* contra *Suarez*).

III. Prohibitio *sepulturæ ecclesiasticæ*, quoad laicos, extenditur etiam ad infantes, et amentes in interdicto locali: et si sepulti fuerint, exhumari debent; cessante autem interdicto omnes in loco sacro sunt reponendi. Clerici vero, si non sint nominatim interdicti, sepeliri possunt in ecclesia, etiam cum Missa sine pompa: si autem ecclesia sit specialiter interdicta, adhuc sepeliri possunt, sed sine Missa. (*Ita Salm., c.* 6, *n* 75, *Gury, Scavini, S. Ligor., n.* 335, *cum communi*).

264. Q. *Quid de interdictum violantibus?*

R. 1.° Graviter peccant omnes interdictum personale violantes; agitur quidem de re per se gravi, nisi excuset materiæ parvitas, ut si clerici exerceant functiones, quæ a laicis fieri possunt; vel si brevi tempore ostium templi apertum relinquant, etc.—2.° Graviter item peccant violantes interdictum locale, si locus sit specialiter, vel generaliter interdictus: clerici, si publice, et januis apertis agant; et ubi ordinem sacrum exerceant, si contra personale interdictum, irregularitatem incurrunt. (*Ex. c.* II *de sent. excom.*) Item graviter peccant laici interdictum personale violantes, si sacramenta recipiunt, vel si clericos compellunt ad divina Officia ibi celebranda; etenim ad id cooperantur, quod ipsis sub gravi interdicitur.—3.° Secus venialiter tantum peccant tam clerici, quam laici, si interdicto loco, ipsi vero non specialiter interdicti, divinis Officiis assistant. (*Ita probabilius, Gury, Scavini, S. Ligor., n.* 336).

Tamen clerici ipso facto interdictum ab ingressu ecclesiæ incurrunt, si scienter divina officia celebrant, aut celebrari faciunt in locis interdictis ab Ordinario, vel a delegato, vel a jure; aut ad divina officia, vel sacramenta, vel ecclesiasticam sepulturam nominatim excommunicatos admittunt, ut infra.

275. **Interdictum tollere possunt.** I. Interdicta ab *homine* lata tolli nequeunt nisi ab ipso, vel a Papa, qui omne jus habet.

II. Interdicta localia, et personalia-generalia ab Episcopo tolli possunt, vel a delegato, si non sint reservata, vel ab habente jurisdictionem in communitatem interdictam; parochi, et confessarii *per se* non possunt, quia loca, et communitas foro pœnitentiæ non subduntur.

III. Ab aliis interdictis non reservatis quilibet confessarius absolvere potest, forma ordinaria. Tamen per privilegium absolvendi ab omnibus censuris non intelligitur potestas tollendi interdictum locale, vel personale communitatis. (*S. Ligor.*, *l.* 7, *n.* 339, *Scavini*, *n.* 868).

CAPUT XII.

De interdictis latæ sententiæ.

276. I. «Pœnam interdicti ab ingressu ecclesiæ R. Pontifici *speciali modo* reservatam incurrunt, qui episcopali charactere jam insigniti, nominati, et præsentati, vel electi ad vacantes ecclesias, earum curam, regimen, et administrationem ante exhibitionem Litterarum Apostolicarum suscipere audent. Ex const. Pii IX, *Romanus Pontifex*, 28 aug. 1873.» (*Vide supra*, *n. XIII*).

II. «Interdictum R. Pontifici *speciali modo* reservatum ipso jure incurrunt Universitates, Collegia, et Capitula quoqumque nomine nuncupentur, ab ordinationibus, seu mandatis ejusdem R. Pontificis pro tempore existentis ad universale futurum Concilium appellantia.» Ex Const. *Apost. Sedis* Pii IX.

Expl.: I.° Hoc interdictum respicit Capitula, Collegia, Universitates, et communitates quasqumque; nempe, personas morales, ut membra illius communitatis; alias esset inutile. Tamen ut ligentur hac pœna, concurrere debent personæ tamquam unus de Capitulo ad appellandum. *Ballerini*, *n.* 1006.—2.° Si seorsim concurrant, seu ut personæ particulares, non huic interdicto, sed excommunicationi, de qua in articulo IV, ut supra, *n.* 267, subjacent; et hoc modo differt præsens interdictum ab illa censura. —3.° Ad hoc interdictum incurrendum sufficit, ut concurrat major Capituli pars. (*Ugol.*, *Duard.*, *n.* 21).—4.° Episcopus, si concurrat ut unus de Capitulo, interdicto non subjicitur; quia Episcopi, et alii majores Prælati suspensione, et interdicto non ligantur, nisi specialiter exprimatur.—5.° Nec incurrit, qui appellat ad futurum Papam, vel ad Concilium præsens. —Item non incurrit qui appellat ad Concilium provinciale, aut synodale. (*Sayr.*, *Duar.*, *Varceno*, *p.* 549). -6.° Neque clerici, qui huic interdicto causam non dederunt, irregularitatem incurrunt, illud violando, nempe Ordinem exercendo; rationem equidem censuræ non habet. (*Ballerini*, *n.* 1006, *Varceno*, *p.* 550).

Subjiciuntur autem huic interdicto 1.° Clerici, et laici, tam qui interdicto causam dederunt, quam illi, qui eam non dederunt.—2.° Omnes qui post latum interdictum communitatis membra esse cœperunt. (*Reiff.*, *n.* 199, *aliique*). Non autem infantes, et amentes; prohibentur tamen ii sepultura ecclesiastica. (*Salm.*, *n.* 47).

Absolvens absque facultate ab hoc interdicto non subjacet excommunicationi *simpliciter* Papæ reservatæ, sicut qui absolvit ab excom-

municationibus *speciali modo* Papæ reservatis; quia Const. *Apost. Sedis* de iis tantum loquitur.

Q. *An hoc interdictum incurrentes, etiam excomm., de qua n.* 257, *art. IV, contrahant?*

R. Non puto, ait *Comm. Reat., n.* 158, maxime quod ibi de singulis, hic de personis moralibus agitur. Ex quo præterea licet intelligere, eos, qui moralibus hisce personis auxilium, consilium, vel favorem præstant, neque hoc interdictum incurrere; quia eos præterit Const. nostra; sed neque illam excommunicationem hos incurrere; non infligitur quippe singulis, de quibus ibi, hæc præstantibus, sed personæ morali. *Ballerini, n.* 1006.

III. «Scienter celebrantes, vel celebrari facientes divina in locis ab Ordinario, vel delegato judice, vel a jure interdictis; aut nominatim excommunicatos ad divina officia, seu ecclesiastica sacramenta, vel ecclesiasticam sepulturam admittentes, inderdictum ab ingressu ecclesiæ ipso jure incurrunt, donec ad arbitrium ejus, cujus sententiam contempserunt, competenter satisfecerint.» (*Ex Const.* Apost. Sedis, *sed non cum reservatione).*

Expl.: 1.° *Loca a jure interdicta* non censentur talia, nisi accedat declaratio juxta regulam a Martino V statutam.

2.° Per *divina*, ut supra, n. 257, art. XVII, ea veniunt, quæ solis Ecclesiæ ministris fas est obire.

3.° *Celebrantes, vel celebrari facientes, etc.*: unde solos clericos tenet interdictum hoc. Insuper id intellige, ut in veteri jure, exceptis diebus, et locis, et non servatis conditionibus, quibus tunc licuit. Sic licet in ecclesia interdicta, si interdictum *speciale* est, Sacrum facere semel in hebdomada, ad renovandam Eucharistiam, ne desit morituris; et in conventualibus ecclesiis licet legere Horas canonicas binis, et binis, vel tribus simul. Si sit *generale*, licet quotidie celebrare divina officia, et Sacrum facere, non pulsatis campanis, januis clausis, et submissa voce, exclusis interdictis. *Com. Reat. n.* 160, *Ballerini, n.* 1007.

4.° *Admittentes* ad divina officia, et ad sacramenta (exceptis pœnitentia, et Viatico causa mortis), clerici solummodo intelliguntur, qui sua auctoritate prohibere, vel admittere possunt, ut parochi, aliique, quorum curæ loca sacra commissa sunt, quos non excusat quivis metus, sed gravis tantum; non enim hic additur *sponte*, ut alias, (sup. n. 257, art. XVII), nec id inconsulto omissum fuisse credendum est. *Ballerini, n.* 1007.

5.° *Clerici* vero, qui more laicorum, modo ecclesiæ regimen non habeant, divinis una cum interdictis adsunt, vel sacramenta ab eis recipiunt, vel eorum funus comitantur, hoc interdicto non tenentur; non enim admittunt hunc excommunicatum ad sacramenta, vel sepulturam (*Ballerini, Varceno, p.* 551); neque qui consilium vel favorem admittentibus præstant, cum id non exprimatur.

6.° Pro *nominatim excommunicatis* intelliguntur etiam excommunicati ab Episcopis, vel aliis Ordinariis, tali potestate pollentibus. Qui vero admittunt hæreticos notorios, vel nominatim interdictos ad divina officia, etsi peccent, non tamen hac plectuntur pœna; quippe articulus loquitur de nominatim excommunicatis. Hinc:

1.° Si clericus scienter celebrat, vel celebrari facit divina in locis a jure interdictis, et a Papa nominatim declaratis, seu interdictis; vel si

clericus habens custodiam ecclesiæ, seu cœmeterii, et auctoritate pollens admittendi, vel non admittendi ad sepulturam, scienter admittit ad ipsam nominatim a Papa excommunicatum, incurrit interdictum Papæ reservatum.—Si vero ut supra facit quoad loca ab Ordinario interdicta, vel quoad nominatim excommunicatum, incurrit interdictum Ordinario reservatum (*Varceno, p.* 553); nempe, interdictum inferenti illud erit reservatum, *donec ad arbitrium ejus, cujus sententiam contempserit, etc.*, ut legitur in hoc art. III.

2.° Qui sponte in divinis communicent cum excommunicato ab aliis Ordinariis quam a Papa, interdicti erunt ab ingressu ecclesiæ. (*Avanzini, p.* 96, *secundæ edit., Varceno, p.* 552).

3.° Si tamen mandant, vel cogunt tradi ecclesiasticæ sepulturæ hæreticos notorios, aut nominatim interdictos, vel excommunicatos, excommunicationi nemini reservatæ subjiciuntur, ut ex supra dictis patet.

277. **Interdictum ab ingressu ecclesiæ** est *sententia, qua quis in ecclesia Ordinem sacrum exercere, divinis officiis interesse, et ecclesiastica sepultura privatur.* Unde non prohibet 1.° ecclesiam ingredi, et privatim orare, ac sacramenta suscipere. — 2.° Item non vetatur Sacris adesse, vel ea obire in oratorio privato, vel in cœmeterio, licet ecclesiam tangente.—3.° Ecclesiastica sepultura utique privatur tam in ecclesia, quam in cœmeterio, nisi pœnitens obierit. (*Cap.* xx, *de interd. in* 6)

278. I. **Interdicta a Tridentino inflicta.** «Non liceat capitulis ecclesiarum, Sede vacante, infra annum a die vacationis, ordinandi licentiam, aut litteras dimissorias,... tam ex juris communis dispositione, quam etiam cujusvis privilegii, aut consuetudinis vigore, alicui, qui beneficii ecclesiastici recepti, sive recipiendi occasione arctatus non fuerit, concedere. Si secus fiat, capitulum contraveniens ecclesiastico subjaceat interdicto.» (Sess. 7, cap. 10 de R.) Capitulum, seu Vicarius Capitularis, qui dimissorias ad Ordines non arctatis anno luctus vacationis diœcesis concesserit, subjacet ipso facto interdicto.

II. Metropolita, qui Episcopum, item suffraganeus Episcopus antiquior residens, qui Metropolitam illegitime absentem infra tres menses non denuntiat R. Pontifici, incurrit interdictum ab ingressu ecclesiæ. (*Sess.* 6, c. 1, *de R.)*

CAPUT XIII.

De cessatione a divinis.

279. Cessatio a divinis est *prohibitio clericis facta, se abstinendi ab officiis divinis, ab administratione sacramentorum, et a sepultura ecclesiastica in aliquo determinato loco.* — Ab interdicto differt etiam, tum quia cessatio esse nequit personalis, tum quia interdictum est censura; ideo qui illud violat, fit irregularis; transgressor autem cessationis a divinis, etsi graviter peccet, non tamen fit irregularis, nec aliquam incurrit censuram. Hæc enim cessatio non ad medicinam imponitur, sed ad mœroris signum, vel ad reparandam gravissimam injuriam Deo illatam, afficit-

que tunc omnes, qui eo in loco sunt. Durante vero generali interdicto, licet divina officia clausis janius celebrare, ac etiam solemniter in quibusdam diebus; in cessatione vero a divinis hæc omnino prohibentur; ministrari possunt tamen sacramenta, quæ tempore interdicti causa necessitatis conceduntur. (*Scavini, n.* 592).

Duplex est hæc cessatio; nempe, a *jure*, et ab *homine:* 1.ª est quæ *ipso jure* incurritur, *quando polluitur, vel execratur ecclesia.*—2.ª est quæ *imponitur a legitimo superiore.* Cessatio a divinis, ac ejus absolutio eo modo imponitur, quo censura. (*Ita communiter cum Suarez, Scavini, Gury, n.* 1009, *S. Ligor., n.* 340).

CAPUT XIV.

De sepultura ecclesiastica.

280. Episcopus eamdem habet jurisdictionem circa cœmeteria, quam circa ecclesias; imo cœmeterium est veluti pars ecclesiæ, quod in suo sinu religiose recipit mortuos, quos Ecclesia habuit vivos. Hinc Ecclesiæ tantum est dignos in eo recipere, ac indignos ab ipso repellere; nam ecclesiastica sepultura pars est catholicæ communionis; ideo merito ab ea repelluntur qui viventes ipsa carebant. Quicumque ad pubertatem pervenerit, sibi eligere valet sepulturam ubicumque, etiam Episcopi. Religiosi autem sepeliri debent in monasterio, etsi moriantur extra, dummodo locus non esset nimis remotus. Novitii eligere sibi valent sepulturam extra monasterium. Quod si præfati electionem non faciant, Episcopi sepeliri debent in cathedrali, et novitii in monasterio. *Salm. n.* 186, *et* 187. Idem dicunt quoad commensales et famitiares in monasterio actu servientes. (*V. S. Lig. n.* 91, *et seq. de privil.*

Q. *Quinam sunt privandi ecclesiastica sepultura?*

R. De jure communi sequentes: 1.° *Infideles*, sive pagani, sive judæi, sive mahometani, sive infantes sine baptismo mortui.—2.° *Apostatæ,* ac omnes, qui scriptis atheismum, pantheismum, rationalismum docent, vel divinam negant revelationem, nisi eos pœniteat.—3.° *Hæretici,* qui palam errores suos profitentur, vel docent, et schismatici publici, eorumque fautores notorii.—4.° *Excommunicati* publici, et notorii, ac nominatim interdicti, si absque pœnitentiæ, vel reconciliationis cum Ecclesia, signis decesserint.—5.° *Suicidæ*, qui sibi mortem intulerunt ira, aut desperatione impellente, etc., nisi signa amentiæ, aut pœnitentiæ dederint. Non vero negatur iis, qui in phrenesi, aut alio morbi excessu seipsos occiderunt.—6.° *Duellantes,* si in ipso conflictu perierint, *ex Trid., sess.* 25, *c.* 19, *de R.* Imo juxta Rituale Rom. etsi pœnitentiæ signa dederint; et juxta Bullam Bened. XIV, *licet absoluti fuerint,* et extra locum conflictus cum pœnitentiæ signis decesserint.—7.° Quicumque *publici, ac notorii peccatores,* uti usurarii manifesti, latrones, raptores ecclesiarum, notorii adulteri, concubinarii, etc., modo de impœnitentia omnino constet, et sit adeo publica, ut sepultura sine novo scandalo concedi non possit. Secus graviter peccant temerarie in catholico cœmeterio eos sepelientes, et, si

fieri potest, erunt exhumandi, si fuerint vitandi, vel notorii hæretici, aut infideles, et cœmeterium erit reconciliandum; ac interim, si necessitas urgeat sepeliendi, locus sepulturæ benedicatur, prout in Rituali habetur.

Q *Quid agendum in dubio, an deneganda sit ecclesiastica sepultura necne?*

R. Interrogandus est Episcopus, si facile fieri possit; secus erit concedenda sepultura nisi prohibitio certo constet, juxta illud: *in dubio odia restringenda, et favendum est reo.* Maxime si magna prævideantur oritura mala ex denegatione. (*Varceno, Gury.*, *n.* 1013, *cum communi*).

281. Q. *Quid de mimis, vel de iis criminalibus, qui ab humana justitia morte plectuntur?*

R. I. Modo Ecclesiæ sacramenta non recusaverint, vel cum pœnitentiæ signis decesserint, nulla adest lex canonica, quæ eos a sacra sepultura excludat. (*Gousset, n.* 637).

II. Idem dic de excommunicato, etc., quem ultimo vitæ puncto pœniteat, etsi sacramenta recipere nequeat.—Item si sacerdos solus testis fuerit repulsæ, seu impœnitentiæ, de impia dispositione moribundi taceat, nisi aliud obstet, ut scandalum sic vitet. (*Gury, l. c., Varceno).* Imo operæ pretium erit, ut sacerdos dubius de moribundi dispositione ipsum sine testibus alloquatur, et ad sacramenta inducat, ne malus ejus animus innotescat, si forte resistat, modo aliquod scandalum non sit necessario reparandum. *(Ita Gury, n.* 1013 *cum alis*).

III. Etsi deneganda esset sacra sepultura iis, qui notorie in Paschate non communicaverint, tamen hodie cum tot reperiantur in hac re omissi, restringenda erit ne gatio erga illos, qui impietate ducti, in mortis articulo sacramenta renuerint, uti si infirmus ille sacerdotem respuat, coram adstantibus blasphemando. Verum si ejus assistentes affirmaverint, infirmum ante mortem petiisse sacerdotem, vel signa doloris dedisse, adhuc ut catholicus sepeliri posset. (*In Scavini, p.* 520).

IV. Si sepultura alicujus judæi, vel alterius vitandi hæretici, etc., violatum fuerit cœmeterium, et exhumari nequeat, quia obstat civilis auctoritas, poterit tunc Episcopus reconciliari illud permittere nova benedictione; et si urget necessitas, ut supra, ipse id agat parochus.

Ideo quando benedicitur cœmeterium, pars aliqua extrema illius sine benedictione relinquatur pro infantium sine baptismo, infidelium, et omnium prædictorum impœnitentium sepultura. Non absolute requiritur per sepem, aut murum eam separare a reliquo; sufficit ut aliquo modo discerni possit.

282. Q. *An possit administrari Eucharistia notorie censuratis, antequam rite cum Ecclesia reconciliati fuerint?* S. Pœnitentiaria, 10 dec. 1860, respondit: *Negative.*

Q. *Si quis ex iisdem censura ecclesiastica notorie innodatus obierit, et juxta sacros canones, et normas hac de re a Doctoribus traditas, ecclesiastica sepultura carere omnino debeat, et si pertinaciter gravibus minis expostulentur exequiæ, et ipsa sepultura ecclesiastica, quomodo in hujusmodi casu sese gerere debeat parochus?*

Eadem S. Pœnitentiaria una simul respondit: *Curandum ut cuncta ad normam sacrorum canonum fiant: quatenus vero absque turbarum et scandali periculo id obtineri nequeat, parochus neque per se, neque per*

alios sacerdotes ad exequias, et ad sepulturam ullo modo concurrat.

Q. *Cadavera Episcoporum, sacerdotum, diaconorum, aliorumque de clero debentne sepeliri cum vestibus proprio Ordini congruentibus, vel sufficiet, ut cum his in ecclesia exponantur?* S. R. Cong., 12 nov. 1831, respondit: *Servetur cujusque loci consuetudo.*

Non licet judici laico judiciales facere recognitiones cadaverum in ecclesiis existentium, sacris locis, et immunibus, sine Episcopi licentia, qui eam dare debet ad bonum publicum. Sed emitti debet protestatio ad formam *C. Prælatis*, ut ab irregularitate præserventur Episcopus, et ecclesiastici delegati. (*S. Conc. Congr.*, 2 *febr.* 1721).

CAPUT XV.

De irregularitate in genere.

283. **Irregularitas** *est impedimentum canonicum, quo quis directe redditur inhabilis ad Ordines, et beneficia licite suscipienda, ac eorum functiones obeundas.* Unde –1.° probabilius, et communius irregularitas non est censura, sed inhabilitas canonica; et licet aliquando feratur per modum pœnæ, tamen non est medicinalis, sed mere vindicativa, aut præventiva ad indecentiam præcavendam in ministro.—2.° Differt etiam a depositione, et degradatione; nam hæ semper culpam supponunt, et habent rationem pœnæ.– 3.° Irregularitas tantum privat ecclesiasticum ministerium suscipere, et exercere; minime vero actus solius jurisdictionis.

Divisio: Multiplex est irregularitas. 1.° Ex *defectu,* et ex *delicto,* prout *oritur ex quibusdam defectibus in jure expressis,* vel contrahitur ex *certis delictis in jure consignatis.*

2.° *Totalis,* vel *partialis;* prout *excludit ab omni Ordine, Ordinis usu,* et *beneficio ecclesiastico;* vel *ab aliquo Ordine suscipiendo, aut aliquo susceptorum usu:* uti a Sacro celebrando ob cæcitatem, etc.

3.° *Perpetua,* vel *temporalis,* prout *ex se semper durat;* aut *usquedum tollatur, vel ad aliquod tempus,* et dein per se cessat; ut est defectus ætatis.

284. Q. *Quid requiritur, ut irregularitas incurratur?*

R. 1.° Ut in jure canonico sit expressa; nam irregularitas ipso facto incurritur ante omnem judicis sententiam; et irregularitas ex defectu semper incurritur, eo stante; quippe non incurritur propter culpam, nec habet rationem pœnæ, sed impedimenti. *Ex cap. Si qui,* 18 *de Sent. excomm. in* 6.—2.° Irregularitas ab homine non admittitur.

Q. *Quid opus est ad incurrendam irregularitatem ex delicto?*

R. 1.° *Ut in jure sit expressum.*—2.° Ut actus sit *externus.*—3.° *Consummatus.*—4.° *Mortalis,* uti dicitur de censuris, et casibus reservatis; ita ut si aliqua ex hisce conditionibus desit, abest irregularitas in subjecto. Et si aliquando dicitur dispensari a mentali irregularitate, intelligitur ab irregularitate occulta. (*Ita communiter cum S. Ligor., l.* 7, *n.* 348). Ratio est, quia non contrahitur hæc nisi ratione proprii delicti, et voluntarii;

pœnæ autem gravi congruit quidem culpa gravis; hinc si actus ob aliquam circumstantiam a mortali excusari possit, excusabitur etiam ab irregularitate. *Ita communiter.*

In veriori sententia incurritur ob crimen occultum, modo sit externum, et consummatum, uti liquet *ex C.* 6 *Liceat Trid., sess.* 24; ubi facultatem præbens Episcopis absolvendi ab irregularitatibus, et censuris occultis, nominat sub unico vocabulo *occultis* hæresim, homicidium, et alia crimina; ergo præter præfata duo crimina, incurritur etiam irregularitas ob alia occulta ex delicto. *(Ita Salm., Gury, S. Ligor., n.* 349).

Q. *An ad incurrendam irregularitatem requiratur scientia legis Ecclesiæ prohibentis?*

R. Affirma probabilius, et communius; nam Innocent. I declaravit quosdam clericos incontinentes non esse deponendos juxta Cont. Siricii Papæ, eo quod eam ignorabant. (*Ex C. Proposuisti, d.* 82). Aliunde cum lex ecclesiastica pœnam imponat super crimine a lege divina vetito, novum jus condit; ergo hoc ignorans, incurrere quidem debet pœnam divinæ legis, non autem humanæ. (*Ita S. Ligor., n.* 350, *cum aliis plurimis).*

Item dicunt ab irregularitate excusari illum, qui homicidium committit, legem Ecclesiæ ignorando illud vetantem, vel in rixa ad legem non advertendo; nam ille non peccat contra legem Ecclesiæ. Ita *Pal., Viva., Leand., Machad., Salm., c.* 7, *n.* 51, contra *Suar., Dian.,* et *alios* rationem indecentiæ afferentes, quibus adhæret *S. Ligor. ibid.,* etsi primam opinionem non audet reprobare.

285. Q. *An requiratur etiam scientia pœnæ, seu irregularitatis?*

R. Alii negant; cum irregularitas non sit pœna medicinalis, sed inhabilitas, seu pœna mere punitiva; unde sufficit quod talis pœna sit imposita actui a lege vetito, quem reus scienter, ac culpabiliter committit. (*Ita Suar., Laym., Croix, n.* 482, *cum aliis pluribus).*

Alii vero affirmant; irregularitas enim ex delicto censetur vera pœna in criminis vindictam imposita; imo pœna extraordinaria, ita ut secundum rei naturam ne in confuso quidem prævideri possit, sicut cæteræ pœnæ ordinariæ; unde peccans scire debet talem actum esse causam pœnæ. *Ita Silv., Nav., Sanch., Varceno cum plurimis aliis,* apud *S. Ligor., n.* 351, qui dicit: Sententia affirmans *satis etiam probabilis* videtur, etsi alia *sit quidem valde probabilis.*

286. *An aliquis in dubio irregularis sit judicandus?*

R. Nega, sive dubium sit *juris,* sive *facti,* sive sit *negativum,* sive *positivum,* si sufficienti adhibita diligentia, adhuc perseveret; nemo quippe in dubio est spoliandus jure suo; *et odia sunt restringenda.* Hinc *S. C. Conc.,* 27 jun. 1857, respondit *non indigere dispensatione super irregularitate* quemdam, qui ex legitimo conjugio ortus apparebat, tum ex libris parochialibus, tum ex civili statu, tamen parentes ejus fatebantur, ac publica fama ferebat, eumdem esse adulterinum. *(Gury, n.* 1018, *S. Ligor., n.* 347).

—Excipitur vero dubium de homicidio (non de mutilatione); expresse quidem in jure hic casus declaratur; intellige, si quis certus sit de secuto homicidio, et solum dubitet, an actione sua, ex se effici ad homicidium, illius causa fuerit.—Imo aliqui id tantum valere dicunt pro solis sacerdotibus, et adhuc solum quoad Missæ celebrationem; et ad quærendum absolutionem, cum de hoc tantum loquatur textus. (*Scavini, n.* 573, *S. Lig., n.* 347)

287. **Effectus irregularitatis sunt**: I. *Inhabilitas ad suscipiendos Ordines*, etiam primam tonsuram; frustra enim ad Ordines præparatur, qui ab ipsis arcetur.

II. *Inhabilitas ad Ordines susceptos exercendos;* ita ut irregularis graviter peccet exercens sacrum Ordinem, a quo est prohibitus; nam Ecclesiæ præceptum in re gravi violat, tamen valide absolvit; quippe absolvere est etiam actus jurisdictionis, quam non suspendit, vel adimit irregularitas, sed tantum actus Ordinis proprios; nec ullam canonicam pœnam ipso facto incurrit; cum nulla in jure decernatur.—Item exercere potest omnes functiones laicis permissas, uti divina officia canere, ac etiam Epistolam more laicorum, sacramenta recipere præter Ordinem, minores exercere, etc. *Scavini*, *n.* 574, *S. Lig.*, *n.* 342.

III. *Inhabilitas ad recipienda beneficia;* nam beneficium datur propter officium, a quo irregularis est prohibitus. Unde communius, et probabilius provisio ipso facto nulla est; irrita enim dicitur a Trident. (*Sess.* 22, *c.* 4, *de R.*).

Excipit *Suarez* cum aliis beneficium simplex, quod nil amplius importat oneris præter Horarum recitationem; nam cessat tota ratio irritationis. — Item quilibet retinere potest beneficium ante irregularitatem obtentum, uti parochiam, si irregularitas ex defectu proveniat ab infirmitate, v. g., si parochus ratione ætatis, aut alius infirmitatis, sua munia rite jam implere nequeat, ut catechizare, prædicare: nec judex irregularem beneficis privare debet, ne afflicto addatur afflictio; intellige, modo tamen onera per alium impleat.

Si proveniat ex delicto, per judicis sententiam privari debet, nisi obtineatur dispensatio. Imo etsi non privetur, debet vel illud renuntiare, vel dispensationem petere; profecto cum licite oneribus satisfacere nequeat, neque illud licite retinere valet. *S. Lig.*, *n.* 342, *cum communi.*

Tamen renuntiationem differre poterit, si magna laboret inopia, et alium ad implenda beneficii onera delegaverit.—Si vero crimen fuerit valde grave, judex irregularem privare poterit etiam pensionibus, quas possidet. (*Scavini*, *n.* 575, *S. Lig.*, *l. c.*).

CAPUT XVI.

De irregularitate ex defectu.

288. Octo numerantur defectus, quibus est adnexa irregularitas, his versiculis contenti:

Natales, animus, libertas, corpus, et ætas,
Non bigamus, lenis, nec mala fama notet.

I. **Ex defectu natalium** sunt irregulares filii illegitimi, ut *naturales*, *spurei*, *quæsiti*, *adulterini*, *incestuosi*, *sacrilegi*, etsi occulti, sive nati ex fornicatione, incestu, adulterio, sacrilegio, vel ex matrimonio civiliter tantum contracto, aut clandestino, ubi viget decretum Trident., aut in gradu prohibito, aut ex legitimo matrimonio, sed nati post solemnem religiosam professionem, vel Ordinis sacri susceptionem.

Unde non sunt irregulares: 1.° nati ex infidelibus, licet in gradibus ab Ecclesia prohibitis: — 2.° nati ex solutis tempore, quo parentes habiles

erant ad contrahendum matrimonium, et postea contraxerunt; nam ita legitimantur: — 3.º illegitime nati ex matrimonio publico, sed invalido ob impedimentum ab uno saltem ignoratum. (*S. Ligor.*, *n.* 420).—4.º neque probabilius sunt illegitimi expositi, et ex parentibus incertis nati, ut dicunt *Alasia, Salm.*, *Varceno, Schmalzg., Del-Vecchio, n.* 581, *aliique.* Saltem dubium est, et in dubio, ex Epist. *Reddite Nobis*, 4 dec. 1744, Bened. XIV, *judex debet in bonum, et commoda prolis propensus esse.* Et *S. C. C.* censuit non indigere dispensatione expositum, qui Ordines jam susceperat. (*S. Ligor., l.* 7, *n.* 432).

Irregularitas ex **defectu natalium tollitur** 1.º: Per legitimum subsequens parentum matrimonium.—2.º Per religiosam professionem; non vero quoad prælaturas, et dignitates.—3.º Per dispensationem, vel per Pontificis Rescriptum; non autem principum sæcularium. Papa quoad omnes effectus eam concedere potest; Episcopus quoad tonsuram, et minores Ordines, atque ad obtinendum beneficium simplex, minime vero ad curatum, aut Canonicatum in cathedralibus. *S. Lig. n.* 49 *de privil., Scavini, n.* 581.

289. II. **Defectu animi** irregulares sunt ob carentiam rationis, scientiæ, et fidei confirmatæ.

1.º *Ex defectu rationis* irregulares sunt *perpetui amentes, lunatici, furiosi, epileptici, ac energumeni.*—Sed si lucida habeant intervalla; uti si semel in anno, vel raro, ut aliqui dicunt, mali aggressio contingat, v. g. semel in mense, Episcopus ordinatis permittere potest, ut privatim, et cum assistentia sacerdotis jejuni celebrent, modo non consuescant in terram subito cadere, in clamores magnos erumpere, et spumas evomere. Nec repelluntur isti a beneficiis, si per alios officia adimpleant. (*Scavini, n.* 582, *cum communi*). Ante ordinationem, nisi judicetur causa transitoria, et accidentalis, promoveri nequeunt. *S. Ligor., l.* 7, *n.* 398 *cum communi, et ex jure canonico eruitur.*

2.º *Scientiæ defectu* irregulares sunt, qui sufficienti doctrina pro singulis Ordinibus carent, sive de facto, sive de potentia. Imo probabilius ipso jure naturæ irregulares habentur, si adeo rudes sint, ut præstare nesciant, quæ ad Ordinis exercitium pertinent. *Sic ex jure canonico, Decret. p.* 1, *dist.* 36, *Can.* 1, et ex communi AA. sensu.—Ab hac irregularitate nec ipse Papa dispensare potest; cum sit de jure divino, et naturali, ut nemo admittatur ad aliquod munus, nisi illud convenienter exercere valeat. (*Scavini, n.* 582).

3.º *Ex defectu fidei confirmatæ* sunt irregulares neophyti in adulta ætate recenter baptizati, usquedum ab Episcopo digni judicentur; ut non fiant magistri, qui vix esse discipuli didicerunt. (*Ita jus canonicum*, et *S. Ligor., n.* 402).

290. III. **Defectu libertatis** irregulares sunt 1.º *Omnes servi* proprie dicti *(esclavos)*, donec plenam consequantur libertatem, aut dominorum consensum; quippe habentur uti res domini. (*Scavini, n.* 583).

2.º *Uxorati*, qui ad tonsuram etiam admitti prohibentur. Tamen ordinari poterit vir, si ob uxoris adulterium divortium juridice actum sit, vel si uxor libere, et expresse consentiat, ac simul castitatem perpetuo voveat; imo et religionem ingrediatur, si est juvenis, vel si vir religiosus fiat, aut creetur Episcopus. (*Cap. Sane VI de Cons. Conj.*)

3.º *Milites*, et reipublicæ administratores, donec eidem officio non

valedixerint, consentiente principe; sui enim juris non sunt. *(Cap. 2, et 5, dist. 51).*

4.° *Curialistæ*, et omnes qui ex stipendio, vel juramento negotiis curiæ sæcularis implicantur, uti judices, apparitores, advocati, etc., quamdiu in officio perseverent, nisi licentiam a Pontifice obtinuerint, vel legitima sit consuetudo. (*Ita S. Ligor., n.* 456 *cum communi, et etiam ex jure can.*) Ratio est, quia nullus potest alteri dare quod suum non est, ut ait *D. Thomas*. Si tamen promovetur, Ordinem suscipit; quia libertas non est de Ordinis necessitate, licet sit de necessitate præcepti. (*Suppl. q.* 39, *a.* 3).

IV. **Defectu corporis** incurritur irregularitas ex duplici capite; *ex defectu physico*, et ex defectu *morali*, prout impotens quis est ad Ordinis exercitium, vel tantum indecens.

—*Ex primo capite fiunt irregulares* carentes aliquo membro principali. 1.° *Cæci* visu totaliter carentes, vel ita cæcutientes, ut in Missali legere non valeant. Qui caret oculo *Canonis*, seu sinistro, communissime habetur irregularis, nisi Canonem legere absque deformitate queat. (*Gury, n.* 1023, *S. Ligor., n.* 404, *cum communi*). Non est irregularis oblique intuens, vel visu debilis, si uti perspicillis valeat; neque probabiliter ille, cui fuit erutus unus oculus, si deformitas per oculum vitreum reparetur. (*S. Ligor., n.* 410). Omnes præfati a Pontifice dispensari ad celebrandum possunt, si jam sint sacerdotio insigniti, constet eos in celebratione non errare, et assistentem sacerdotem habeant. - Imo dicunt probabiliter aliqui cum *Pal., Lugo, Vazq.,* licite celebrare sacerdotem, qui ob visus debilitatem memoriter Missam recitat, dummodo calicem, et hostiam discernat quantum sufficit ad evitandam irreverentiam, et ad fugiendam admirationem Missale in altari habeat. Attamen tutius putamus recurrendum eo casu ad S. Sedem, *ait Del-Vecchio, n.* 584.

2.° *Surdi,* si nil penitus audiant, aut vocem ministri respondentis. Sacerdoti non interdicitur Missæ celebratio ob supervenientem surditatem.—*Surdaster* vero licet ex communi sententia irregularis ad Ordines suscipiendos non censeatur, receptum tamen est, ut dispensatio ad cautelam postuletur. Et ita concessa fuit *a S. C. C.* 29 *maj.* 1869. (*Del-Vecchio, n.* 584).

3.° *Muti*, qui loqui nequeunt, vel nonnisi cum magna difficultate, irregulares sunt. Item *balbutientes*, si risum, vel contemptum in populo excitant. (*Gury, n.* 1023, *cum communi*).

4.° *Claudi*, qui sine baculo ad altare se sistere non valent: qui autem baculo non indigent, aut habent tantum crura distorta, irregulares non sunt, nisi adsit in eis magna deformitas, quæ tegi nequeat; ut si haberent pedem ligneum, vel aridum. Tamen dicit *Croix cum Vazq., Dicast., et Gobat*, sacerdotem, qui non valet celebrare sine baculo, licite illo uti posse.—Et *Gobat* ait, quod, si quis celebrare nequiret, nisi utroque brachio super altare innixo, licite sic privatim celebraret, non vero publice, citra necessitatem.—Hoc tamen non excederet veniale, a quo videtur excusari posse, qui ob infirmitatem rectus stare non valeret, et ex sua devotione vellet celebrare, modo vitetur populi admiratio, *ait Del-Vecchio, n.* 574.—Idem dicunt *Croix*, et *Concina*, de eo, qui Hostiam elevare non valet, sed potest alia agere. Tamen peti solet dispensatio.

5.° *Carentes manu, vel digitis omnibus, vel pollice, vel indice,* aut

pollicis parte (non autem solis unguibus), vel si illi digiti adeo debiles sint, ut Hostiam elevare, aut frangere non possint. Idem dic de eo, qui tribus digitis posterioribus caret. Die 31 mart. 1860 dispensatum fuit cum promovendo, qui nequibat dextera manu se crucis signo munire, nec calicem ori admovere. Ob defectum unius, vel alterius, vel plurium digitorum, exempla dispensationis promovendo concessæ præ cæteris habemus in Comensi, Januensi, Utinensi. (*Del-Vecchio, n.* 584).

Ajunt tamen, ordinatum, qui indicem amittit, posteros digitos adhibere posse, obtenta dispensatione; secus qui indice, vel pollice caret, nec celebrare, nec Eucharistiam administrare licite potest absque Pontificia dispensatione, juxta communem sententiam cum *S. Ligor., n.* 408, *et l.* 6, *n.* 244).

6.° Omnes, qui habitualiter tali laborant morbo, ut celebrare nequeant sine periculo proximo notabiliter deficiendi, v. g. qui manus tremulas habet, ut sit periculum Sanguinem effundendi, vel talem tussim patitur, ut sit periculum in suscipienda Communione. Item abstemius, qui ita abhorret a vino, ut evomendi discrimen incurrat.

—*Ex secundo capite irregulares erunt, carentes aliquo corporis membro,* si carentia horrorem, vel indecentiam exhibeat, uti sunt 1.° Qui naso, vel auriculis carent, nisi capillis tegantur.—2.° *Monstrui,* uti enormiter, vel deformiter *gibbosi, pigmæi,* et *gigantes*, quorum illi risum, hi vero terrorem quemdam movent.—3.° *Æthiopes*, qui in Europa quemdam excitarent horrorem.—4.° *Hermaphroditæ*, seu qui de utroque sexu participant, qui etiam a religione arcentur, ob indecentiam, ac incontinentiæ periculum. Moderni physici inter fabellas enumerant quidquid de hermaphroditis narratur; quamquam recentes casus proferantur, ait *Del-Vecchio, n.* 584.—5.° *Eunuchus,* qui scienter, et culpabiliter sive per se, sive per alios talis factus sit, sive ex ira, sive ex indiscreto zelo castitatis: minime vero si ante rationis usum, vel propter alterius injuriam, vel a medicis causa morbi. Sic ex jure Can. *Cap. Si quis IV, et S. Lig. n.* 416. —In dubio an corporis defectus irregularitatem inducat, Episcopus judicium pronuntiare poterit; imo dispensare, si vitium videatur leve, prout usus obtinuit, testantibus *Pyrro Corrado*, et *Del-Vecchio, ibid.*

292. V. **Defectus canonicæ ætatis**, ut in tractatu de Ordine dicetur; ita ut graviter peccaret, qui ante præfatam ætatem sine dispensatione scienter ordinat, vel ordinatur. Hæc irregularitas cessat per se, ætate præscripta adveniente. (*Gury*, *Scavini, n.* 585).

293. VI. **Defectus sacramenti**: ex hoc capite irregulares sunt *bigami,* id est plurium uxorum viri; quocirca non amplius significare valent unionem Christi cum Ecclesia, unica ejus sponsa.

—Triplex est bigamia, *vera, interpretativa*, et *similitudinaria.*

1.° *Vera* est, quando cum duabus legitime conjugium successive contrahitur, et consummatur.

2.° *Interpretativa* est, quando quis ex juris interpretatione ut bigamus habetur, vel quia viduam a suo priori marito jam cognitam, vel mulierem duxerit jam ab alio corruptam, licet ipse id ignoraverit, et matrimonium consummat; vel quando suam cognoverit uxorem post hujus adulterium, etsi occultum, ignoratum, extortum; vel quando duo contraxit matrimonia ex aliquo impedimento invalida, vel eorum unum sit validum, et consummaverit. Tamen non est bigamus qui cum pluribus est fornicatus. (*Ita ex jure can., et S. Lig. n.* 444 *et* 445).

3.° *Similitudinaria* est, cum quis contrahit, et consummat, seu melius attentat matrimonium post votum solemne religionis, vel Ordinis sacri susceptionem. *(Ita communiter cum S. Ligor., l.* 7, *n.* 435 *ad* 454*)*. (V. T. II. n, 962).

—Hæc irregularitas non tollitur per baptismum, neque Pontifex dispensare solet, nisi raro ob *Apost.* præcepti reverentiam. Episcopus nunquam dispensat, nisi in bigamia similitudinaria, etsi publica, ad majores Ordines suscipiendos, et exercendos, et quidem post diuturnam pœnitentiam. *(S. Ligor., n.* 450, *et* 451*, cum communi, et ex declaratione Sixti V)*.

294. VII. **Defectus lænitatis**: hanc irregularitatem contrahunt quicumque *voluntarie, active, efficaciter, et proxime* ad necem, aut mutilationem alicujus, etsi juste, cooperantur per actionem natura sua ad id ordinatam, non autem qui mutilat, vel occidit in defensionem inculpatam vitæ, honoris, castitatis, etc., vel etiam proximi. *(S. Ligor., lib.* 7, *n.* 458 *et* 461*)*.

Irregularitatem incurri declarat Ecclesia *ob occisionem, aut mutilationem, quæ post baptismum fit voluntarie, et juste, vel a militibus in bello justo offensivo, vel a clericis medentibus cum adustione, aut incisione extra necessitatem, licet sint in arte periti; vel a ministris publicis, eorumque cooperatoribus, effectu tamen secuto.* Hinc:

1.° Irregulares non fiunt milites, etsi occiderint, in bello justo defensivo. Nec duces, nec milites, nec alii, etsi clerici sint, ei assistentes, consulentes, hortantesque milites ad strenue dimicandum in tali bello; et in justo offensivo, nisi propria manu occiderint, vel mutilaverint. —In bello autem injusto totus exercitus irregularis fit, licet unus tantum ex commilitonibus aliquem occiderit ex hostibus, ut docet *Bened. XIV, Notif.* 101, et certum est apud omnes, ait *S. Ligor., l.* 7, *n.* 459. Dicitur *offensivo;* nam qui alium occidit, non aggrediendo, sed suam vitam, vel patriam, aut Ecclesiam in bello justo defendendo, quod etiam valet de clerico, si justum bellum ineat, quando urgentia est, nec laici sufficiant, ut recte ait *Del-Vecchio, n.* 587 cum aliis, et eruitur ex jure can., in Clement. *Si furiosus de hom.*, irregularis non fit. Ratio; si licet vitam, et bona propria defendere, multo magis patriæ, et Ecclesiæ pacem, ac bonum.

—Quoad clericos autem, qui sponte, et sine debita superioris licentia militant in bello offensivo, et justo (non dicitur defensivo), unanimiter fatentur, leviter peccare, si in minoribus tantum sint constituti, et graviter si in sacris, seu qui beneficium habent, etsi in minoribus sint; cum graviter eorum munera, et statum dedeceat, ut ait *Bened. XIV.*

—Quoad irregularitatem, si clericus neminem occiderit, nec mutilaverit, quia sclopetum numquam disploserit, vel si disploserit, erat in tanta distantia, ut physice impossibile fuerit hostes pertingere, irregularis non erit; nam jus loquitur de eo, qui occidit, seu mutilat. — Neque irregularis fit in bello justo offensivo clericus, aut alius qui hortatur ad fortiter dimicandum, aut ad occidendum in genere, ut communiter docent AA. cum *S. Ligor., n.* 459 *et,* 460, ratione supradicta. Qui hortatur in particulari in eodem bello, *alii* cum *Busemb.* ab irregularitate eum non eximunt; *alii* probabiliter cum *Salm., n.* 19*, Svavini, n.* 588, contradicunt; siquidem in præfato textu sermo est tantum de occidente, vel mutilante, non vero de exhortante.

—Neque irregularis fit clericus, qui magistratus sæcularis personam suscipiens, capitalem pronuntiat sententiam, quæ non fuit executioni demandata. *(Scavini, n.* 587). Nec parochus qui, a judice requisitus, audito prius Ordinario, transcribit ex libris parochialibus fidem, quæ petitur in causa sanguinis, ex *S. C. C.* 12. *aug.* 1843.

2.° Clerici in sacris, aut monachi medentes cum adustione, vel incisione, si inde mors, vel mutilatio sequatur, licet sint in arte periti, modo tamen id egerint extra casum necessitatis, irregularitatem incurrunt. *Cap. Sent. ne cler. vel non.*—Cæteri omnes eam non incurrunt, si secundum artis regulas operantur, licet, sine gravi negligentia, mors sequatur, ut ait *Bened XIX de Syn. Diœc., l.* 13, *c.* 10, *cum S. Ligor., n.* 384, *aliisque communiter.*

—Imo neque irregularitatem incurrit clericus, vel monachus, si casu infirmus ex pharmaco præstito decedat sine gravi negligentia, modo sit peritus; alias irregularitatem quidem non effugeret, si temere, vel contra medici præceptum præberet remedium, ex quo mors, aut ejus notabilis acceleratio eveniret. Secus dic, si bona fide aliquid infirmo daret ad ejus levamen, vel remedium. (*Ita Salm., S. Ligor., n.* 384 *cum communi*).

—Neque si clericus medetur sine adustione, vel incisione, aut mors aliunde veniat, v. g. ex vi ipsius morbi; aut si alius peritus absit, et casus urgeat; nam tunc bene poterit clericus, vel monachus licite, et sine irregularitate adustionem, aut incisionem adhibere. *(Ita communiter Pal., Mol., Tour., Salm., S. Ligor., ibid., etc.)*

3.° Ministri publici, ut judices, carnifices, et omnes, qui active, efficaciter, et proxime hujusmodi judicio cooperantur ad mortem, vel mutilationem, irregulares fiunt.—1.° *Active* ex parte occidentium; unde non fit irregularis, si passive tantum se habet, et ex parte ejus, qui occiditur; v. gr. confessarius hortans ad fatendum veritatem, ad acquiescendum justæ sententiæ, quam differre nequit.—2.° *Efficaciter* influens in mortem, vel mutilationem; qui enim ligna fert ad comburendos suffocatos, aut supplicio assistit, nisi sua præsentia in supplicium influat, irregularis non fit.—Clerici in minoribus per se non peccant interessendo hujusmodi suppliciis; quoad alios clericos, citra scandalum, veniale non excedit, ut commune est. *(S. Ligor., n.* 463).—3.° *Proxime;* ideoque irregularis non est, qui gladios conficit, aut vendit; nec legislator capitales condens leges, nec testes coacti, aut accusatores suorum damnorum simpliciter compensationem petentes; nec concionator in genere dicens puniendos esse malefactores; neque confessarius interrogatus de reo, an mortem mereatur, si respondeat, judicem sine acceptione personarum fungi debere suo munere; quippe hi omnes sunt tantum causa remota. (*S. Ligor., n.* 464, *cum communi).*

—Secus si in particulari quis mortem peteret, aut urgeret; item assessores, scribæ, advocati, testes voluntarii, et accusatores capitalis criminis, licet protestentur, ut communiter docent cum *Suarez;* qui si essent clerici in sacris, aut beneficiati, insuper graviter peccarent, etsi emissa protestatione. Nam Bonifacius VIII id concedit iis, qui personaliter vexati essent, non autem aliis. *Hinc S. C. C.*, 23 *nov.* 1860, declaravit, Episcopum irregularitatem incurrisse, qui per epistolam brachium sæculare invocavit pro Titii captura, qui presbyterum occiderat, etsi emissa canonica protestatione. *(Scavini, n.* 587).

—Ab irregularitate incurrenda excipitur Papa, qui suis legibus inhabilitantibus non tenetur.—Item inquisitores fidei, et eorum officiales, et alii ecclesiastici cum jurisdictione criminali, si tamen alteri eam delegant.—Item qui ex lege naturali, et divina malefactores denuntiat, vel accusat ad defendendum innocentem, vel rempublicam; sane talis lex est supra humanum jus. *(Schmalzg.*, *n.* 16, *Scavini, n.* 588).—Item probabilius jurati; licet enim in sententiam capitalem influant, id agunt a civili lege coacti. *(Scavini, ibid.).*

295. VIII. **Ex defectu bonæ famæ** irregulares sunt omnes infames, sive ex *infamia juris,* sive ex *infamia facti*, sive ex *jure canonico,* sive ex *jure civili.*

—*Infamia juris* triplici modo contrahitur: ex crimine in *jure notato,* ex *judicis sententia,* et ex *crimine parentum.*

1.° Crimina in *jure notata* sunt *qualificata*, ut homicidium, perjurium in judicio, simonia, hæresis, sodomia, adulterium, crimen læsæ majestatis, proditio, rapina, lenocinium, seu turpis quæstus ex adulterio uxoris, Episcoporum, vel Cardinalium invasio, raptus mulierum, seu ad illum cooperatio, duellum, armorum in parentes paratio, exercitium usurarum. Tamen, homicidio excepto, non incurritur irregularitas, nisi hæc crimina sint vere notoria; secus enim non deficit fama. *(S. Ligor.*, *n.* 361, *et* 363).

2.° *Ex judicis sententia*, etsi a falsis testibus evenerit, donec illa fuerit revocata; siquidem de facto sunt infames.—Item infames sunt damnati ad pœnam infamantem, v. gr. triremes, exilium.

3.° *Ex crimine parentum,* ut filii hæreticorum, licet hoc neget *Viva, n.* 6; vel damnatorum ob crimen læsæ majestatis; vel nati ex meretrice. Ut autem omnes ii regularitatem incurrant, opus est ut nati sint post parentum delictum. *(S. Ligor., n.* 363, *cum communi*).

—*Ex infamia facti* irregulares sunt—1.° qui artem ignominiosam exercent, ut est ars comica cum repræsentationibus graviter turpibus, vel similia; non autem ars macellatoris, lictoris, lanii, et similis generis, (*Pal., Salm., Corn., S. Ligor., n.* 363 contra *alios).*– 2.° qui ob præfatorum criminum publicam notitiam, et notoriam majori viciniæ parti, seu collegii, ubi ad minus sint decem personæ, et nulla tergiversatione crimen celari possit, ut infames habentur. Præcipit enim D. Paulus, ut non ordinentur nisi viri boni testimonii. *(I Tim.* III).

Aufertur hæc irregularitas: I. Irregularitas ex infamia juris aufertur per solam legitimam dispensationem, aut per aliam sententiam, qua reo fama restituatur. *Bon.* tenet tolli etiam per baptismum, et non improbabile putant *Salm., n.* 86. Regulares dispensare valent cum suis subditis, sive infamia fuerit juris, sive facti, nulla excepta, etsi contracta ante ingressum in religionem.

II. Irregularitas ex infamia facti aufertur—1.° per longam vitæ emendationem; et dicunt generatim sufficere triennium.—2.° Per baptismum, et per loci mutationem, ubi ignota sit infamia.—Poterit Episcopus dispensare, ut infames infamia facti ministrent in Ordinibus tantum susceptis, si de crimine adulterio minori agatur, et reus pœnitentiam egerit. *(Cap. Etsi cler. de jud., S. Lig., n.* 364).

CAPUT VII.

De irregularitate ex delicto.

296. **Irregularitas delicti** ex quinque capitibus oritur, hoc versiculo contentis: —*Fonte reus, sacris, censura, crimine, leto:* nempe, 1.° Ex mala baptismi susceptione.—2.° Ex furtiva Ordinum susceptione, aut Ordinis sacri non suscepti exercitio.—3.° Ex violatione censuræ.—4.° Ex criminum enormium commissione.—5.° Ex injusta mutilatione, seu homicidio.

1. **Ex mala baptismi susceptione** irregularis est 1.° Qui sciens, et volens baptismum ab hæretico declarato extra casum necessitatis suscepit; ejus enim errori communicare videtur.—2.° Qui illud differt ad mortis usque periculum; namque infirmæ fidei signum est.—2.° Qui publice, et solemniter rebaptizat; item qui scienter rebaptizatur. Ita ex pluribus juris locis, *ex S. Ligor., l.* 7, *n.* 356, *cum communi.*—4.° Probabilius etiam qui sine justa causa, et culpabiliter, etiam sub conditione rebaptizat, conditio enim in fraudem legis tunc ponitur. *Ita ex S. Carolo, ex Bened. XIV de Synodo, l.* 7, *c.* 6, *S. Ligor., l.* 6, *n.* 122, *Catechismo Rom., aliisque plurimis* contra *alios non paucos cum Suar., Navar., Salm., Croix, etc.*, nam sic revera non rebaptizat, quia conditio apposita actum invalidat, et leges pœnales stricte sunt intelligendæ, licet ille a sacrilegio non excusetur; quorum sententia, *spectata ratione, non caret gravi fundamento,* sed alia, *spectata auctoritate, videtur probabilior,* ait *S. Ligor., ibid.* Unde in praxi post factum, maxime si cum aliquo etsi levi fundamento, quis ita rebaptizaverit, ut irregularis non est habendus, ut patet ex supradictis de dubia irregularitate. (V. T. II, n. 554). Item probabilius irregularis non fit, qui occulte non solemniter rebaptizat; cum in jure agi tantum videatur de eo, qui publice rebaptizat. *(Ita Laym., Silv., S. Ligor., n.* 356, *Gury, n.* 1032).—Item probabiliter eximitur, qui ex metu rebaptizat animo simulato. *(S. Ligor., ibid., Salm., n.* 61, cum *aliis plurimis)*

II. **Ex furtiva Ordinum susceptione,** *aut Ordinis sacri non suscepti exercitio,* fiunt irregulares 1.° Qui non examinati, aut non admissi, per dolum, inscio Episcopo, sese ordinandis immiscent; aut qui sine litteris dimissorialibus dolo promoveri ab alieno Episcopo curaverint; vel innodati excommunicatione, aut suspensione.—2.° Qui sine Episcopi dispensatione eodem die plures Ordines recipiunt, quorum unus sit sacer; et qui ordinantur per saltum, vel ante legitimam ætatem. *(S. Lig., n.* 360). —3.° Qui ordinatur ab Episcopo excommunicato, interdicto, suspenso, hæretico, schismatico, simoniaco, aut jurisdictionem non habente.—4.° Qui suscipit Ordinem sacrum post matrimonium ratum, invita uxore. (*S. Lig., n.* 358).—Qui vero fraude utuntur ad dissimulandum defectus, quos habent, vel confictis ex industria litteris dimissorialibus, Episcopum decipiunt, non censentur furtive ordinati, etsi gravissime peccent, ait *Scavini, n.* 557.

—Quoad Ordinis sacri exercitium irregularis fit clericus (probabilius, et communius non laicus), qui solemniter exercet Ordinem sacrum, quo caret, uti presbyter qui functiones exclusive Episcopo reservatas exercet; diaconus qui solemniter populo benedicit, baptismum solemnem citra delegationem confert, etiam in casu necessitatis, etc.; subdiaconus qui more diaconorum Evangelium cantet; vel fungens officio hebdomadarii in choro, cantet: *Dominus vobiscum.*—Sed non fieret irregularis

simplex sacerdos, confessiones excipiendo; exercet quippe actum Ordinis, quem habet, licet jurisdictione careat: tamen graviter peccat, et citra necessitatem nulliter agit. *(S. Ligor., n.* 358).

III. **Ex violatione censuræ** sunt irregulares qui, vinculo alicujus censuræ ligati, *solemniter*, et *scienter* Ordinem sacrum exercent. Hinc non fit irregularis, qui Ordinem minorem ex officio, et solemniter exercet (Bened. XIV Bulla *Etsi);* neque qui in minoribus concionem habet, cum hoc non sit Ordinis actus; neque qui celebrat in ecclesia polluta, cum censuram non violet; secus dic de loco interdicto; neque qui actum jurisdictionis tantum exercet, uti sacerdos qui matrimonio assistit (nisi solemniter matrimonium benedicat), Episcopus qui excommunicat, vota dispensat. Sed fiunt irregulares 1.° Episcopi, et sacerdotes nominatim censurati, si alium cogant ad celebrandum coram se, ex *C. illud de cl. exc.*—2.° Sacerdos ab Ordine suspensus, qui celebrat, vel absolvit. —Item diaconus, qui Evangelium de more cantet. *S. Ligor., l. c.*—3.° Qui duplici, vel triplici censura ligatus, Ordinem sacrum exercet, etsi duplicem, vel triplicem irregularitatem non incurrat, incurrit tamen unam duabus, vel tribus æquivalentem, et in postulatione dispensationis est exprimendum.—Item, qui cum eadem censura pluries celebrat; sed tunc sufficit, ut in numero plurali exprimatur postulatio. (*S. Lig., n.* 359).

IV. **Ex criminum enormium commissione** fiunt irregulares 1.° Qui hæresis, vel apostasiæ a fide crimen committunt. 2.° Hæreticorum, et apostatarum fautores, receptatores, defensores; imo, et ipsorum filii usque ad secundam generationem, si pater fuit hæreticus, et usque ad primam tantum, si fuit mater hæretica. Excipe, si filii nati sint ante parentum hæresim, aut apostasiam, vel si parentes errorem abjuraverint, tunc illi liberi manent. Tamen probabilius censent ex hoc capite irregularitatem non incurri, nisi ex defectu bonæ famæ; nam jura non loquuntur nisi de hæreticis publicis. *(C. Statutum II de hæresi in* 6, *Scavini, ibid.)*

V. **Ex injusta mutilatione, et homicidio** irregulares sunt 1.° Qui sibi, vel alteri membrum principale per culpam gravem abscindunt, sive physice, sive moraliter, v. g. ensem ad hoc adhibendo, abscissionem jubendo, consulendo.—2.° Nomine membri principalis communiter venit pars, quæ officium habet per se distinctum, ut manus, pes, oculus, etc. Non sufficit excæcare, sed extrahi oportet oculum, ad hanc irregularitatem incurrendam. Item irregularis fit, qui culpabiliter seipsum deformat, aut digitum, vel partem digiti sibi abscindat; secus erit si sibi, vel aliis dentes, ungues, capillos, barbam, auriculam amputet, aut debilitet membrum; vel alteri etiam digitum abscinderet; nam in jure ratione pravæ voluntatis irregularitas decernitur in sibi ipsi digitum abscindentem, et non in id alteri facientem. *(S. Ligor., l.* 7, *n.* 379).

—*Ex homicidio* irregulares fiunt 1.° qui homicidium, sive directe, sive indirecte graviter, et proxime voluntarium, etsi occultum, perpetrant, ut de mutilatione dicitur, v. g. lethali percussione, veneno.—2.° Item omnes *efficaciter* mandantes, consulentes, cooperantes, et se invicem excitantes, nisi ante executionem mandatum retractaverint, et mandatario innotuerit retractatio, *(S. Ligor., n.* 373). Item valde probabiliter ab irregularitate excusatur mandans clericum percuti, si ante executionem se pœniteat mandati, seu consilii, etsi mandatario non innotuerit; cessat enim contumacia.

Ita *S. Ligor., n.* 368, *cum aliis.*—3.° Item omnes injusti accusatores, testes, judices, et omnes præliantes in bello injusto, si ibi aliquis pereat, etsi casu, ratione periculi; et omnes arma, pecuniam, etc., ad homicidium, aut ad bellum injustum ministrantes, et efficaciter consentientes; imo probabilius in rixa occidentes; nam est sufficienter culpabilis, et injusta occisio. (*Scavini, n.* 577, *S. Lig. n.* 374).

—Tamen irregulares non sunt ex hoc capite, qui juste, vel inculpabiliter homicidium, aut mutilationem perpetrant. Hinc irregularis non fit 1.° Qui occidit ad suam defensionem, vel suæ libertatis, honoris, pudicitiæ, fortunæ, vel innocentiæ. Ita communiter *cum Gury, et S. Ligor, n.* 389.—2.° Qui homicidium casuale, (v. gr. si quis volens simpliciter percutere, aliquantisper negligenter occidat; aut si chirurgus ita sit causa mortis), committunt absque gravi negligentia; nec qui infirmo bona fide aliquid cibi, vel potus nocivi præbent, et similia. Idem dic de medicis, pharmacopolis.—3.° Qui equitando in feroci equo puerum casu occidit. *(Bon., n.* 23). Item cum communi qui canem, vel feram in occulto custodit, si casu, ruptis vinculis, hominem interfecerit; secus si in via eam teneret, vel ex ejus incuria esset fera soluta. (*Salm., n.* 31).—4.° Qui ob aliquam circumstantiam ab omni voluntario excusari potest; vel si remote tantum cooperatur; vel in re, ex qua raro mors sequatur. Sic S. C. C. censuit non esse irregularem clericum, si ob ejus adulterium a marito fuerit occisa conjux adultera. (*S. Ligor., n.* 384).

—Neque irregularis fit magister, etsi sit clericus, qui moderate discipulum verberat, si casu ex percussione mors discipuli sequatur; et idem dic de patre respectu filii. *(Con., Salm., n.* 31, *S. Ligor., ibid.)* Secus si graviter excederet.—Neque qui, tectum reficiendo, tegulas, et lapides mittit, transeuntes præmonens, ut se caveant; secus si non moneat. (*Salm., n.* 31).—Neque lethaliter quantumcumque percutientes, si mors, aut mutilatio minime sequatur, cum nonnisi propter has in jure sit indita irregularitas.

Communius irregularis fit, qui ex justitia impedire tenetur homicidium, nec impedit; est enim illius causa moralis.—*Alii* vero cum *Ron.* non minus probabiliter id negant; quia non positive, et directe influit. Ita *S. Lig., n.* 376.—Communius contra *Dian., Spor., Tamb.*, incurrit mandans, vel consulens in dubio de efficacia suæ causæ in secutum homicidium; nam possidet mandatum. *S. Lig., n.* 371, addit: *contraria sententia non dicenda improbabilis.* (V. T. II, n. 330, et seq.)

Non est habendus uti irregularis qui abortum procuravit, dubitans de fœtus animatione; non enim constat de vero homicidio. (*S. Ligor., n.* 347). —Tamen hæc hypotesis de fœtu inanimato, nunc utpote jam antiquata, inutilis evadit, *ut recte ait Ballerini, n.* 1040.—Controvertitur an fiat irregularis adulter, qui maritum aggressorem occidit ob inculpatam suæ vitæ defensionem: communiter affirmant, si potuisset fugere, et non fugiens occidit maritum. —Si non potuisset fugere, *alii* absolute affirmant; *alii* absolute negant incurrere; quia homicidium per se tantum provenit ex injusta mariti invasione. — *Alii* cum *S. Lig., n.* 398, id ipsum docent, si adulter clam accedat, secus si prævidendo mariti invasionem. Ita videntur omnes conciliari.

297. Q. *Quomodo, et qua forma tollitur irregularitas?*

R. 1.° Papæ dispensatione in omni casu, modo non adsit inhabilitas

naturalis.—2.º Episcopi, et Prælati regulares, si irregularitas ex delicto occulto proveniat, excepto homicidio, nisi alias animæ periculum immineret, vel alia gravissima causa, et difficilis ad Papam esset recursus. *S. Lig., l.* 1, *n.* 51.—Communiter asserunt *Salm., S. Lig., n.* 381, Episcopum dispensare posse in irregularitate ob mutilationem occultam.—Imo dicunt *Suar., Laym., Tour., Bon., Croix, aliique communiter*, et *valde probabiliter,* ait *S. Lig., n.* 52, Episcopum dispensare posse cum eo, qui ob propriam defensionem occidit, sed in defensione aliquantulum excedit; nam hujusmodi homicidium dici nequit absolute voluntarium.—3.º Cujuslibet delegati juxta acceptam facultatem, ut de absolutione a censuris dictum est. De cessatione causæ, de infamia, et ex defectu natalium, in suis locis id consignavimus.

Nulla invenitur præscripta forma in jure. Fieri autem potest formula sequenti, vel simili: *Dispenso te super irregularitate, quam incurristi propter* (talem causam) *in nomine Patris, etc.*—Vel *auctoritate mihi concessa a S. P.,* aut *ab Episc., dispenso tecum, etc., et habilem te reddo, et restituo executioni Ordinum, et officiorum tuorum: in nomine Patris, etc.* (*Gury, n.* 1020).

TRACTATUS QUINTUS.

DE PECCATIS.

CAPUT I.

De peccatis in communi.

298. **Peccatum** est *libera legis divinæ, vel humanæ violatio.* Et ex D. August. est: *dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei æternam.* (Lib. 22 contra Faustum, cap. 27).—Dicitur *contra legem Dei æternam*, quatenus est radix, et origo omnium legum.

—Ratio formalis peccati consistit in *voluntario hominis recessu a recta agendorum, vel omittendorum regula*, quæ est lex: sane *ubi... non est lex, nec prævaricatio.* (Rom. IV).

Divisio. Peccatum dividitur: 1.° In *originale, actuale*, et *habituale.* —2.° In peccatum *commissionis*, et *omissionis.*— 3.° In *mortale*, et *veniale.* —4.° In peccatum *externum*, et *internum.*—5.° In peccatum *contra Deum, proximum*, et *seipsum*, prout violat officia *Deo*, vel *proximo*, vel *sibi* debita.—6.° In peccatum *formale*, et *materiale.*—7.° In peccatum *malitiæ, ignorantiæ*, vel *infirmitatis.*

299. **Peccatum originale** *est, quod per generationem naturalem ab Adamo contraximus omnes, privilegio excepto.* Fuit in nostra potestate, non ut personæ individuales sumus, sed ut sumus membra totius nostræ naturæ capitis. Hoc ipso, quod Deus Adamum constituit nostrum caput naturale, et morale, illi voluntates nostras commissit, et ipsi nos moraliter illi commissimus, in quantum Adam in sua fœcunditate humanam naturam continebat, ita et suæ voluntatis electio statum prosperum, vel adversum ejusdem naturæ, ut ait *D. Alphonsus.*

Et tametsi peccatum sit in anima, et anima non ab Adamo, nec a parentibus est, sed a Deo creatur, ut decisum est in Lateran., sub Leone X, sess. 8, tamen *humana natura*, ut ait Angelicus, *traducitur a parente in filium per traductionem carnis, cui postmodum anima infunditur; et ex hoc infectionem incurrit, quod sit cum carne traducta una natura.* (Q. 3 de creaturis, a. 3 ad 3). Neque in Deum culpa ulla refundi potest; nam generatio dispositive movet ad animam, et ad ejus cum corpore conjuctionem, ex qua fit homo vivens, quæ generatio necessaria est ad naturam humanam propagandam; indeque Deus tantum permittit, non facit malum. Neque refert quod proles infecta nascatur; nam, ut ait Angelicus, *melius est autem ei sic esse... quam nullo modo esse, præsertim cum possit per gratiam damnationem evadere.* (1. 2, q. 83, a. 1 ad 5).

300. **Peccatum philosophicum** *est*, (in hypotesi) *quod soli rationi naturæ opponitur, non vero legi divinæ.* 1.° Negatur dari tale peccatum; nam qui contra rectam rationem peccat, simul, et individualiter contra

Dei legem peccat; cum dictamen rectæ rationis legis æternæ intimatio sit.—2.° Nemo agnoscere potest quod legem naturæ transgreditur, quin simul, saltem implicite, supremum naturæ Legislatorem cognoscat; atqui hoc sufficit ad peccatum theologicum constituendum; ergo... (*S. Alphon., Apol., ecc. V, n.* 11).—3.° Contraria opinio uti erronea diris devota est ab Alexandro VIII, sub n. 2.—4.° Et recte, homo non solum peccat in Deum uti *Legislatorem,* cujus leges aspernatur, sed etiam uti *Judicem,* cujus pœnas non timet; uti *Testem,* cujus præsentiam non reveretur; uti *Dominum,* cujus servitutem detrectat; uti *Benefactorem,* cujus beneficia contemnit; uti *ultimum finem,* ipsum in creaturis collocans.

Q. *Quomodo Deus lædi potest?*

R. Non effective, sed affective; sicut cum veritatem per mendacium quis lædit; sane peccatum non est quid positivum, sed actus debito ordine privatus.

Peccatum a vitio differt; nam illud est actus moraliter malus, hoc autem est actuum malorum repetitio.

301. **Peccatum personale** *est, quod in actu existit,* seu *ipse actus, vel omissio legi contrarius.*

Peccatum habituale *est, ipsa macula animæ inhærens ex actuali peccato, eamque deturpans, donec per pœnitentiam deleatur;* brevius: *est status peccati non deleti.* Ad peccatum actuale requiritur in agente actualis libertas, et est de fide contra jansenistas, Bajum, et aliquos protestantes. (V. n. 11.)

CAPUT II.

De causa occasionali peccati actualis.

302. **Causa peccati** *immediata interna* est humana voluntas, ut docet *S. Aug. (lib. de duab. anim., c.* 10).—Causa vero *mediata externa* duplex est; nempe: mundus, et diabolus.

I. *Mundus* ad peccatum nos inducit:— 1.° impiis dictis;—2.° exemplis pravis;—3.° sensuum illecebris. Mundus quoad essentiam semper idem est, voluptatibus inhians, æternitatis immemor, Dei inimicus, et varias pro diversis temporibus formas induit ad homines blandimentis, vitiisque alliciendos, ac illaqueandos.—Et *maxima calamitas in Ecclesiam Dei redundat, si ipsi sacrorum ministri genio sui temporis turpiter assentiuntur,* ait cl. Stapf.—Unde sequitur quod *mundus totus in maligno positus est.* (I Joan v). Cum enim mundus spiritum veritatis non possit recipere (Joan. XIV), ideo *nescitis quia amicitia hujus mundi inimica est Dei?* (Jacob. IV).

II. *Diabolus* homines captat pro cujusque natura, moribus, affectibus, variis artibus juxta illud: Fratres, *sobrii estote, et vigilate: quia adversarius vester diabolus, tamquam leo rugiens, circuit, quærens quem devoret.* (I Pet. v).—Tamen *alligatus est tamquam canis innexus catenis... latrare potest, sollicitare potest, mordere omnino nisi volentem non potest,* ait *Cæsarius Arelat., serm.* 18.—Hinc qui fortiter resistit, non inveniet

jacturam: *Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis: sed faciet etiam cum tentatione proventum ut possitis sustinere.* (I Cor. x).

303. Q. *Potest ne Deus esse causa externa peccati?*

R. Nega. *Non Deus volens iniquitatem tu es,* ait Psaltes, v.—*Deus enim intentator malorum est:* dicit S. Jacob. I. Unde *Trident., sess.* 6, *c.* 6 contra novatores (ac modernos protestantes, et spiritistas) habet: «Si quis dixerit non esse in potestate hominis, vias suas malas facere, sed mala opera, ita ut bona, Deum operari, non permissive solum, sed etiam proprie, et per se, adeo ut sit proprium ejus opus non minus proditio Judæ, quam vocatio Pauli, anathema sit.»—Sane peccatum in ordinis perversione consistit; non ergo esse potest ab eo, qui ordo est, ac universa ordinavit.

Q. *Nonne dicitur Deum excæcare, tradere in reprobum sensum, etc.?*

R. Deus id non agendo, vel movendo facit, sed potius deserendo, vel permittendo. Item Deus tentare dicitur; sed non ad seducendum, bene vero ad probandum.

304. Q. *Quotuplex est interna causa peccati occasionalis?*

R. Triplex: *ignorantia*, *concupiscentia*, et *malitia*. De duabus primis v. nn. 14 et 16.—Peccatum *malitiæ* definiri solet: *Deliberata quædam voluntatis peccato adhæsio, qua fit, ut illud diligat, ac velit ex solo, ac pravo in ipsum peccatum affectu*, quod diabolicum est.

Peccata autem ex affectata ignorantia, vel ex passione libere excitata, vel ex prava consuetudine, quam quis emendare non studet, provenientia, peccatis malitiæ æquiparantur. Tale est eorum peccatum, qui nolunt intelligere, ut bene agant, vel *quasi de industria recesserunt ab eo* (Deo), *et omnes vias ejus intelligere noluerunt.* (Job, xxxiv). *Lætantur cum male fecerint, et exultant in rebus pessimis.* (Prov. II).

Cæteris paribus, hoc peccatum gravius est peccato infirmitatis, et hoc gravius peccato ignorantiæ, ratione scilicet voluntarii, quod plenius est in uno, quam in alio.

305. **Tentatio** est *quasi stimulus quidam, per quem voluntas nostra ad violandam legem allicitur.* Tentationes sentire malum non est, sed conditio christiana, virtutis incitamentum, et occasio meriti. *Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia, et timore, et præpara animam tuam ad tentationem.* (Eccli. II).

Multi tamen sensum cum consensu, cogitationem rei malæ, et delectationem in re mala promiscue sumentes, in magna confusione versantur, ac innumeris scrupulis torquentur.—Ad hoc præstat, ut confessarius accuratam sibi cognitionem circa varias tentationes acquirat, et pœnitentibus opportuna remedia suppeditet.—Tentatio est tum a nostra corrupta natura, tum a dæmone, tum a proximis nostris, tum ab omnibus simul.

Remedia adversus tentationes. 1.° Præcipuum remedium semper est humilitas; nam plura permittit Deus propter superbiam, ut, loquens de judæis, et philosophis gentilibus, ait Apost. (*Rom.* I).

2.° Si levis sit tentatio, efficax remedium erit tentationem contemnere, vel actus contrarios elicere absque ulla anxietate; quocirca plures ob suum nimium timorem in se ipsos tentationes, præcipue carnis, excitant.

3.° Si tentatio gravis sit, vigilare, et orare oportet, juxta illud: *Vigilate, et orate, ut non intretis in tentationem.* (Marc. XIV). Vigilare nempe ad hostes detegendos, et orare ad ipsos vincendos.

4.° Valde oportet tentationes citius confessario aperire: *Omnis enim, qui male agit, odit lucem.* (Joan. III). Ita tenebrosus diabolus, omnes carnis, et mundi machinationes lucem consilii directoris timent.

5.° Tentationem non aspicere, nec cum tentatore disceptare, maxime si contra fidem, vel castitatem sit tentatio; quo enim magis in id animum intendimus, magis sensus obtenebrantur. Quare opus est illico eam expellere, vel per nominis Jesu, et Mariæ, vel per signum crucis, aut per alias preces jaculatorias, v. gr. *Vade, satana: scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies.* (Matth. IV).—*Deus in adjutorium meum intende: Domine ad adjuvandum me festina.* (Ps. LXIX).

6.° Viriliter agere; nemo enim facilius prosternitur, quam qui vertigine laborans, sese identidem lapsurum formidat. Sed qui infeliciter decertaverit, ne animo concidat, sed sincere doleat, strenue, ac viriliter in posterum acturus proponat. *Filioli mei, hæc scribo vobis, ut non peccetis. Sed si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum.* (I Joan. II). Qui vero victor existit, ne sibi inaniter complaceat, vel fidat, sed Deo gratias agat, atque ad nova prælia se præparet.

CAPUT III.

De distinctione specifica peccatorum.

306. Q. *An existat specifica differentia peccatorum?*

R. Affirma; nam per oppositionem legi constituitur peccatum; si ergo oppositio sit specie diversa, et peccatum specie diversum habebitur; sic homicidium, furtum, luxuria, etc., specie differunt. *Ita S. Thomas, 1, 2, q. 72, a. 1, et Scavini, n. 719, cum communi.* Non ergo adest specifica differentia ex notabiliori oppositione cum lege; quia magis et minus non diversificant speciem.

—En regulas ad hanc oppositionem probe dis g rnendam. 1.ª *Quando diversa offenduntur præcepta*, vel *virtutes;* singulæ quippe virtutes suam specialem, et omnino distinctam bonitatem habent; ergo et peccata ipsis opposita specialem turpitudinem necessario continent. Sic negatio veritatis revelatæ, desperatio, odium Dei, inter se specie differunt; siquidem tribus virtutibus specie diversis opponuntur; nam diversa offendunt præcepta.—Sic quatuor peccata specie distincta committit qui, voto castitatis ligatus, cum conjugata consanguinea peccat; violat enim quatuor diversas virtutes; scilicet, castitatem, religionem, pietatem, ac justitiam.—Tripliciter peccat, qui clericum in ecclesia occidit, nempe contra justitiam, contra religionem localem, ac personalem.

2.ª *Quando diversa violantur ejusdem virtutis officia;* ubi enim malitia est moraliter diversa contra aliquam virtutem, ipsi speciali modo opponitur, et novam deformitatis speciem constituit; est autem moraliter diversa contra aliquam virtutem, quando opponitur variis officiis ejusdem virtutis. Sic *furtum*, *calumnia*, *homicidium*, specie inter se differunt, licet eidem virtuti justitiæ adversentur; opponuntur quidem diversis ejusdem officiis; nempe bonis *vitæ, fortunæ*, et *famæ*.

3.ª *Quando eadem læditur virtus, sed modo opposito;* quippe tunc eidem speciali modo repugnat, et malitia est moraliter diversa. Sic *prodigalitas,* et *avaritia* specie differunt inter se; quia opponuntur quidem eidem virtuti, sed prima per excessum, altera vero per defectum. (*Scavini, Gury, n.* 158, *S. Lig., n.* 31).

CAPUT IV.

De distinctione numerica peccatorum.

307. I. Ea peccata intra eamdem speciem numero distinguntur, *quorum malitia, sive physice considerata, sive moraliter est multiplicata,* ita ut numerari possint, v. gr. duo furta, tres blasphemiæ... Hoc evenit: *Cum peccata specie differunt;* porro tunc unum peccatum non est aliud. Sic in uno adulterio cum religiosa consanguinea professa quatuor adsunt distincta peccata; nempe, luxuriæ, adulterii, incestus, et sacrilegii.

II. *Tot sunt peccata numero distincta, quot sunt actus externi totales, et completi,* seu non ad aliud subordinati; tunc quidem cum aliis coalescere non valent, ut cum quis diversis actibus plures occidit homines, vel fornicatur, blasphemat... *Ita Gury, et communiter omnes cum Holzm., ait S. Ligor., l.* 5, *n.* 41.

III. *Tot sunt peccata numero distincta, quot sunt actus voluntatis moraliter interrupti;* ubi enim hi actus interrumpuntur, fiunt completi; unde iteratione multiplicantur; nam *voluntas est, qua peccatur, et recte vivitur.* (S. August. de vera Relig.)

Triplici modo actus voluntatis interrumpi censentur; scilicet, quando nec formaliter, nec virtualiter perseverant, quod evenit:

I. *Per expressam voluntatis revocationem;* sane hæc impedit, ut actus posterior cum priori moraliter conjungatur; sic qui voluntatem malam, licet per solum displicentiæ actum, retractet, et dein ipsam resumat, novum peccatum committit.

II. *Per voluntariam cessationem,* etsi per mentis ad diversum objectum applicationem; unde si quis libere cessat a prava cogitatione, vel desiderio, et postea ad illud redeat, diversum a primo peccatum facit.

III. *Per longum intervallum,* ita ut judicio prudentum voluntatis actus moraliter perseverare non censeatur, nec in se, nec in externo opere, v. gr. malæ delectationi sero consensisti, et mane expergefactus consensum illum renovas, novum facis peccatum. *(Gury, Scavini, n.* 404 *cum communi).*

308. **Mora sufficiens ad actus voluntatis multiplicandos,** sequentibus regulis discernitur:

1.ª *Actus mere interni,* seu cordis, ut odium, hæresis, pravæ cogitationes, facilius multiplicantur; nam tot sunt actus totales, ac completi, quot interruptiones, etiam naturales, involuntariæ, breves; cum unus actus non pendeat ab alio, neque ad alium dirigatur, ideoque moraliter continuari nequeat. *Ita communiter cum S. Ligor., n.* 37. Quare *opinio*

Lug., et *Cani, saltem tamquam dubie probabilis, non est tenenda.* Ita *S. Lig.*—Si vero plures hujusmodi actus ex eodem concupiscentiæ impetu procedant, v. gr. turpia desideria, unum peccatum constituunt, etsi aliquod breve intervallum inter eos intercedat, uti dicunt *Tamb. Lugo, Viva, Gury, S. Lig., n.* 37.

2.ª *Si agitur de actibus internis, cum intentione eos externandi,* v. gr. blasphemia, furto, per voluntatis retractationem moraliter interrumpuntur, ac per liberam hujusmodi propositi cessationem, et peccata multiplicantur, quoties propositum formaliter innovatur; nam tunc novus habetur voluntatis actus formaliter distinctus. *Ita Scavini, Gury, S. Ligor., n.* 38.

—Propositum autem, vel idem impetus majori, vel minori tempore perdurare censetur, habita ratione intensitatis ejusdem, ætatis, sexus, personæ, etc. Si in mala voluntate perseverat ultra duos, vel tres dies, id exprimendum est, ut sic intelligatur moraliter numerus actuum internorum circa externa peccata, juxta *Scavini, S. Ligor., n.* 39, aliosque contra *Lugo*, *n.* 567, *Tamb., n.* 35, et *alios*, qui aliter sentiunt, etsi magna intercedat mora; *Viva* dicit per annum; *Salm.* per mensem.

—Tamen actus, si ex prima voluntate procedunt, et moraliter in aliquo effectu permanent, qui ad consummandum externum peccatum conducit, per qualecumque tempus durent, unum constituunt peccatum; ut si quis non restituere statuat, aut amicum occidere, et media ad occasionem quærens, per annum, et amplius ita vixit; semper quidem, virtualiter saltem, perseverat prima mala voluntas, etsi pluries voluntatem repetierit. (*S. Ligor., n.* 40).

3.ª *Si agatur de actibus qui externe perficiuntur*, interrumpuntur, quando actum non completum respiciunt. Si quis pluries alium percutit, animum eum occidendi non habens; vel plures tactus impudicos cum fœmina habuit sine copulæ intentione; si pluries e cumulo furatur, sine voluntate totum cumulum auferendi; omnes distinctæ actiones distincta peccata constituunt; cum quilibet actus suam distinctam completamque malitiam habeat. *Ita communiter Holz., Scavini, S. Ligor., n.* 41.

Item, si quis habens oscula, tactus, inhonesta verba sine animo ab initio copulam habendi, omnes illos actus malos confiteri tenetur; cum enim in ipsis sistitur, quivis actus in se suam habet consummatam malitiam. *Ita communiter Salm., Lugo, S. Ligor., n.* 43.

Idem dicit *Viva, n.* 6, et valde probabiliter ait *S. Lig., n.* 42, quoad media posita ad peccatum consummandum, si dein peccatum non consummetur. Sed si media non fuerint mala, alii merito contradicunt; nam peccata actu committuntur, quidquid postea eveniat; in dubio obligatio ea confitendi prudenter urgeri nequit. (*Ballerini, n.* 164).

E contrario uniuntur actus externi: 1.º Si ex eodem voluntatis, seu passionis impetu procedunt, v. gr. si quis pluries alium percutit, turpiter tangit, in eadem materia conviciatur, detrahit, vel blasphemat. *Ita S. Ligor., n.* 41, *cum communi.* Probabiliter unum committit peccatum, qui unico actu in 12 Apostolos blasphemat; nam ex una relatione ad Deum malitiam desumunt illæ blasphemiæ. *Salm., n.* 40, *etc.*

2º. Si ad ejusdem peccati complementum omnes actus diriguntur; porro tunc per unam voluntatem in pravum finem ordinantur, ac uniuntur; sic qui ad homicidium patrandum arma emit, iter carpit, inimicum

verberat, et deinde occidit; vel si ad obtinendam copulam oscula, verba tactus præmittat, et illico copula sequatur, sufficit homicidium, vel copulam confiteri. (*S. Ligor., ibid.*)—Si autem còpulam noluisset ab initio, sed postea, libidine ductus, illam perfecerit, tunc omnes actus tanquam distincta peccata explicare debet, præfata ratione. Ita communiter *S. Lig., n.* 43. Idem dic de vulnerante, etc.

Idem communiter docent *Salm., Lugo, D.* 16, *n* 553, *S. Lig., l. c.*, de osculis, verbis, factis, ac complacentiis obscœnis statim post copulam habitis; quia verisimiliter adhibentur tanquam copulæ complementum.

309. Q. *An plura peccata committat, qui uno actu diversa mala alteri desiderat, uti infamiam, paupertatem, mortem?*

R. I. Tot committit peccata, quot sunt species mali optati, cum specifice mala exprimantur, vel si efficax sit ejus desiderium; quia hoc speciem ab objecto desiderato sumit.

II. Unum tantum committit peccatum qui in eodem impetu plura mala optat, uti media ad alterius perniciem, et mortem; quippe tunc illa diversa apprehenduntur sub una ratione mali. Ita conciliari possunt diversæ sententiæ cum *S. Thoma, Lugo, n.* 260, *Gury, n.* 165. *(V. S. Ligor., n.* 50).

310. Q. *Quot sunt peccata in uno eodemque actu malo contra objecta materialiter plura., v. gr. qui uno actu plures occidit, pluribus detrahit, etc.?*

R. Alii dicunt in eodem actu entitive uno, licet objecta materialiter sint plura, esse non posse plures malitias numero diversas; cum in eodem subjecto esse nequeant plura accidentia numero distincta; aderit sæpe circumstantia aggravans, ut in eo, qui eodem actu pluribus detrahit, mortem desiderat inefficaci consensu, et tantum vana complacentia; sic etiam in præceptis duorum superiorum, si ejusdem sint rationis, et si duorum superiorum jura per inobedientiam lædantur, nempe divinum et humanum jus, nonnisi unum committit peccatum transgressor ; nam eadem est præcepti ratio, ut supponitur. *Ita Lugo, n.* 135, *Suar., n.* 34, *Laym. n.* 2 *aliique plurimi apud S. Lig. l.* 5, *n.* 45.

Alii vero docent tot esse peccata in uno eodemque actu distincta, quot sunt totalia objecta diversa, etsi materialiter tantum plura ; nam sicut actus plura objecta specie diversa respiciens, plura includit peccata specie distincta, ita actus, respiciens plura objecta totalia, numero diversa, includit plura peccata numero distincta ; nam plura lædit jura totalia, et tunc unus actus moralis pluribus malitia, et numero æquivalet. Licet in physicis in eodem subjecto esse nequeant plura accidentia numero distincta, id locum non habet in moralibus, ubi unus actus moraliter multiplex esse potest. Sic habetur in adulterio inter duos conjuges ; nemo enim negat (neque ipse *Lugo,* n. 241), ipsos tunc duplicem committere injustitiam, nempe ratione violationis, et ratione cooperationis ad violationem, cum eadem virtus justitiæ eodem modo, seu motivo utrumque prohibeat. *Ita probabilius Scavini, Croix, Salm., n.* 61, *S. Ligor., n.* 45, *aliique plurimi.*

—Hinc plura committit peccata : 1.° Qui uno actu plures homines occidit, vel malum optat, aut pluribus detrahit, vel diversis unum afficit conviciis, aut totam familiam, vel communitatem ; adsunt quippe tot malitiæ totaliter distinctæ, quot sunt objecta, seu jura totalia læsa, idest

personæ.—2.º Qui uno actu ad plures fœminas accedere optat, vel pluries ad eamdem, vel eadem nocte pluries eamdem cognoscit; nam quælibet fornicatio, vel ejusdem desiderium suum totalem habet terminum. —3.º Qui pluribus una vice scandalum præbet.—4.º Qui a pluribus furatur, nisi bona communitatis, monasterii, Capituli furetur in communi; in hoc enim casu non competit singulis in particulari jus, sed toti corpori morali.—5.º Qui unico actu vult per plures dies Horas canonicas, vel jejunium omittere, in quo convenit etiam *Lugo, disp.* 16, *n.* 546.—6.º Sacerdos in mortali existens, tot committit sacrilegia, quot uno actu, vel successive personas absolvit. *Ita communiter, et probabilius Holz., Suar., Croix, n.* 93, *S. Ligor., l.* 5, *n.* 46, *et l.* 6, *n.* 35 contra *alios.*—7.º Qui in mortali contrahit matrimonium dupliciter peccat, qua ministrans, et qua suscipiens sacramentum.—8.º Celebrans in mortali, juxta *D. Lig., n.* 44, quatuor committit sacrilegia. 1.º quia sacramentum conficit;—2.º quia suscipit;—3.º quia ministrat sibi indigno;—4.º quia Eucharistiam in mortali ministrat; quod est contra *Croix, n.* 170, *et Viva, n.* 7, qui non immerito tria tantum sacrilegia inveniunt; nempe, indigne consecrando, ministrando sibi indigno, et indigne sumendo; nam qui suscipit idem sane est ac qui ministrat sibi indigno. *Spor., n.* 435, *et alii* unum actum moralem inveniunt. Tamen in praxi non erit urgenda obligatio has malitias confitendi, cum in dubio non deceat onus certum pœnitentibus imponere, ait *Ballerini.*

311. E contra: 1.º Unum peccatum probabilius facit, qui ex eodem impetu passionis actum malum repetit, v. gr. pluries se, vel alium turpiter tangit, etiam cum aliqua interruptione, ut ait *P. Gury, n.* 163; quia unicus est voluntatis actus, et unum objectum, et actiones variæ moraliter uniuntur.—2.º Unicum peccatum committit sacerdos, qui integrum officium una die omittere vult; nam singulæ Horæ ad complendum unum officium ordinantur; secus si septies per singulas horas sucessive repeteret actus pravæ voluntatis, tunc septem gravia perpetraret peccata. —3.º Unum committit peccatum qui in mortali existens successive pluribus Eucharistiam ministrat; etenim una adest actio moralis, et unum convivium. *S. Ligor., n.* 35, *aliique* contra *Bon., n.* 15 *aliosque.*—4.º Unum peccatum facit, qui plures simul fidei articulos negat; unicum quippe est fidei motivum.—5.º Unum perpetrat peccatum, qui summam aliquam determinatam furari intendens, pluribus vicibus eam surripit; unicus equidem est pravus voluntatis actus: secus si essent actus moraliter interrupti per cessationem pravæ voluntatis, aut si ab initio totam pecuniæ massam auferre non statuerit; tunc enim singula furta objectum in se totale efficiunt. *(Gury, Ballerini, n.* 163).

CAPUT V.

De peccatorum differentia ratione gravitatis.

312. **Datur peccatorum differentia ratione gravitatis**, et est contra Stoicos, Jovinianum, Calvinum, Lutherum, Wiclephum, et Bajum, id negantes. Probatur ex S. Scriptura, Ecclesiæ doctrina, et ratione.

I. *Ex S. Scriptura.* De Israëlitis ait Jeremias, cap. VII: *Pejus operati sunt, quam patres eorum.* Et de Juda dixit Jesus Christus Pilato: *Qui me tradidit tibi, majus peccatum habet.* (Joan. XIX). Et Joannes ait: *Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat... Est peccatum ad mortem: non pro illo dico ut roget quis.* (I Joan. V).

II. *Ex Ecclesiæ doctrina.* Trident., *sess.* 14, *c.* 5, docet *Oportere a pœnitentibus omnia peccata mortalia... in confessione recenseri... Nam venialia... quamquam recte, et utiliter... in confessione dicantur... taceri tamen citra culpam... possunt.*—Pius V, et Gregorius XIII, hanc Baji damnarunt prop.: *Nullum est peccatum ex natura sua veniale, sed omne peccatum meretur pœnam æternam.*

III. *Ex ratione.* Nam de injuriis in Deum est dicendum, data proportione, quod de subditorum in principem injuriis; atqui istæ differunt ratione gravitatis; ergo et illæ.—Ex Angelico peccata sunt animæ infirmitates, aliæ mortiferæ, aliæ non.—Demum peccata sunt oppositiones ad virtutes, et præcepta; atqui alia sunt aliis præstantiora, et graviora; ergo et peccata.—Delinquentis intentio etiam varios gradus admittere potest; cujus gradus in genere dividuntur inter peccatum mortale, et veniale.

313. Q. *Undenam repetenda est gravitas peccatorum?*

R. 1.° Ex objecto; — 2.° ex fine; — 3.° ex circumstantiis; — 4.° ex præstantia virtutum, vel præceptorum, quibus opponuntur peccata, et ex majori, vel minori bono quo privant; vel prout magis, vel minus rationali naturæ, vel legi repugnant. Sic sodomia, et bestialitas perjurio graviores sunt; etenim magis disconveniunt, et magis prohibentur. — 5.° ex intentione, vel duratione actus mali, et ex variis modis, quibus virtutes, ac leges violantur, et ex majori, vel minori advertentia, et consensu ad actus malitiam. Hinc illud Domini: *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique... Tu vero homo unanimis, dux meus, et notus meus:...* (Ps. LIV).—Unde ait Angelicus: *Cæteris paribus... gravius peccat fidelis, quam infidelis; tum propter notitiam ex fide; tum etiam propter sacramenta fidei, quibus est imbutus.* (2. 2, q. 10, a. 3).

314. **Differentia inter peccatum mortale, et veniale,** juxta *Angelicum*, et *communiter*, sita est in diversitate inordinationis, *quæ complet rationem peccati. Duplex enim est inordinatio: una per subtractionem principii ordinis: alia, qua etiam salvato principio ordinis, fit inordinatio circa ea, quæ sunt post principium.* Et affert comparationem inter destructionem principii vitalis, et deordonationem quamdam in humoribus. Qui mortaliter peccat, a Deo, fine suo ultimo, totaliter recedit, et ad creaturam se convertit, atque in ea tamquam in fine suo quiescit. Contra vero qui venialiter peccat, non recedit a Deo, neque in creatura ulla suum ponit finem, sed actus ponit ita deordinatos, ut nullatenus ad Deum tendere queant, tametsi cum suo amore, ac benevolentia subsistere valeant. *(Gury, n.* 150, *S. Thom.* 1. 2, *q.* 72, *a.* 5, *cum communi).*

CAPUT VI.

De peccato mortali.

315. **Gravitas peccati** *est quantitas malitiæ, qua peccatum fit magis, vel minus Deo offensivum, ac proinde majori, vel minori pœna dignum.*

Peccatum mortale *est gravis transgressio legis, seu gravis Dei offensa, per quam homo privatur amicitia divina, et gratia sanctificante, fitque æternæ pœnæ reus.*—Dicitur mortale; quippe animam occidit quoad vitam supernaturalem, non naturalem.

Q. *Dantur peccata mortalia?*

R. Affirma; prob. I. Ex S. Scriptura: *Neque... concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici... regnum Dei possidebunt.* (I Cor. VI). *Qui talia agunt, digni sunt morte.* (Rom. I). *Qui non diligit, manet in morte.* (I Joan. III).

II. Ex definitione Ecclesiæ. *Si quis dixerit, nullum esse mortale peccatum, nisi infidelitatis; aut nullo alio quantumvis gravi, et enormi, præterquam infidelitatis peccato, semel acceptam gratiam amitti; anathema sit. (Trid. sess. 6. c. 27).* –Ratio confirmat; nam si adsunt crimina civilia morte digna, quare non spiritualia?

316. **Ad peccatum mortale constituendum tria requiruntur,** nempe, *materia gravis* ex parte objecti; *plena advertentia* ex parte intellectus; et *perfectus consensus* ex parte voluntatis.

I. *Ex parte objecti requiritur materia gravis,* saltem ratione finis magni momenti, vel circumstantiarum; alias non distingueretur mortale a veniali peccato.—Deinde ex objecto actus primam malitiam desumit; atqui levis materia per se non inducit gravem obligationem, et ubi gravis non est obligatio, neque gravis potest esse transgressio; ergo...

II. *Ex parte intellectus requiritur plena advertentia.* Sciri oportet, quod advertentiæ tres motus respondent. 1.° Motus *primo-primi;* scilicet, qui omnem rationis advertentiam antevertunt; et ii culpæ sunt omnino expertes.—2.° Motus *secundo-primi*; nempe, qui cum semiplena advertentia fiunt, uti motus semidormientis, semiebrii, alio distracti, graviter mente commoti, vel a delectabilitate capti, et hi venialem culpam non excedunt; voluntas in eis siquidem perfecta libertate ad mortale requisita non gaudet.—3.° Motus *deliberati,* videlicet, qui fiunt cum plena mentis advertentia clare discernentis moralem malitiam, saltem in genere, vel confuse; et hi mortalia peccata efficiunt in re graviter mala.

Ad mortale peccatum profecto requiritur plena advertentia gravis malitiæ actionis, vel omissionis, vel saltem gravis suspicio, aut dubitatio expressa, vel implicita, vel de ejusdem periculo, vel de obligatione amplius inquirendi, quod unico instanti per simplex mentis judicium obtineri potest.

Ratio primi est, quia *nihil volitum quin præcognitum;* et ut ait Apost.: *Peccatum non cognovi nisi per legem.* (Rom. VII). Aliunde, cum mortale peccatum sit malum consummatum, ac perfectum, consummata, et perfecta ad illud constituendum advertentia requiri oportet. Insuper homo per grave peccatum reus fit æterno supplicio, plena Dei inimicitia, et maledictione; et credibile non est, velle Dei bonitatem, ut fragilis homo tantæ pœnæ reus constituatur, quin plene ad peccati malitiam advertat.

Ratio secundi est, quia *quando nulla talis cognitio in mentem subiit, quod possit voluntas excitari ad quærendum scientiam, non est in potestate hominis se ad illam movere,* ut ait *Suarez.*

—Neque sufficit, ut quis de obligatione jam fuerit suspicatus, et noluerit interim in eam inquirere, modo ab opere abstinere possit, ac proponat dein suis obligationibus studere, licet ex dilatione fiat, ut prioris

dubitationis oblitus, postea inadvertenter contra illas agat; cum in bona fide operetur. Qui vero actu suspicatur de lege, et de illa inquirere negligit, graviter peccat toties, quoties operatur cum tali gravi dubio. *(Del-Vecchio*, *n.* 724, *Gury*, *n.* 150, *S. Ligor.*, *n.* 5, *cum communi).* V. n. 15.

III. *Ex parte voluntatis requiritur plenus consensus.* Triplici modo potest voluntas objectum malum attingere; scilicet positive *resistendo*, positive *in illud consentiendo*, et *negative se habendo.*

1.^m^ semper bonum est.—2.^m^ semper malum.—3.^m^ aliquando bonum, aliquando autem malum, juxta periculum, ut de luxuria dicetur. V. n. 19, et 907.

Tamen ad mortale semper necessarium est, ut voluntas sive directe, sive indirecte, vel in causa objectum graviter vetitum, ab intellectu uti tale propositum, amplectatur; nam per lethale peccatum homo totaliter a Deo recedit, ut creaturæ adhæreat, quod fieri nequit, quin omnino deliberate objectum peccati Deo præferat: aliunde ad consummatam culpam requiritur consummatus consensus.

Hinc qui legit obscœna, jam velle censetur prava desideria inde exurgentia.—Clericus, qui studium fastidit, velle censetur ignorantiam, et mala inde sine numero obventura. (V. nn. 6, 31 et 48.)

319. Q. *An ad mortale requiratur actualis malitia, vel sufficiat virtualis.*

R. Diversas opiniones conciliantes, dicimus 1.° cum *Billuart, Gury, Ballerini, Scavini, et S. Ligor.* (v. n. 4), quoad illos, qui malum grave operantur ex culpabili negligentia, vel passione, vel habitu in antecessum non retractatis, vel ex voluntaria inconsideratione, aut periculi prævisione, non requiritur actualis advertentia expressa, ut graviter peccent; quippe voluntarie causam inadvertentiæ posuerunt; ideoque tunc actualiter advertentes malitiam amplexati sunt; v. gr. qui libere, ac scienter ante Missam in festo se inebriat, omissionem prævidens, tunc habet actualem malitiam, atque advertentiam, et tunc peccat.

2.° Quoad illos vero, qui non ex libera causa antecedenti, sed ex oblivione, vel distractione naturali, aut alia simili causa, aliquod malum operando, non advertunt, nullo modo peccant: *Sane nullus spiritualiter moritur sine propria voluntate peccando... Ad culpam personæ requiritur voluntas personæ, ut patet in culpa actuali, quæ per actum personæ committitur,* ait Angelicus.

Et nonne rationi repugnat illud ipsum *peccati necessarii* vocabulum? Requiritur ergo saltem actualis dubitatio, aut suspicio malitiæ, vel periculi, vel obligationis ulterius inquirendi; secus nihil assignabile est, in quo quis dici queat posse, ac debere animadvertere; *nam ad impossibile nemo tenetur. (Scavini, S. Ligor., l.* 5, *n.* 4.) *V. n.* 15.

318. **Divisio mortalis peccati.** Triplex distinguitur: *Ex genere suo toto; ex genere suo non toto; ex accidenti.*

I. Illud est, *cujus objectum ex omni parte grave est, et graviter rationalem naturam dedecet;* ut 1.° ea quæ directe sunt contra Deum, aut aliquam ejus perfectionem, v. gr. hæresis, blasphemia, perjurium.—2.° Ea quæ gravissime humanæ dignitati nocerent, si temperamentum admitterent; v. gr. luxuria.—3.° Ea quæ in indivisibili consistunt, v. gr. esus ante Eucharistiæ sumptionem sine gravi causa.

II. Est illud *quod in sua specie sistendo, et absque nova malitia, grave esse potest, vel leve,* ut peccata contra justitiam, festi violationem.

III. Est, *quod ex erronea conscientia provenit,* ut si quis aliquid leve, vel indifferens perpetret, quod grave putat, tamen illud amplectitur.

319. Q. *An peccatum ex genere suo mortale evadere possit veniale?*

R. Affirma. I. *Ex materiæ parvitate,* nisi res sit gravis *ex genere suo toto,* vel *indivisibilis,* ut diximus.

II. *Ex imperfecta advertentia.* 1.° Si agens non sit sui compos, aut sit semidormiens, etc.—2.° Si agens leviter apprehendat aliquid esse malum, vel ad aliquid obligari.—3.° Si vehementissima antecedenti passione, apprehensione, aut distractione ita sit perturbatus, ut ferme nesciat, quid peragat.—4.° Si re diligenter perspecta, judicat se illud non esse facturum, si ita vidisset.

III. *Ex imperfectione consensus;* nam solo consensu, et pro gradu consensus voluntas nostra fit culpabilis; unde si consensus non sit perfectus, vel plenus, ac liber, mortalis reus non erit agens; hinc 1.° imperfectus censebitur consensus in eo, qui plena advertentia careat.—2.° In eo, qui paratus esse solet mori, potius quam graviter peccare.—3.° In eo, qui malum non est executus, cum faciliter illud exequi potuisset.—4.° Semper, ac prudenter dubitetur in personis piis, adfuerit necne consensus; nam tunc resolvitur res ex communiter contingentibus. *(S. Ligor., l. 5, n. 53, 56, cum communi).*

IV. *Ex conscientia erronea,* sicut in rudibus evenire solet, qui magna uti parva habent, quod advertere debet confessarius. (*Gury, n.* 153).

320. **Regulæ quibus cognoscitur peccatum esse mortale sunt tres:** 1.ª *Ex Scripturis*: *Quæ sint levia, quæ gravia peccata, non humano, sed divino sunt pensanda judicio*: ait D. August., *Ench.* c. 77. Porro ea erunt gravia, quæ in Scriptura declarantur *digna morte*, aut *excludere a regno cœlorum,* aut enuntiantur cum particula *væ.*

2.ª *Ex definitionibus, ac Decretis SS. Pontificum, Conciliorum generalium;* Ecclesia enim est columna veritatis, ac nostra immediata fidei, et morum regula. *Qui vos audit, me audit.* (Luc. x).

3.ª *Ex SS. Ecclesiæ Patribus, Doctoribus, ac Theologis;* nam hi in medio Eclesiæ uti lucernæ ardentes positi sunt ad erroris tenebras depellendas. Quæ autem ab ipsis unanimiter (etsi aliquis modicæ notæ contradicat) uti mortalia existimantur, a nobis uti talia habenda; cum eis enim non sentire, temeritatem saperet; siquidem doctorum consensus veritatis est testimonium. *(Gury, Scavini, n.* 728, *cum communi).*

Deficientibus præmissis regulis, præstat considerare, an per culpam, de qua agitur, amor Deo, nobis, et proximo exhibendus, vel finis legislatoris graviter, vel leviter lædatur. Cæterum limites inter peccatum mortale, et veniale sæpe sæpius nullo modo determinari queunt. Porro non est adstruendum mortale, nisi de eo certo constet.—*Res admiratione digna est,* ait S. Alphonsus, *videre aliquos nullum reputare tutiorem modum salvas faciendi animas, quam eas per semitas asperiores ducere; sed non minus isti errant, quam alii, qui conscientias per laxiorem ducunt viam. Non solum enim rationem Deo reddere tenemur de nimia indulgentia, verum etiam de nimia rigiditate, qua conscientiæ illaqueantur.* (Syst. mor. ad fin.).

Doctores theologi non debent esse faciles ad asserendum aliqua esse

peccata mortalia, ubi non sunt certissimi de re; nam per ejusmodi assertiones rigidas, et nimis strictas nequaquam eriguntur homines a luto peccatorum, sed in illud profundius, quia desperatius, demerguntur. (Gerson, *de vita Spir.*, lect. 4). Valeat hoc monitum pro confessariis, concionatoribus, catechistis, scriptoribus, ac consultoribus omnibus. Unde ad rem Gousset: *Cum a ministris religionis consilium petatur, exigi semper nequit, ut precise enormitatis gradum peccatorum determinent. Adest utique ab eis exigendi jus, ut exacte decidant, an res bona sit, vel mala, permissa, aut prohibita, periculosa, vel non. Hæc scientia necessaria est, ut quis sciat quid facere, vel omittere teneatur, et ad fidelium mores regulandos sufficit.*

321. Q. *An graviter peccet, qui deliberat de consensu rei graviter vetitæ præstando, si tandem non consentiat?*

R. Veniale non excedit, si non sit nisi quædam hæsitatio, seu resistentiæ omissio ex pigritia, torpore, aut negligentia.—Si vero deliberatio sit plena, mortale erit; cum voluntas parata se ostendat ad Deum peccato postponendum. (*Croix, Sanch., Gury, n.* 153).

Q. *An graviter peccet, qui sola mortalia vitare vellet, et de aliis minime curat?*

R. Nega, secluso contemptu, etsi propositum omnia venialia committendi habeat; materia quippe undequaque levis, ex se mortale parere nequit. Id sola ordinis ratio dictat. *Ita Gury, Ballerini, S. Ligor., l.* 4, *n.* 12. Periculum mortalis exinde ortum est *remotum*, ut ait *S. Ligor. ibid., cum Suar., de Relig.*, t. 8, l. 1, c. 4, n. 18, qui dicit: *Advertere oportet, raro aut numquam peccari mortaliter ob ejusmodi periculum..., quia alias non est occasio proxima, sed remota.* In praxi tamen res difficilis erit, cum peccandi facilitas causa sit, cur anima paulatim debilitetur, et facilius gravibus tentationibus demum vincatur, juxta illud: *Qui spernit modica, paulatim decidet.* (Eccli XIX). *Ita Gury.*

322. **Effectus peccati mortalis** præcipui sunt. 1. *Gravis Dei offensa.* Peccator enim Dei voluntati reluctans, contra Omnipotentem roboratur, dicens, saltem facto: *Non serviam.* (Jer. II).

II. *Jactura gratiæ sanctificantis:* nam per peccatum efficimur inimici Dei, et diaboli filii. *Asserendum est,* ait Trident., *non modo infidelitate, per quam et ipsa fides amittitur, sed etiam quocumque alio mortali peccato, quamvis non amittatur fides, acceptam justificationis gratiam amitti.* (Sess. 6, cap. 15).

III. *Fœdissima animæ macula.* De fide est contra lutheranos, et calvinianos: *Maculata es in iniquitate tua,* ait Jer. II. de Jerusalem peccatrice: iterum, *si abluerit Dominus sordes filiarum Sion.* (Isai. IV). Et Tridentinum ait: hominem fieri *inquinatum per inobedientiæ peccatum.* (Sess. 5, c. 2).

Differt macula a *reatu pœnæ*, quæ maculam jam supponit: differt ab inclinatione ad malum, quæ adhuc remanet, sublata macula: V. Angelicum, 1, 2, q. 86, a. 1.et 2.—Consistit macula *in privatione nitoris, qui exurgit ex debita conformitate facultatum animæ ad legem, atque ad Deum;* quæ in veniali non intervenit, sed tantum privatio fervoris charitatis.

IV. *Cordis perturbatio, et afflictio: Impii... quasi mare fervens, quod quiescere non potest.* (Isai. LVII).

V. *Amissio meritorum omnium* in statu gratiæ comparatorum: *Omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur.* (Ezech. XVIII). Itemque inhabilitas, perdurante statu peccati, ad nova merita acquirenda in ordine ad vitam æternam. *Ubi deest charitas, nihil est quod prosit ad gloriam.* (S. August. *de Verbis Domini).*

VI. *Pœnæ reatus* in præsenti, et in futura vita: *Miseros... facit populos peccatum.* (Prov. XIV). *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum.* (Matth. XXV).

323. Q. *Utrum quis puniri possit pro peccato alterius, vel unum peccatum esse possit alterius pœna?*

R. I. Nega quoad pœnam vindicativam: *Filius non portabit iniquitatem patris.* (Ezech. XVIII).—Affirma quoad pœnam medicinalem, et ad merita augenda.

II. Nega *per se, sed tantum per accidens,* nempe, per specialis gratiæ subtractionem, dicente Apost.: *Propter quod tradidit illos* (infideles) *Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam.* (Rom. I).

CAPUT VII.

De peccato veniali.

324. **Peccatum veniale** *est levis transgressio legis, minuens charitatis fervorem, et hominem reddens pœna temporali dignum.*—Dicitur veniale, quia veniam facile consequitur.

Dantur utique peccata venialia. Probatur 1.° ex S. Scriptura: *In multis enim offendimus omnes,* ait D. Jacob. III; atqui non omnes mortaliter peccamus, cum multi sint justi coram Deo; ergo... 2.° Ex Trident. sunt *venialia, quibus a gratia Dei non excludimur, et in quæ frequentius labimur.*—3.° Constat etiam ex prop. 20 Baji a Pio V, aliisque Pontificibus damnata, quæ sic jacet: *Nullum est peccatum natura sua veniale, sed omne peccatum meretur pœnam æternam.*—4.° Ex ratione: inter amicos leves dantur offensæ, quæ amicitiam non solvunt; ergo etiam dari possunt erga Deum.

Ad veniale peccatum constituendum etiam requiritur, præter malitiam objectivam, aliqua mentis advertentia ad legem, et voluntatis consensus: repugnat enim committi peccatum absque ulla ejusdem cognitione, ac peccandi voluntate.

Q. *An veniale peccatum sit contra legem divinam?*

R. Affirma; nam a Deo prohibitum est. *Noli velle mentiri.* (Eccli. VII). *Non jurare omnino.* (Matth. V). Et a lege divina prohibetur quidquid contra rectam rationem est. Veniale peccatum non est quidem contra substantiam legis divinæ, sed utique contra modum legis observandæ a Deo præscriptum. *(Ita Azor., S. Ligor., l. 5, n. 11, aliique).*

325. Q. *An plura venialia constituere possint unum mortale?*

R. I. Nega, ratione multiplicationis; nam plura individua unius speciei constituere nequeunt speciem aliam; peccatum mortale in ordine altiori constituitur, non in æquali.

II. Affirma ratione unionis, vel adjunctionis; tunc etenim ultimus actus per se levis cum aliis gravem complet materiam; seu uniuntur actus ad producendum effectum graviter malum. Sic qui eodem die festo pluries per quadrantem laborat, vel pluries levem furtum committit, singulis vicibus venialiter peccat; sed ultima vice, quæ aliis unita notabilem materiam complet, gravem culpam constituit.

326. Q. *Quot modis peccatum ex se veniale evadit mortale?*

R. *Tantum ratione* adjunctorum evadere potest mortale peccatum veniale hoc versu contentorum:

Damnum, finis, amor, discrimen, spretus, et error.

I. *Ratione gravis damni* prævisi, tam spiritualis, puta scandalum, quam temporalis proximo illati, ut si quis instrumentum parvi momenti auferendo, in causa sit quod artifex notabile opus perficere nequeat, aut in blasphemias erumpat; tunc graviter adversatur charitati, et justitiæ.

II. *Ratione finis mortaliter mali*, ut si quis ad seducendam puellam mendacium officiosum proferat; nam media a fine speciem habent. Sufficit in confessione seductionem exprimere; cum ex se mendacium leve sit.

III. *Ratione mali affectus*, ut si quis rem venialiter malam, aut indifferentem agens, animo sit paratus eam facere, tametsi mortaliter esset mala; sane quantum est in se, voluntatem suam Dei amicitiæ præfert.

IV. *Ratione periculi proximi* in mortale labendi, ut siquis ex familiari mulieris colloquio, grave incurrat in turpia labendi periculum; mortale profecto est tali periculo se exponere; et qui tenetur ad finem, ad media etiam tenetur.

V. *Ratione contemptus formalis legis*, vel *superioris*, qua superior est, uti de legibus diximus; tunc enim contemptus in Deum redundat, a quo emanat omnis potestas.

VI. *Ratione conscientiæ erroneæ*, qua quis putat graviter peccare in re tantum levi; nam tunc in mortale apprehensum ipse consentit, et conscientia peccatum facit.

327. Q. *Quomodo confessarius pœnitentes a venialibus liberabit?*

R. 1.° Confessarius debet, et prius ipse venialia cavere, et postea detestationem in pœnitentibus excitare, et quo magis hæc fuerit viva circa mortalia, eo erit efficacior ad eliminanda venialia. Secus *qui spernit modica, paulatim decidet. (Eccli.* XIX).

2.° Causas venialium agnoscere, et ipsas pœnitentibus patefacere, ut eas extinguere possint; sic distracto præcipiat animi recessum; avaro elemosynam; iracundo patientiam; sobrietatem libidinoso, etc. Hæc est confessarii obligatio. *(Roncag., Gury).*

328. **Effectus peccati venialis** sunt: 1.° *Deum offendit*, quo sensu est aliquid pejus omnibus mundi malis simul sumptis.— 2.° *Minuit animæ pulchritudinem*, et quasi nebula aliquantisper lucem impedit.— 3.° *Minuit timorem Dei*, ex una parte, ac peccati horrorem, et auget ex alia animi teporem.—4.° *Impedit gratias speciales* juxta illud: *In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* (Matth. VII).—5.° *Induit reatum pœnæ per se* temporalis; nisi in damnatis reperiatur non remissum quoad culpam, in quibus in æternum puniri potest. *Angelicus in 4, dist. 22, q. 1, a. 1, ad 5.*—6.° *Disponit ad mortale;* præsertim si ex habitu committatur: *Qui spernit...* Ita periculose nimis negliguntur venialia, ma-

xime ab iis, qui ad majorem tenentur perfectionem, ut sunt religiosi, sacerdotes, et adolescentes ministerio ecclesiastico prolabantes. (*Scavini, p.* 416).

CAPUT VIII.

De peccato commissionis, et omissionis.

329. **Peccatum commissionis** *est transgressio præcepti negativi*, v. gr. furari.

Peccatum vero omissionis *est violatio præcepti positivi*, v. gr. Sacrum omittere in festo. Tamen ad quoslibet actus deliberatio voluntatis requiritur, ut imputetur commissio, et omissio; nam omnis determinatio actum voluntatis positivum dicit, et voluntas non peccat nisi per talem actum deliberatum. (*Ballerini, Scavini, p.* 406 *cum aliis*).

Non desunt qui negant specie differre peccata comissionis, et omissionis, si eidem adversentur præcepto, et ex eodem motivo; quiqpe ambo a fine suam speciem habent. Attamen ajunt esse seorsim confitenda; eo quia semper se habent uti partes integrales.

Alii cum *Scavini* affirmant, etiam cum eidem adversantur præcepto; nam semper diverso modo adversantur; v. gr. odium Dei, et omissio actus charitatis.—Imo, cæteris paribus, peccatum commissionis gravius est; siquidem pejus est mali objectum amplecti, quam bono non adhærere.

330. Q. *Quid de actibus omissioni culpabili adjunctis?*

R. I. Qui scienter, vel cum ignorantia culpabili periculo peccati mortalis sese exponit, eo ipso graviter peccat; cum saltem indirecte ipsam omissionem, et peccatum vult, ut qui Sacri tempore somno, vel itineri se tradit, periculum omissionis prævidens, licet postea Sacrum audiat; nam peccatum omissionis imputari incipit eo temporis instanti, quo advertenter ponitur illius causa, omissio sequatur necne. Si effectus sequatur, in confessione est aperiendus cum ipsa causa, si hæc suam habeat malitiam; actus enim externus peccati rationem, et statum pœnitentis notabiliter variat; ut qui se inebriat Sacri omissionem prævidens. *Ita Scavini, S. Ligor., l.* 4. *n.* 149, *l.* 5, *n.* 20.

II. Tot committit peccata, quot omissiones prævidet, vel prævidere debuit, ac potuit, sed noluit, causam ponens; quocirca in causa tunc est volita omissio.

Secus si eas non prævidit, neque in confuso. Hinc qui Breviarium projicit in mare, tot eo ipso peccata committit, quot omissiones Horarum prævidit. *Ita Salm., Scavini, S. Ligor., n.* 10, *cum comm.* Sed si vere doleat, omissiones quidem secutas confiteri non tenetur, nec censuras, si quæ sint, incurrit; nam illæ externa peccata non sunt. *S. Ligor., l.* 4, *n.* 149). Et hic fructus beneficii post retractationem non amittit, ratione inculpabilitatis, ait *Varceno*. Tamen in cap. *Mulieres de Sent. excomm.* dicitur, quod si quis voluntarie se inebriat, prævidens occisurum clericum,

excommunicationem incurrit, secuta occisione.—Actus vero concomitans, vel efficiens omissionem, nihil de sua bonitate, vel objectiva malitia mutat. (V. n. 30.)

331. Q. *Quandonam censetur quis debuisse, ac potuisse omissionem, et commissionem prævidere?*

R. 1.° Cum *per se* ut plurimum illæ ex tali causa sequuntur.—2.° Cum quis videt in aliis æqualis conditionis, et complexionis similia contingere.—3.° Cum præcepta proxime instant; *ita Billuart.*—4.° Quando periculum saltem confuse advertit debitum bonum omittendi, vel actum prohibitum ponendi. *(Varceno, p.* 266).

CAPUT IX.

De peccatis internis.

332. **Peccata interna** *ea sunt, quæ corde tantum patrantur.*—Essentialiter non differunt peccata interna ab externis quoad malitiam; nam peccatum externum totam suam imputabilitatem ab interno desumit, et est ipsius complementum. *Prov.* cap. XV, legitur: *Abominatio Domini cogitationes malæ.* Sufficit approbatio rei malæ, vel in eam consentire ad peccatum; *nam voluntas est, qua peccatur, et recte vivitur.* (S. August.) Ratio est, quia omnis affectus graviter malus, graviter creaturæ rationali disconvenit: neque ad internum peccatum requiritur efficax in opus consensus; secus alterius peccati approbatio mala non esset. (V. n. 36).

333. Q. *Ad quid ergo* libertas cogitandi *juxta modernum adagium?*

R. 1.° *Est contrarium* hoc adagium principiis philosophicis, et theologicis, quæ docent intellectum esse facultatem per se imperatam. *(Antoine, de act. humanis).*—2.° *Est prorsus absurdum;* sane recta ratio docet leges honestatis etiam afficere interiores hominis potentias.—3.° *Est legi naturæ, et divinæ contrarium;* nam lex de non concupiscendis rebus malis, et inhonestis in ipsa naturali, et divina lege fundatur. *Non concupisces.* (*Deut.* 5.) *Perversæ enim cogitationes separant a Deo. (Sap.* I. 3.) —4.° *Est catholicæ fidei subversivum;* siquidem doctrina catholicæ Ecclesiæ est, cogitationes malas nonnumquam animam gravius sauciare, et esse periculosiores iis, quæ in manifesto fiunt. *(Trid., sess.* 14, *c.* 5). Nam *qui... diligit iniquitatem, odit animam suam.* (Ps. X).

Contra hos *liberales*, ait etiam Christus D.: *Væ vobis, scribæ, et pharisæi hypocritæ: quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ a foris parent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum, et omni spurcitia. Sic et vos a foris quidem paretis hominibus justi: intus autem pleni estis hypocrisi, et iniquitate.* (Matth. XXIII). *De corde enim exeunt cogitationes malæ... adulteria, etc.* (Matth. XV[illegible]).—Lex humana judicat facta, et dicta; divina autem etiam, et cogitata; quia *Dominus... intuetur cor.* (I Reg. XVI).

Ad rem ait Balmes in suo *protestantismo cum Catholicismo comparato*, cap. XIII: «Quid significat cogitandi libertas? Numquid cogitatio suas leges non habet, quibus necessario est restringenda, nisi in chaos mergi velit? Potestne rectæ rationis normam contemnere? Potestne a boni sen-

sus consiliis animum avertere? Potestne oblivisci veritatem suum objectum constituere? Potestne æternis moralitatis principiis valedicere?»— De illis dicere valet Deus: *Adversum me omnes cogitationes eorum, in malum.* (Ps. LV. 6).

334. **Divisio.** *Triplicis generis sunt peccata interna:* scilicet, *gaudium*, *delectatio*, *et desiderium;* quæ quidem tria diversa sunt, cum diverso modo actum attingant; ideoque ea, uti in se sunt, in confessione erunt aperienda. (*Scavini cum communi*).

Gaudium malum *est quædam approbatio, qua perpetratum malum voluntas gratum, et acceptum habet.* Huc revocatur displicentia, malum, data occasione, non fecisse, v. gr. puellam non seduxisse, thesaurum non arripuisse, etc.; nec non tristitia de bono patrato, quod stricta obligatione fuerat præstandum, quæ tale peccatum erit, quale fuisset nolle obligationem implere. *(Ballerini)*.

Q. *Quale peccatum est gaudium malum?*

R. Gaudium, seu complacentia mala peccatum est, et quidem ejusdem speciei ac actio mala, circa quam versatur; cum enim voluntas de malo præterito delectatur, totum quidem objectum malum amplectitur suis circumstantiis vestitum. Unde qui sibi complaceat de copula adulterina habita, de novo adulterium committit; et sic de cæteris. - Quando quis se jactat de peccato patrato, regulariter ad jactantiæ malitiam, et scandali peccatum, connectit etiam complacentiam de peccato commisso, quæ sumit eamdem speciem peccati. *S. Lig.*, *l.* 5, *n.* 15, *et* 26.

335. Q. *An liceat gaudere de inculpabili omissione alicujus præcepti?*

R. I. Certe non licet gaudere de opere objective malo, neque tanquam causa boni effectus inde secuti; nam delectatio in objecto malo sisteret.—Neque licet juxta probabiliorem, et communiorem sententiam gaudere de causa objective mala, sed sine culpa posita, v. gr. pollutio ex tactu, vel turpi somnio, ebrietate, vel amentia orta; vel de Missa in festo omissa ex oblivione; aut de carnium esu jejunii die ex inadvertentia; eo quod etsi non fuerit peccaminosa actio illa, fuit objective mala, et eam nunc approbando, voluntas malum formaliter admittit. Unde Innocentius XI sub n. 45 hanc damnavit prop.: *Licitum est filio gaudere de parricidio parentis a se in ebrietate patrato, propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas.* (*Ita Scavini, S. Ligor.*, *n.* 20, *et* 27).

II. Licet de bono effectu a qualibet causa, etiam voluntaria, secuto gaudere, uti de naturæ exoneratione a pollutione secuta, de divina redemptione ob Adæ peccatum, etc. *Oh felix culpa*, in hoc sensu canit Ecclesia, *quæ talem meruit Redemptorem!* Ratio est, quia objectum istius delectationis non est malum. *Lessius, Gury, Scavini, S. Thom.*, *D. Ligor.*, *aliique.*

III. Caute agere debet confessarius, advertit *Gury*, cum iis, qui gaudent de emolumento sibi proveniente ex peccato suo, vel alieno, vel de naturæ exoneratione, ut ait *Gerson;* quippe adest periculum de ipsa re mala gaudendi, vel eam approbandi, vel ordinem charitatis lædendi; quæ sane postulat, ut bonum, quod intendimus, rationabiliter sit præferendum bono, quo alium privari, aut optamus, aut gaudemus. *Ita Gury*, *Baller. n.* 173. Nec mortale est tristari de lege, utpote molesta, seu in sensu diviso legis, v. g. tantum de jejunii molestia. *(S. Ligor.)*

336. **Delectatio morosa,** vel mentis, seu libera complacentia in re mala habetur, quando *quis per imaginationem reddit sibi præsens objectum peccati, et de illo delectatur deliberato consensu, ac si opus actu perficeret, sine desiderio illud reapse perficiendi.*—Dicitur *morosa* non a temporis mora, cum uno temporis puncto perfici possit, sed eo quod voluntas post plenam advertentiam in ea immoratur.

Q. *Quale peccatum est delectio de re mala?*

R. Delectatio morosa est peccatum mortale, vel veniale, prout ipsum opus cogitatum mortale, vel veniale sit. *(Ita communiter cum Gury, Scavini, D. Thom., S. Ligor., l.* 5, *n.* 16). Ratio, quia naturæ rationali, et legi divinæ repugnat voluntatem gratum habere id, quod rectæ rationi indecens, et Deo odibile est. Delectatio enim deliberata de objecto malo affectum in illud arguit; atqui affectus in objectum malum est malus, et consensus in delectationem mali operis; ergo... Hinc *(Oseæ,* IX) : *Facti sunt abominabiles, sicut ea, quæ dilexerunt.* (Et Sap. I). *Perversæ enim cogitationes separant a Deo.*

Valde autem probabilis est, ait D. Ligorius, *sententia Lugonis., Bon., Spor., Laym., Azor., aliorumque, qui tenent delectationem non contrahere nisi malitiam objecti, et circumstantiarum, de quibus delectatur.* Sic qui de copula cum nupta, vel consanguinea, vel moniali delectatur, non qua nupta, consanguinea, aut monialis, sed in genere, qua fœmina, vel pulchra, etc., malitiam adulterii, vel incestus, aut sacrilegii non contrahit, sed tantum simplicis fornicationis; nam delectatio in apprehensum objectum tantummodo fertur; in quo etiam discriminatur a desiderio efficaci, a gaudio, et ab externo opere, quæ omnia semper feruntur in objectum secundum se. Ita probabiliter *S. Ligor, n.* 28, *cum Less., Dian., et aliis.* Ratione tamen hujus periculi, ait *D. Lig. n.* 15, in praxi est explicanda in confessione adjuncta circumstantia. Quoad causas delectationis, et sensus appetitus venerei, v. n. 19, et 924.

337. Q. *An idem sit cogitatio, ac delectatio?*

R. Nega; nam simplex cogitatio *per se* ab omni malitia abstrahit, sed tantum objectum aspicit prout in se apparet, quin ad opus, vel ad moralitatem referatur.—Delectatio autem ad moralitatem *per se* tendit. Unde 1.° Si formalis ratio delectationis ex ipsa sola cogitatione, vel cognitione, aut lectione desumatur, docendi, monendi, confitendi, vel officium honestum exercendi gratia, absque consentiendi periculo, bona est.—2.° Si delectatio de ipsa sola cogitatione, non de opere; id est, si ipsa cogitatio rei malæ absque ullo pravo desiderio, gaudio, vel delectatione venerea habeatur, et objectum sit abstractæ delectationis, *per se* peccatum non est; nam tunc est velut simplex cognitio rei malæ.—Si causa curiositatis habeatur, *ex se* veniale est.—Si demum formalis ratio delectandi sit non simplex cognitio, aut cogitatio, sed ipsa res mala, mortale, aut veniale erit peccatum juxta objectum. Ita *S. Lig., l.* 5, *n.* 17, *S. Thom.* 1. 2, *q.* 74, *a.* 8, *cum communi.*

Neque peccatum quidem est delectatio, quæ versatur circa modum male operandi, non circa ipsum opus malum, si modus ille per se malus non sit: quo modo sæpe nos delectat furtum, fabula, comœdia, bellum, modus cadendi. (*S. Ligor., n.* 18, *cum communi*). Sæpissime anguntur rudes, et scrupulosi, ex eo quod hæc promiscue apprehendunt. Aliud est sensus delectationis, et aliud consensus in delectationem.

338. Q. *An liceat delectari de malo proximi ob effectum bonum?*

R. Affirma, si delectatio circa majus bonum proximi, vel innocentis versetur; nempe, si delector de proximi infirmitate, vel morte, ut sic desistat a scandalis, ab Ecclesiæ persecutione, a peccatis. *Potest aliquis, salva charitate, optare malum temporale alicui, et gaudere si contingit; non in quantum est malum illius, sed in quantum est impedimentum malorum alterius, quem plus tenetur diligere, vel communitatis, vel Ecclesiæ*, ait Angelicus 3 Sent. d. 30, q. 1, a. 1. ad 4. Intellige, servato ordine charitatis, nempe, quando malum quod vitatur, præponderat, vel coæquat malum proximo optatum; ait *S. Alph.*, *n.* 21. Sic licet gaudere de supplicio malefactoris ad exemplum aliorum; et quod dicitur de delectatione, dicendum pariter est de desiderio. *(Ita Salm., n.* 43, *S. Lig., n.* 21).—Aliqui opinantur posse patrem optare mortem filii, si timet ex ejus flagitiis dehonestandam esse familiam. (*Bon.*, *Salm., n.* 44).

338. Q. *An sponsis, et viduis liceat delectatio de copula præterita, vel futura?*

R. Aliqui affirmant, modo delectentur appetitu rationali, non autem carnali; etsi in praxi vix hoc permitti possit ratione periculi carnalis delectationis. *(Ita Bus., Nav., Val., Bon., Salm., n.* 57, *apud S. Ligor.).*—Verius id negant alii; delectatio enim reddit sibi objectum præsens, et tunc est malum; cum absit hic et nunc conditio cohonestans matrimonii, mala etiam est omnis actualis delectatio de illo. Excipe si sponsus vult copulam futuram sub conditione, qua objectum licitum erit. *(Ita Bon., S. Lig., n.* 24). Neque licet delectationem sumere de re nunc mala, quæ bona evasura erit, cessante prohibitione; v. gr. sponsus quoad usum conjugii, nondum celebrato matrimonio; quippe delectatio objectum sibi præsens reddit. *Scavini, pag.* 413, *S. Lig. n.* 14.

339. Q. *An conjugibus delectari liceat de copula, etsi alter conjux sit absens?*

R. Affirma, saltem probabiliter, etiam carnaliter de copula habita, vel futura delectari possunt, semper ac absit periculum pollutionis; nam (prout dicunt *Salm. n.* 84, de tactibus impudicis) ipse status matrimonii hæc omnia licita reddit; alias status matrimonialis nimiis scrupulis esset obnoxius: *(Ita S. Antoninus, D. Ligor., n.* 25, *cum communi).*

Resolves. 1.° Licet delectari de rebus solo jure positivo prohibitis, modo non fiat sub ratione prohibitionis. Sic non peccat, qui in die jejunii se oblectat de esu carnium cogitato; cum non sit de opere malo; nam lex tantum vetat externam comestionem. *(S. Ligor., n.* 27).

2.° Non licet gaudere de Missa, jejunio, Horis, etc., ob inculpabilem oblivionem omissis, in se spectatis; nam omissio est objective mala. At non peccat, qui delectatur tantum de commodo inde secuto, vel quia non peccavit omittens. *(S. Ligor., ibid.).*

3.° Qui delectationem morosam gravem confitetur, addere debet operis circumstantias, de quo fuit delectatio, v. gr. an in materia carnis, vel mortis, an circa unam, vel plures personas, an de conjugata, vel consanguinea, moniali, etc., nisi delectatio in genere feratur circa personam aliquam, præscindendo a circumstantiis. *(Azor., Sa., Salas, etc.)*

340. **Desiderium** *est actus voluntatis, quo quis deliberate intendit opus aliquod determinatum perficere.*—Dicitur *efficax,* quando quis *media* suscipit ad illud ducendum ad effectum.—*Inefficax* vero si non proponit

absolute exequi, sed consentit quod exequeretur, si posset; v. g. si possem furari tale thesaurum, id facerem.

Q. *Quale peccatum est desiderium rei malæ?*

R. I. Quodlibet desiderium rei malæ, licet inefficax, illicitum est, nono, et decimo Decalogi præcepto prohibitum. (*Exod.* xx). Sane turpe est velle, ac desiderare quovis modo aliquid turpe, et illicitum; atque ejusdem speciei, et malitiæ, cujus est ipsum objectum desiderii. Id constat ex verbis Christi: *Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* (Matth. v).

II. Induit etiam species circumstantiarum objecti; quippe desiderium respicit actum externum, ut executioni absolute, vel hypothetice mandatum; necessario igitur in illum fertur secundum omnes conditiones, et circumstantias, quas idem actus externus habet; neque per abstractionem malitia specialis separari potest; consequenter in confessione declaranda sunt desideria specifica. Hinc qui gaudet, vel delectatur, aut desiderat copulam cum conjugata, vel propinqua, aut voto castitatis ligata, aut copulam sodomiticam, graviter etiam peccat ratione adulterii, vel incestus, vel sacrilegii, aut sodomiæ: (*Ita Gury, Scavini, S. Ligor., l.* 5, *n.* 12, 15, *cum communi).*

341. Q. *An liceat solutionem naturæ desiderare ob finem bonum?*

R. Aliqui dicunt licere aliquando desiderare inefficaci desiderio, ut talis solutio fiat sine culpa ob bonum finem, v. g. in somno; modo desiderium, ob suam intensitatem, eam non causet, et absit consensus periculum in voluptatem; objectum enim hujus gaudii, vel desiderii non est peccatum. (*Bon., Les., l.* 4, *c.* 3, *n.* 105 *et* 106). Tamen dissuadenda sunt desideria circa res quolibet jure prohibitas; nam ut plurimum otiosa sunt, et aliquando affectu aliquo inordinato laborare possunt, ut recte advertit *P. Gury, n.* 171.—Secus dicendum, si de objecto bono sint, ut de templis visitandis, ornandis, sacris ministeriis obeundis, eleemosynis elargiendis, si posset. *(Ballerini, ibid.).*

342. Q. *An liceat aliquod objectum malum optare sub conditione, si non esset vetitum?*

R. I. Affirma, si conditio malitam objecti auferat, non tantum in vetitis de jure positivo, prout si diceres: jejunium frangerem, si non prohiberet Ecclesia; sed etiam in vetitis de jure naturali, seu de *simpliciter intrinsece* malis, casu quo objectum esse posset licitum; v. gr. si a Deo mihi permitteretur, illam Titii rem arriperem; si judex essem, malefactorem istum occidere facerem; si sacerdos non essem, uxorem ducerem, et similia; nam adest tantum significatio naturalis propensionis in illud objectum. Ita communiter cum *Sanch., S. Lig., n.* 13. Ordinarie a veniali non excusantur hujusmodi desideria ratione otiositatis, et periculi. *S. Ligor., ibid.*

II. Nega, quando conditio malitiam objecti non aufert; nimirum, peccarem, si non esset infernus; inimicum occiderem, si ensem haberem; fornicarer, si non essem religiosus; blasphemarer, ulciscerer, etc., tunc conditio nihil aufert ab objecto; et consensus ille in voluntate ponit affectum committendi id, quod est intrinsece malum. Ita *omnes*, ait *S. Lig., l. c.*

III. Quando agitur de re *intrinsece*, et *absolute* mala, tunc malitiam ab objecto, etiam sub conditione, si liceret, sejungi non posse, dicunt

Sanch., *n.* 23, *Spor.*, *Lay.*, *S. Lig.*, *n.* 14, *et alii*, prout dicere: vellem blasphemare, pejerare, mœchari, fornicari, ulcisci, et similia, *si liceret;* quamvis enim consensus sit conditionatus respectu ad objectum, respectu ad delectationem est absolutus; siquidem voluntas delectatur de objecto hic, et nunc sibi præsenti, et malo. Secus vero dicendum, si quis diceret; delectarer de hoc, si non esset malum. *Salm.*, *n.* 61, *S. Lig.*, *n.* 14, cum communi. Alii tamen *satis probabiliter*, ait *S. Ligor.*, *l. c.* cum *Bon.*, *Suar.*, *Salm.*, *n.* 62, sentiunt quod cum quis objectum malum impossibile desiderat sub præfata conditione, *si liceret*, nunquam efficaciter in illud consentit, sed suam tantum propensionem ostendit; nisi optaret objectum illud non esse vetitum; nam sic ordinem, et legem naturæ inverti vellet. Ita *Salm.*, *S. Lig.*, *ibid.*, *et alii.*

343. Q. *Quid si pœnitens dubitet an pravis cogitationibus consenserit necne?*

R. Sequentes regulas tradunt theologi: 1.ª Præsumendum est non consensisse, si agatur de eo, qui Deum timet, et mori mallet, quam ipsum offendere. Secus de peccatis assueto. In dubio præsumendum est ex communiter contingentibus.

2.ª Qui dubitat vigilans, an dormiens, vel sui compos quidpiam fecerit, judicatur non sat advertisse; qui enim cogitat, satis se vigilare sentit.

3.ª Si quis, ubi primum ad pravas cogitationes, aut motus reflectit, statim dolorem sentit, aut aversionem, prudenter præsumitur in dubio non consensisse.

4.ª Si dubitans, facile exequi potuisset peccatum, et non est executus, consensisse non censetur.

5.ª Si septennium nondum sit completum, in dubio, nisi malitia certe suppleat ætatem, non præsumitur perfecta saltem advertentia, et plenus consensus. Prudens confessarius attendere debet pœnitentis propensionem, animi statum, agendi modum, ut recte judicare possit. (*Talento*, *Scavini*, *ibid.*)

TRACTATUS SEXTUS.

DE PECCATIS CAPITALIBUS.

344. Septem vitia capitalia enumerat Angelicus; et sunt: *Superbia, Avaritia, Luxuria, Gula, Ira, Invidia, et Acedia.*

Dicuntur capitalia, non quia sint cæterorum gravissima, vel semper mortalia, sed quia aliorum existimantur quasi causa, fons, et caput.

CAPUT I.

De superbia.

345. **Superbia** est *inordinatus appetitus propriæ excellentiæ.* Nomine appetitus intelligitur amor, desiderium, et complacentia. Venit a superbire, id est, ire supra id quod est.

Divisio. Duplex est superbia: *perfecta, et imperfecta.* 1.ª est *ea, qua quis bona, quæ a solo Deo habet gratuito, æstimat a semetipso habere, vel pro suis meritis accepisse, vel in illis finem ultimum ponit, vel rebus graviter malis; et ita appetit excellere, ut Deo, ac superioribus subjicere renuat.*—2.ª vero ea est, *qua quis plus æquo se extollit, vel in propria, et de propria excellentia nimis sibi placet.*

Q. *Quale peccatum est superbia?*

R. *Perfecta*, ex genere suo, est peccatum mortale. Superbi, ex Apost., *digni sunt morte.* (Rom. I). Ratio; quia graviter repugnat charitati, et excellentiæ Dei, qui per superbiam contemnitur. — *Imperfecta,* ex genere suo, est solum veniale; nam charitati, et excellentiæ Dei non graviter repugnat. *(Gury, Varceno, S. Ligor., l. V, n.* 65).

346. **Superbiæ filiæ.** *Ista mater nescit esse sterilis, sed ubi fuerit, continuo parit,* ait S. August. Et Eccli. X: *Initium omnis peccati est superbia.* Præcipuæ filiæ sunt: *vanagloria, ambitio, præsumptio, hypocrisis, ostentatio, et pertinacia.*

I. *Vanagloria* est *inordinatus appetitus humanæ æstimationis, et laudis.* Ordinatus appetitus honoris non est malus. *Melius est nomen bonum quam divitiæ multæ.* (Prov. XXII.) Neque per se mortalis est vanagloria, sed venialis; nisi quis gloriam quærat in re graviter prohibita, v. g. in duello; vel in hac vanagloria ponatur finis ultimus. *(Varceno, Scav.)* Dupliciter ex vanægloriæ cupiditate peccari potest: verbis, et factis.—*Verbis*, dum quis inordinate de se ipso prædicat quod gloriam sibi comparat: hæc dicitur *jactantia*, et erit mortalis, vel venialis, prout

sit de rebus graviter, vel leviter malis contra Deum, vel proximum; nam approbatio operis eamdem speciem cum illo induit.—*Factis* vero, dum quis res novas, et peregrinas agit ad laudem sibi comparandam, quæ si ad mores corrumpendos conferat, vel in grave sui, vel proximi damnum, erit mortalis; secus venialis.

II. *Ambitio* est *inordinata cupiditas honoris, potentiæ, et dignitatis.* —Est mortalis. 1.° Ratione *damni;* ut si quis alterum longe se digniorem a dignitatis consecutione arceat, unde honor divinus, vel proximus, aut societas detrimentum patiantur.—2.° Ratione *materiæ;* ut si quis grave aliquod munus ambiat, cui tum assequendo, tum sustinendo impar sit, et indignus; v. gr. sacerdos ambiens talem parœciam.—3.° Ratione *modi;* ut si quis honores per simoniam adipisci velit, aut per fraudem, vel detractionem, aut canonicatum per *munus a lingua*, etc.

III. *Præsumptio* est *inordinata cupiditas aliquid faciendi proprias vires excedens;* et est lethalis, vel levis ratione damni levis, vel gravis proximo illati; ut si quis præsumeret exercere officium judicis, medici, confessarii, parochi, sine sufficienti scientia; sive ratione injuriæ, ut fuit illa Luciferi: *Ascendam... similis ero Altissimo.* (Isai. XIV).

IV. *Hypocrisis est inordinata cupiditas honoris in bonis moralibus quæsita, qua quis simulat sanctitatem, quam non habet, aut majorem, quam habet;* quod erit saltem veniale; cum sit mendacium facti. Erit autem mortale, si eidem conjungatur, vel contemptus virtutis, vel grave proximi damnum. vel si ad finem graviter malum dirigatur; v. gr. si quis sanctitatem simulat ad proximum in re gravi decipiendum, vel ad beneficium acquirendum. Contra hos ait Jesus: *Væ vobis Scribæ et Pharisæi hypocritæ...* (Matth. XXIII).

V. *Ostentatio* in dictis, factis, vestibus, etc., per se non est nisi peccatum veniale; sed ratione damni familiæ in parentibus se, et filios plus æquo exornantibus aliquando, velut causa damni, vel scandali, grave esse potest.

VI. *Pertinacia* est *obstinatio, qua quis mordicus propriæ opinioni adhæret.* Erit mortalis 1.° Si oppugnetur veritas magni momenti; ut sunt veritates Ecclesiæ catholicæ, quod peccatum committunt protestantes, et hæretici omnes, juxta illud: *Et ne innitaris prudentiæ tuæ.* (Prov. III).—2.° Si grave proximo damnum obveniat; ut si medicus cum gravi ægroti periculo firmus maneat in propria sententia.—3.° Si dissensionem voluntatis generat in rebus, in quibus concordes esse oportet; hæc, licet ex genere suo sit mortalis, ex levitate tamen materiæ venialis esse potest. —4.° Si contentionem verborum, impugnationem veritatis cum altercatione moveat, vel foveat, mortalis, vel venialis erit, prout grave, vel leve Dei honori, et proximi bono damnum inferat.—5.° Si inobedientiam procreat, qua quis ex contemptu exequi recusat illud quod ex præcepto debet, gravis pariter erit.

347. **Superbiæ remedia** sunt: 1.° Humilitatem a Deo frequenter postulare.— 2.° Proprium nihilum, et innumeras corporis, et animæ miserias ante oculos indesinenter habere: *Quid autem habes quod non accepisti?* (I Cor. IV).—3.° Pœnas superbiæ, et præmium humilitatis meditari; nam *Deus superbis resistit* (Jac. IV); *et qui se humiliaverit, exaltabitur.* (Matth. XXIII).—4.° Mente agitare Christi exempla, qui *humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.*

(Philip. II).—5.° Actus tam internos, quam externos humilitatis frequenter exercere.

Q. *Quid est pusillanimitas, et quale peccatum?*

R. Est *ea indoles, qua quis nimium sibi diffidens ob animi parvitatem, honores detrectat, gloriam, vel officium, quo dignus est.*—Ex genere suo venialis erit; sed fit mortalis, si detrectas id, ad quod sub mortali teneris. Ob hunc defectum non raro vidimus nullitates in præcipuis dignitatibus in populorum ruinam. Huc facit parabola talentorum, et miser finis servi diffidentis. *(Matth.* XXV).

CAPUT II.

De avaritia.

348. **Avaritia** quasi *æris aviditas* est, et definitur: *Inordinatus amor divitiarum, seu rerum temporalium.*

Opponitur justitiæ, et liberalitati.—Si 1.^m^ in peccatum mortale facile prodibit, tum media graviter illicita adhibendo ad divitias comparandas, augendas, aut conservandas; tum ultimum finem in iis constituendo. *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia, et nociva, quæ mergunt homines in interitum.* (I Tim. VI). *Avarus non implebitur pecunia:* legitur in *Eccles. c.* V. Avarus esse potest tum dives, tum pauper, ratione cupiditatis, et mediorum. —Si 2.^m^ per se veniale tantum pariet; cum sit levis tantum inordinatio quædam; nisi eleemosynæ præceptum graviter violetur.

Avaritiæ filiæ precipuæ sunt 1.° *Durities cordis* super egenorum miseriis; eos despiciendo, debita tarde solvendo.—2.° *Inquieta sollicitudo* ex amore divitias comparandi, vel timore amittendi, quæ mortalis esse poterit, si ab obligationibus spiritualibus retrahat, vel a domesticis, aut publicis sub gravi præceptis.—3.° *Usurpatio rei alienæ* per vim, vel per fallaciam, datam fidem violando, aut per *fraudes* sive verbis, sive factis decipiendo. — 4.° *Proditio*, nempe, injusta rei, vel personæ manifestatio lucri causa, uti de Juda proditore legimus.

Avaritiæ remedia sunt: 1.° Oratio, *quæ licet sit una, omnia potest*, ut ait Teodoretus.—2.° Frequens meditatio celsitudinis cœlestium, et vanitatis, vel modicæ durationis terrestrium. Post mortem *nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.* (Ps. LXXV).—3.° Eleemosynarum largitio secundum facultates.—4.° Conformatio divinæ voluntati in jacturis.

349. **Prodigalitas** est *defectus in conservando, et excessus in erogando.*—Ex genere suo venialis est. Potest tamen fieri mortalis, si liberis, aut uxori paupertatem creet, vel si quis impotentem se reddat ad solvenda debita, aut bona ecclesiastica, piis causis obnoxia, profundat.

CAPUT III.

De luxuria.

350. **Luxuria** est *inordinatus appetitus rei venereæ.* Venerea delectatio sive directe quæratur, sive indirecte, quando intenta sit, aut voluntarie admissa, gravis culpæ reatum, ex *genere suo toto,* semper infert. (*Ita Scav., Ballerini, cum communi).* — Potest ex aliquibus circumstantiis evadere levis, ut in nonnullis tactibus, lectionibus, verbis, et similibus minus periculosis. (V. n. 906, et seqq.)

Filiæ sunt: Cæcitas mentis, inconsideratio, inconstantia, odium Dei, fidei langor, imo et amissio.

Remedia sunt: Frequens oratio, sensuum custodia, occasionum et otii fuga, carnis mortificatio, temperantia, sacramentorum frequentia. Sed de hac re fusius in sexto Decalogi præcepto.

CAPUT IV.

De gula.

Gula est *inordinatus appetitus cibi, vel potus.* Cum rationis ordo expostulet, ut cibus, et potus pro necessitate, vel utilitate naturæ sumantur, ut hæc perficiatur, et conservetur, patet esse gulæ peccatum omnem excessum, et etiam omne ejusdem inordinatum desiderium.

Gulæ species duæ sunt: *crapula, et ebrietas. Crapula,* seu *comessatio* est *excessus in cibo usque ad vomitum. Ebrietas* est *excessus in potu usque ad usus rationis privationem.*

Quinque modis gulæ peccatum committi potest, ex D. Gregorio: *Præpropere, laute, nimis, ardenter, studiose.*

1.° *Præpropere,* qui ordinarium comedendi tempus sine causa antevertunt.

2.° *Laute,* qui cibos, aut liquores nimis exquisitos ob solam delectationem sumunt.

3.° *Nimis,* qui cibis, et potibus ita indulgent, ut iisdem saginare se videantur.

4.° *Ardenter,* qui nimia aviditate, vel festinanter cibum, et potum sumunt, ut ait *S. Antoninus.*

5.° *Studiose,* qui cibos nimio studio præparatos inquirunt, ut magis iisdem delectentur.

Q. *Quale sit gulæ peccatum?*

R. Potest esse mortale, vel veniale.—Mortale erit: 1.° *ratione finis ultimi;* tales erant olim Epicurei, et sunt hodie eorum imitatores, *quorum deus venter est.* (Philip. III).—2.° *Ratione gravis damni,* tum corporalis, si sanitati grave afferat detrimentum; tum spiritualis, si inde sentiat quis se ad luxuriam graviter excitari. —3.° *Ratione excessus* gra-

viter inordinati, ut si quis carne humana vesceretur, nisi excuset necessitatis casus, vel medicinæ.—4.° *Ratione gravis scandali*, ut siquis clericus in publico loco nimis comessationibus indulgeat. (*Ita Scavini*, *p*. 447).

Extra istos casus gula leve erit peccatum; excessus quidem ob materiæ parvitatem generaliter ab auctoribus cum *D. Thoma*, 2. 2, *q*. 148, *a*. 2, venialis reputatur.

Q. *Estne grave comedere usque ad vomitum?*

R. Nega, cum *Scav., Salm., et comm.* contra *alios*, secluso scandalo, vel gravi damno; cum gula ex se tantum leve peccatum sit.—Qui tamen vomitu se exonerant, ut iterum edant, vix ac ne vix a mortali excusari possunt, cum id maximam involvat deformitatem. *(S. Ligor., l.* 5, *n*. 73).

352. Q. *An sit grave comedere, vel bibere ob solam voluptatem?*

R. I. Si voluptas tantum sit causa concomitans, nullum aderit peccatum; ab ipso quippe naturæ Auctore indita est, ut homo *ad salutem tuendam*, ad ea sumenda alliceretur, ait *S. August.*, *l. V*, *contra Julian.*, *c*. 14.

II. Si vero voluptas sit causa finalis, saltem veniale peccatum erit, adest quidem ordinis inversio, nempe, dirigere finem ad media. Hinc damnata est ab Innoc. XI hæc sub n. 9 propositio: *Comedere, et bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem, non est peccatum, modo non obsit valetudini; quia licite potest appetitus naturalis suis actibus uti.* Plurimum cogitare, et loqui de cibis, et potibus sine causa, signum gulosi, et vilis spiritus est. (Vide Sales, *Filotea*, c. 34).

353. **Ebrietas** tripliciter esse potest, ait D. Thomas: *Uno modo sic, quod nesciat potum esse immoderatum, et inebriare potentem; et sic ebrietas potest esse sine peccato.—Alio modo sic, quod aliquis percipiat potum esse immoderatum, non tamen æstimet potum esse inebriare potentem; et sic ebrietas potest esse cum peccato veniali.—Tertio modo potest esse, quod aliquis bene advertat potum esse immoderatum, et inebriantem..., et sic ebrietas est peccatum mortale; quia secundum hoc homo volens, et sciens privat se usu rationis.* (2. 2, q. 150, a. 2).

—Tandem graviter item peccat, qui advertenter tantam vini, vel alterius liquoris quantitatem sumit, quæ sit apta ad se inebriandum, etsi antequam sensibus destituatur, somno se tradat, vel nonnisi post unam aut duas horas rationis usum amittat; quippe tunc potio jam est intrinsece mala.—Item graviter peccant illi, qui die, noctuque potantes, ebrietatis periculo se exponunt; vel qui experti se in illis consortiis inebriari, adhuc tamen in iis versantur, etsi per accidens illo die non se inebriaverint; jam enim se voluntarie, et scienter periculo exposuerunt.—Item graviter peccant illi, qui alios ad ebrietatem provocant. *(S. Lig., l.* 5, n. 78).

—Quod hisce modis graviter peccatur, constat ex jure divino, et naturali.—1.° Ex jure divino: *Væ qui consurgitis mane, ad ebrietatem sectandum.* (Isai. v). *Neque ebriosi... regnum Dei possidebunt.* (I Cor. vi). —2.° Ex jure naturali: Voluntarie se usu rationis privare sine causa, modo innaturali, et voluptuoso est sane graviter imaginem Dei in se deturpare, ad brutorum statum se dejicere; rationi naturali ergo se opponere.

354. Q. *Quot gradus habet ebrietas?*

R. Tres: 1.° Rationis obumbrationem.—2.° Organorum turbationem, et cordis aggravationem.—3.° Rationis subversionem; et hæc dicitur *perfecta* ebrietas, quæ est mortale peccatum; alii duo *imperfecta* dicuntur,

et per se veniale non excedit. *(Ita communiter cum Gury, Scavini, S. Ligor., l. 5, n. 75).*

Q. *Quænam sunt signa perfectæ ebrietatis?*

R. 1.° Si quis jam distinguere licitum ab illicito nesciat.—2.° Si insolita dicit, vel facit, v. gr. turpia, et absurda verba proferat, familiam perturbet, aut verberet, etc. – 3.° Si post ebrietatem ignoret quid in ea dixerit, vel fecerit, ubi fuerit, quomodo domum redierit; nam hæc satis usus rationis amissionem ostendunt.—Secus imperfecta erit ebrietas.

355. *An liceat se inebriare ad depellendum morbum, vel ad subeundam operationem chirurgicam?*

R. ad I.m Affirma probabilius, si indirecte, et ex medici præscripto fiat; nam hoc non est velle, sed justa de causa ebrietatem permittere. *Cum aliquis multum... bibit secundum consilium medicinæ... non est reputandus superfluus... potus,* ait Angelicus, 2. 2, q. 150, a. 2, ad 3; sed utilis ac necessarius. *Ita Gury, Scav., S. Ligor., n.* 76, *aliique.*—Secus dicendum, si directe beritatem quis intenderet; esset tunc intrinsece mala.

R. ad 2.m Nega probabilius; porro ebrietas tunc directe intenderetur; sopor enim ex ebrietate ita oriens, ac ipsa ebrietas est quid unum inseparabile; nam etsi ebrietas non proveniat ex rationis privatione, sed ex nervorum hebetudine, immediate tamen rationis privatio a tali causa provenit.—Aliunde si rationali naturæ inebriari repugnat, si est quid intrinsece malum, in quolibet brevissimo momento directe id curare malum erit. Nam in hoc casu non sumitur vinum, vel liquor, ut medicina ad expellendos pravos humores, vel ad remedium necessarium, sed ad commoditatem; nempe ad dolores non sentiendos. *(Ita S. Ligor., n.* 76, *cum aliis).* Contra, alii sustinent adhuc in tali casu indirecte ebrietatem sequi; quippe nec potatio ad causandam rationis privationem datur, neque sensuum sopor provenit ex privatione rationis, sed ex nervorum hebetudine, ut dicit *Ballerini, n.* 182.

In 1.° casu vinum eligitur ut medium natura sua ordinatum ad expellendum morbum, et alioquin hujus periculum est ab intrinseco, ab ipsa natura. Et in 2.° casu vinum eligitur, non ut medium naturaliter ordinatum, sed a malitia hominis intentum, et bonus effectus ex malo sequeretur.

Demum usus rationis non ordinatur ad corporis vitam, sed ad animæ integritatem; unde paritas non teneret, *sed melius esset, ut caro tua sobria occideretur, quam per ebrietatem anima moreretur;* ut ait D. August., Serm. 232. *(Ita etiam Azor., Cajet., Tour., Salm., S. Ligor., n.* 76, *Scavini, Vareeno, aliique contra alios).*

Q. *Quid de ætheris aspiratione ad sopiendos sensus?*

R. Non est damnanda medicorum praxis, qui opium, vel æther exhibent ad sensus sopiendos, cum ejus virtus primaria, et directa non sit inebrians, sed soporifera, quo fit, ut tanto sopore obtorpescant nervi, ita ut infirmus dolorosissimas chirurgicas operationes sustinere possit; nam ibi ex se non sensus, sed animæ facultates sopiuntur. *(Ita Scavini, p.* 449).

Q. *Quid si alicui cum morte minetur, nisi usque ad ebrietatem bibat?*

R. Probabilius se inebriare tunc nequit; esset quidem se directe rationis usu privare, et *non sunt facienda mala, ut inde eveniant bona.*

356. Q. *An liceat aliquem ad ebrietatem inducere, ut a majori malo avertatur, puta, a sacrilegio, homicidio?*

R. Alii cum *Less.* affirmant; nam hoc non esset nisi majus malum impedire. *Alii plurimi cum Gury, n.* 183, *Salm.*, *t.* 25, *l.* 2, *n.* 51, negant quoad formalem ebrietatem, seu cum alterius peccato; cum hæc sit intrinsece mala, ideoque numquam permittenda; *quia non sunt facienda mala, ut inde eveniant bona.*—Affirmant quoad materialem ebrietatem, puta, fortissimum vinum illi apponendo, aut medicatum; nam tunc permittitur materiale ad vitandum formale peccatum. Hæc sententia probabilior videtur. *Ita communiter.—Prima sententia*, ait D. Lig., n. 77, *satis probabilis videtur mihi, et aliis viris doctis a me consultis, sive ebrietas sit materialis, sive formalis.* Maxime si hæc tantum permittatur.

357. Q. *An sint imputabilia omnia mala in ebrietate facta?*

R. Nega, si prævisa non fuerint, nequidem in confuso; quia non sunt voluntaria.—Affirma, si fuerint prævisa, saltem quoad mala operis, sive commissionis, sive omissionis, etsi non secuta; sunt enim tunc voluntaria in causa, et coram Deo.—Excipe probabiliter contumelias communes in hominem; quia non habentur dedecori, sed potius risu excipiuntur. (*Ita Scav., Gury, S. Lig., n.* 78, *aliique).* Secus si in Deum proferantur, uti blasphemiæ, etc., nam hæc intrinsece mala sunt, et utpote prævisa, in ipsa causa sunt voluntaria; vel si aliquod infame delictum proferatur; famam quippe læderet; aut si quis alia mala opera in proximum ageret.

358. **Gulæ filiæ** quinque sunt ex Gregorio Magno: 1.ª *Inepta, seu immoderata lætitia*, ac scurrilitas, sive immoderatio in jocis, et facetiis. —2.ª *Immunditia in dictis, vel factis.*—3.ª *Multiloquium*, quod grave, vel leve esse potest juxta injuriæ gradum in Deum, vel in hominem. *In multiloquio non deerit peccatum.* (Prov. x).—4.ª *Hebetudo mentis*, qua homo ineptus fit, tam ad veritatis, et rerum spiritualium contemplationem, quam ad actiones quascumque ingenii, consilii, et prudentiæ.—5.ª *Infirmitates. In multis enim escis erit infirmitas, et aviditas appropinquabit usque ad choleram.* (Eccli. XXXVII).

Gulæ remedia sunt: 1.° Mortis meditatio: *Esca ventri, et venter escis: Deus autem et hunc et has destruet.* (I Cor. VI).—2.° Ponderatio filiarum gulæ modo dictarum.—3.° Aliquid frequenter gulæ subtrahere, quod palato sit gratius.—4.° Acetum, et fel Jesu Christo oblata sæpe meminisse, præsertim ante poculum.—5.° Occasiones fugere. v. g. ludos, liquores in cubili, vel domo tenere, si hoc fieri potest, et saltem per aliquod tempus ab eis omnino se abstinere, usque dum debilitas cordis vires sumat.

359. Q. *Quantum licite poterit quisque sumere?*

R. Tantum potest quis comedere, et bibere, quanto se indigere credit ad sustentationem, et executionem eorum, quæ sibi agenda incumbunt; ita ut non usque ad nauseam sumat, sed cum aliquali adhuc appetitu finem faciat. *(Ita S. Antoninus, part.* 2, *l.* 6, *c.* 1).

CAPUT V.

De ira.

360. **Ira** est *inordinatus appetitus vindictæ, vel quasi vindictæ.*—1.° Dicitur *inordinatus appetitus;* nam debita cum moderatione non est

vitium, sed boni amor, et zelus. Sic Christus Jesus *cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes ejecit de templo.* (Joan. II). —Sic judex a reo, pater a filio, dominus a servo vindictam sumunt, virtutis actum exercentes, ordinem curantes, et scandala vitantes.—2.° Additur, *vel quasi vindictæ*, ad significandum posse inordinate hominem aliquando irasci etiam in res inanimes, v. gr. agricolam in jumentum, in falcem, etc.

Ira est peccatum *ex genere suo* mortale.—Probatur 1.° *Ex ratione;* directe quidem charitati opponitur.—2.° *Ex S. Scriptura :* hinc ex Apost. *Iræ, rixæ, dissentiones, sectæ, invidiæ... qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* (Galat. V, 20 et 21).

Q. *Quotupliciter erit culpabilis ira?*

R. Dupliciter; 1.° *Ex parte objecti;* si quis vindictam appetit ab eo, qui eam sibi non meretur, vel ultra quam meretur, vel ob finem injustum; et graviter contra charitatem peccabit, nisi materiæ levitas, aut advertentiæ defectus eum excuset.—2.° *Ex parte modi;* ut si quis nimis ardenter irascatur interius, vel si nimis vehementer signa iræ manifestet exterius. (*Ita S. Thom.*, 2. 2, *q.* 158, *a.* 3). Id per se veniale est; per accidens mortale fieri potest ratione scandali, vel blasphemiæ contra Deum, vel contumeliæ in proximum.

361. Q. *Est malum vindictam justam appetere?*

R. Affirma, si appetitur uti est malum, vel in odium proximi.—Nega, si uti est medicinalis delinquentis correctio, aliorum exemplum, ordinis conservatio, violati juris, vel irrogati scandali condigna reparatio.

Iræ filiæ: Tripliciter ira spectari potest, in corde, in ore, et in factis. 1.° Quum est *in corde*, producit animi commotionem in aliquem, et mentis tumorem, scilicet, diversas vindictæ vias excogitantis.—2.° In *ore existens,* clamorem, maledictiones, atque blasphemias gignit.—3.° *Ad facta* transiens, generat contumelias, rixas, pugnam, vulnus, et mortes; quæ omnia per se mortalia sunt; quia charitati, et justitiæ adversantur. (*Scavini*, *S. Thom.*, 2, 2, *q.* 158, *a.* 7).

Iræ remedia sunt: 1.° Orare, et Jesu Christi in passione mansuetudinem meditari.—2.° Iræ motus impedire; et in ipso actu nihil loqui, nec agere juxta passionem, sed actus contrarios mansuetudinis, patientiæ, et humilitatis elicere, ut evanescat commotio; nam contraria contrariis curantur.—3.° Secum animo reputare nos complura habere vitia alios facile offendentia, quæ ab iis patienter ferenda sunt, et id omnes ab aliis spectamus.

CAPUT VI.

De invidia.

362. Invidia ex Angelico est *tristitia de bono alterius in quantum est diminutivum gloriæ propriæ.* (2. 2, q. 36, a. 1). Unde si quis tristaretur de bonis proximi ex alio motivo, poterit adesse aliud peccatum, nempe, odii; sed non invidiæ.

—Invidia *ex genere suo* mortale peccatum est; nam ex Apost. invi–

diosi a regno Dei excluduntur. (*Galat.* v). Imo in aliquo sensu est peccatum diabolicum; nam *invidia... diaboli mors introivit in orbem terrarum: imitantur autem illum qui sunt ex parte illius.* (Sap. II).—Ratio; quia *per se* est contra proximi charitatem, ac Dei voluntatem omnia bona distribuentis. -Poterit aliquando esse veniale, vel ex materiæ parvitate, vel ex indeliberatione actus.

363. Q. *Quot modis tristari quis potest de proximi bono?*

R. Quinque sequentibus: I. Si quis tristatur de bono alterius *absolute,* qua proximi bonum est; erit peccatum odii, et *ex genere suo* mortale; nam directe charitati opponitur.

II. Si tristatur de bono alterius, *relative*, v. gr. de adepta potestate, quocirca ab eo aliquod malum timet; erit timor *justus,* si malum sibi, vel alteri timeat *injuste* inferendum; sic Mardochæus juste contristabatur de Aman exaltatione: secus erit *illicitus.*

III. Si tristatur de bono alterius; quia illius indignum putat, v. gr. de peccatorum bonis; est odium abominationis. Erit bona tristitia, si a justitia, vel boni publici amore proficiscatur, ut si quis doleat quod improbi ad dignitates promoveantur contra publicum bonum. Erit blasphemiæ peccatum, si quis serio tristetur de providentia Dei, eo quod impiis bene largiatur.

IV. Si tristatur de bono proximi, non quia illud proximus habeat, sed quia eodem ipse caret, erit æmulatio spiritualis, et bona, si circa spiritualia bona versetur, dicente Apostolo: *Æmulamini autem charismata meliora.* (I Cor. XII).—Si circa bona temporalia, erit bona, vel mala, prout bonum, vel malum erit ejusdem objectum.

V. Si quis tristatur de bono alterius, quia timet ne æquetur, vel ne superetur, et sic imminuatur ejus excellentia, erit invidia proprie dicta. Ad hanc revocatur gaudium de malo proximi, quatenus per illud ejus minuitur excellentia, et nostra augetur.—*Amando quisque excellentiam suam, vel paribus invidet, quod ei coæquentur, vel inferioribus, ne sibi coæquentur, vel superioribus, quod eis non coæquetur,* ait D. August. *(De Genesi ad ord. lit.* 14).—Quare si pœnitens de invidia se accuset, erit interrogandus de ejus tristitia, cum quælibet res a suo objecto specificetur; et docendus, ne forte peccet ex erronea conscientia, putans esse invidiam, ubi invidia non est. *(Scavini).*

364. **Filiæ invidiæ** sequentes numerantur a D. Thoma: 1.ª Detractio, et calumnia.—2.ª Exultatio in proximi rebus adversis, et afflictio in prosperis.—3.ª Susurratio, et contumelia.—4.ª Odium. (2. 2, q. 36, a. 4).

Remedia sunt: 1.° Frequens oratio.—2.° Humilitatis exercitium. *Invidia filia est superbiæ... suffoca matrem, et non erit filia,* ait S. August. ibid.—3.° Consideratio malorum, seu invidiæ filiarum; nam sibi soli nocet invidiosus: *putredo ossium invidia.* (Prov. XIV).—4.° Perpendere quod unius Ecclesiæ, et Jesu Christi omnes sumus membra, seu filii, et decet esse cor unum, et animam unam.—5.° Motibus invidiæ prompte resistere per benevolentiæ actus tam verbis, quam factis. *Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes.* (Galat. v).

CAPUT VII.

De acedia.

365. **Acedia** est *pigritia, vel tristitia, et tædium de bonis spiritualibus, ut ad nos pertinentibus, vel a nobis acquirendis ob aliquem laborem inhærentem.*—Si hæc tantum in animi tepore ob exercitii arduitatem virtutum consistat, veniale erit, nisi ideo omitteretur actus virtutis sub gravi præceptus, uti Missæ auditio die festo, Breviarii recitatio...—Si vero consistat in tristitia pro Dei amicitia comparanda per mandatorum observantiam, ideoque illam quis non curat, *ex genere suo* lethale peccatum erit; nam graviter Dei charitati repugnat, a bono spirituali avertit, ac in peccata conjicit.

366. **Acediæ filiæ** præcipuæ sunt: 1.ª *Tepor* in divino servitio, uti negligens præparatio ad suscipienda sacramenta, vel administranda.—2.ª *Evagatio* mentis in spiritualibus.—3.ª *Pusillanimitas* in suscipiendo ea, quæ ad Dei cultum pertinent.—4.ª *Rancor*, quo eos fastidimus, qui spiritualia nos docent.—5.ª *Nausea,* seu odium rerum spiritualium, quo quis vellet eas non esse, aut se natum non fuisse, vel Christum non agnovisse.—6.ª *Desperatio* æternæ salutis.

Remedia sunt, considerare: 1.º terribilem Dei vocem in acediosos prolatam: *Utinam frigidus esses, aut calidus: sed quia tepidus es,... incipiam te evomere ex ore meo.* (Apoc. III):—2.º innumera beneficia sibi a Deo collata, et sacrificia oblata, quæ fervidam gratitudinem expostulant:—3.º Sanctorum exempla, et Christi actiones, ac passiones:—4.º brevem, et exiguum laborem pro immensa mercede, juxta illud: *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* (Rom. VIII).—5.º memorare quæ agunt mundani pro mundo, et quæ ergo agenda sunt pro anima, et æternitate.

367. Q. *Quomodo se gerere debet confessarius cum tepido?*

R. 1.º Respiciat an sit et ipse tepidus; nam qui non ardet, non incendit.—2.º Videat in quo acediæ gradu sit pœnitens. Si nondum in profundum venerit, imperet ut omnia resumat neglecta pietatis officia; neque omittat acediæ mala illi ad mentem revocare, simul et præscribere, ut æternas veritates quotidie meditetur.—3.º Si vero in profundum jam venerit, caveat ne de emendatione desperet, sed sæpe ad spem omni charitate erigat pœnitentem, ostendens ei emendationem in magnam Dei gloriam redundaturam, et in sui ipsius pacem, et lætitiam.—4.º Si suavitas non deservit, ad terrorem deflectat, gravissimis verbis exponens teporis pericula, et valde periculosam ipsi damnationem. *(Vide Castelvetere).*

TRACTATUS SEPTIMUS.

DE PRÆCEPTIS DECALOGI.

De primo Decalogi præcepto, seu de virtute Religionis, de Fide, Spe, Charitate, vitiisque his virtutibus oppositis.

PARS PRIMA.

DE RELIGIONIS ACTIBUS.

CAPUT I.

De virtute religionis in genere.

368. **Virtus** idem sonat ac *vis*, seu *efficacia*. Sed in sensu *stricto* definiri solet cum D. Augustino: *Animi habitus hominem inclinans ad bene, recteque operandum.* Lib. I contra Julian. c. III. — Unde vera virtus ea non est, quæ, data facultate, ac occasione oblata, non operatur, sicut ignis qui non urit.

Divisio. Dividuntur virtutes in *intellectuales*, *morales*, ac *theologales*.

I. *Intellectuales* sunt illæ, *quæ intellectum perficiunt in ordine ad cognitionem veri.* Hinc 1.° si virtus intellectualis conducit ad consideranda prima principia, dicitur *intelligentia;*—2.° si ad considerandas ipsorum principiorum conclusiones, dicitur *scientia;*—3.° si ad altissimas causas, dicitur *sapientia;*—4.° si ad considerandum aliquod speciale opus, dicitur *ars*.

II. *Virtutes morales* illæ sunt, *quæ voluntatem perficiunt in ordine ad bonum, honestum,* seu *quæ humanos mores directe respiciunt, ac dirigunt.*

Quatuor sunt, nempe; *prudentia, justitia, fortitudo*, ac *temperantia*. Dicuntur etiam *cardinales;* tum quia ipsæ aliarum virtutum veluti matres, et cardines sunt; tum quia super iisdem, tanquam porta super cardine suo, tota hominis vita verti debet. Nam *prudentia* omnia secundum rectum ordinem disponit;—*justitia* actiones moderatur erga alios;—*fortitudo* aptum facit ad obstacula superanda;—*temperantia* affectus hominis erga seipsum moderatur. In ordine ad mores jam nihil amplius desideratur.

III. *Virtutes theologales* illæ sunt, *quæ immediate circa Deum versantur.*—Tres sunt, scilicet, *fides, spes, charitas.* Intellectuales, et morales *humanæ* vocantur; tum quia versantur circa objecta naturali ratione cognoscibilia, et naturaliter exercibilia; tum quia hominem perficiunt intra rationis limites. — Theologales vero *supernaturales* appellantur: 1.° quia a Deo nobis infunduntur; 2.° quia sine supernaturali Dei gratia

nec cognosci, nec credi, nec servari possunt; 3.° quia homines dirigunt in ordine ad finem ultimum.

Virtutes aliæ aliis nobilius habent objectum; sic inter *theologales* eminet *charitas*, quæ est omnium complementum; inter *intellectuales*, *sapientia;* nam altissima scrutatur; inter *morales*, *religio;* quia magis ad Deum accedit.

369. Q. *An omnes virtutes sint inter se ita connexæ, ut qui unam habeat, alias necessario possidere debeat?*

R. I. Nega, quoad theologales; nam charitate per peccatum amissa, remanere adhuc possunt fides, et spes. Ita *Bill.*, *Scavini*, *cum communi.*

II. Affirma, communius cum Angelico, quoad virtutes morales perfectas, nempe, quæ subjectum perficiunt; quia non est perfecta virtus sine perfecta prudentia; perfecta prudentia importat appetitum rectum circa omnia, quæ agenda occurrunt; ergo... Secus si agatur de aliqua simplici inclinatione, quæ cum aliis virtutibus nullam habeat connexionem. *Videmus enim aliquem ex naturali complexione, vel... consuetudine esse promptum ad opera liberalitatis, qui tamen non est promptus ad opera castitatis,* ait Angelicus, 1. 2, *q.* 65, *a.* 1.

Q. *An virtutes consistant in medio?*

R. Cum medium sit illud, quod inter duo extrema est positum, erit virtus in medio, si medium consistat inter duo vitia, quæ hinc inde ei opponantur, unum per excessum, aliud per defectum, ut inter avaritiam, et prodigalitatem.—Secus mediocritatem non admittit virtus, ut in charitate erga Deum; nam *modus diligendi Deum est diligere sine modo.* (S. Bernard., *l. de dilig. Deo).*

CAPUT II.

De virtute religionis in specie.

370. **Religionis nomen** a religando ducit S. August.; quia *hæc virtus cum Deo nos ligat, eique plane devincit.* (De vera Relig. c. 5). Et definitur: *Virtus moralis nos inclinans ad exhibendum cultum Deo debitum, tanquam supremo rerum omnium Domino.* Vide Angelicum, 2. 2, *q.* 81, *a.* 1.

Objectum religionis duplex est; nempe, *materiale*, et *formale*. 1.^m^ *est illud circa quod versatur religio ;* scilicet omnis actus, qui cultum Deo exhibendum constituit, ut adoratio, votum, oratio, jejunium;—2.^m^ vero *est illud speciale motivum, propter quod illos actus prosequimur*, ut Dei sanctitas, divina dilectio, nostra gratitudo, salvatio.

371. **Cultus**, late sumptus, *est honor personæ cultæ præstitus cum cultoris submissione.—Stricte* vero sumptus *est complexio eorum actuum, quibus infinitam Dei excellentiam testamur, eidemque famulatum exhibemus.*

—*Duplex* distinguitur cultus, *internus*, nempe, et *externus*. 1.^s^ *est qui in animo residet, ac perficitur*, uti sunt actus devotionis, cordis, adorationis, meditationis.—2.^s^ vero ille *est, qui interno addit externam corporis*

habitudinem; v. gr. cantus, genuflexio, festorum sanctificatio, sacramentorum susceptio.

Quæ divisio ex eo deducitur, quod homo, sicut anima, et corpore constat, ita corpore, et anima simul Deum colere, et gratum se exhibere erga ipsum debet.—Aliunde si externi ritus essent rejiciendi, quomodo Ecclesia esset visibilis? Quomodo congregari, ac cum fidelibus uniri posset? Quomodo sacra mysteria veneraremur?—Dices : *Spiritus est Deus: et eos, qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare.* (Joan. IV).—R. Sic loquebatur Christus cum Samaritana, gentilium sacrificia exprobrans, ac mere corporeas judæorum cœremonias, et sacrificia; ideo docet eam in *veritate*, seu cultu vero, sincero, recto, et in *spiritu*, seu vitali cultu ab interiori procedente Deum adorare oportere; nam interius, exteriusque nostrum Deo debemus; proinde neque rationabile quidem est, quod corpus non pendat Deo servitutis tributum; oportet ergo ut cor nostrum, et nostra caro exultent in Deum vivum.

Q. *Quomodo amplius dividitur cultus?*

R. Tripliciter; scilicet, *latriæ, hyperduliæ*, et *duliæ*. 1.^s est *quem soli Deo exhibere licet ob supremum ejus in creaturas omnes dominium.* —Ipsi debetur 1.° de jure naturali; ob summam ejus majestatem, ac supremum in creaturas dominium;—2.° de jure divino positivo, juxta illud : *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies.* (Matth. IV).

2.^s est *qui tantum B. V. Mariæ tribuitur, ob ejus super reliquos Sanctos præeminentiam.* In supplicationibus duplici tantum ductu est thurificanda. *S. R. C.* 1789.

3.^s est *qui Angelis, aliisque Sanctis convenit.* Dicitur cultus *directus*, seu *relativus*, prout Deo immediate defertur, vel Sanctis, aut imaginibus, vel iis, quæ cum illis specialem habent relationem, quo sensu ait Psaltes: *Laudate Dominum in Sanctis ejus.* (Ps. CL).

—Cultus subdividitur in *publicum*, et *privatum*.—1.^s est, *qui nomine Ecclesiæ, vel tanquam ab ea institutus exhibetur;*—2.^s vero est, *qui ex privata tantum devotione procedit, etsi coram aliis fiat.*

Hinc non licet templa, altaria in honorem Sancti non canonizati, vel saltem beatificati erigere; nec eum publice invocare in Litaniis, neque ejus reliquias, vel imaginem publice exponere, aut in processionibus circumferre.

Novæ Sanctorum reliquiæ non sunt publicæ venerationi exponendæ, nisi Episcopus eas recognoverit: *ex Trident., sess.* 25.—Nec publicæ venerationi in altaribus exponantur imagines, et statuæ, quin ab Episcopo. vel ab eo delegato benedicantur juxta ritum Romani Ritualis. *(Baruffaldus).*—Nec apponi possunt aureolæ, seu radii imaginibus defunctorum, licet communiter ut Sancti habeantur, nisi ab Ecclesia fuerint beatificati; itemque nec lampades ad eorum sepulchra appendere licet. *(Gury, n.* 258). —Nec diademata imaginibus Sanctorum. *S. R. C.* 1658, et *Benedict. XIV,* 1744.

Licet tamen has imagines, ac reliquias Sanctorum privatim asservare, easque reverenter osculari, etc.—Reliquia modica donari potest. *S. R. C.* 3 *jul.* 1602. Secus insignis Reliquia sine beneplacito Sedis Apostolicæ; reputatur enim inter mobilia pretiosa. *Ita communiter Maran., Gen., Engel, Barb., Ferraris.* Graviter tamen peccat qui Reliquias furatur etsi minimas, si valde pretiosæ sint, ut S. Crucis. *Scavini, l.* 2, *n.* 159.

Eliminandus est abusus superimponendi Sanctorum reliquias, piasque imagines tabernaculo, in quo Aug. Sacramentum asservatur, neque ante ostiolum tabernaculi, etsi sit reliquia S. Crucis. *S. R. C.* 1645, 31 *mart.* 1821, *et* 12 *martii* 1836.

Non licet Sanctorum reliquias, neque imagines, etsi Beatæ V. M., ob quamcumque causam, vel consuetudinem processionaliter sub baldachino circumferre, etiamsi Episcopus diœcesanus ad processionem interveniat; tolerari tamen potest, et permitti, quod lignum SS. Crucis, aliaque instrumenta dominicæ Passionis, peculiari horum attenta veneratione, et fere universali consuetudine, deferantur sub baldachino. *S. R. C.* 1686, 1820, 27 *maj.* 1826, et 27 *maji* 1876.

Insignes Reliquiæ sunt corpus, caput, brachium, crus, aut alia pars corporis, in qua passus est Martyr, modo sit integra, et non parva, et legitime ab Ordinario approbata. (S. R. C., 8 apr. 1628*).—Non vero essent ossa femoris:* 11 *jun.* 1822. *Spinæ de corona, particulæ Sanguinis, vel Crucis D. N. Jesu-Christi inter insignes Reliquias computantur.—Reliquiæ insignes serventur non in monasteriis, sed in exteriori ecclesia monialium (S. R. C.*, 17 apr. 1660*).—Sub Reliquia alicujus Sancti exposita publicæ venerationi inter candelabra, non debet adhiberi Palla* (S. R. C., 23 maj 1835).*—In omnibus ecclesiis licitum est Reliquias exponere, modo recognitæ ab Episcopo. (S. R. C.*, 2 sep. 1660*).*

Officium Sancti ratione Reliquiæ insignis est *duplex minus Si Reliquia non est insignis, neque commemoratio fieri potest.* (Del-Vechio, t. 2, n. 159).*—Reliquia S. Crucis non est incensanda a celebrante genuflexo. (*S R. C 15 sep. 1736.*) Non est genuflectendum a Capitulo, et Clero processionaliter transeuntibus ante altare, in quo recondita est Reliquia S. Crucis.* (S. R. C., 15 sept. 1736).*—Incensata Cruce a celebrante, et facta eidem profunda reverentia, incensantur Reliquiæ, sed absque ulla inclinatione, ratione Crucis præsentiæ; idem est, si incensanda sit aliqua Reliquia insignis in medio altaris.* (Meratus, Gavantus). *—Beatorum Reliquiæ in processionibus non circumferantur.* (S. R. C., 27 sep. 1659).*—Licet exponi in ecclesiis, in quibus Officium recitari, et Missa de Beatis celebrari possunt. (*17 apr. 1866).

Etsi Rituale nullam mentionem faciat de infirmorum benedictione cum Reliquiis, tamen hunc pium, et laudabilem usum nemo reprobat. (Del-Vechio, t. 2, n. 171). *—Post expositionem Reliquiæ S Crucis, vel post ejus delationem in processione benedicendus est populus cum ipsa. Si vero deferantur Reliquiæ Sanctorum, potest cum eis populus benedici, non tamen necessario debet.* (S. R. C. 24 jun. 1863). *—In benedictione cum Reliquia S Crucis non licet canere:* Benedicat vos Omnipotens Deus, etc. *(S. R. C.*, 23 *maj.* 1835) *—Quando benedicitur cum Reliquia, vel insigni imagine alicujus Sancti, est ne tam a clero etiam parato, quam a populo genuflectendum?* S. R. C., 16 apr. 1853, respondit: *Consuetudinem servari posse.*

Ante Sanctorum Reliquias, quando exponuntur, ultra lampadem, debent continuo super altare ardere duo saltem lumina, non tamen nocte; alias non exponantur. *S. R. C.* 22 *jan.* 1701.

Q. *An permitti possit, ut ante imagines, in medio altaris positas, apponantur lumina ex oleo, quæ immineant mensæ, et ardeant etiam tempore Missæ?*

S. R. C. respondit: *Negative in omnibus, nec lumina nisi ceræ, vel supra mensam altaris, vel eidem quomodocumque imminentia adhibeantur.* 31 mart. 1821.

Sabbato Passionis a Vesperis debent velari imagines, et cruces, etsi occurrat festum Titularis, vel Patroni Ecclesiæ. *S. R. C.* 12 *nov.* 1831. Etiam imagines B. V., et Sanctorum, nec discooperiri possunt ratione spiritualium exercitiorum. 7 *septemb.* 1850.

CAPUT III.

De devotione.

372. **Devotio** est *voluntas efficax se prompte tradendi ad ea, quæ ad Dei famulatum pertinent.* Nam *probatio amoris exhibitio est operis.* Unde *devoti dicuntur, qui seipsos quodammodo Deo devovent, ut ei se totaliter subdant,* ait *Angelicus*, 2. 2, *q.* 82, *a.* 1.—Hinc devotio in simplicibus, et mulieribus ordinarie magis abundare solet; nam qui scientia, et ingenio præditus est, distractus, et nimis fidens de se ipso, non totaliter se Deo plerumque subdit. (*Scavini, n.* 6).

—Devotio ergo non consistit in lætitia, nec in ariditate, sed in promptitudine se Deo tradendi, quæ promptitudo non tantum monialibus, ac clericis, sed omnibus christianis etiam opus est, ac suadenda; etenim devotio est christiana perfectio; hæc est consecutio nostri ultimi finis, inchoative in hac vita per gratiam, complete in altera per gloriam.—Nam res quælibet in suo genere perfecta dicitur, cum finem, ad quem facta est, consequitur: facti sumus, ut Deum amemus hic, et Eo fruamur in cœlo: ergo...

Q. *An devotio a charitate differat?*

R. Affirma, etsi devotio charitatem præsupponat, juxta illud: *Si diligitis me, mandata mea servate.* (Joan. XIV). Tamen hoc superaddit devotio, ut eadem mandata observentur quadam animi promptitudine, et alacritate.

Q. *Quænam est devotionis causa, effectus, et finis?*

R. I. Duplex est devotionis causa, *extrinseca*, et *intrinseca*. 1.ª est *Dei voluntas, et gratia;* 2.ª est *consideratio tum nostrorum defectuum, tum divinæ bonitatis:* illa impedit præsumptionem; hæc vero excitat dilectionem: utraque mirifice devotionem juvat.

II. Duplex item est devotionis effectus; *tristitia*, et *lætitia;* 1.ª enascitur ex nostræ infirmitatis consideratione; 2.ª vero ex divinæ bonitatis contemplatione.

III. Finis devotionis tandem est, quem Christus sic commendavit: *Estote... perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est.* (Matth. v).

373. Q. *An omnes obliget christiana perfectio?*

R. I. Dupliciter considerari potest christiana perfectio; vel quatenus mortale peccatum excludit, vel etiam ea, quæ impediunt, quominus affectus totaliter in Deum dirigantur.—Si 1.ᵐ, profecto omnes obligat; cum sine charitate nemo salvari queat.—Si 2.ᵐ, eos solum *stricte* obligat, qui se Deo totos mancipaverunt, ut sacerdotes, religiosi. (V. *S. Thomam*, 2. 2, *q.* 184. *a.* 2, *Scavini, n.* 7, *cum communi*).

II. Pro triplici hac via triplicem item distingunt ascetici devotorum classem; scilicet, *incipientium*, *proficientium*, et *perfectorum*, prout sunt in via *purgativa, illuminativa*, vel *unitiva*.—1.ª importat *terminum, a quo* discedit homo.—2.ª *terminum, per quem* transire debet viator, si ad metam suam pervenire velit.—3.ª *terminum, ad quem* via ipsa perducit. —Discedere debet devotus, 1.° a peccatis; 2.° transire per exercitium moralium virtutum, et theologalium; 3.° ad ipsum Deum pervenire.

374. Q. *Quid sentiendum est de quibusdam devotorum exterioritatibus?*

R. Vel respiciunt actiones ordinarias christianæ vitæ, vel extraordinarias. Si 1.m valde sunt commendandæ, juxta illud: *Videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.* (Matth. v). Hujusmodi sunt peccati odium, præceptorum Dei, et Ecclesiæ observantia, sacramentorum frequentia, modestia in gressu, et habitu, obsequium erga altaris ministros.

Si 2.m in publico plerumque sunt prohibendæ ratione periculi, tum vanitatis, tum profanorum irrisionis. Hæc præsertim sunt de quibus ait Christus: *Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua:... intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito.* (Matth. vi). Hujusmodi sunt ciliciorum, ac disciplinarum usus, specialia jejunia, singultus in Ecclesia, extensis brachiis genuflectere.

Privatim tamen, si nec sanitati, nec propriis officiis noceant, prudenter concedantur ad fovendam devotionem; at non raro, maxime inter mulieres, vanitati favent. Semper fructuosius cilicium erit, quod cordi, ori, sensibus, ac propriæ voluntati imponatur.

CAPUT IV.

De oratione.

375. **Oratio,** *latius* sumpta, est *elevatio mentis ad Deum. Strictiori* autem sensu, est *petitio decentium a Deo.*

Divisio: 1.° Alia est *mentalis*, alia *vocalis,* prout sola mente peragitur, vel conceptus ore exprimitur.—2.° Alia est *publica,* et alia *privata;* prout fit Ecclesiæ nomine, vel non.

Q. *Quinam invocandi sunt in oratione?*

R. Præter Deum, cui semper proprie est facienda oratio; nam hæc actus religionis est, quo profitemur Deum auctorem omnium bonorum esse; orare etiam expedit B. V. Mariam, uti præcipuam mediatricem nostram, Angelos, et Sanctos, ut amicos Dei, advocatos, et intercessores nostros apud ipsum Deum. Contra sentientes, a Trident. *sess.* 25, *de veneratione Sanctorum,* damnati fuerunt.

Imo privatim invocari possunt infantes baptizati, et ante usum rationis defuncti, et juxta *Bellar., Less., Silv., Elb., aliosque,* idem probabilius dicendum est de animabus purgatorii. Hinc legitur animas Paschasii, et S. Severini adhuc in purgatorio degentes, miracula fecisse; etsi enim pro seipsis nihil possint, non repugnat quod aliis prosint; sunt enim amicæ Dei. *(S. Greg., lib.* 4, *Dial. c.* 4, *Scavini, p.* 534).

376. **Orationis necessitas.** Oratio omnibus adultis necessaria est necessitate præcepti, et probabilius etiam necessitate medii, ad salutem. Evincitur ex parte Dei, et ex parte hominis.

1.° *Ex parte Dei*, qui vult, ac jubet nos orare. *Vigilate, et orate ut non intretis in tentationem.* (Matth. xxvi). *Oportet semper orare et non*

deficere. (Luc. XVIII). *Sine intermissione orate.* (I Thess. V). *Volo ergo viros orare in omni loco.* (I Tim. II).

—Insuper Deus hunc elegit ordinarium medium ad gratias eflagitandas, et elargiendas. *Petite, et accipietis.* (Joan. XVI). Unde ait S. August.: *Constat Deum alia non orantibus, sicut initium fidei, alia nonnisi orantibus præparasse, sicut usque ad finem perseverantiam.*

2.° *Ex parte hominis*, qui cum Propheta exclamare debet: *Libera me, quia egenus et pauper ego sum... adjuva me Domine Deus meus.* (Ps. CVIII).—Hinc illud est necessarium necessitate medii, sine quo salus, attento ordine divinæ Providentiæ, obtineri nequit; talis est oratio; ergo...

377. Q. *Quandonam obligat orationis præceptum?*

R. Obligat *per se*, et *per accidens.*

I. *Per se* obligat: 1.° Initio rationis usus; quippe tunc tenetur quisque ad Deum se convertere, eum agnoscere, eique subjacere, uti supremo rerum omnium Domino.—2.° Mortis tempore, tum ad prædictam obligationem adimplendam, tum ad obtinendam finalem perseverantiam.—3.° Sæpe in vita, ut impleatur illud Christi præceptum: *Oportet semper orare.* Quidam docent orandum esse sub gravi semel in anno; alii semel in mense; alii vero sæpius. Tamen qui suæ salutis sollicitus est, ac præcepta ecclesiastica implet, sine timore vivere potest quoad hoc præceptum. *Ita communiter.*

Et quæso, quale judicium de illis faciendum est, qui more pecudum mane de strato surgunt, illudque repetunt, die finita, quin Dei suæque relationis ad illum recordentur? Qui demum bonorum operum fructus ex terra tam inculta, et inaquosa expectari possunt? ait *Stapf*, § 219.

Orationem mane, et vespere omittere ex se peccatum esse probari non potest; sed est magni teporis signum. Non pauci vero AA. opinantur id veniale esse. Tamen etsi plurimi hoc præceptum omittant, non ideo peccare cogitant. Cæterum confessarius, uti habent Doctores, magis sollicitus esse debet in orandi frequentia inculcanda, quam in determinanda gravi, vel levi omissæ orationis culpa. *(Scavini, Concina , Gury, n.* 260*).* (V. n. 46).

II. Obligat *per accidens:* 1.° Cum insurgit aliqua tentatio, quæ aliter facile repelli nequit.—2.° Si urget præceptum, quod sine oratione impleri non possit; ut si sacramenta sunt recipienda. 3.° Cum imminet gravis calamitas, præsertim publica; hæc quidem maxime jejunio, et oratione avertenda est, sicut fecerunt Ninivitæ. Sed in hisce casibus omissio specialem malitiam non habet ab eo peccato, in quod quisque lapsus sit, ratione omissi medii; nam media rationem finis habent. (*Ballerini, n.* 260).

Q. *Pro quibus est orandum?*

R. 1.° Non est orandum pro Sanctis, neque pro damnatis; quippe isti omnes jam immutabiliter in æternitate sunt constituti. - 2.° Orare bonum est pro animabus in purgatorio existentibus: *Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.* (II Machab. XII). Sunt quidem adhuc in via.—3.° Privatim orare licet, et expedit, pro omnibus viatoribus sive fidelibus, sive infidelibus; sunt enim proximi nostri: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum* (Jacob. II); et quoad humanitatem in genere non alio modo hoc præceptum impleri potest.

—Ordo in oratione servandus est, qui in eleemosyna præscribitur; nem-

pe, 1.° pro consanguineis:—2.° pro amicis, et benefactoribus:—3.° pro peccatoribus, et quibus scandalum attulimus, etc.

378. Q. *Quid petere debemus in oratione?*

R. 1.° Quæ æternæ saluti expediunt, uti sunt victoria adversus tentationes, amor divinus, sanctificatio, ac omnia bona spiritualia juxta ilud: *Quærite... primum regnum Dei, et justitiam ejus.* (Matth. VI). Hæc absolute sunt petenda; equidem absolute iis indigemus.—2.° Conditionate peti possunt bona temporalia. *Eo tenore a Deo petimus ipsa,* ait Angelicus, *ut nobis concedantur, secundum quod expediunt ad salutem.* (2. 2, q. 83, a. 6 ad 4).—3.° Etiam peti possunt mala temporalia pœnæ, ut infirmitas, paupertas, humiliatio ad merita sibi comparanda, et ad luendas peccati pœnas juxta illud D. August.: *Hic ure, hic seca, hic non parcas, ut in æternum parcas.*

379. Q. *Quomodo est orandum?*

R. Cum *attentione, humilitate, fiducia, desiderio,* ac *perseverantia.*

1.° Cum *attentione*, ne in illam Dei reprehensionem incurratur: *Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longe est a me.* (Matth. XV). —*Quomodo tu audiri postulas a Deo, cum tu te ipsum non audias,* ait S. Cyprianus *in orat. Dom.* Per se venialiter peccat, qui sine justa ratione voluntarie distrahitur in oratione, etiamsi oratio fiat absque ulla obligatione; aliquam sane irreverentiam Deo irrogat. *(Ita Gury, n.* 261, *Elbel., n.* 419).

2.° Cum *humilitate:* nam *respexit* (Deus) *in orationem humilium: et non sprevit precem eorum.* (Ps. CI). *Oratio humiliantis se, nubes penetrabit.* (Eccli. XXXV).

3.° Cum *fiducia* ex vera fide: *Si quis autem vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter... Postulet autem in fide nihil hæsitans: qui enim hæsitat, similis est fluctui maris... Non ergo æstimet homo ille quod accipiat aliquid a Domino.* (Jacob. I).

4.° Cum *desiderio,* juxta illud: *Ab exordio precum tuarum egressus est sermo: ego autem veni ut indicarem tibi, quia vir desideriorum es,* ait Danieli Gabriel. *(Dan.* IX). *Deus dare vult, sed nonnisi petenti, ne det non cupienti,* dixit D. August. *Ench.* XVIII.

5.° Cum *perseverantia. Oportet semper orare et non deficere,* ait Christus, qui tertio in horto idem oravit. *Orantes... nolite multum loqui sicut ethnici. Putant enim quod in multiloquio suo exaudiantur.* (Matth. VI). —Ut plurimum oratio desideratum effectum non sortitur, *eo quod male petatis,* ut ait S. Jacob. IV.

Effectus orationis. Oratio est 1.° *meritoria* in omnibus de congruo, etiam de condigno in justis:—2.° *satisfactoria,* ut docet Trident., *sess.* 14, *c.* 13; nam opus bonum est:—3.° *Impetratoria: Petite, et dabitur vobis... omnis enim qui petit, accipit.* (Matth. VII). Hinc August.: *Ascendit precatio, et descendit Dei miseratio.* —Intellige, si petantur ea, quæ ad æternam salutem expediunt.

CAPUT V.

De meditatione, et contemplatione.

380. **Meditatio** est *pia rerum divinarum consideratio ad concipiendam animi compunctionem, et devotionem, ac mores nostros ad virtutem informandos.*—Dupliciter accipi potest, nempe cum sua methodo, ut fieri communiter solet; vel prout est simplex divinarum rerum consideratio.

Q. *An meditatio sit omnibus fidelibus adultis ad salutem necessaria?*

R. I. Nega quoad meditationem cum sua methodo; alia quidem via homo ad terminum pervenire absolute potest, etsi illa sit facilior, ac tutior.

II. Affirma, etsi non absolute, quoad simplicem aliquam considerationem; est profecto medium unicum ad vitanda peccata, et ad fovendam charitatem, juxta illud: *Memorare novissima tua, et in æternum non peccabis.* (Eccli. VII). – *In meditatione mea exardescet ignis.* (Ps. XXXVIII). —*Desolatione desolata est omnis terra: quia nullus est qui recogitet corde.* (Jerem. XII).

Hinc ait doctissimus, ac piissimus J. Gerson: *Absque meditationis exercitio nullus, secluso miraculo Dei speciali, ad rectissimam christianæ religionis normam attingit.* Tract. de Medit.—Et S. Alphonsus: *Perditus habeatur dies, in quo omittitur mentalis oratio.* Quæ omnia maxime ad clericos spectant, ut gratiam Dei, ac spiritus fervorem consequantur.

Rationem horum affert Stapf.: *Quid terribilius inferno?... et nihilominus, qui hanc veritatem nunquam considerant, ita plerumque vivunt, ac si sibi nihil timendum esset.* Reverá veritates religionis, et virtutes nec mentem, nec voluntatem, neque cor nostrum ad rite operandum movent, perinde ad vitandum pravum, nisi cum hic, et nunc meditantur, et internis nostris facultatibus apprehenduntur; experientia teste. Quocirca fidelis, vel clericus absque exercitio quotidianæ meditationis erit *velut æs sonans, aut cymbalum tinniens* (I Cor. 13), imo nunquam sacerdos zelo plenus, et fervidus Dei minister; sed tepidus, laxus, vitæ commoditatibus deditus, et voluptatibus plus minusve serviens.

381. Q. *Quomodo se gerere debeat confessarius cum pœnitentibus circa hanc rem?*

R. I. Curet ut ipse sit homo quotidianæ meditationis; nam piget alteri suadere, quod quis horret exercere.

II. Videat an pœnitens sit rudis, vel non.—Si 1.m, eum doceat ex omnibus rebus pias considerationes deducere; v. g. ex communi igne, inferni considerationem; ex arborum, et animalium morte, hominis finem; ex adversitatibus, circa Christi passionem, ac mortem; ex aliorum vitiis, ardorem virtutis, ac pœnitentiam ad placandum Deum; et sic de cæteris. —Si 2.m, methodum, ac librum aliquem ipsis commendet, et de vice in vicem, si timoratæ sint personæ, inquirat an meditationem peregerint, quomodo se in ea habuerint, præsertim cum ecclesiasticis, scholaribus, et sacramentorum frequentiæ deditis, imponens eis, ut ante omnia de hac omissione sese accusent, et circa hanc rem severus sit.

Ita omnibus, etiam peccatoribus, ac negotiatoribus, saltem mane, et vespere, ut in aliqua veritate Religionis, v. g. Christi passione, fine hominis, inferni æternitate aliquantisper cogitent, suadere potest, et expedit; ac ubi vehementius commoveri se sentiant, ibi diutius immorentur.

382. **Tentationes in meditatione** triplicis generis sunt, nempe, *ariditates*, *somnus*, et *distractiones*.

I. *Ariditas* est *substractio devotionis sensibilis*. In hoc statu curet confessarius sine anxietate causas inquirere: et si quid culpæ inveniat, ut esset sensuum curiositas, nimia confabulatio, vanitas, ac superbia interior, vel exterior, et similia, cum magna prudentia causas tollat, et cessabunt effectus.—Secus pœnitenti suadeat ariditatem nos facilius ad solidam virtutem perducere; nam ut ait D. Ignatius: *Nihil aptius est ad excitandum ignem amoris divini*, *quam lignum Crucis.*—Ad devotionis exercitia eum adhortetur, docens opera in tali tædio esse Deo gratiora, ac nobis magis meritoria; generatim hac via progressi sunt Sancti, uti Franciscus, Bernardus, Antonius, Teresia; et commune est inter devotos. Videat ne omittantur sacramenta, meditatio, aliaque spiritualia exercitia, ut ariditas in teporem non transiliat.

II. *Somnus* provenire potest a corporis indispositione, defatigatione, tædio, vel a diabolo. Ad hanc tentationem sedandam plurimum confert devotus situs, ac animi ardor ad proficiendum. Confessarius pœnitenti determinet meditationis tempus.—1.° Post convenientem requiem.—2.° Cum devoto situ.—3.° Si orat solus, ut genuflectat, deambulet, manus ad cœlum attollat, et similia.—4.° Si orationem cum aliis agat, curet ne singularis appareat, et nunquam sanitatem lædat.—Quoad *distractiones* orationis omnibus patet remedium, quibus inest recta, ac fortis voluntas.

383. **Contemplatio** est *elevatio mentis ad Deum suspensæ, æternæ dulcedinis gaudia in eo degustantis*. Hinc patet discrimen a meditatione; in hac quæritur Deus labore, potentiis animæ; in illa sine hoc labore Deum anima contemplatur inventum; ibi operatur anima; hic operatur Deus.

—Contemplationem præcedere solet oratio *recollectionis naturalis*, *otii contemplativi*, et *purgatio spiritualis*. 1.ª habetur, cum intellectui orationem peragenti opus non est extra se ipsum cum discursu exire ad considerandum aliquod mysterium, vel aliquam veritatem, uti Incarnationem, paradisi felicitatem; sed vix a rebus externis in se ipso collectus, statim cum facilitate, et quiete, et magna suavitate illi veritati attendit.—Dicitur *naturalis;* eo quod anima adhuc in activo statu est, et beneficio ordinariæ gratiæ operatur.

2.ª In eodem cursu præcedentis consistit, et tantum discriminatur in eo, quod in illa aliqua consideratur veritas in genere, in hac vero in particulari. In iis cum adhuc anima sit in activo statu, non videtur cessare debere a suis meritoriis actibus voluntatis, maxime si sponte eliciantur: imo, quodnam tempus magis opportunum ad eos actus eliciendos? (*Scavini*).

3.ª Purgatio hæc in duplici ariditate consistit, nempe, *ariditate sensus*, et *ariditate spiritus*. 1.ª est subtractio devotionis sensibilis: cum hac conjungitur tædium quoddam rerum spiritualium, et obscuritas, quæ paulatim incrementum sumit. In eo statu, licet spiritus cogitationem teneat in Deo defixam cum ingenti disiderio, ac firma determinatione

eum perfecte amandi (in quo discriminatur ab acedia culpabili, quod confessarii non parum advertere debent), sentit tamen, se quasi impotentem ob suas imperfectiones; ast non cessat recte se gerere in virtutum exercitio. Id durat usque dum sensus purificati sint. Secus si id cessat, tunc ordinarie habetur acedia.—2.ª consistit in quadam divina luce, qua Deus efficit, ut anima proprium nihil clare agnoscat; et quo magis videt proprias imperfectiones, eo magis sibi videtur a Deo quasi repulsa, tanquam ingrata tot beneficiis collatis; tamen libentius est determinata ad superandas omnes difficultates, ac in illa quasi agonia mori, antequam Deum, ac virtutes relinquere: etsi ipsa pietatis exercitia eam contristent, quia credit omnia esse male peracta, et æternis suppliciis digna; imo sæpe sibi videtur ipsum Deum odio habere, blasphemasse, cum aliis iræ, impuritatis, ac incredulitatis tentationibus.—Hoc durat usque dum anima divinæ unionis capax evadat, etsi postea aliquando etiam Deus id permittat, ut anima sui nihil non obliviscatur.

—In hisce ariditatibus non terreatur confessarius, sed animam confortet; suadeat tentationes, ac pœnas illas esse donum Dei, occasionem magni meriti, et velut incitamentum ad despicienda omnia temporalia, et cœlestia inquirenda, ut cum Deo intimius conjungi valeat. Sufficit ergo, ut se totam in brachia divinæ misericordiæ, ac B. Mariæ projiciat. Ita ad humilitatem, et spem eam dirigat confessarius.

Q. *Quotuplex est contemplatio?*

R. Duplex, *affirmativa*, et *negativa*. 1.ª est cum anima divinæ lucis ope aliquam cernit veritatem, vel creatam, vel increatam, uti cœlum, omnipotentiam; - 2.ª vero est cum anima divinas perfectiones in genere cognoscit, quadam notitia confusa, quæ tamen conceptum divinæ magnitudinis ingerit longe majorem, et dicitur *clara caligo*, uti evenit ei, qui directe solem intueri vult. In tali caligine ut plurimum suspenduntur animæ potentiæ, et aliquando etiam sensus corporis; et tunc in quamdam *ebrietatem spiritualem* anima ingreditur, et prorumpit in cantus, fletus, saltus insolitos, aliaque amoris deliria.

384. **Gradus contemplationis** sunt tres: *recollectio supernaturalis, quies,* ac *unio.*

1.ª *Recollectio supernaturalis* per quam anima e statu activo, ac sensibili ad passivum transfertur, ac in eo sistit ope extraordinariæ gratiæ: dicitur *supernaturalis*, et *infusa;* quippe beneficio lucis supernæ, ac divinæ evenit. - In hoc statu debet anima sinere se a Deo dirigi ad illas res considerandas, et ad eliciendos illos actus, ad quos a Deo magis ferri cognoscit, quin suum investiget statum.

2.ª *Quies* per quam voluntas ita suspenditur, ut quasi ligata (cum animæ ardore, qui aliquando etiam ad ipsos sensus diffunditur) in eo maneat, nec aliud tunc valeat objectum diligere præter Deum, qui eam ad se trahit. Non autem suspenduntur memoria, phantasia, neque intellectus.—Tamen anima in eo statu eniti non debet ad colligendas cogitationes suas; sed tantum tranquille eos emittere actus, ad quos Deus eam impellit.

3.ª *Unio* duplex est, *activa*, nempe, et *passiva:* 1.ª est *perfecta uniformitas divinæ voluntati*, in qua est tota perfectio; — 2.ª vero est *quædam animæ in Deum suspensio per quamdam lucis, et amoris abundantiam, qua suspenduntur omnes animæ potentiæ*, inde formatur *beata illa caligo*.

Unde 1.° *Memoria* non potest aliud recordari præter Deum; 2.° *Intellectus* nequit cogitare aliud præter ipsum Deum; 3.° *Voluntas* aliud amare præter suum Deum, cum quo intime conjuncta manet. Hæc unionis species est perfectior, sed parum durat, ac in eo statu diu vivere non posset viator, ut de se ipsa confitebatur S. Theresia.—Confessarius invigilet, ne anima in superbiam erigatur: nam perfectio semper in proprio nihilo fundatur.

Unio subdividitur in *sponsalitiam,* et *consummatam.*

I. *Unio sponsalitia* est copiosior supernaturalis amoris divini infusio, quam in aliis unionis speciebus: tunc in proximo est, ut anima Deo suo spiritualiter conjungatur majori modo in hac vita possibili.—Ordinarie hanc unionem præcedere solet alia purgatio spiritus severior, et durior, quam modo descripta, quæ etiam exteriores pœnas complectitur, ut infirmitates, calumnias, persecutiones, etc.—Illius autem unionis gradus sunt tres, nempe, *extasis*, *raptus*, et *spiritus elevatio.* 1.^s *Extasis*, qua amittitur sensuum usus, ita ut persona nec videat, nec audiat, imo nec incisiones sentiret, si in corpore fierent:— 2.^s *raptus* est quædam divinæ gratiæ impressio tam viva, et vehemens, ut anima quasi se rapi sentiat motu quodam violento, et aliquando ipsum quoque corpus elevatur;— 3.^s *spiritus elevatio,* qua anima se extolli sentit supra se ipsam, quadam magna vi conjuncta ab initio cum quodam timore; unde in hoc gradu continentur duo præcedentes.

II. *Unio consummata:* dicitur *consummata*, quia est omnium perfectissima animæ viatrici a Deo concessa, qua animæ potentiæ capaces jam evadunt permanentis unionis divinæ, ita ut voluntas placidissime suum Deum amet; intellectus recte huic divinæ unioni attendat, velut qui solis resplandorem intueretur absque ulla oculorum offensione. Eo in statu evenire solent in anima visiones, locutiones, revelationes, aliaque dona supernaturalia. (*Sed quoad hæc omnia vide Scaramelli, Castelvetere, etc.*) Abs dubio si omnes animarum directores hac pollerent scientia, et eas ad perfectionem studiose dirigerent, magis reciperentur, ac frequentius invenirentur hæc dona, et profectus exinde major in dies esset.

CAPUT VI.

De oratione vocali.

385. Oratio vocalis est *publica*, et *privata*. 1.^a est *quæ fit nomine Ecclesiæ ab ejus ministris;* 2.^a vero ea est, *quam quivis nomine proprio, vel alieno facit.* Ad publicam præcipue spectat *Horarum canonicarum* recitatio; ad privatam vero *oratio dominica,* et *jaculatoriæ.* De Horis canonicis erit in quarto Decalogi præcepto, ubi de clericorum obligationibus.

1.° *Oratio dominica* a Christo ipso instituta fuit, ac est omnium vocalium perfectior; nam si auctorem quæris, Deus est;—si objectum inspicis, nihil prætermissum est;—si modum scrutaris, universa eo, quo sunt desideranda, ordine continet;—si facilitatem, paucis expletur verbis; si necessitatem, præceptum habes;—si demum efficaciam, ideo illam docuit Christus, dicens: *Sic ergo vos orabitis: Pater noster...* (Matth. VI). Unde *Pater*

noster... est doctrinæ cœlestis compendium; Evangelii Breviarium, ut dicunt Tertul., et S. Cypr., *de orat.*

2.° *Jaculatoria* est *brevis, sed fervidus, et ardens, ad instar ignis, cordis actus erga Deum, vel B. Virginem, Sanctos, etc., tanquam jaculum;* v. gr. *Deus in adjutorium meum intende.—Bone Jesu, amo te, amare, aut mori.*—Hic orandi modus est 1.° *utilis,* utpote bonus in se, in effectibus, ac in merito;—2.° *facilis;* nam unico actu consummatur;—3.° *suavis;* amor enim amore fovetur, et nihil dulcius, quam vere amare et amari. Confessarius hos orandi modos pœnitentes edoceat, nempe, meditationem quotidianam, orationem dominicam, et jaculatorias, si ipse proficere, et ut sui clientes proficiant, desiderat.

CAPUT VII.

De fidei natura, objecto, et subjecto.

386. **Fides** in genere est *assensus propter auctoritatem loquentis:* si ob auctoritatem hominis, fides est humana: si ob Dei auctoritatem, est divina; quo sensu:

—*Fides* est *virtus divinitus infusa, qua assentimur iis omnibus, quæ Deus revelavit propter auctoritatem ipsius revelantis, et quæ Ecclesia nobis credenda proposuit.* Nam divina revelatio nobis clare non manifestatur nisi per Ecclesiæ definitiones, dicente Augustino: *Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ catholicæ commoveret auctoritas.* L. contra Epist. fund., c. V.

Divisio. Fides est: 1.° *habitualis*, et *actualis.* 1.ª est *habitus supernaturaliter habilitans ad fidei actus eliciendos.*—2.ª vero est *actus, quo intellectus per gratiam, ac imperium voluntatis excitatur, et firmiter rebus a Deo revelatis assentitur.* Qui actus, si in animo lateat, *interior*; si extra prodeat, *exterior* appellatur; et si in mente perseverans, inadvertenter vi sua in actiones influit, dicitur *virtualis.*

2.° *Explicita,* et *implicita.*—1.ª est *qua alicui speciali articulo assentimur,* uti dicere: *Credo SS. Trinitatem.*—2.ª vero ea est, *qua aliquid creditur in alio contentum,* v. gr. *Credo omnia, quæ docet Ecclesia catholica esse credenda:* sic dicitur actus fidei implicitus in singula dogmata revelata.

3.° *Formata seu viva,* et *informis seu mortua,* prout conjunctam habet charitatem, vel non.

4.° *Catholica,* et mere *theologica*, prout amplectitur omnes veritates ab Ecclesia propositas, vel alias veritates privatas alio certo modo notas, ac revelatas, v. gr. Papæ infallibilitatem ante dogmaticam Ecclesiæ definitionem.

Regulæ fidei tres assignantur: *Scriptura,* nempe, *Divina traditio,* et *Ecclesia.*

Duæ primæ sunt veluti remotæ fontes veritatis; ultima autem est proximus canalis, quo ad nos veritates revelatæ perveniunt, vel eas cognoscimus. Unde quæ ab Ecclesia non sunt definita, licet magna venera-

tione digna, firmum intellectus obsequium non exigunt, nec hæretici sunt ea negantes.

387. **Objectum fidei** dividitur in *formale*, et *materiale*. 1.m est *ratio propter quam creditur;* et est *auctoritas infallibilis Dei loquentis.*—2.m vero *sunt omnes veritates a Deo revelatæ.*—Tamen licet plura fidei dogmata sint, una est fides, tum ratione rerum, quatenus omnes unum idemque credere tenemur, tum ratione motivi, quod est, nempe una Dei auctoritas, juxta illud Apostoli: *Unus Dominus, una fides, unum baptisma.* (Ephes. IV).

Q. *An objecta fidei tractu temporis creverint?*

R. Communis erat scholasticorum sententia cum *D. Thoma,* fidei objecta quoad substantiam semper eadem fuisse. At recentiores recte docent ab Adamo usque ad Apostolos inclusive crevisse etiam quoad substantiam, id est, quoad novas revelationes Moysi, Prophetis, Apostolis factas, v. gr. circa Christi personam, et ejus sacramenta. *(Antoine, Scavini, Del-Vecchio, n.* 802).

Ab Apostolis usque ad nos quoad substantiam non crevit fidei objectum; nam Spiritus Sanctus Apostolos docuit *omnem veritatem.* (Joan. XVI). —Creverunt tamen fidei objecta quoad eorum explicitam declarationem. Hinc Pius IX in *Syllabo* hanc n. 5 damnavit prop.: *Divina revelatio est imperfecta; et idcirco subjecta continuo, et indefinito progressui, qui humanæ rationis progressioni respondeat.* Et in Concilio Vaticano, Const. *Dei Filius, sess.* 4, *c.* 4, *can.* 3, ait: *Neque enim Petri successoribus Spiritus S. promissus est, ut eo revelante novam doctrinam patefacerent, sed ut, eo assistente, traditam per Apostolos revelationem, seu fidei depositum sancte custodirent, et fideliter exponerent.*

388. Q. *Quid de privatis revelationibus?*

R. Si ab Ecclesia sunt approbatæ, uti revelationes *Stæ. Birgittæ,* sine superstitione recipi possunt, sed nemo eas recipere tenetur, cum non innitantur divino testimonio ab Ecclesia proposito. Persona cui facta sit talis certa revelatio, hanc credere debet fide theologica. Secus non sunt curandæ, nec contemnendæ. (Ita *Gotti., Bened. XIV, l.* 3, *c. ult., Del-Vecchio, l.* 2, *n.* 901, *Varceno, p.* 311).

Confessarius admodum caute procedat circa has revelationes, maxime cum mulieribus, ut recte advertit *Blosius* cum Sta. Teresia; nam eas diabolus, vanitas, imaginatio, et levitas mulierum fingere potest. Jubeat pœnitenti, ut sibi omnia aperiat. Caveat ne curiositatem, vel peculiarem æstimationem illi ostendat.—Si percipiat pœnitentem in perfectione proficere, etsi dubitetur de rei veritate, vel certo appareat somnium, aut phantasiam fuisse, quin de fictione ipse moneatur, utilius sæpe erit hæc in timorem vertere, ut suos defectus corrigat, ac in fervorem, et sanctitatem proficiat; maxime si prævidetur malus effectus aliter non credendi; nam permittitur materialis, ac utilis simplex deceptio, non autem in fidem.

Secus si contra bonos mores, ritus, vel doctrinam Ecclesiæ, aut communes doctorum, et asceticorum regulas vergant revelationes, aut somnia, ut est *spiritismi* scopus. Hinc Gregorius XVI, *Brevi* 8 *nov.* 1843, novam sectam gallicanam *Petri Vintras* damnavit; qui arcana Angelorum, et ipsius Christi alloquia, visiones, miracula in vulgus spargere audebat veritati catholicæ contraria. Et Pius IX maj. 1850 aliam similem anathematizavit.

Q. *Quid de illis privatis revelationibus communiter admissis, quæ tamen secum pugnare videntur?*

R. Hoc evenit, quia Sancti generatim in extasi et vident, et dicunt, et agunt secundum præhabitas species in factis historicis. Aliunde hi raptus sunt ad devotionem et fervorem fovendum, non vero ad solvendas historicas quæstiones. Ita in raptibus *Stæ. Claræ*, et *Stæ. Birgittæ* legitur, primam Christum vidisse tribus clavibus, secundam quatuor in cruce affixum.

Q. *An liceat mulierem decipere ad experiendum mira sua, v. g. hostiam non consecratam pro consecrata ei porrigendo?*

R. Nega, cum *Suarez;* nam ad idololatriam induceretur.—Excipe si de re magni momenti agatur, ut ait *Diana;* nam justa causa id permitteretur. Ita S. Philippus Nerius Romæ an. 1582 sanctitatem Ursulæ Benincasæ probavit. (*Vide Del-Vecchio, l. 2, n.* 902).

389. Q. *Ubinam continentur præcipui fidei articuli?*

R. In symbolo, quod definitur: *Summa præcipuorum fidei articulorum omnibus fidelibus ad expressam, uniformem, faciliorem, ac securiorem fidem habendam proposita, ab infidelibus illos distinguens.*

Illustriora symbola sunt, 1.º *Apostolicum,* quod ab Apostolis conditum fuit. 2.º *Nicænum*, in hoc primo Concilio generali circa an. 325 contra Arrii impietatem Christi divinitatem negantis celebratum.—3.º *Constantinopolitanum* primum an. 381 contra Eunomii, et Macedonii impietatem negantium divinitatem, et processionem Spiritus Sancti habitum.—4.º *Athanasianum*, etsi de ipsius auctore dubitetur, sic dicitur; quia ejus doctrina ab Athanasio, sæculo IV, vindicata fuit, et ab Ecclesia receptum, quod in divino officio recitandum statuit.

Symbola, ut ait D. Thomas, *in nullo alio differunt*, *nisi quod in uno plenius explicantur, quæ in alio implicite continentur, secundum quod exigebat hæreticorum instantia.* (2. 2, q. 1, a. 9. ad 2).

Respectu infidelium, et catechumenorum infirmitatis non in symbolis expressa fuerunt aliqua præcipua fidei mysteria, utpote Eucharistia, Missæ sacrificium, ut *tanto ardentius concupiscantur, quanto honorabilius occultantur,* ait S. Augustinus.

390. **Subjectum fidei** duplex est; *proximum,* et *remotum:* 1.m est *illa mentis nostræ potentia, qua fidei actus eliciuntur,* juxta illud Apostoli: *Et in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.* (II Cor. x).—2.m vero *est ipsa persona fidem habens, vel fidei capax.* Hinc:

1.º Fides non remanet in Beatis; objectum quidem fidei jam vident *facie ad faciem.* (I Cor. xiii).—2.º Neque in damnatis; nam fides est donum Dei supernaturale, ac *etsi credunt, et contremiscunt,* naturali evidentia compulsi id faciunt, non autem sperare, aut ad beatitudinem tendere illi possunt.—3.º Neque in infidelibus, ut ipsum nomen sonat.—4.º Neque veram fidem habent formaliter hæretici, et apostatæ, qui pertinaciter dogmata rejiciunt, ut communius, et verius docent theologi cum *D. Thoma :* qui ita aliquid adhuc credere dicit, profecto non agit ex fidei motivo, sed ex proprio judicio, ut recte argumentatur *S. August., l.* 17, *c.* 3, contra *Faustum.* Et sicut charitas non remanet in eo, qui mortaliter peccat, ita nec fides in eo, qui rejicit quod vult; nam fides indivisibilis est; omnes quippe veritates credimus sub uno indivisibili motivo, scilicet, Dei veracitate revelantis.

Fidei subjectum vero sunt 1.° christiani, licet peccatores, etsi tunc fides informis, seu mortua sit; et de fide est: *Si quis dixerit, amissa per peccatum gratia, simul et fidem semper amitti, aut fidem, quæ remanet, non esse veram, licet non sit viva... anathema sit.* (Trid., sess. 6, c. 28).—Idem constat ex Apostolo, *I Cor.* XIII,—ex D. Jacob. II,—ex prop. 12 damnata ab Alexandro VII.—2.° Hæretici materiales, cum in voluntario errore non sint. *(Scavini, l. 2, n. 904)*.—3.° Animæ in purgatorio detentæ, cum adhuc beatitudinem expectent, sint in via, et nondum Deum videant.

CAPUT VIII.

De fidei proprietatibus.

391. **Quinque adsignantur fidei proprietates**, nempe, *supernaturalitas, obscuritas, certitudo, credibilitas,* et *necessitas.*

I. *Supernaturalitas.* Certum est, tum motivum, tum principium, tum habitum, tum actum fidei esse supernaturale donum Dei, juxta illud Apostoli: *Gratia enim estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis, Dei enim donum est.* (Ephes. II).

II. *Obscuritas* esse debet ex parte rei revelatæ, prout est in se; nam ex Apostolo (Hebr. XI.): *Est... fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium;* ergo ejus objectum obscurum nobis est; exinde fidei meritum habemus; alias nullum mentis sacrificium interesset. *Divina enim mysteria suapte natura intellectum creatum sic excedunt, ut, etiam revelatione tradita, et fide suscepta, ipsius tamen fidei velamine contecta, et quadam quasi caligine obvoluta maneant, quamdiu in hac mortali vita peregrinamur a Domino... Verum etsi fides sit supra rationem, nulla tamen unquam inter fidem, et rationem vera dissensio esse potest; cum idem Deus, qui mysteria revelat, et fidem infundit, animo humano rationis lumen indiderit: Deus autem negare seipsum non possit, nec verum vero unquam contradicere,* declarat *Vaticanum Conc. sess.* 3, *c.* 4.

Tamen fidei obscuritas non est ex parte revelantis; nam essentia fidei testimonio dicentis nititur, et auctoritas dicentis relationem habet ad ejusdem veracitatis gradum, seu auctorem. Deus est ipsa veritas, et revelans, ergo...

III. *Certitudo fidei* simpliciter, et absolute certior est quolibet cientifico assensu; siquidem certitudo formalis a suo motivo desumitur: divina revelatio nititur testimonio Dei, quod est majus testimonio hominum; nam *non est Deus quasi homo, ut mentiatur.* (Num XXIII). *Est autem Deus verax: omnis autem homo mendax.* (Rom. III.). Unde cum Apostolo exclamare debemus: *Scio... cui credidi, et certus sum.* (II Tim. I.). *Multo magis homo certior est de eo, quod audit a Deo, qui falli non potest, quam de eo, quod videt propria ratione, quæ falli potest,* ait *Angelicus,* 2. 2, *q.* 4, *a.* 8, *ad* 2.

IV. *Credibilitas fidei* est *evidentia illa propter quam nos rebus revelatis assensum nostrum exibemus.* Duplex est; alia *evidentia veritatis quæ ostendit rem esse evidenter veram*, uti duo et duo quatuor efficere: alia

evidentia credibilitatis, quæ *ostendit rem credibilem esse;* quia probatur extrinsecis argumentis, adeo fide dignis, ut in dubium amplius revocari non appareat. Hoc modo certi sumus Americam existere, licet eam non viderimus: item Ecclesiam catholicam esse unam, et veram. Hæc evidentia afficit revelationem, quam a Deo esse demonstrat, sed non afficit objectum revelatum, a quo obscuritatem non tollit, v. g. evidentia credibilitatis cognoscimus Trinitatem nobis esse revelatam, illius autem naturam non ideo cognoscimus. *Non enim crederet* (homo), ait Angelicus, *nisi videret ea esse credenda, vel propter evidentiam signorum, vel propter aliquid hujusmodi.* Et ita demonstratur rationabilem esse fidem nostram.

392. Q. *Quot sunt motiva credibilitatis?*

R. Sequentia: 1.° Sunt prophetiæ, quæ adventum, et circumstantias Messiæ respiciunt; nam futura contingentia certo prædicere, solius Dei est.—2.° Sanctitas Christi, et ejus doctrinæ.—3.° Doctissimorum, atque ipsorum adversariorum testimonium.—4.° Martyrum constantia, et multitudo omnium ætatum. Unde Tertullianus: *Plures efficimur, quoties metimur a vobis; semen est sanguis christianorum.* In Apolog.—5.° Numerus prope infinitus miraculorum, quæ in religionis confirmationem patrata sunt. Miracula esse non possunt nisi a solo Deo, et in veritatis confirmationem; nam Deus se ipsum contraire nequit. Hinc Richardus a Sancto Victore: *Domine, si error est, quem credimus, a te decepti sumus; iis enim signis doctrina hæc confirmata est, quæ nisi a Te fieri non potuerunt.* (Lib. I *de Trinit.*)—6.° Propagatio catholicæ Religionis summa cum celeritate in universum orbem, spectatis ineptis instrumentis ad tantum finem, et maximis obstaculis contra nitentibus.—7.° Non interrupta perseverantia inter tot persecutiones. Error enim stabilitatem nescit.

393. Q. *An fides in sua natura, et principio formali spectata essentialiter a scientia distinguatur?*

R. Affirma: 1.° Ex diversitate *principii;* nam fides a supernaturali gratia, scientia vero a natura intelligenti profluit.—2.° Ex diversitate *objecti*, quod in fide constituitur ab omnibus, et solis veritatibus a Deo revelatis; in scientia vero a veritatibus naturalis ordinis etiam.—3.° Ex diversitate *finis;* fides enim ad ipsam intuitivam Dei visionem disponit; scientia autem ad abstractivam Dei cognitionem. (*Perrone, de locis T., p.* 3.ª, *c.* II).

Q. *An fides major, vel minor esse possit in uno, quam in alio?*

R. Nega, quoad fidem objectivam formalem; prima equidem veritas est indivisibilis.—Affirma quoad materialem objectivam ratione veritatum fidei majoris, vel minoris notitiæ; vel ratione participationis, aut mentis adhæsionis, vel promptitudinis, devotionis, et fervoris, ut patet.

Q. *An obsequium fidei debitum cum hominis dignitate, vel libertate pugnet?*

R. Nega; si enim humana scientia, et fides homines non dedecorat, ac libertate non privat, tanto minus divina. Si Deus nobis revelavit fidei nostræ veritates, ad nostram salutem revelavit, ait *Orsini.* Merita, et virtutes homines honorant, et a vitiorum servitute liberant; et fidei veritates mentem nutriunt, a terrenis extollunt, et inter cœlites moratores efferunt.

Q. *Si tot argumentis nititur fides nostra, quomodo dici potest divinitus infusa?*

R. In primis certum est de eodem objecto fidem simul, et scientiam

haberi posse, uti de existentia Dei, ratione diversitatis principii, et motivi: cognoscitur per rationem, et creditur per fidem ex auctoritate Dei revelantis, gratia adjuvante. *(Perrone)*.

Deinde etsi adsint tot argumenta credibilitatis, attenta intellectus humani imbecillitate, nemo sine divina gratia credere supernaturaliter potest, tum ratione obscuritatis objectivæ; tum ratione disparitatis inter lumen naturale, et supernaturale, seu divinum; tum denique ratione impugnantium hæreticorum, qui omnia confundere satagunt. (Vide in *Syllabo*, 9 prop.)

Q. *Quid requiritur ut propositio ad fidem divinam pertineat?*

R. I. Propositiones aliæ sunt explicite revelatæ, quæ immediate, seu propriis, aut synonimis verbis in divinæ revelationis deposito continentur; v. gr. quæ in Scripturis de Christi ortu, vitæ genere, morte, resurrectione exhibentur: item veritates, quæ totius nostræ religionis sunt fundamentum, ut Trinitas Personarum in Deo, Christi Divinitas, ab eoque facta redemptio; ita ut antequam de iis definitio ab Ecclesia edita esset, merito ut hæretici habiti sunt, et condemnati, qui eas negabant; Ecclesia siquidem definiendo libros sacros Verbum Dei continere, has veritates sufficienter proposuerat uti revelatas, ac fide catholica tenendas. Ita *Del-Vecchio, l.* 2, *n.* 899.

II. Aliæ propositiones sunt tantum implicite revelatæ, et illæ sunt, quæ nonnisi mediante aliqua illatione, aut ratiocinio ab explicite revelatis deducuntur, et solent etiam conclusiones theologicæ nuncupari. Hujusmodi est quæ docet humanam in Christo voluntatem a divina distinctam esse; item quæ adstruit baptismi necessitatem quoad infantes, validitatem illius etiam ab infidelibus administrati, etc., quæ tantum constituerunt fidei dogma, cum id ab Ecclesia definitum fuit.

III. Propositiones ex duabus præmissis revelatis deductæ, ad fidem divinam pertinent; in ipsa siquidem propositione revelata formaliter continentur. In hoc enim natura syllogismi sita est, ut prima præmissarum conclusionem in se contineat; altera vero eam esse contentam manifestet; v. gr. *Omnes Apostoli repleti sunt Spiritu Santo; atqui Andreas erat Apostolus; ergo Andreas repletus est Spiritu Sancto.*—Idem dicendum, si propositiones ex majori generali revelata, et minori non revelata sunt deductæ; adhuc quippe in propositione generali revelata formaliter continentur; et minor non revelata declarat esse contentas, modo hæc sit omnino certa: v. g. *Vera Christi Ecclesia debet esse una*, *sancta, catholica, apostolica; atqui Ecclesia Romana est una, sancta, catholica, apostolica; ergo est vera Christi Ecclesia.*

Unde si minor esset tantum moraliter certa, conclusio ad fidei objectum non pertineret, ac propositio ei adversa non esset hæretica, sed erronea: v. g. *Infans legitime baptizatus, ante rationis usum moriens, est sanctus; atqui Pius, ante usum rationis mortuus, legitime fuit baptizatus; ergo Pius est sanctus:* hæc conclusio ad fidem non pertinet; nam tantum moraliter certum est, Pium fuisse legitime baptizatum.

IV. Si conclusio deducatur ex majori universali omnino certa, sed non revelata, et ex minori revelata, *alii* cum *Cano, Antoine, Vazq.* ad divinam fidem pertinere affirmant; nam talis conclusio necessariam habet connexionem cum revelata propositione; ergo vi testimònii divini eam credere debemus. Alii cum *Lugo, Lherm., Suar., Del-Vecchio,* pro-

babiliter sustinent, conclusionem illam veram quidem esse theologica veritate; non autem veritate revelata; quia directe non creditur vi testimonii divini, sed illationis theologicæ: si major sine errore in fide negari potest, ideo et conclusio: v. g. *Omnis homo est risibilis; atqui Christus est homo; ergo Christus est risibilis.* Hæreticus sane non esset juxta hanc sententiam, qui tamen negaret conclusionem.

Q. *Quotupliciter catholica veritas definiri potest?*

R. Tripliciter. 1.° *Directe,* et est cum veritas ab Ecclesia expresse, seu conceptis verbis, credenda proponitur.—2.° *Indirecte,* cum in *obliquo* veritas tenenda proponitur; in *recto* autem infallibilitas Ecclesiæ, quæ ita statuit; talis est: *Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum docuit, et docet, juxta Evangelium, et Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum matrimonii vinculum non posse dissolvi..., anathema sit.* (Trid. sess. 24, can. 7).—3.° *Tacite,* cum ab Ecclesia factum, quod a jure pendet, atque in eo fundatur, sancitur, ut est illud: *Si quis dixerit, cæremonias..., quibus in Missarum celebratione Ecclesia catholica utitur, irritabula impietatis esse, magis quam officia pietatis, anathema sit.* (Trid. Sess. 22, Can. 7). Hujus canonis objectum per se meram attingit disciplinam; tamen dogmaticus canon est, cum includat Ecclesiæ potestatem in tali disciplina sancienda.

Medium ad certo cognoscendas veritates a Deo revelatas esse debet 1.° *certum, securum,* et *aptum* ad omnes dubietates solvendas; alias obtinere non posset firmum, et immutabilem assensum.—2.° *universale,* cum omnes sint vocati ad fidem, omnibus obvia esse debet regula fidem assequendi.—3.° *perpetuum,* quantum sit perduratura ipsa fides. Unde medium istud esse nequit S. Scriptura, cum multa difficilia, et obscura contineat, et ipsa in manibus omnium fidelium non versetur; neque motio Divini Spiritus, quam nimis facile quisque fingere potest; neque privatus sensus; alioquin tot haberemus contrarias veritates, quot capita; neque via examinis; nam tunc paucissimi veritates fidei assequerentur; alii ingenii tarditate, alii rerum temporalium cura, alii cupiditatum amore ad has assequendas impedirentur: vel ipsi paucissimi nonnisi cum plurium errorum admixtione, ac dissensionum fidei veritates sibi compararent, ut patet ex protestantibus; ergo medium omnibus tutum, facile, obvium in viva, et infallibili auctoritate reponendum est; major quidem hominum pars sola regitur auctoritate: hæc autem auctoritas viva, et infallibilis in nullo alio reperiri potest nisi in visibili, et perpetuo Ecclesiæ magisterio, quod est *columna et firmamentum veritatis* (I Timot. 3): ergo...

Q. *An liceat fidei examen?*

R. Duplex est; *dubitativum,* et *confirmativum.* 1.m est *quando mens suspensa hæret, an credere, vel rejicere debeat aliquod dogma,* et hoc examen cum fide incompossibile est, ac rationalistarum proprium.—2.m vero est *quando dogma pro certo habetur, sed ignorantur credibilitatis motiva, et circa hæc disputatur;* idque omnibus licitum est. *(Del-Vecchio, l. 2, n.* 908).

394. V. **Fidei necessitas** duplex a theologis distinguitur; nempe, *medii.* et *præcepti:* 1.° Necessarium necessitate *medii,* seu *finis, illud est, sine quo, etiam inculpabiliter omisso, finis obtineri nequit.* Et dicitur *absolute necessarium,* seu *in re,* si substitutum non admittat, uti gratia ad sa-

lutem; et *necessarium secundum quid*, seu *hypotetice*, *quod per* alium substitui potest, ut aqua in baptismo per votum illius, vel per martyrium. —2.° Necessarium necessitate *præcepti*, seu *morale*, est *illud*, *quo inculpabiliter omisso, finis adhuc obtineri potest.*

Unde quidquid est necessarium *necessitate medii*, est simul necessarium *necessitate præcepti*, saltem naturalis, et non viceversa.

Hic non loquimur de *fidei habitu*, perspicuum est enim hunc omnibus necessarium esse ad salutem: porro inseparabilis est a gratia sanctificante. Quæstio est de *fidei actu* respectu adultorum; nam infantes hujus incapaces sunt, et salvantur per fidem habitualem in baptismo collatam.

—Duplex est actus fidei, *internus*, et *externus*.—1.s est *firmus mentis assensus veritatibus a Deo revelatis, et ab Ecclesia propositis propter summam Dei veracitatem*.—2.s vero est *exterior fidei professio ore, vel opere, vel alio signo manifestata.*

CAPUT IX.

De actibus fidei præceptis.

395. **Actus fidei internus** semper fuit, est, ac erit ad salutem omnibus adultis necessarius. 1.° Necessitate *medii*, juxta illud Apostoli: *Sine fide autem impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit.* (Hebr. xi). Et Trident., sess. VI, c. 7 et 8: *Fides est humanæ salutis initium, fundamentum, et radix omnis justificationis, sine qua impossibile est placere Deo, et ad filiorum ejus consortium pervenire.* Fides ergo est interna dispositio, et radix omnis justificationis; ergo necessaria est *in re*, ut inde oriatur justificationis radix; et non sufficit fides *in voto*, quod est contra Vegam. *Suarez* censet absque errore in fide id negari non posse.

—Quoad ignorantes adultos dici potest cum *D. Thoma*, quod nemini in necessariis Deus deest, vel *facienti quod est in se Deus non denegat gratiam*; sicuti fecit cum *Loth*, et *Cornelio*, mittendo ad eos Angelum. Scilicet curabit gratuita sua bonitate media suppeditare, etiam non baptizatis, ut legem naturalem observent, et fidem ad salutem necessariam eliciant.

396. Q. *Quænam scienda, et credenda sunt necessitate medii?*

R. I. Quovis tempore fuit adultis necessaria necessitate medii.—1.° fides implicita in omnibus a Deo revelatis;—2.° fides explicita Dei *existentis*, et Dei *remunerantis*. Quæ priora sponte fluunt ex sumissionis necessitate divinæ voluntati; et postrema patent ex Apost. dicente (Hebr. xi): *Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit.*

II. Communissime docent, fidem explicitam Dei bonos remunerantis importare etiam fidem explicitam Dei malos punientis.—Ante Evangelii promulgationem necessaria fuit necessitate medii fides implicita in Christum, vel, ut communius dicunt theologi, credere opus erat Deum homines salvaturum esse per media sibi nota: *Non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi.* (Galat. ii. 16).

III. Nunc disputatur inter theologos, utrum fides explicita mysterii SS. Trinitatis, et Incarnationis sit de necessitate medii, vel præcepti: etsi probabilius, et communius primum affirmant *Sanch., S. Lig. n.* 2. etc., cum neutra sententia probari, neque improbari clare queat, pro praxi scire sufficit hanc sub n. 64 prop. ab Innocent. XI esse damnatam: *Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, et etiamsi* per negligentiam culpabilem *nesciat mysterium SS. Trinitatis, et Incarnationis.* Si est incapax, nec licite, nec valide absolvi potest ea mysteria culpabiliter ignorans; ergo graviter peccat ea mysteria culpabiliter ignorans. In hoc conveniunt omnes. Hinc resolves:

1.° Si quis bona fide ea ignorans, jam confessus sit, tenetur confessionem repetere; nam, ut ait Innocentius XI, incapax erat absolutionis; et onus certum non cessat per dubiam satisfactionem. *S. Lig. l,* 2, *n.* 2. contra *Viva et March.* (V. T. II, n. 722). Et revera absurdum videtur, adultum merita Salvatoris recipientem, non debere illa explicite credere, et in ipsis sperare.

2.° Si quis adeo rudis sit, ut fidei mysteria percipere nequeat, excusatur ratione impotentiæ, et in necessitate sub conditione absolvi potest. Item excusantur ii, quibus deficit doctor, aut numquam in mentem venit obligatio addiscendi similia. *(Valentia, S. Ligor., l.* 2, *n.* 2).

3.° Aliud est credere, aliud memoriter mysteria scire, seu de eis respondere. Unde mente obtusis sufficit, quod singulos articulos explicite credant, dum eis proponuntur. *(Sanchez n.*18, *Gabriele, Del-Vecchio n.* 823).

4.° Ut prædicta mysteria explicite credantur, sufficit quod rudiores credant, Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum esse unum Deum, licet de una essentia, et de tribus distinctis personis notitia careant; similiter quod credant Filium Dei, verum Deum, et hominem pro nobis passum esse, et mortuum, etsi distinguere nesciant, quod sint duæ naturæ, et una persona. *(Silv., Del-Vecchio, ibidem).*

Confessarius advertens, aut probabiliter judicans sive in vita, sive in mortis articulo pœnitentem ignorare quæ sunt necessaria necessitate *medii*, vel *præcepti*, quod in pueris, et rusticis, ac civiliter etiam excultis hodie frequens est, instruere eum tenetur eo modo, quo hic, et nunc capax sit; et sufficit ad absolvendum, ut una simul cum confessario actus fidei, spei, charitatis, et contritionis eliciat, cum proposito ea in posterum addiscendi, licet hic, et nunc illa addiscere nequeat. Circa mysteria SS. Trinitatis, Incarnationis, Passionis D. N. J. Christi, vitæ futuræ, dici ei poterit: v. g. Credis quod Deus unus sit in essentia, et trinus in personis, sicut Ecclesia docet, ac credit? *Credo.* – Credis unam SS. Trinitatis personam, seu Filium Dei hominem esse factum, passum, et mortuum ad nostram æternam salutem? *Credo.*—Credis hoc pœnitentiæ sacramentum esse ab ipso Deo D. N. institutum ad delenda nostra peccata? *Credo.*—Credis quidquid credit sancta Ecclesia catholica? *Credo.*—Doles ita ignarum vixisse, et negligentem fuisse? *Doleo.*—Proponis firmiter, occasionem opportunam nactus, quod curabis te instrui? *Propono. (Ballerini, n.* 196, *Del-Vecchio, l.* 2, *n.* 823, *S. Lig. l.* 2, *n.* 4).

S. Alphonsus in *Praxi confess.* refert hæc verba *Leonardi:* Bonum non est consilium dimittere similes ignaros, ut ab aliis circa hæc edoceantur (maxime quoad pueros, ac rusticos); quia nullus alius sperabitur fructus, nisi ut sic ignari remaneant; ideoque expediens est breviter

eos docere prædicta principalia mysteria. *Celebris Leonardus* industriosum edocet modum, quo agi potest cum pœnitentibus civilis conditionis, qui res fidei ignorant, sed contumeliæ se de iis directe interrogari haberent: ait enim decere confessarium, ut invitet, et una simul cum pœnitente fidei actus eliceat, videlicet utilitatem, ac facilitatem ostendendo, indulgentias, ac meritum notando; et forsan brevius, et facilius erit paucis verbis, et claris, ei afferre præcipua fidei, ac legis capita, et deinde subjungere: Cæterum scis jam, et firmiter hæc omnia credis, sicut et cætera ab Ecclesia catholica proposita. Nonne? Si affirmative respondet, nihil amplius circa hoc inquirat; si vero negative, tunc eum instruat, et disponat.

Addit vero *Gousset:* In regione catholica ubi publice cultus exercetur; ubi continue fit signum crucis in nomine SS. Trinitatis; ubi invenitur in ecclesia, in domo, in agro, in densa sylva Augustum Redemptoris nostri signum, Jesu-Christi imago..., difficile est ignorari posse magna SS. Trinitatis, et Incarnationis mysteria, ita ut nulla sit absolutio recepta. Tamen id hodie exceptionem invenire potest etiam in excultis hominibus ab ecclesia, et ab instructione religiosa alienis. Hinc si confessarius rationabiliter dubitet, interrogare tenetur.

397. **Necessitate præcepti** tenemur quandoque in vita fidei actus elicere juxta illud. *(I Joan.* III). *Hoc est mandatum ejus: ut credamus in nomine Filii ejus Jesu Christi.* Item ex prop. sub n. 1 ab Alexand. VII damnata: *Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei, et charitatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.* Et ex prop. ab Innocent. XI sub n. 17, et 65 proscriptis.—*Satis est actum fidei semel in vita elicere.—Sufficit ista mysteria Trinitatis, et Incarnationis semel credidisse.*

Tripliciter *interno actu credere contingit;* nimirum: 1.° *Credere Deo,* vel credere id omne, quod Deus revelavit verum esse propter infinitam ejus veracitatem.—2.° *Credere Deum,* seu credere Deum existere ex eodem motivo.—3.° *Credere in Deum,* idest, credere affectu charitatis tendentis in Deum tanquam in ultimum finem.

Q. *Quandonam obligat internum fidei præceptum?*

R. Distinguo 1.° Quoad præceptum *negativum*, obligat sub gravi ad nunquam dubitandum, nec dissentiendum de revelatis a Deo; gravissima profecto irrogaretur Dei veracitati injuria.—2.° Quoad præceptum *affirmativum,* obligat *per se*, et *per accidens.*

Per se graviter urget 1.° Post usum rationis completum, ad incipiendam christianam vitam, et in mortis articulo ad vitam christiane finiendam, in finem ultimum tendendo. – 2.° Infideles, quando res fidei sufficienter est eis proposita.—3.° Sæpius in vita. *Justus ex fide vivit.* (Galat. III. 11). Juxta plures semel in mense obligat; juxta alios vero *sat probabiliter,* ait *S. Lig. n.* 7 *cum Salm., Sanch., Trull.,* semel in anno.—Cæterum sufficienter hoc præceptum adimpletur ab iis, qui fidei veritates didicerunt, et credunt per actus implicitos, uti Missam audiendo, sacramenta suscipiendo, orando, aliosque religionis actus exercendo; nam qui sæpius fidem posuit tanquam regulam suarum actionum, quibus ad Deum tendere vult, quidquid postea boni agit, ex eadem regula exercite jam ad Deum dirigit, licet non advertat. (V. n. 46.) *(Ita Croix, Scavini, Gury, S. Lig., n.* 7 *cum communi).*

— *Urget per accidens* 1.° Gravi tentatione contra fidem, vel aliam virtutem imminente, quæ aliter vinci nequit; nam quilibet media necessaria assumere ad peccatum vitandum tenetur. — 2.° Quando adimplendum est præceptum professionis fidei, vel actus eliciendus, qui fidem exigit; id est, fidem circa articulum, qui adimplementum præcepti dirigit, v. gr. circa Christi præsentiam in Eucharistia, si ad Communionem accedas; circa divinam institutionem, si ad pœnitentiam. *(Del-Vecchio, l.* 2, *n.* 817, *Ballerini, n.* 188).—3.° Post lapsum in hæresim, aut fidei negationem. *Ita omnes,* ait *Gury, ibidem.*—Inde graviter omnes peccant, id omittendo, nisi excusentur ob inadvertentiam, aut invincibilem ignorantiam.

298. Q. *Quænam sciri debent necessitate præcepti ad recte credendum, et agendum?*

R. I. Quilibet fidelis, cum ad usum rationis pervenerit, præter dicta de *necessitate medii*, tenetur sub mortali, nisi invincibilis ignorantia, aut impotentia excuset, explicite credere, ac crasso saltem modo scire, vel quoad substantiam, sed non memoriter eo ordine, et verbis, quibus in cathecismo proponuntur: 1.° Symbolum Apostolorum. — 2.° Decalogi, et Ecclesiæ præcepta. — 3.° Orationem dominicam.—4.° Sacramenta maxime necessaria, uti baptismum, pœnitentiam, et Eucharistiam: cætera vero quando suscipere vult: addunt salutationem angelicam ex usu fidelium, sed sub levi ex communi sententia. Reliqua autem, cum quis exercere ea teneatur, addiscere prius debet, et interim sufficit de iis fidem implicitam habere, nempe, credere quidquid est a Deo revelatum, et ab Ecclesia uti tale propositum. *Sanch., Suar., S. Lig., l.* 2, *n.* 3.

II. Decalogus fide divina credendus est *explicite;* quia ejus præcepta sunt revelata. — Secus præcepta Ecclesiæ, quatenus præcepta; nam a Deo non sunt revelata. Tamen hæc sciri debent, et de fide credendum est, quod Ecclesia præcepta condendi ex auctoritate divina jus habet, et nulla est peccatorum remissio pro iis, qui *scienter* extra veram Christi Ecclesiam esse volunt. *(Gury, Ballerini).*

III. Sic fidelibus sufficit, ut a mortali saltem excusentur, quoad Symbolum, Decalogum, Ecclesiæ præcepta, et sacramenta, ut rogati de singulis sufficienter respondeant; et quoad orationem dominicam, ut sciant omnia bona a Deo esse petenda; et aliquando saltem sub levi eam recitare ecclesiastici tenentur ratione officii, et status ad magis explicitam notitiam rerum fidei; sicut superiores Angeli, qui inferiores illuminant, habent pleniorem de rebus divinis notitiam, ut ait *Angelicus.* Non esse ultra veniale dicunt *Nav., Viva, Azor., Trull.,* etc., memoriter non tenere Symbolum, orationem dominicam, et salutationem angelicam, ex consuetudine; uti nescire crucem facere, ut docet *Sanch.* contra *Sylv.,* qui mortale esse tenet.

Si pœnitens ignorat necessaria necessitate præcepti, interroget eum confessarius de negligentia; nam plurimi per eam peccare solent: si doleant cum vero proposito ea discendi, illico eos absolvere poterit. Idem si in mortis articulo fuerit. Ratio, quia licet peccaverint omittendo, discere possunt tamen de hoc illico dolere, cum proposito discendi, veluti de aliis vitiis se emendandi. *(Sanch., Salmant., S. Ligor., l.* 2, *n.* 3).

CAPUT X.

De fidei externæ præcepto.

399. **Præceptum fidem exterius profitendi triplex datur**, nempe, *negativum, positivum divinum*, et *ecclesiasticum.*

Datur præceptum negativum prohibens fidem negare, in quo tria prohibentur, scilicet, *fidem negare, fidem occultare, et falsam religionem simulare, vel profiteri.*

I. *Fidem negare* nullo casu licet, sive voce, sive alio signo fiat; etenim fidem negare est ipsum Deum revelantem negare, et de mendacio incusare; exinde mereri ejus negationem æternam juxta illud: *Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est.* (Matth. x).

Hinc etiam graviter contra religionem peccat: 1.º qui de fide rogatus in odium religionis, sive a publica, sive a privata auctoritate, mentali utitur restrictione, aut verbis ambiguis, ita ut præsentibus videatur fidem negare; aut respondet se esse judæum, vel turcam, aut ethnicum, vel protestantem; quocirca hoc ipso se esse christianum catholicum negaret. Et *qui autem negaverit me*, etc. *Azor., Fil., S. Lig., n.* 12. Neque excusat timor mortis; cum nunquam liceat quod intrinsece malum est. *Varceno.*

2.º Qui, aliis rogatis, an fidem negare velint, iisque respondentibus quod non, ille tacet; vel si silentium, aut tergiversatio negationi, vel erubescentiæ, aut formidini æquivaleat; tunc enim necessario Dei honori, vel proximi utilitati detraheretur. (*S. Lig. n.* 14, *Gury, n.* 190). Hinc Innocent. XI hanc sub n. 18 damnavit prop. quoad publicam auctoritatem: *Si a potestate publica quis interrogetur, fidem ingenue confiteri, ut Deo et fidei gloriosum, consulo; tacere ut peccaminosum per se non damno.*—Secus autem si tacet, vel obscure respondet; vel ait se nolle respondere; se jure non rogari; non teneri, nec velle aliis dicere quid ipse credat, et similia; sic non videtur quidem fidem negare, sed nolle ipsam prodere. Unde si hic potest se a molestia liberare, quin præsentibus videatur fidem negare, non peccat. *Sanch., Azor., S. Lig.* Imo, seclusa interrogatione de fide, sæpe tacere, et fidem tegere opus est; nempe si ex confessione plus mali sequeretur; v. gr. turbatio, neces, periculum defectionis, exacerbatio tyranni, proximi scandalum, vel Dei dehonoratio. Unde temerarium plerumque est se ultro offerre. (*S. Thomas, Sanch., Lay., S. Ligor., ibidem).*

II. *Fidem occultare.* Quoties urget præceptum illam exterius confitendi ad proximi salutem, vel ad honorem Dei, fidem occultare idem est ac ipsam negare; secus aliquoties erit permissum, quandoque conveniens, seu necessarium fidem occultare, ne hanc aut proximum, vel nos ipsos gravi periculo exponamus, modo dicto: sic sacerdos iter agens inter hæreticos, vel infideles, ad suum statum occultandum, vestibus sæcularibus uti potest; et rogatus an sit sacerdos, religiosus, Episcopus, tacere valet; tales quippe tituli sunt accidentia religionis; ideo illos tacendo non censetur fidem negare. Secus si se *papistam* esse negaret, ubi per papistam com-

muni usu christianum catholicum intelligunt. *(Dens, Del-Vecchio)*. Sic si princeps generali lege jubeat, ut fideles se prodant signo, verbo, vel præsentia, ad id non tenentur; tunc equidem nemo obstringitur verum dicere, cum sit injusta lex; nisi specialiter rogatus, vel nisi ex adjunctis fidem occultare, vel negare videatur; nam ex hoc defecisse putaretur. *(Sanch., S. Ligor., n.* 14).

III. *Falsam religionem profiteri* nunquam licet, neque excusat periculum mortis; nam hoc est manifeste veræ fidei valedicere, et intrinsece malum.

—*Falsam religionem simulare* idem est ac exterius fidem negare, quod omnino illicitum est. *Qui me erubuerit, et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet*. (Luc. IX). Hinc merito damnati sunt *libellatici*, qui libellos securitatis obtinebant, ex quibus constabat eos idolis sacrificasse; quod tamen verum non erat. Et Bened. XIV, Const. *Ex quo singulari*, 1742 declaravit, non licere Sinensibus christianis externa adorationis signa idolo exhibere, quamvis intentio eorum ad crucem sub veste latentem dirigeretur.

400. Resolves 1.° Licet infidelium vestibus uti, si tantum sint vestes, aut signa *regionis*, quamvis hæc sit tota infidelis; cum ea per se ad religionem non referantur.

2.° Licet etiam probabilius, quamvis sint vestes, et signa ipsorum religiosorum, si fiat ex gravi causa, v. g. ad grave periculum vitandum, victoriam obtinendam, eludendos hostes, dummodo non habeant peculiare signum profitendi errorem, vel falsam religionem, sed sint tantum nitidioris cultus indicium, vel eminentioris vitæ inter eos, ut *saga prædicantium* in Germania, *toga Bonziorum* in Japonia, *flavus annulus* in pallio judæorum Francofurti. *(Gury, n.* 191, *Sanch, Lay., Covar., quæ sententia probabilis est*, ut ait *S. Ligor., l.* 2, *n.* 15).

3.° Si vestes, aut signa unice, aut primario sint instituta ad sectam profitendam, ut sunt ea, quibus sacerdotes in exercitio functionum suarum utuntur, vel incensio thuris, sumptio cœnæ hæreticæ, non licebit, opposita ratione. *(Salm., Gury, n.* 191, *S. Ligor., n.* 15).

4. Non licet catholico per loca hæretica transeunti, ob solam derisionem, die prohibito carnibus vesci ad fidem occultandam; liceret utique ad grave vitæ, vel bonorum periculum vitandum; nam præcepta Ecclesiæ non obligant sub tali periculo; nisi fieret in odium fidei, vel Pontificiæ potestatis; vel ex adjuntis fieret signum professionis sectæ; tunc profecto contra fidem graviter peccaret, si non protestaretur. *(Sanch., Azor., S. Ligor., ibidem)*.

5.° Licitum est pecunia se redimere, ne de propria fide inquisitio fiat; hoc enim ipso fit confessio fidei; imo sæpe virtus discretionis est vitam ad Dei gloriam servare, ac fidem tegere. *(S. Ligor., n.* 14).

6.° Fas est politicum famulatum hæretico, aut infideli domino præstare ex justa causa, etiam quoad comitatum in templa ejus religionis, velut faciebat *Naaman Syrus*, dummodo absit scandalum, impietatis communicatio, perversionis periculum, ut infra.

7.° Non licet principi obedire, si mandet, etsi sub pœna, ut omnes subditi hæreticorum conciones audiant; tum ob perversionis periculum, tum ob injustitiam legis, tum ob duplicem rescriptum Pauli V ad Anglos id prohibentis. *(S. Ligor., n.* 16).

8.° Non licet matrimonium coram hæretico ministro contrahere, si hic ut minister religionis assistat, etsi adsit principis mandatum; esset enim illius religionis approbatio, quod est intrinsece malum.

— Licet vero 1.° si assistat ut minister politicus; item licet coram civili magistratu modo antea, vel postea coram Ecclesia contrahatur *(S. Ligor., n.* 16); — 2.° licet assistere convivio nuptiali, aut sepulturæ, aut templis hæreticorum, vel infidelium, curiositatis causa, secluso scandalo, perversionis periculo, communicatione impietatis, aut mandato speciali prohibente; nam hæ sunt meræ civiles adunationes.—Secus dicendum de baptismo, et cœna acatholicorum; cum hæc ad religiosam cœremoniam pertineant. *(Gury, n.* 192, *S. Ligor, n.* 16).

401. Q. *An liceat in persecutione fugam arripere?*

R. Aliquando est *præcepta,* aliquando *prohibita,* aliquando *libera.*— 1.° Est *præcepta,* quando quis, conscius suæ imbecillitatis, propriam defectionem in tormentis timet; item cum persona necessaria est, vel summopere utilis bono communi; aut si prævideatur, tyrannum magis in Ecclesiam incitandum. *Cum... persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam.* (Matth. x).—2.° Est *prohibita*, quando per fugam subtraheretur honor Deo debitus, aut proximo utilitas impendenda, quod maxime currit de Pastoribus. —3.° Extra hos casus libera est. Hoc porro prudentis est judicare.

Q. *An catholicis liceat pecuniam pro ædificando templo hæretico tribuere?*

R. S. Pœnitentiaria 1822 respondit: *Affirmative, sed tantum ad se suaque templa ab incommoda illa, ac scandalosa cum protestantibus simultaneitate liberandum,* nempe a simultaneitate sacra in eodem templo peragendi.

Q. *An liceat monialibus, et capellano addictis hospitalibus, ubi recipiuntur etiam acatholici, vocare ministrum hæreticum, si petant ad religiosa auxilia recipienda? et an eadem danda sit solutio, ubi hæreticus infirmus in domo privata cujusdam catholici degit?*

S. C. Cong. 15 mart. 1848 respondit: *Non licere; sed passive se habeant;* nam errori esset cooperari.

402. **Datur etiam præceptum affirmativum,** aliquaudo obligans ad fidem etiam cum vitæ periculo exterius confitendam. *Corde enim creditur ad justitiam: ore autem confessio fit ad salutem,* ait Apostolus *(Rom.* x). Et Luc. IX, ait Christus Jesus: *Qui me erubuerit, et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua.*—Id exigit honor divinus, et etiam præceptum fidei servandæ; qui enim tenetur ad finem, tenetur etiam ad media necessaria ad illum obtinendum. *(Ita omnes cum D. Thoma,* 2. 2, *q.* 3, *a.* 2).

In duobus casibus, juxta *D. Thomam cum communi,* obstringit hoc præceptum; scilicet, quando per omissionem hujus confessionis notabiliter subtraheretur *contrarie, aut privative* honor Deo debitus, aut etiam utilitas proximo impendenda. 1.° *Contrarie,* ut si Deus afficeretur magna injuria, vel proximus magno damno spirituali; v. gr. si contemptus religionis, scandalum, vel aliorum perversio sequeretur; 2.° *privative,* si cessaret magnus honor erga Deum, aut magna utilitas erga proximum. Ratio: quia id exigit charitas, quam Deo, et proximo debemus. *(Gury, S. Ligor., n.* 11).

Hinc si quis videt Eucharistiam, vel sacras imagines contemni, obsistere debet, si impedire valeat; ut sic honorem divinum curet.—Qui aliquid agit, unde alii conjiciant ipsum negare fidem, desistere tenetur, ne proximo offendiculum ponat. *(S. Lig. l. c., Del-Vecchio, l. 2, n. 818).*

403. **Datur generale præceptum ecclesiasticum**, quod sub gravi urget cum juramento obediendi Ecclesiæ Romanæ. 1.° (Præter baptizandos per se, vel per patrinos, si infantes) tenentur etiam provisi de beneficio curato intra duos menses a die adeptæ possessionis, coram Episcopo, vel Vicario generali, aut Officiali. *(Trid. sess. 24, cap. 12 de R.).*

2.° Provisi de canonicatu, vel dignitate, non vero in collegiata, sed tantum in cathedrali, ait *De Luise, n.* 666 *cum S. Lig., n.* 11, non tantum coram Episcopo, vel ejus Vicario, sed etiam in Capitulo; secus prædicti omnes non faciunt fructus suos (præbendæ, scilicet, bene quidem distributiones); nec illis possessio suffragatur. *(Trident. l. c.)*; sed non videntur teneri ante sententiam ad restitutionem. *(S. Ligor., l. 2, n.* 11). Tamen *De Luise, n.* 666, ait ad hanc pœnam non requiri sententiam declaratoriam. Erit hæc pœna conditionalis. Præstanda est personaliter, non vero per procuratorem, etiamsi Romæ coram Cardinali Vicario, facultate obtenta, jam illam præstiterint, ipsam repetere tenentur coram Ordinario simul ac in locum residentiæ pervenerint. Bened. XIV, *Inst. Eccl., De Luise, l. c.*

3.° Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, et Episcopi ante litteras propriæ provisionis expeditas. Quæ insuper ab ipsis emittenda est in prima provinciali synodo una cum juramento Tridentinum observandi, *(Sess. 25, c. 2 de R.)* ac hodie etiam duas Const. dogmaticas *Concilii Vaticani.* Pius IV, Const. *Injunctum,* et in *Sacrosancta* hanc obligationem extendit ad prælatos regularium, etiam militarium. Pius V. ad omnes promovendos ad doctores, magistros, regentes, professores cujusvis scientiæ liberalis, sub privatione omnium dignitatum, beneficiorum, et officiorum in eos, qui ad tales gradus promovent sine dicta fidei professione. Sed id hodie aliquibus in locis non observatur *(ait Del-Vecchio, l. 2, n.* 819), neque obligat hoc decretum ubi non est usu receptum. *Sanch. n.* 4, *S. Lig. l. c.*

Item qui in synodum diœcesanam convenire debent, quamvis nulla sit obligatio, ut juramentum præstet Episcopus. *(Tridentinum).*—Item hæretici ad Ecclesiam redeuntes, qui tenentur hæresim abjurare, et expressam fidei professionem emittere, ut ratio suadet, et jus firmat.—Jure ecclesiastico particulari tenentur etiam aliquibus in locis provisi in collegiata, item confessarii, et concionatores.

PARS SECUNDA.

DE IIS, QUÆ FIDEI OPPONUNTUR.

Quatuor fidei opponuntur, nimirum: *infidelitas, superstitio, hæresis*, et *apostasia*.

CAPUT I.

De infidelitate.

404. I. **Infidelitas** est *carentia fidei in subjecto capaci*. Infidelis generatim dicitur ille, qui per baptismum fidei habitum non suscepit.

II. Triplex distinguitur infidelitas; scilicet, *positiva, negativa*, et *privativa*.—1.ª est *carentia fidei in eo, cui sufficienter ipsa proposita est, et pertinaciter illi contradicit;* 2.ª est *carentia fidei in eo, cui fides nullo modo, vel non sufficienter est annuntiata;*— 3.ª est *carentia fidei in eo, qui notitiam fidei, data occasione, sibi comparare neglexit.*

Q. *Quale peccatum est infidelitas?*

R. I. Infidelitas *positiva*, et *privativa* gravissimum peccatum est; nam illa explicite, hæc virtualiter gravem injuriam primæ veritati, et auctoritati infert. *Qui... non credit, jam judicatus est.* (Joan. III). *S. Ligor., n.* 17. Tamen *privativæ* reatus dimetiendus est a majori, vel minori negligentia in exquirendo.

II. Infidelitas autem *negativa*, utpote pure materialis, nullum peccatum est; ubi enim adest ignorantia invincibilis, peccatum esse nequit. *Si non venissem, et locutus fuissem eis, peccatum non haberent.* (Joan. c. XV). Contraria Baji prop. 68 a Pio V, et a Gregorio XIII. damnata est. Non ergo hac de causa infideles ad inferos damnabuntur, nisi actuali peccato gravi maculati moriantur; sicut ante Christi adventum, legem naturalem servantes; nam per baptismum *flaminis* salvari possunt.

Infideles quandiu non sunt omnino persuasi in errore versari, vel suam sectam bona fide judicant probabiliorem, vel æque probabilem ac nostra religio, peccarent nostram doctrinam amplectendo; contra conscientiam quidem agerent. Si aliquod dubium circa falsitatem suarum religionum oriatur, tunc strictam obligationem inquirendi veritatem, et nos audiendi habent, ac nostram postea amplectendi. *Laym., Sanch., S. Lig.*, 9.

405. **Infidelitatis species præcipuæ** sunt sequentes: 1.º *Paganismus*, et est *infidelitas illius, qui neque in re, neque in figura fidem suscepit*, ac plures colit deos, unde *politheismus* vocatur.—2.º *Judaismus*, et est *infidelitas illius, qui fidem suscepit in figura, sed non in re.*—3.º *Mahometismus*, a Mahumete illius auctore, *qui unum Deum creatorem fatetur, et plura rectæ rationi contraria, et honesto homine indigna simul tradidit in putido Alcorano.*

—Hisce adde alias infidelitatis species a Pio IX tum in *Syllabo*, tum in Vaticano generali Concilio damnatas. 1.º Est *Atheismus*, qui nullum admittit Deum.—2.º *Deismus*, qui unum Deum tenet, sed omnem reve-

lationem rejicit.—3.° *Pantheismus*, qui unam, eamdemque Dei, et rerum omnium esse substantiam dicit.—4.° *Rationalismus*, qui docet humanam rationem unicum omnis veri fontem esse.—5.° *Semi-rationalismus*, seu *liberalismus*, qui nihil in supernaturali revelatione, et Ecclesiæ gubernio admittit, absque placito, et rigoroso examine humanæ rationis.—6.° *Naturalismus*, qui in regno puræ naturæ sistit, cui affinis est *materialismus*, qui nullam dari substantiam spiritualem docet.

—His adhuc addi debent: 1.° *Determinismus*, qui liberum hominem duræ, et interiori necessitati subjicit.—2.° *Sensismus*, seu *sentimentalismus mysticus*, qui sensum dicit unicam esse cognitionis normam.—3.° *Empirismus*, qui in meris factis spiritualibus sensus sive interni, sive externi sistit, in iisque totam collocat scientiam.—4.° *Hermeranismus*, ab Hermesio Bonnensi, qui in scepticismum, et indifferentismum inducit.

406. Q. *An infideles ad suscipiendam fidem compelli possint?*

R. I. Ecclesia jus habet Evangelium prædicandi ubique juxta hæc Christi verba: *Euntes ergo docete omnes gentes.* (Matth. XXVIII)... *Prædicate Evangelium omni creaturæ.* (Marc. XVI).—Et consequenter infideles prædicationem audire, et fidem suscipere tenentur, juxta illud: *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.* (Rom. X). *Qui vero non crediderit, condemnabitur.* (Marc. XVI). His positis:

II. Vel infideles sunt temporaliter subjecti Ecclesiæ, aut principibus christianis, vel non.—Si 1.^{m}, potest Ecclesia per se, vel per principes eos ad fidem audiendam compellere, non vero ad eam profitendam; nam principes sæculares præcipere possunt quidquid in ordine naturali rectum est, sed non cogere ad fidem amplectendam. *(S. Ligor., n.* 18).—Si 2.^{m}, Ecclesia nec per se, nec per principes christianos compellere illos potest, nec ad audiendam, nec ad amplectendam fidem; tum quia Ecclesia directam potestatem non habet in non baptizatos; tum quia fidei susceptio omnino voluntaria esse debet, ut sit vera fides.

Sunt tamen a fidelibus compellendi, si adsit facultas, ut fidem non impediant vel blasphemiis, aut malis persuasionibus, vel etiam apertis persecutionibus, ut ait *Angelicus*, 2. 2, *q.* 10, *a* 8. Id est, si principes infideles malis actibus prædicationem Evangelii impediant, potest Ecclesia per se, vel per principes christianos eos compellere ad evangelicos præcones admittendos, et a malis actibus in subditos christianos cessare; Ecclesia siquidem auctoritatem docendi omnes gentes a Christo accepit.

407. Q. *An liceat fidelibus communicare cum infidelibus?*

R. Duplex est communicatio: *civilis*, et *religiosa*.—1.^{a} consistit *in rebus ad commercium civile, et politicam societatem pertinentibus*: hæc per se non est vetita, dicente Apostolo: *Si quis vocat vos infidelium, et vultis ire: omne, quod vobis apponitur, manducate.* (I Cor. X). Erit prohibita, si sit periculosa, v. g. nimis familiaris.—2.^{a} vero consistit *in rebus ad religionem spectantibus*: et hæc est vetita jure tum naturali, tum divino; nam est quædam falsæ religionis approbatio. *Quæ pars fideli cum infideli?... exite de medio eorum, et separamini...* (II Cor. VI).

—Secluso scandalo, perversionis periculo, ac peculiari prohibitione, et communicatione, non est lethale eorum sacris assistere, v. g. ut quis ea spectet tamquam comœdiam; imo nulla culpa si id ob rationabilem causam fiat, vel consuetudine interveniente, quæ hodie ferme ubique ob-

tinet ob libertatem, et æqualitatem civilium jurium cum christianis. Hinc mortale non erit civiliter adire eorum synagogas, vel nuptiis, aut sepulturæ interesse; quippe hæc habentur, ut conventus mere civiles. *(S. Ligor., n.* 16, 18, *Varceno, p.* 325, *Scavini).* Verum merito monet *Perrone,* ideo magis ab illis cavendum... non enim minori ipsi nunc (nisi factis exceptionibus) odio prosequuntur christianos, quam anteactis sæculis.

Si pagani converti velint, existentia divinæ revelationis, credibilitatisque motiva eis ostendantur, necnon Ecclesiæ existentia.—Si fuerit judæus cum quo theologus congredi debeat, depromat ex veteris Testamenti vaticiniis testimonia, quæ Messiæ promissionem, et adventum patefaciunt.

CAPUT II.

De superstitione.

408. **Superstitio** est *vitium quod exhibet cultum divinum cui non debet, vel eo modo quo non debet.* (S. Thom., 2. 2, q. 92, a. 1). Hinc superstitio spectatur tum ex parte rei, quæ cultu donatur; tum ex parte modi, quo cultus donatur. Hinc:

I. *Ex parte rei* triplex est superstitio, nempe, *idololatria, divinatio,* et *vana observantia;* prout *creatura colitur loco Dei;* vel *ab ea tanquam a Deo petitur rerum occultarum cognitio;* vel *ab ipsa auxilium imploratur, quod a Deo eflagitari debet.*

II. *Ex parte modi* potest esse cultus, vel *falsus*, vel *turpis,* vel *superfluus*, prout 1.° aliquid falsi contineat; ut si quis mosaico more Deum colat; vel si laicus tanquam publicus Dei minister sacrificet, vel absolvat, vel auctoritate sua proponat aliqua facienda, tanquam ordinata ab Ecclesia ad Dei cultum; vel qui falsas reliquias, aut miraculum falsum proponat; vel se habuisse has, vel illas revelationes fingat; 2.° si aliquid inhonesti, v. gr. precibus inhonestis, aut Deo contumeliosis utatur; 3.° si aliquid nihil in Dei cultum conferens; ut si in divino Officio aliquam arbitrariam cæremoniam addat, vel nollet Missam audire nisi a tali sacerdote; vel ante solis ortum; aut tali numero cereorum.

Ultima species, seclusis scandalo, et contemptu, venialis ordinarie censetur; sane potius est mera simplicitas, quam positiva irreverentia.—Aliæ vero duæ semper ex se graves sunt; nam graviter veritati, ac cultui divino adversantur; at ex ignorantia, vel simplicitate prima species sæpe a gravi excusatur. (*S. Lig., l.* 3, *n.* 3, *Scavini, n.* 98). His positis:

409. **Idololatria** definitur: *Cultus divinus creaturæ exhibitus, sive verbis, sive signis;* uti capitis detectio, genuflexio, sacrificium. (*S. Ligor., n.* 12).

Triplex est, scilicet, *perfecta, imperfecta, et simulata.* 1.ª *creaturæ defert cultum divinum, falso putans esse Deum.*—2.ª *defert quidem creaturæ honorem divinum, sed externum tantum:* sive ex mera animi cupiditate, sive ex Dei odio, adeoque est omnium gravissima.—3.ª *honorem*

creaturæ externe defert, mortis, vel alterius damni metu; ut christianis aliquibus evenit persecutionis tempore. *S. Ligor., n.* 13.

Datur alia idololatria practica, et *est libidini, avaritiæ, aut cuivis alii vitio indulgere, et vitam, ac vires turpissimo huic idolo impendere*, quod Apostolus vocat *simulacrorum servitutem.* (Colos. III).

Idololatria atrocissimum scelus est contra illud primum Domini præceptum: *Non habebis deos alienos coram me.* (Exod. XX).—*Abjicite deos alienos.* (Gen. XXXV). Ratio: idololatria quantum est in se facit alium deum in mundo, ait *Angelicus*, 2. 2, *q*. 94, *a*. 4, et sæpe conjungitur infidelitati, aut hæresi, aut contra externam fidei confessionem. *S. Lig. ibid.*

410. **Divinatio** est *tacita, vel expressa dæmonis invocatio ad res futuras, vel occultas cognoscendas naturaliter incognoscibiles.* S. Lig., n. 5.—1.° Expressa fit *expressis verbis, precibus, vel laudibus.*—2.° Tacita vero *fit media quædam ex se inutilia adhibendo, ad occultorum notitiam, quæ solus Deus scire potest.* Tunc dæmoni tribuitur cultus divinus. Si vero sint tales, quas dæmon naturaliter scire possit, illicita est, eo quod habeatur commercium cum Dei jurato hoste, quod importat quamdam proditionem, et apostasiam a Deo, ac forte etiam superstitionem, ut vult *Suarez* contra *Valent.* Ita *S. Lig., n.* 5.– Dæmon ex signis, etc., occultissima quæque cognoscere potest, etiam plurimas hominum cogitationes, et res futuras, ut ait *S. Lig., ibid.*

Cum quis media ex natura sua, vel ex divino, aut ecclesiastico instituto inefficacia ad desideratum effectum adhibet, dici nequit a naturali, vel divina causa hunc spectari, vel provenire debere; dæmoni ergo superest tribuendum, licet præter intentionem utentis sit eum invocare. *Suar., Less., Sanch.*, etc. Imo licet protestetur; quia reipsa facit contra protestationem. *Bon., Laym.* Nam Deus vanis non se immiscet, neque miracula inaniter operatur, neque hæc incassum petere alicui licet. Nequidem is excusatur, quia talia media credit utilia propter experientiam; quippe hæc dæmon curat, et ad similia usurpanda inducit, ut homines paulatim irretiat. Et hæc quidem etiam quoad vanam observantiam, magnetismum, spiritismum retinenda sunt; nam eadem est ratio. *S. Lig., l.* 2, *n.* 8, *et Ballerini, n.* 266.

411. **Divinationis species variæ** distinguuntur, prout videre est in Bulla Sixti V, *Cœli et terræ,* anno 1586. En præcipuæ:

1.° *Pythonismus*, seu dæmon in possesso voces emittens, futura, et occulta patefaciens.—2.° *Oraculum,* seu dæmon in idolo occultus respondens.—3.° *Vaticinium,* seu dæmon futura, et occulta prædicens ope pseudo-prophetarum, falsis, et ambiguis responsis plebeculam incautam ludificans.—4.° *Aruspicium,* si pecudum viscera immolatarum consulendo, futura aperire præsumatur.—*Augurium*, si ex avium garritu, pastu, volatu, et situ futura deducere nitatur. Secus si pluvia, ventus, siccitas conjecturaliter deducatur. Item ex mora strigum nocturnarum super tectum domus ægroti sistendi, non omnino superstitiose conjicitur mortis propinquitas, ob earum acutissimum olfactum ad odores cadaveris. *(Sporer).*—5.° *Necromantia*, seu dæmon per mortuos, vel ad vitam revocatos ferens sua alloquia.—6.° *Chiromantia ,* cum alicui inspecta manus dexteræ, vel sinistræ palma, prædicitur tota ejus vitæ series.—7.° *Astrologia judiciaria*, qua ex siderum motu quidam putant futura etiam libere contingentia se vaticinari posse.—8.° *Sortilegium*, cum occultorum, et

futurorum manifestatio a sorte, v. g. taxillorum jactu, deducitur.—9.° *Præstigium*, seu dæmon apparitionibus oculos perstringens.—10.° *Physiognomia*, si ex vultus lineamentis; *omen*, si ex aliquo casu; *oniromantia*, si per somnia; *geomantia*, si per figuram in terra; *hydromantia*, si in aqua; *aëromantia*, si in aëre; *pyromantia*, si ex igne, quis divinare præsumat.

Divinationi est tribuendum quidquid occultum cognoscitur præter media naturalia, vel divinam revelationem; non enim datur aliud medium ad res occultas investigandas.

412. Q. *Quid in dubio an cognitio a naturali causa proveniat, an a dæmone?*

R. I. Si nulla prudens ratio adest de virium naturalium insufficientia, aut dæmonis interventu, viribus naturæ tribui potest; consulto tamen præmittitur protestatio contra quemlibet dæmonis interventum.

II. Si dubitetur an a dæmone, vel a Deo cognitio proveniat, si certo constet eam a causa naturali provenire non posse, dæmoni est tribuenda, nisi sanctitas operantis, vel alia clara indicia contrarium persuadeant; temerarium equidem est putare semper fieri miracula, maxime per manus inimicorum, vel hominum non piorum. Neque licet tunc experiri, utrum effectus sit secuturus necne. (*SS. Ligor.*, *n.* 20, *cum communi. V. S. Thomam*, 2. 2, *q.* 96, *a.* 1).

413. Q. *Quodnam peccatum est divinatio?*

R. Ex genere suo grave peccatum est; nam societas cum dæmone est semper magnus Dei contemptus; neque per ignorantiam potest quis excusari, nec in divinatione *expressa*, neque facile in *tacita;* nam ipsa ratio hoc crimen revelat. Hinc Apostolus: *Nolo autem vos socios fieri dæmoniorum.* (I Cor. x).—Tacita vero invocatio ob simplicitatem, levitatem, jocum, vel ignorantiam a gravi sæpe excusari poterit. (*Scavini, Gury, S. Ligor.*, *n.* 7).

Omnes tamen hæ species prædictæ materialiter tantum inter se distinguuntur, cum unum habeant terminum per media diversa. *S. Lig.*, *n.* 6. Porro *expressa* excipitur, cum sæpe adjuncta habeat alia peccata, v. g. hæresim, dæmonis adorationem, scandalum, etc., ideo in confessione est aperienda, ait *Scavini cum aliis*. Cæterum probabile est de se non esse obligationem illam explicandi. (*Salm.*, *n.* 29 *et* 30, *Victor.*, *Scavini).*

414. **Mortuorum apparitiones.** *Magnæ imprudentiæ est negare animas identidem e suis sedibus ad nos emitti, cum tot viri sapientes, et Deo pleni idipsum ratione, et experimento comprobent suo*, ait D. August., lib. *De cura pro mortuis;* nam qui potuit creare, bene potest suscitare.—Tamen non raro ad simplices decipiendos illæ confinguntur, vel ab humana phantasia, aut imaginatione, vel somnio.—Unde olim in Hungaria grassabatur morbus, et putabant de nocte mortuos e sepulchris exire, ac sanguinem vivorum dormientium sugere, qui *vampirii* vocabantur. Inanis hæc credulitas tanto percutiebat homines timore, ut ipsi verum contraherent morbum.

Recte dicunt theologi, abstinendum esse a pacto, quo duo conveniunt, ut qui prior obierit, viventi appareat, et statum suæ salutis ei ostendat; nam est futilis, ac periculosus conventus; potest quippe eo abuti dæmon ad viventis deceptionem.

415. **Somnia** esse possunt, *naturalia, casualia, diabolica*, et *divina.*

I. *Naturalia,* quæ *oriuntur ex naturalibus causis,* v. gr. a temperamento, et occupationibus: superstitiosum non est ex iis præsentem corporis statum conjicere; cum connexio inter hæc naturalis intercedat. Secus si futura contingentia conjicerentur, ob rationem oppositam.

II. *Casualia,* quæ *oriuntur ex diverso idearum in mente concursu:* est superstitiosum ex eis futura deducere; eo ipso quod sunt casualia, accommodata esse nequeunt ad certam rem significandam; sed non videtur grave, aliquid indifferens propter illa agere, vel omittere; ex simplicitate enim, vel nimio timore id provenire videtur, etsi valde periculosum sit ex somniis se dirigere. *(S. Lig. n.* 9, *Scavini, l.* 2, *n.* 103).

III. *Diabolica,* quæ *sunt a dæmone phantasiam commovente,* credere non possumus; nam grave ex se est veritatem in mendacio fundare, aut quærere, et societatem cum illo inire. Hinc: *Nec inveniatur in te... qui ariolos sciscitetur, et observet somnia atque auguria.* (Deut. XVIII). *Multos enim errare fecerunt somnia.* (Eccli. XXXIV.)

IV. *Divina,* quæ *certo a Deo sunt:* sic duo Joseph in somniis divinum consilium receperunt, certo etiam ipsis fidem adhibere tenemur juxta illud: *Si quis fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum.* (Num. XII).

Q. *Quomodo hæc somnia dignosci poterunt?*

R. En regulæ: 1.° Si somnium ad peccati fugam, vel ad aliquod bonum cum magna alacritate, humilitate, ac timore impellit, merito a Deo creditur, a quo sunt omnia bona.—Secus a diabolo censetur, si ad malum inclinat, vel ad indiscretionem; nam ex fructibus cognoscitur arbor.—2.° Si dubium sit, rejiciatur; quia Deus, cum loquitur, certum reddit hominem. *(Scavini, S. Lig. n.* 9).

416. **Chiromantia.** Superstitiosum est ex lineamentorum in fronte, in facie, vel in manibus, inspectione vaticinari bonam, vel malam cujusque fortunam; quæ enim proportio mediorum ad finem? Hinc graviter peccant se ostendentes, et etiam vaticinari præsumentes ratione tum divinationis, si cum firma fide fiat, tum etiam scandali. Venialiter vero si ob jocum, vel curiositatem solum hæc fiant. (*Scavini, Gury, S. Ligor., n.* 10). —Tamen adhuc graviter sæpe peccarent peccato cooperationis qui falsos vates ad artem adeo nefandam serio exercendam inducerent, eos consulendo. *(Scavini, l.* 2, *n.* 104).

417. **Astrologia:** alia est *naturalis,* alia *judiciaria.* Per *primam* homines ex siderum situ, et motu prædicunt futura aliqua certa, uti eclipses; alia incerta, uti pluvias, tempestates, etc. Hæc est utilis, vel vana, sed minime illicita; nam tota in naturalibus fundatur. *Bus., Salm.* n. 35.

Per *secundam* prædicunt futura libere contingentia, uti bella, matrimonia, exitia, mortis genus. Hæc ex sui natura, saltem si de persona particulari fiat, sub gravi omnino prohibita est, et damnata a Sixto V, anno 1585, et ab Urbano VIII, anno 1631, prohibentibus etiam omnes libros hac de re, consequenter etiam *Lunarium perpetuum.* — Hæc si fundatur in astris, ut *signis,* erit simplex divinatio; si vero, ut *causis,* erit etiam hæresis; tum quia astra nihil omnino possunt in hominis voluntatem; tum quia ita tolleretur humana libertas, ac imputabilitas. Unde *a signis cœli nolite metuere.* (Jerem. x). *Scavini, Salm. n.* 64, *S. Lig. n.* 10, *cum communi.* Licitam esse censent, si fiat in generali, ut si prænuntiantur bella, seditiones, etc. *Salm. n.* 48 *ex D. Thoma.* Præ-

dicere ex horoscopo, et puncto nativitatis inclinationes, temperamenta, etc., ut certa, leve esse putant. *Salm.*, *Suar.*, *Sanch.*, etc., contra *Fil.*, *Trull.* Si vero prædicit conjecturaliter, licita erit. *Salm. n.* 53, *S. Lig. n.* 11, etc.

Lunæ influxus, etsi falsus sæpe esse possit, non est, ut plurimum, supertitiosus ejus assensus; non enim dæmoni, sed naturæ tribuitur. Unde superstitiosum non est observare lunam colligendis herbis, purgandis corporibus, cædendis arboribus etc. *S. Lig. n.* 17. Tamen quoad agricolæ operationes melius erit attendere ad optimas regionis consuetudines, quam ad lunæ statum, ut docet experientia. *(V. Scavini, l.* 2, *n.* 354 *et* 108).

418. **Sortilegium** est *divinatio per sortes.* Tres numerantur, nempe: *divisoriæ, consultatoriæ,* et *divinatoriæ.*

I. *Divisoriæ,* quibus discernitur quid cuique sit tribuendum ad lites dirimendas, vel res distribuendas, omni superstitione vacant; nam sunt quidam ludi, vel contractus, juxta illud: *Contradictiones comprimit sors.* (Prov. XVIII).—Excipe ex jure positivo, electiones ad Prælaturas, ecclesiastica beneficia, et lites circa ipsa. *(C. Ecclesia de sortileg.)* Sed si excipiatur Prælati electio cum jurisdictione, *ex c. Quia propter de elec.,* probabilius erunt illicitæ, sed non invalidæ, cum id nullibi declaretur. (Ita *Suar.*, *Sanch.*, *Salm. n.* 91, *S. Lig. n,* 10).

II. *Consultatoriæ,* quibus indagatur divina voluntas, nisi eæ divina inspiratione fiant, ut D. Mathiæ, sunt omnino illicitæ; nam continent tentationem Dei, et diabolicæ fraudis periculum. Hinc in Const. Apost., l. 1, c. 7, habentur prohibitæ, tanquam ad idololatriam conducentes. Item *sors sanctorum,* quæ in hoc consistit, ut ad aperitionem alicujus libri sancti, vel ad ejusdem lectionis auditionem, ex prima sententia occurrente, cognoscatur quid occultum, vel quid in tali circumstantia sit agendum; hæc est manifesta divinatio.

III. *Divinatoriæ,* quibus rei futuræ, vel occultæ manifestatio inquiritur, v. gr. ex taxillorum jactu, ex se graviter illicitæ sunt; nulla sane adest relatio mediorum ad finem, ac divinationem continent. (*Scavini, Gury, S. Ligor., n.* 10).—Excipe si adsit urgens necessitas, et divina inspiratio, uti in Josue ad occultum Achan scelus explorandum. (*Jos.* VII).

419. Q. *An liceat usus virgæ divinatoriæ?*

R. Vel movetur vi attractionis, aut vi intentionis agentis.—Si 1.^{m} nempe, si virga super ipsas res in omni casu æque moveatur, licet ad aquas, et metalla invenienda. (*Ita communiter recentiores cum Gury, n.* 270, *Varceno, Malebrahe, Le Brun, aliique*).—Si 2.^{m}, omnino illicitus est ejusdem usus; tum quia intentio nihil conferre valet ad motum; tum quia quod physice agit, dirigi nequit ab intentione hominis ad agendum, vel non, sed positum in iisdem circumstantiis, eodem modo agit; at virga divinatoria juxta ferentis mentem movetur; ita ut si ille quærit aquam, et non metalla, virga non movetur, cum metalla invenit, sed tantum si invenit aquam, et sic contra; ergo motus non est naturalis, ergo, licet protestetur, adest cum dæmone commercium; quippe agit contra protestationem, et tacite dæmonem invocat. *Tour.*, *Gury.*, *S. Lig.*, *n.* 8.

CAPUT III.

De magnetismo.

420. Magnetismi animalis inventor perhibetur Antonius Mesmer, medicus germanicus, anno 1779. Novos quæsivit medendi modos *per fluidum quemdam subtilissimum* e cunctis animalium corporibus manantem, fluxui magnetis similem, qui fluidus transit e quadam homogeneitate, ac sympathia e corpore magnetizantis in corpus magnetizati, etiam ad simplicem voluntatis nutum. Hæc est hypotesis, seu alia spiritismi, et magiæ facies.

Triplex magnetismi gradus exhibetur. I. *Status somnii*, quo sensus penitus consopiuntur, ut in naturali somno.

II. *Status somnambulismi*, in quo quis usu sensuum omnino destitutus, ut in cadavere, videt tamen, audit, loquitur, et respondet ad omnia, quæ ab ipso postulantur.

III. *Mira sui status cognitio*, remedia suis morbis convenientia, necnon visio actionum aliorum hominum, etiam longe distantium, et eorum omnium, quæ tum prope, tum procul peraguntur, et similia.—Theologi, et medici in quatuor abierunt sententias.– *Prima* in omni casu execratur magnetismum velut opus diabolicum. Miri enim illius effectus, ajunt, neque a Deo, neque a natura repeti possunt.—1.° *Non a Deo;* etenim ejus infinitæ sapientiæ repugnat ad nutum hominis impii, vel nullius pietatis obtemperare, leges æternas mutare, et prodigiosa operari.—2.° *Neque a natura;* ad effectus enim magnetismi producendos requiritur voluntas agentis, et patientis, saltem pro prima vice ; nulla autem revera datur proportio naturalis inter causas, et effectus; quia causa physica subjecto applicata semper agit eodem modo independenter a voluntate humana, ut ignis paleæ applicatus: et hoc convenit tam ad emissionem fluidi pro voluntatis libito, quam ad hujus fluidi effectum pro voluntate agentis, et patientis. At ubinam probari potest consensum voluntatis nostræ prærequiri, ut physica externæ causæ vis, v. gr. caloris, afficere corpus, ac sensus nostros possit? Et quomodo esse potest obex in eo, qui non cogitans sopitur? Cur ergo et consensum exigunt? Consensus requiritur, ut se actioni magnetizantis subjiciat, minime vero ut effectus sequatur. (*Ita Ballerini, n.* 277).

—Insuper miri effectus magnetismi videntur nostræ naturæ vires omnino superare. Quomodo homo rudis, usu rationis, et sensuum privatus potest tam multas præclaras scientias extemplo sibi comparare, linguas ignotas scire, videre res remotissimas, inspicere intimas magnetizantis cogitationes, nec non proprias aliorumque infirmitates, earum causas, et eis congrua cognoscere remedia, quorum, in statum naturalem restitutus, non recordatur? Hæc prima sententia solido sane, ac certo innititur fundamento. (*Gury, n.* 277).

—*Secunda sententia*, hodie omnino rejicienda, tenet omnes magnetismi effectus a naturæ viribus procedere posse.—Rationes totæ hypoteticæ sunt; nam dicunt: 1.° Inesse possunt quibusdam humanis corporibus effluvia subtilissima, quæ in aliorum corpora, mediantibus organis, in

ipsam animam agant. — 2.° Non omnes vires naturæ cognoscimus.— 3.° Effectus similes in naturali somnambulismo producuntur; somnambuli enim vident, audiunt, et stupenda faciunt.

R. I. Sed quæstio hic fieri non debet, utrum ab humanis corporibus diffundi queant effluvia subtilia. Evincant si hoc effluvium, quod gratis confingunt, gratisque magneticum dicunt, aliquo indicio se prodat, sicut fluidum electricum. Evincant si hæc hypotetica effluvia imperio voluntatis ita subjaceant, ut hæc pro lubitu ea retinere, emittere, in corpus proprium homo quoque revocare possit; si ista fluida, postquam e corpore fuerint emissa, voluntatis tamen præcepto parere queant, ut servus domino suo. *(Ballerini).*

II. Et deinde, licet perspectæ nobis non sint omnes naturæ vires, perspectum tamen id nobis est, quod naturæ viribus, et agendi legibus repugnat; v. g. linguas diversas extemplo intelligere. Nulla sane analogia inter somnambulismum naturalem, ac magneticum adest, quem improprie somnambulismum dici fatentur. Quomodo homo rudis infusa scientia gaudet? Quomodo res a se valde dissitas cernere, et de iis disserere potest? Quomodo voluntas necessaria est ad phantasiam excitandam, et spiritus subtiles corporis commovendos, dum ipsis fatentibus, postquam semel quis consensit, etiam non cogitans, atque adeo citra ullam phantasiæ excitationem sopore corripitur? Intentio actionem virium physicarum non mutat, nec variat, nec suspendit ad voluntatis imperium. Insuper voluntas, si subordinatæ potentiæ ministerio utatur, ejusdem potentiæ facultate circumscribitur, ut effectus ipsam facultatem excedere non possit. Sic actio ignis, vel gravitas lapidis in aërem sublevati non variat pro voluntatis nutu.

III. Repugnat viribus causæ mere physicæ, quod ipsa per se quærat objectum corripiendum, et in id operetur, quin sciat an ad orientem, vel ad occidentem sit; atqui hoc de fluido magnetico dicunt; ergo non esse potest productum causæ materialis, sed intelligentis, et scientissime intelligentis; quod cum prudenter supponi nequeat esse a Deo, a diabolo *procedat necesse est.*

—Id ipsum dicatur de phœnomeno curationis. Subito enim etsi longe, plurimis leucis dirigitur fluidus magneticus magnetizantis nutu ad magnetizati oculum, aut brachium, aut linguam; et hæc membra corripit arte, et modo, quo magnetizans ipse non cognoscit. Erit ergo intelligens fluidus magneticus, et plusquam ipse magnetizans; imo præ cæteris hominibus.

—Neque aliud ferri potest judicium quando sopor inducitur mediante re magnetizata. In hac hypotesi fluidum magneticum, ita magnetizatore imperante, se totum recipit in parvo aliquo corpore, v. g. in nuce, et quamvis plures hoc objectum tangant, fluidum non producit effectum, nisi a persona designata a magnetizatore tangatur; et ab eadem persona avolat ad nutum voluntatis magnetizatoris; imo, re ipsa combusta, in cineribus residet ejus vis. Quod corpus ad voluntatis humanæ imperium hoc agere potest, v. g. ut odor unius tantum, non aliorum nares afficiat? Ita frigus, ignis, etc.?

IV. Repugnat legibus physicis, 1.° quod dum levissimus sibilus hominis aures afficit, non afficiat tamen fulminis fragor; 2.° quod persentiat digiti, aut cincinni contactum, qui tamen nec candens ferrum admo-

tum persentit; 3.° quod nullo violento modo e somno excuti possit homo in magneticum soporem redactus, quando excitatur ad merum voluntatis magnetizatoris imperium; 4.° quod experiatur quaslibet cujusvis objecti, etiam valde dissiti, sensationes ad magnetizantis imperium, ita ut elementa magnetica voluntatem magnetizantis quasi intelligant, et fideliter exequantur, personam sopore mersam ad se trahant, sursum in aërem elevent, ibique suspensam retineant solo voluntatis humanæ nutu.

His positis, dicimus cum *Ballerini*, nihil huc ea pertinere, quæ tradere solent theologi in dubio, num causæ naturali, an præternaturali effectus adscribi debeat: nam seu morbi, seu causæ alterius naturalis nullum hic indicium, nulla ne tenuiter quidem probabilis conjectura suppetit; causam vero adesse præternaturalem gravissimæ suadent rationes. Inconsultissime demum ii agunt, qui nulla adhibita diligenti indagine... quid mali, quid periculi timeri queat, fideles proprio cujusque arbitrio temere permittunt; excusationem sane ab ignorantia apud æternum Judicem ægre erunt habituri. *(Ita Ballerini, Gury, n.* 279).

Finis coronat opus; et finis magnetismi, vel potius incredulorum, et christianæ religionis hostium in phœnomenis istis, quæ naturalia esse contendunt, ad evertendam miraculorum auctoritatem, et ipsum catholicismum dirigitur. *(Gury,* 278, *Ballerini, Scavini, Varceno, Del-Vecchio).*

—*Tertia sententia* distinguit inter varios effectus a magnetismo productos. Hinc hujus sententiæ patroni dicunt, probabiliter admitti ut naturales posse effectus magnetismi in primo et forte in secundo, scilicet, in somno et in somnambulismo; non vero in statu *visionis;* rejicit hæc sententia effectus præcipue a voluntate agentis pendentes, scientiam infusam, et visiones rerum extra sensuum penetrationem existentium; nam hæc vires naturæ excedere omnino videtur; secus de aliis effectibus naturaliter productis. At probandum foret, aliquos ex ejusmodi effectibus legibus physicis nullatenus repugnare, atque ab ipsa natura procedere. Effectus non est major sua causa. Non quæramus ergo phantasmata, seu phantasiam excitare, sed melius rationes a principiis philosophicis, vel theologicis deductas. Phænomena, quæ viribus naturæ non respondent, naturalia esse nequeunt. Et estne naturale quod per simplicem cincinni tactum nomen personæ absentis, et locus residentiæ cognoscantur? Quænam proportio inter causam et effectum?

—*Quarta sententia* est nonnullorum, qui mira quotquot narrantur *magnetismi* phœnomena aut ad fabulas rejecerunt, aut velut imposturas, merasque joculatorum præstigias credi voluerunt. Ita Debreyne, *ad cæteras nimirum miserias*, ut ait *Ballerini, n.* 276, *hæc quoque malo accessit fato,* ut ubi, vel maxime oportebat ad vigilantiam communem excitare, ne lues hæc latius grassaretur, isti insigni prorsus imprudentia ad consopiendos homines curas omnes intenderent, rati, ut sibi videntur, singularem sibi in arte critica laudem comparasse, dum reipsa non nisi miræ simplicitatis notam referre potuerunt.

Ex dictis deducitur, hodierna phœnomena magnetismi tribui non posse fluido, sive hoc fluidum sit *magneticum*, sive *bioticum*, sive *vitale,* sive *electricum*, sive *nerveum*, ut alii dicunt; sed ut plurimum diabolo, qui sicut olim mira faciebat per Pharaonis magos, nunc per varias incantationes attrahit novatores, et indifferentes. Denique præter fidei, et morum periculum; præter peccatum semet ultro in omnimodam usu ra-

tionis utendi impotentiam conjiciendi, præter imprudentiam se committendi arbitrio alterius, qui animæ, et corporis facultatibus abuti possit, læditur insuper propria vita, seu obligatio ipsam tuendi. Experientia enim constat, ex iis, qui se magnetizari, ut dicunt, permiserunt, alios quidem in ipsa actione fuisse morte correptos, alios in graves incidisse morbos, imo diutinos, insuper et per totam vitam vexatos fuisse, alios vero etiam penitus dementatos mansisse, alios denique ea deinceps pati, quæ in hominibus a dæmone obsessis consueta novimus. Ita *Ballerini, n.* 276. Quæ omnia præcipue inter spiritistas inveniuntur.

Hinc Sacra Congreg. S. Rom. Inquisitionis in Epist. Encyclica ad omnes Episcopos 4 aug. 1856 docet quoad magnetismum... *Adeo crevit hominum malitia, ut neglecto licito studio scientiæ, potius curiosa sectantes magna cum animarum jactura, ipsiusque civilis societatis detrimento, ariolandi divinandique principium quoddam se nactos gloriantur. Hinc somnambulismi et claræ intuitionis, uti vocant, præstigiis mulierculæ illæ, gesticulationibus non semper verecundis abreptæ, se invisibilia quæque conspicere effutiunt, ac de ipsa Religione sermones instituere, animas mortuorum evocare, responsa accipere, ignota ac longinqua detegere, aliaque id genus superstitiosa exercere ausu temerario præsumunt, magnum quæstum sibi ac dominis suis divinando certo consecuturæ. In hisce omnibus, quacumque demum utantur arte, vel illusione, cum ordinentur media physica ad effectus non naturales, reperitur deceptio omnino illicita, et hæreticalis, et scandalum contra honestatem morum.* Unde magnetismus est omnino reprobandus, ut diabolica operatio, concludit *Varceno, pag.* 436, *cum Gury, Ballerini, etc.* Revera magnetismo læditur fides divinatione; læduntur mores voluptate ob venerea effrænata; læditur rationis usus sopore; læditur demum propria charitas, incassum sanitatem, et adhuc vitam exponendo.

CAPUT IV.

De tabulis rotantibus.

421. I. Annis præsertim 1852—53—54, in America primum, subinde in tota Europa, nec non in orbe terrarum universo, percrebuere *tabularum rotantium* stupendissima portenta.—In principio visæ sunt tabulæ, aut etiam quævis res mobiles in gyrum versari, dum extremo circumstantium digito connexo tangerentur. Mox autem tabulæ apparuere, quæ uno, vel altero pede in altum sublato, soli percussione, et certis signis responsa interrogantibus exhibebant. Nec multo post variis postulatis de rebus quoque prorsus ignotis, aut futuris, aut etiam extra præsentem vitam peractis, in subjecta papyro ope adjuncti calami scribentes satisfaciebant.

II. Re quidem vera, quidquid sit de simplici tabularum motu, qui, forsan ad certum gyrum per fraudulentum contactum mere physicum, sæpe naturalis esse poterit; si tamen imperio voluntatis fiat, cum voluntas spiritualis ex se nullimode influere possit in physicas naturæ leges,

utpote constantes, et necessarias, etsi phantasiam excitet, indeque aliquis organicus motus oriri queat, abs dubio verum est, quod cæteri effectus diabolicum opus, infernalemque divinationem præseferunt; cum illi non nisi intelligenti causæ sint tribuendi. Numquid enim ipsi tabulæ ligneæ, aut marmoreæ quæstiones proponunt, et ab eadem responsa expectant? Tanto, vel ipsis stupidis paganis stupidior, quanto crassior est stupiditas responsum aliquod a tabulis ligneis, quam a pythiis vatibus oracula expectare. *(Ballerini, n.* 274).—Invaluit enim persuasio communis, rem agi cum spiritibus, a quibus tabulæ moventur, qui ideo *spiritus percutientes* nuncupati sunt. Spiritus hujusmodi sunt spiritus mali, ex rationibus de spiritismo infra dicendis, cui assimilatur, vel copulatur hæc pestifera divinatoria operatio.

III. Insuper quot animi terrores, quot detractiones, et calumniæ, quot familiarum dissensiones, et opprobria, quot fraudes, quot errores, et apostasiæ a fide vera ex hac impia divinatione? A Deo ergo, vel a suis Sanctis, et Angelis esse nequeunt.

IV. Neque ergo fas est tabulas, aliasve res hujusmodi interrogare experimenti, aut joci gratia; non enim licet in re evidenter mala experimentum capere, nec de ea, vel in ea recreari. Hic facit illud S. Petri Chrysologi: *Qui jocari voluerit cum diabolo, non poterit gaudere cum Christo.* (Gury, n. 275).

CAPUT V.

De spiritismo.

422. Ab anno præsertim 1862 dæmones, qui homines per vaticinia somniantium, et postea per responsa tabularum deceperant, ipsis per pythones, seu personas *intermedias (mediums)* illudunt, et omni modo insidiantur. Hæc recens, et omnium pessima superstitio vocatur *spiritismus*, qui definiri potest: *Fraus diabolica ad hominum perniciem, ac veræ religionis eversionem ab impiis inventa, qui nomina bonorum Angelorum, vel defunctorum animas simulantes, varia objecta, gestionesque adhibent ad plebem incantandam, ac seducendam.*

Q. *Suntne illusiones mira, quæ operantur in scholis spiritistis?*

R. Etsi non omnia uti certa, quæ de spiritismo narrantur, accipiamus, non ideo singula prudenter negare fas est; cum adsint mille, et millia testimonia, quæ affirmant, et testimonia publica, oculati testes scientia exculti, rei veritate convicti. Insuper *ictus, pulsationes, sonitus, splendores, verba, scripta, aliaque mira* ibi a quamplurimis fide dignis visa, audita, et probata rem elucidant.

Q. *Si hæc mira illusiones non sunt, quomodo explicantur?*

R. Tribuenda sunt vel naturæ viribus, vel virtuti supernaturali. Quatuor actuum series principales continet spiritismi exercitatio: 1.ª vim occultam, quæ movet, attrahit, obducit corpora gravia modo omnino opposito legibus physicis;—2.ª varios splendores in aula obscura, quin vel minimum quid ad eos producendos appareat;—3.ª sonitus terroris, et dulcedinis, voces quamplurimas suavissimas, et horrisonas, quin

aliquid a somno, seu somnambulismo homines excitare possit, vel aliquid contingentium in illo statu plane recordare valeant; — 4.ª inordinatam gesticulationem corporis, et animæ commotionem cum magna defatigatione, interrupta respiratione, sensatione suspensa, obstricta libertate, etc. *Scavini, l.* 4, *n.* 248.

Denique quatuor classes *mediums*, seu communicationis cum spiritibus, aut mediatorum inter visibile, et invisibile enumerantur: 1.ª *Audientium*, qui ordinariam sustinent conversationem;—2.ª *videntium*, qui in forma humana aërea videntur;—3.ª *scribentium*, qui sub irresistibili spiritus impulsu agunt;—4.ª *interpretum*, qui motus, et ictus conventionales interpretantur.

423. Q. *Facta hæc cuinam sunt adjudicanda?*

R. 1.° Non bonis Angelis, neque Deo; nam isti non sic apparent, et hisce histrionum ludis operantur ad hominum curiositatem sedandam, et multo minus ad ipsos incassum terrendos, et seducendos;—3.° non defunctorum animabus; nam homo *ex parte sui* sensibiliter communicare nequit cum spiritibus e corpore sejunctis, experientia teste; et ex *parte animarum* non minor adest difficultas; defunctorum quippe animæ absque divina virtute sibi comparare non valent scientiam omnium, quæ in mundo contingunt.

Insuper hæ defunctorum animæ in triplici statu spectari possunt; in statu *gloriæ*, in statu *expiationis*, in statu *damnationis:* in nullo horum statuum animæ intervenire possunt in spiritismi phœnomenis: nam; 1.° animæ beatorum gloriam Dei contemplantes, *mediorum* jussionibus profecto non parent; — 2.° animæ in purgatorio illic a divina justitia detinentur donec novissimum quadrantem solverint; — 3.° animæ apud inferos detrusæ, sub unius Dei potestate sunt, neque pro alicujus lubitu revocari sursum possunt: alia ergo non superest phœnemenorum causa quam dæmones; hi revera sunt auctores omnium spiritismi phœnomenorum. —Idque evincitur, 1.° ex natura actuum, quos ejusmodi spiritus eliciunt, qui sunt inanes, leves, ad alliciendum, vel ad terrendum directi pro opportunitate ex confessione ipsius ducis spiritismi *Allan-Kardec;*—2.° ex mendaciis, quæ non raro spiritus protulerunt;- 3.° ex horrore quem patefecerunt sacrorum objectorum, ita ut ad istorum conspectum, vel respondere renuerint, vel aufugerint, aut etiam post violentissimas convulsiones mensæ, aut tripodes confracti fuerint *(Cf. de Roys);*—4.° ex falsis, contradictoriis, et immoralibus doctrinis, quas non semel effutierunt circa statum præsertim alterius vitæ, quin sibi unquam constiterint; — 5.° demum ex aperta ipsorum spirituum confessione, qua et se malos esse, odio Deo esse, se Deum odisse, necessitate odisse, imo et odium esse, et nuncupari palam edixerunt *(cf. Mirville);*— 6.° ex immoralitate, et profectu proselytorum spiritismi; nam *omnes convenerunt in unum adversus Dominum, et adversus Christum ejus.* Si ex fructibus cognoscitur arbor, videant omnes spiritismi fructus, et ejus arborem agnoscent.

1.° Inducunt in *privatum spiritum* protestantium; imo hominem impeccabilem supponunt, asserentes quod unusquisque dictamen sui *incarnati* spiritus irresistibiliter veluti unicam regulam agendi sequi debet.—2.° Inde inducunt in *rationalismum*, negantes divinam revelationem, et tantum in revelationes sui spiritus credentes.—3.° Exinde inci-

dunt in apostasiam a religione christiana, Christi divinitatem negantes, et asserentes Illum esse tantum *incarnationem spiritus superioris.*—4.° Indeque sacramenta omnia irrident, ac negant.—5.° Deveniunt in incredulitatem, negantes mortuorum resurrectionem, ac pœnarum æternitatem, fingentes aliquam elaboratam regionem spirituum, ac ridiculas *reincarnationes*, et contradictiones, aliaque noxia excogitantes, spargentesque contra religionem spiritus stupidi spiritismi. Ergo mala esse debet arbor, quæ tam malos fructus facit.—6.° Adde *divinationem*, spiritus evocando ad occultorum notitiam acquirendam.—*Vanam observantiam*, utendo mediis ex natura sua inutilibus ad effectus desideratos.—*Magiam*, mira faciendo dæmonis ope ad seducendum.—Spiritistis revera congruunt hæc Apostoli verba: *In novissimis temporibus discedent quidam a fide attendentes spiritibus erroris, et doctrinis dœmoniorum.* (I Tim. IV).

Ast quid magis horrendum, et superstitiosum esse potest, quam cum immundis illis spiritibus societatem inire, et eos invocare, interrogare, alloqui, credere, et sic eis divinum cultum exhibere? quoad alios pravos effectus, v. n. 420 prope finem. Magia hæc abs dubio est quæ magis dementat, testantibus medicis.

—Dices: *Ex hac portentosa communicatione factum est, ut plures increduli, et materialistæ in spiritus credant.*

R. Credunt: at *si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides salvare eum?* (Jacob. II). Credunt, sed non meliorantur; imo potius in malo obfirmantur. Quot enim errores, et apostasiæ a vera fide; quot æternæ salutis pericula, quot scandala ex hac impia divinatione exorta sunt?—Quod autem ita se res habeat, patet ex responsis, quæ spiritus exhibent, contra veram religionem, uti cum impios, et extra catholicam Ecclesiam defunctos beatos dicunt; vel larvata malitia interrogantes decipiunt, hortando ad virtutem colendam; aut quandam naturalem religionem extollunt unice sitam in miserorum commiseratione, ac mutuo amore; cætera omnia de religione divina, de Ecclesia Dei illudentes, et persequentes. Merito ergo ad tantum nefas religioni, et civili societati infensissimum efficaciter cohibendum Congregatio *S. Officii*, 4 augusti 1856, quam maxime excitavit Episcoporum sollicitudinem. Et, die 2 apr. 1864, scripta omnia hac de re gravissime proscripsit, atque prohibuit, quæ tamen jam habentur reprobata a regula nona Indicis. Hinc ii omnes, qui has societates, et conventicula invisunt, frequentant, consultant, ejus scripta legunt, vel retinent, ratione objecti mortaliter peccant. (*Gury, n.* 282).

Unde concludi licet tabulas rotantes, magnetismum, et spiritismum veram esse magiam omni jure prohibitam.

CAPUT VI.

De vana observantia.

424. **Vana observantia** est *superstitio, qua ad obtinendum effectum adhibentur media vana, quœ neque a natura, neque a Deo, neque ab Ecclesia ad illum ordinata sunt.* (*V.* S. Thom. 2. 2, q. 69, art. 1).

Convenit divinationi ratione pacti sive expliciti, sive impliciti cum diabolo; differt vero ratione finis; nam divinatio ad occultorum cognitionem ordinatur; vana observantia vero ad quoscumque effectus: unde quæ de divinatione dicta sunt hic proportionaliter accomodari debent.

I. **Divisio.** *Ratione modi* duplex est vana observantia: *expressa*, et *tacita*: 1.ª *cum quis mediis vanis utens, exprssse opus dæmonis desiderat, aut invocat, sive id pacto fiat, sive non;* 2.ª vero est *cum quis media adhibet, quæ neque per se, neque ex Dei institutione virtutem illud efficiendi, quod desideratur, habent.*

II. *Ratione finis* triplex est; nempe, *ars notoria, ars sanitatum*, et *observantia eventuum*: 1.ª est *ars acquirendi scientiam, seu scientiæ infusionem sine labore:* v. gr. cum jejunio, oratione, vel inspectione figurarum, vel aliqua potatione:—2.ª vero est *ars sanandi variis rebus, ac signis sacris, et vanis,* v. gr. 1.º amuleta, involucra, ligaturas, orationes, certum numerum crucum, vel Reliquias, inanes cœremonias, ac vanas res veluti necessaria, et efficacia media usurpare; vel collo defferre ad morbos, animalia nociva, vel homines malevolos fugandos;—2.º eisdem uti contra vulnera, vel subitam mortem, vel ad conciliandum amorem, fortunam, aut ad vitanda maleficia, nocumenta quæcumque;—3.º projicere statuam alicujus Sancti in flumen, ut pluat; preces, et signa fœminæ, vel hominis rudis adhibere ad pellendos morbos, ac etiam quoad absentes;—4.º herbis collectis certo die, v. gr. *S. Joannis*, aut rebus benedictis, aut sacris, crucibus, characteribus, aut certis verbis, vim infallibilem morbos curandi tribuere, vel non moriendi sine confessione, et similia.—Secus dic, si res, et dies sacræ honorentur, gratias spectando e cœlo, vel ex Sanctorum intercessione. *(S. Ligor., n.* 17, *Gury, n.* 265); —3.ª est cum ex *consideratione alicujus fortuiti eventus conjicitur quid infaustum futurum sit;* uti 1.º recusare cum 13 in mensa sedere, quasi id mortis signum sit; vel si mane e domo egrediens, pedem offendat, timere ex hoc aliquem infaustum eventum: vel si occurrat canis, aut avis, vel cadaver, quis certa imminere infausta credat;—2.º habere aliquos dies faustos, alios infaustos ad negotia: v. gr. die veneris nolle ungues præscindere, aut e domo exire.

Q. *An insit aliquibus, qui denominantur* SALVATORES, *virtus sive naturalis, sive gratis data medendi ægrotis signo crucis, etc.?*

R. *Salm. n.* 116, *Suar., Sanch., aliique plurimi* dicunt probabiliter dari in aliquibus hanc virtutem.—*Alii* negant, secluso miraculo.—*Salm. n,* 118 *cum Suar., Sanch., S. Ligor., n.* 19 advertunt arcendos esse, qui carbones contrectant, vel halitu fornacem tepefaciunt, vel hominem occidunt; aut madidi vino sanant, vel stante alio *Salvatore* virtutem amittunt. Item qui talem virtutem ab alio discunt, qui dicit talem habere virtutem, quia natus est die Parasceves, vel quia est septimus filius; vel certis utitur verbis, quibus inesse credit virtutem; cum gratia conferatur personæ, non autem verbis, et signis.

425. Q. *Quid si dubitetur a quonam veniat effectus?*

R. I. Si dubitetur an a dæmone, vel a causa naturali, huic licite tribui potest, præmissa protestatione contra superstitionem. *(Ita SS. Augustinus, Thomas, Ligor., n.* 20, *cum communi).*

II. Si dubium sit an a Deo, vel a dæmone, casu quo certo constet rem nullam habere naturalem vim ad illum effectum, potius a dæmone

quam a Deo provenire censetur, cum divina promissio de illo non habeatur, nec operantis sanctitas aliud persuadeat. Neque tunc licet experiri utrum effectus sit secuturus necne; esset gravi errandi periculo se libenter conjicere. (*S. Thom., Gury, S. Ligor., n.* 20, *aliique).*

426. Q. *Quomodo cognoscitur vana observantia?*

R. 1.° Ex insufficientia causæ adhibitæ;—2.° ex adjunctione falsæ, aut vanæ circumstantiæ, uti necessario requisitæ, esset v. gr. numerus orationum, dierum, candelarum, vel flagellatio flagro serico, aut vestem flagellare, ut patiantur malefici, et similia.—Secus si numerus, v. gr. novenus, et similia ex Ecclesiæ instituto adhibeantur, uti ad indulgentias;—3.° ex infallibilitate mediis vanis, vel nullo modo infallibilibus, tributa;—4.° si effectus statim evanescat. *(S. Ligor, n.* 16).

427. **Grave peccatum** est ex genere suo vana observantia; neque excusari potest ex parvitate materiæ; honorem quippe divinum creaturæ tribuit, ab ea expectando, quod a solo Deo expectare licet; adest tacita, vel expressa dæmonis invocatio; Deus inutilibus equidem rebus non utitur, neque se iis immiscet, ergo a diabolo solo effectus expectari possunt; hoc ex se semper grave est; ergo...—Veniale esse potest ratione ignorantiæ, timiditatis, inconsiderationis, vel simplicitatis, velut in rudibus evenire solet. *(Gury, n.* 264, *S. Ligor, n.* 15).

CAPUT VII.

De magia, et maleficio.

428. **Magia** in genere est *ars opera insolita, ac mira faciendi per insolitas causas.* Duplex est, *superstitiosa,* et *naturalis.*

1.° Magia superstitiosa (seu *nigra* vocata), stricte sumpta, est *ars mira faciendi ope dæmonis explicite, vel implicite invocati.*

2.° Magia vero naturalis, seu *late* sumpta (*alba* dicta), est *ars mira operandi per causas naturales, sed occultas, uti operationes astronomicas, opticas, etc.* Hæc licita est, modo absint deceptio, scandalum, et omnis spiritus superstitiosus, ut notat *Bouvier;* etsi proferantur barbara quædam verba sine fide, ad illusionem, et risum excitandum, ait *Scavini.*—Specie autem morali magia nigra nec a vana observantia, nec a divinatione differt; parvi sane refert, utrum a dæmone occultorum notitia, aut mirandi effectus, petantur.—Non differt nisi in effectibus magis miris, ut corporum immutatione, etc. Unde magorum nomine orientales intelligebant *sapientes. (Gury, n.* 272).

—Magos extitisse sine errore in fide negari non potest, ait *Suarez.* Quis enim ignorat quod de magis Pharaonis, de Simone mago, de pseudoprophetis, *qui faciunt signa, et prodigia,* docet historia?

429. **Maleficium** est *ars nocendi dæmonis interventu.*—*Magia* ad mira dirigitur, ad occulta, et dissita. *Maleficium* vero ad noxia quæque hominum captum, ac virtutem superantia.

Duplex est *maleficium,* scilicet, *amatorium,* et *veneficum.* 1.^{m} est *ars diabolica, qua lubricus amor, vel odium erga determinatam personam*

excitatur, quin libertatem tollat, v. g. phantasiam vividius movendo, humores lubricos commovendo, pulchriores species exhibendo, libidinem excitando. Tamen qui huic libidini non resistit, graviter peccat; talis enim excitatio libertatem non tollit. *(Gury, Varceno, S. Ligor., n.* 23).

2.^{m} est *ars proximo nocendi variis modis ope dæmonis,* v. gr. morbos suscitando, tempestates producendo, animalia nocendo, etc.

Triplex malitia haberi potest in maleficio: — 1.° contra religionem semper; — 2.° contra charitatem, si in hominem dirigatur, item semper; — 3.° contra justitiam, si alterius jura lædat.

—*Maleficium* tollitur 1.° oratione, jejunio, et sacramentis; — 2.° exorcismis ideo institutis; — 3.° medicina, ut ruta, salvia, etc., quæ malos humores a dæmone excitatos corrigit. Non vero licet uti virga lupi, pulvere sparso corpori, et similibus, quæ naturaliter conferre nequeunt ad sedandos humores. *Salm. n.* 143, *etc.* — 4.° remotione signi, cui diabolicum pactum est adnexum. Si maleficus non ignorat modum licitum solvendi maleficium, licet eum ad id accersere, rogare; imo etiam pecunia inducere, vel verberibus, aut tormentis cogere (non autem interficere) si nolit. *Lugo, Diana.*—Idque etiamsi constet eum id facturum per novum maleficium; nam cum jus habeam petendi, quod ab illo recte præstari potest, illud malitiæ suæ imputatibur, sicuti ex causa licet mutuum ab usurario petere. Non autem licet petere a malefico, ut maleficium cum alio maleficio tollat; cum hoc sit intrinsece malum; nam esset ad dæmonis cultum etiam cooperari. *(Gury,* 272, *S. Ligor., n.* 24, 25).

430. Lamiæ, seu striges sunt *illæ perditæ mulieres, quæ ope dæmonis hominibus insidiantur omni incantationum, et maleficiorum genere.* Idem dic de istis ac de maleficio venefico. Licet communis doctrina eas admittat, non vero omnia, quæ de ipsis circumferuntur, sunt credenda. Non parum peccant, qui de hoc aliquam calumniantur; unde etiam evenire solent odia, aliaque damna; hoc erit plerumque inter cætera diaboli lucrum, et animarum damnum emergens ex hac nimia credulitate. *Salm. n.* 172, *Suar., etc.*

Nostræ ætati, quæ tantopere de ingeniorum cultura gloriatur, nihil est perniciosius infidelitate; ast hæc ipsa infidelitas subverteretur, si dæmon, prout olim, ita et nunc homines vi tam aperta impeteret. (*Stapf.* § 576).

Q. *In quam pœnam incurrunt magi, et malefici?*

R. Si hoc fiat cum formali hæresi, excommunicationem *speciali modo* Papæ reservatam incurrunt; uti si res sacras immisceant, diabolum adorent, vel hunc ut Deum consultent de iis, quæ solus verus Deus noscere potest. — Secus probabiliter excommunicationem *ferendæ sententiæ. (Gury, n.* 272).

Parochi, concionatores, et catechistæ cavere sedulo debent, ne fideles alloquantur de variis sortilegiis, et superstitionibus vulgo incognitis, ne eos doceant, vel in ea eos mittant, saltem animo curiositatis, vel incredulitatis. *Brevem habeant sermonem tantum de iis, quæ in illa regione nota sunt* (ait P. Gury), *ne ea edoceant, potius quam ab iis avertant.* Confessarius magos, divinatores, etc., examinare insuper debet 1.° de fide; — 2.° de fine; — 3.° de idololatria, apostasia, hæresi; — 4.° de blasphemiis; — 5.° de sacrilegiis; — 6.° de luxuria; — 7.° de damnis proximo illatis.

Monere eos debet: 1.° pactum cum dæmone dissolvere; — 2.° libros,

aliaque instrumenta artis comburere; — 3.° errores, et commercium dæmonis abjurare; — 4.° damna illata resarcire. Ita *Laym.*, *Suar.*, *Sanch.*, *aliique communiter.*

431. **Dæmonis possessio** in eo consistit, *ut dæmon corpori humano uniatur, ac in illo extraordinaria operetur.* —**Obsessio** vero est *quando in humano corpore dæmon non residet, sed externe tantum operatur, variis modis vexando,* etiam cum muliere congrediendo, etc. *S. Lig. in prax. Conf.*, *n.* 111.

Dari varias possessiones, et obsessiones sine errore in fide negare non licet. Constat ex Matth. XVII, ex Marc. I, ex *traditione, Patrum testimonio*, et ex *Ecclesiæ exorcismis*, quorum exercitium testatur Trident., *sess.* 23, *c.* 2, semper in usu fuisse apud Ecclesiam.

Remedia sunt sacramentorum frequentia, jejunia, oratio, signum crucis, aqua benedicta, exorcismi cum competenti facultate Episcopi; secus non licent; nam sine causa quis forsan eos applicaret, non sine fidelium, ac religionis detrimento, ut experientia docet. Quot videntur homines, ac mulieres in pejus reducti ob exorcismorum imprudentem usum! *(Scavini, l.* 2, *n.* 262).

—Unde confessarius ad credendum propensus non sit, cum plures invasiones potius sint, aut fictiones, aut imaginationes, aut infirmitates, et etiam malitiæ effectus, præsertim in mulieribus. *(Scavini, l.* 4, *n.* 508).—Imo præstat naturalia remedia adhibere ad sedandos humores, et imaginationem, a qua plerumque malum fœminis evenire solet, non a vero maleficio. (*Gousset*).

—Sunt enim aliqui de sacerdotali cœtu, qui omnes, et vel ipsos extraneos ad se confugientes, indiscriminatim benedicunt, quasi desuper gratia gratis data donati sint; ita parochianos a proprio pastore avertunt, ut turpis lucri mercimonium faciant, vanam populi credulitatem sub fallaci devotionis colore augent, et religionem despectui, ac malorum dicteriis exponunt, quasi in sanctuarium propriam domum erigentes. In hac re maxima cautela opus est, et ordinarie præstat, ut ipsi postulantes ad suos mittantur pastores; imo, ut invigilent Prælati. *(Del-Vecchio).*

432. Q. *Quænam sunt signa ingressus, et egressus dæmonis?*

R. I. Signa ingressus sunt: 1.° Linguam, aut scientiam ignotam illico possidere.—2.° Horrorem instinctivum circa res sacras sentire.—3.° In præcipitium se conjicere.—4.° Pati applicatione cujusvis rei benedictæ.—5.° Tacitæ interrogationi respondere, vel ordini mere tacito obedire. Hos effectus producere potest magnetismus, et spiritismus; sed in hoc casu etiam a possessione transitoria tales effectus oriri possunt. (*Scavini, l.* 2, *n.* 262).

II. Non assignantur signa infallibilia egressus dæmonis: probabilia sunt 1.° si per longum tempus obsessus a molestia immunis sit;—2.° dæmonis confessio;—3.° ingens rerum putridarum vomitus;—4.° halitus valde fœtidus, magni clamores, si obsessus quasi mortuus manet, etc. (*Suar.*, *Sanch.*, *Salm.*, *Scavini, ibid.).*

Non licet vana a dæmone quærere; nec v. gr. ubinam latent thesauri, et similia; cum iste modus sciendi sit illicitus propter communicationem cum capitali hoste Dei, et sic ejus adjutorium quærere. Probabilius non est nisi veniale, secluso scandalo, ac omni ulterius progrediendi periculo, unam, vel alteram rem vanam ab energumeno postulare. (*Scavini, n.* 261).

CAPUT VIII.

De hæresi.

433. Hæresis definitur: *Error intellectus voluntarius, et pertinax contra aliquod fidei dogma ab Ecclesia propositum in eo, qui baptismum suscepit.* Pertinacia voluntatis est errorem retinere etiam postquam contrarium est sufficienter ab Ecclesia propositum; sive quando quis scit contrarium teneri ab universali Christi Ecclesia militanti, cui suum præfert judicium, ex quocumque motivo, et fine id faciat; vel cum etsi objectum fidei credibiliter proponatur, ita ut prudenter de eo dubitare non possit, contrarium tamen judicat, a quo nonvult ullo casu avelli, vel saltem nisi evidenter convictus. Ita *Boninck.* Secus *errare potero, hæreticus non ero.* (Ex S. August.).

Divisio. Multiplex est hæresis. I. *Materialis*, et *formalis :* 1.ª est, *qua quis errori adhæret sine scientia, vel pertinacia, ideoque hæreticus criminalis non est ;*— 2.ª vero est hæresis proprie dicta, et mox definita.

II. Mere *interna*, mere *externa*, et *mixta :* 1.ª est *quæ in mente latet;* —2.ª est *ea, qua quis nonnisi exterius ore, vel facto fidem negat*, et hæreticus non est. De hæreticis in bona fide versantibus idem dicendum, quod de infidelibus dictum est;—3.ª vero est, *quæ utroque modo habetur.* Requiritur ut actio manifestativa sit moraliter mala, et cum animo hæresim profitendi, non vero consilium petendi; secus excommunicatio non incurritur, et a quolibet confessario pœnitens absolvi potest. *Lay., S. Lig. n.* 304.

III. *Occulta*, et *manifestata.* Prior est *quæ nemini, aut paucis innotescit;* posterior vero, *quæ compluribus patet.* (V. n. 232.)

Q. *Quid dicendum de propositionibus ab Ecclesia proscriptis?*

R. I. Omnes propositiones a Pontificibus damnatæ, licet non omnes sint hæreticæ, sed aliæ scandalosæ, aliæ temerariæ, etc., tamen accedente Pontificis definitione, de fide tenendum est, quod illæ propositiones vere mereantur illam erroris notam, quam Pontifex inurit; ideoque hæreticus esset, qui easdem tamquam veras, et licitas sequeretur, aut propugnaret. Ita *Viva, Scavini, n.* 959, *S. Lig. l.* 1, *n.* 104.

II. Non vero hæreticus esset, si damnatas in globo propositiones sejungeret, contenderetque notam hæresis his, aut illis non applicari; cum ideo non vere improbaret hac de re Ecclesiæ judicium; nam singulæ propositiones non ut hæreticæ sunt damnatæ. Attamen rebellis erga Ecclesiam, et peccati mortalis reus semper fieret. *Scavini, l. c.*

Ita Pius Papa IX 80 propositiones damnavit in celeberrimo *Syllabo* edito una cum catholica Encyclica *Quanta cura*, 8 dec. 1864. Cum illæ sint quidem singillatim commemoratæ, sed nonnisi in globo reprobatæ, esto quod possit adhuc defendi, sine errore in fide, quod una, vel altera propositio non mereatur hanc, vel illam specialem censuram; ast certum omnino est, quod omnes illæ propositiones aliquam merentur notam; adeo ut qui catholico nomine adhuc gloriatur, teneatur omnes, et singulas illas reprobare, proscribere, damnare. *Itaque omnes, et singulas pravas opiniones, ac doctrinas* (ait Pontifex e cathedra loquens) *singillatim*

hisce litteris commemoratas, auctoritate Nostra Apostolica reprobamus, proscribimus, atque damnamus, easque ab omnibus catholicæ Ecclesiæ filiis veluti reprobatas, proscriptas, atque damnatas omnino haberi volumus, et mandamus. Verum damnatæ fuerunt, nullo adjecto anathemate, *Syllabi* propositiones.

III. Ex Const. *Apostolicæ Sedis* Pii IX excommunicationi latæ sententiæ Papæ reservatæ tantum subjiciuntur docentes, vel defendentes sive publice, sive privatim propositiones ab Apostolica Sede damnatas sub excommunicationis pœna latæ sententiæ. (V. n. 258.) Videant ergo ex hisce præfatis, quamnam afferent excusationem catholici *liberales* appellati.

Q. *An dubius in fide hæreticus sit?*

R. I. Affirma, 1.° si positive dubitat; — 2.° si ignorantiam circa Ecclesiæ dogmaticas definitiones, aut circa ejus infallibilem in definiendo auctoritatem affectat; — 3.° si eo animo sit, ut licet de Ecclesiæ auctoritate, et definitione ei constaret, nollet a sua opinione dimoveri; aut interim velit ignorare, ut excusationem habeat, vel remorsum vitet; — 4.° si suspendens judicium, motiva fidei contraria æstimat, vel hæc approbat; et tunc formalis hæreticus est, et pœnas incurrit; quippe adhuc incertum judicat, quod Deus credere jubet. *(Scavini, Gury, S. Ligor., l.* 7, *n.* 302). *Dubius in fide infidelis est,* legitur *in jure can.,* c. 1, *de Hæret.*

II. Nega, 1.° si negative dubitat; id est, si alicui in mentem dubium veniens, illico ad alia se convertat, ut non seducatur; — 2.° si mere dubitat, an sit ne quidpiam revelatum, et veritatem inquirere negligat, non auderet alioquin se Ecclesiæ auctoritati opponere, et interim ignorare vult ex ignorantia etiam culpabili, et crassa, ut sine obstaculo opinioni suæ adhæreat; tamen paratus est judicium suum Ecclesiæ submittere, ut forsan contigit in aliquibus, qui denominantur *catholici-liberales.* Ratio, quia ad formalem hæresim pertinax assensus contra fidem requiritur. Attamen hic graviter contra obligationem inquirendi veritatem peccat. (Ita *Laym., Lugo, Ballerini, n.* 210).

434. Q. *An discrepent inter se hæreticus, hæresiarca, et dogmatizans?*

R. Affirma: 1.° *simplices hæretici* sunt, qui pertinaciter errorem tenent contra fidem, quin aliis eumdem persuadere studeant. — 2.° *Hæresiarca* dicitur, qui hæreses invexit, vel suscitavit, aut hæreticorum caput, vel dux est; ut Lutherus, Arrius. — 3.° *Dogmatizans* est, qui ex professo hæresim publice, vel private, voce, vel scripto, alios docet. Hæretici ludi magistri vix fieri potest, quod non sint vere dogmatizantes.

435. Q. *Quale peccatum sit hæresis?*

R. Hæresis est gravissimum peccatum; tum quia est positivus, et voluntarius auctoritatis divinæ contemptus; tum quia expellit fidem, quæ est justitiæ fundamentum, sine qua *autem impossibile est placere Deo.* (Hebr. XI). Hinc: *Hæreticum hominem... devita: sciens quia subversus est,... cum sit proprio judicio condemnatus.* (Tit. III).

Imo secundum quod pertinaciam importat, est, *ex D. Thoma,* species peccati in Spiritum Sanctum; cum sit impugnatio agnitæ veritatis. — Tamen verius non tenetur confiteri qualis ea sit, neque quot fidei articulos uno actu negavit; nam objectum fidei formale unicum est, nem-

pe, veracitas Dei revelantis. *Ita Dian., Reg., Escob., aliique contra Lugo, et alios.*

436. Pœnæ in hæreticos constitutæ. I. Excommunicatio latæ sententiæ *speciali modo* Papæ reservata; cui Pius IX Const. *Apost. Sedis* subjacet *omnes, et singulos hæreticos, quocumque nomine censeantur, et cujusque sectæ existant, iisque credentes, eorumque receptatores, fautores, ac generatim quoslibet illorum defensores*, a quibus incurruntur etiam sequentes pœnæ:

II. Irregularitas, quam etiam incurrunt hæreticorum filii (*c. Statutum* 11 *de hær. in* 6).—Item inhabilitas ipso facto ad beneficia obtinenda, ad dignitates, et officia ecclesiastica. Unde fructus statim cessant. *(Ex sexto Decret. l. V, tit.* 2, *c.* 12). Quoad possessionem requiritur sententia declaratoria saltem criminis ex S. Conc. Congr. ad expoliandum.

III. Privatio 1.° jurisdictionis spiritualis quoad nominatim excommunicatos. *(Suarez, de fide, sec. V, disp.* 21, *cum aliis).* Ecclesia olim hæreticos Episcopos suam hæresim retractantes, in suis muneribus recipiebat, sine nova Episcopatus concessione; quod docet jure tantum ecclesiastico amitti jurisdictionem ob hæresim, nec ab Ecclesia privari, nisi judicis sententia intercesserit. Hinc Soglia: *Quoties igitur hæreticus manifestus neque potestati suæ nuntium miserit, neque ab Ecclesia privatus extiterit, jurisdictionem retinet, et saltem hoc ipso ad externum Ecclesiæ corpus aliqua ratione pertinet, ratione scilicet ipsius ecclesiastici ministerii, quod adhuc possidet.* (Inst. juris priv. eccle., § 234).—2.° Privatio sepulturæ eccclesiasticæ. *(Ex sexto Decret., l. V, tit.* 2, *cap.* 2). Illi vero qui mandant, seu cogunt hæreticos notorios sepulturæ ecclesiasticæ tradi, incurrunt excommunicationem latæ sententiæ non reservatam. *(Eadem Const. Pii IX).* His positis:

I. *Hæreticorum receptatores* sunt qui *ipsos hospitio recipiunt*, etsi semel, *ne a judicibus legitime quæsiti capiantur, vel puniantur.* Qui vero eos recipit ratione amicitiæ, vel consanguinitatis, valde probabiliter excipitur; cum non faveat hæretico ut hæretico. Ita *S. Lig., n.* 307, *cum Salm., n.* 67, *aliique,* contra *Suar.*, et *alios;* nam virtualiter hæresis defenditur, personam defendendo. Item disputatur si, non obstante receptione, in manus judicis hæreticus incidat; sed videtur pœnam esse jam incursam in primo receptionis momento: unde sequatur, vel non, captio, pœna est incursa. Ita *S. Lig., n.* 308, *et alii* contra *Sanch., Suar., Bon., aliosque*, dicentes hæresim tunc jam non foveri.

II. *Defensores* sunt, qui personas, vel errores hæreticorum exterius, tuentur, licet interne aliud sentiant; vel impediunt ne a judice capiantur, vel puniantur. Item *fautores*, qui favorem præstant, ut facilius hæresis diffundatur; vel qui omittunt eum capere, custodire, punire, cum possint, et ex officio teneantur.—Item *credentes* qui verbis, factis, aliisque modis externis hæreticorum sectam profitentur, vel eorum erroribus se assentiri externe manifestant. *(XII § de hær. in* 6, *S. Lig., l.* 7, *n.* 306).

437. Q. *Quid requiritur, ut christianus excommunicationem ob hæresim incurrat?*

R. I. Ut hæresis sit formalis, id est, ut suæ opinioni, seu errori adhæreat cum voluntatis pertinacia, non obstante, quod jam noverit eam doctrinæ Ecclesiæ Romanæ adversari, ut docent *S. Thom., D. Lig., l.* 7, *n.* 300, *cum communi;* et cum excommunicationis scientia, non vero cum

ignorantia, licet vincibili, ac supina; est enim *speciali modo* reservata, et ideo requirit veram erroris scientiam, alias deficit pertinacia. Ita *Salm.*, *n.* 50, *Sanch.*, *Bon.*, *S. Lig.*, *n.* 301, *Gury*, *n.* 981.—Disputatur de affectata; alii cum *Gury* affirmant; quippe adest contumacia; alii fere communiter, ait *Ballerini*, cum *S. Ligorio*, *n.* 301, *Salm.*, *n.* 52, *Azor.*, *Suarez*, negant probabilius; nam *Ecclesiæ non contradicit, qui nescit se Ecclesiæ contradicere, ob quamcumque ignorantiam hoc faciat; et ideo non potest dici pertinax contra Ecclesiæ doctrinam.*

II. Ut exterius manifestetur (non ad petendum consilium, vel argumentationis causa, sed animo hæresim profitendi, ut docent *Laym.*, *S. Lig. n.* 304, neque sufficit ut abstineat a Missa, a jejunio, ab adorando Sacramento, etiam qua hæreticus est, nisi ex circumstantiis error manifestetur; alias pravæ conscientiæ attribui hæc possunt; et hoc est fere commune cum *S. Lig.*, *l. c. Varceno, et Ballerini*), nam Ecclesia non judicat de internis. Cæterum sufficit ut error sit aliquo modo externatus, in re gravi, sive voce, sive facto, sive scripto, sive nutibus, etsi externatio secreto, nemine præsente, aut sciente, evenerit; semper quidem verificatur hæresis externa, et per accidens est quod nemo illam sciat. Quæ duo si non eveniant, hæresis absolvi poterit a quocumque confessario, nisi adhuc sit casus in ejus diœcesi reservatus. *(Scavini, n.* 816, *Lig. n.* 304, *cum communi).*

Hic prætereundæ non sunt sequentes S. Pœnitentiariæ declarationes ex nov. 1821, jubente Pio VII.

1.° Sectam carbonariorum fuisse declaratam hæreticam, sed non omnes, qui illi nomen dant, præsertim qui in primo gradu tyrocinii versantur, si nullam hæresim profitentur, cum callide illis sectæ errores occultentur.—2.° Necessariam esse Constitutionis Pianæ notitiam juxta promulgationis consuetæ ordinem.—3.° Posse carbonarios, si nullam hæresim exterius professi sunt, vi Bullæ Cruciatæ ab excommunicatione in eos lata absolvi.—4.° Ficte ad conventus carbonarios accedentem, et eorum cæremoniis assistentem, excommunicationem incurrere.—5.° Cogi ad carbonarios denuntiandos non modo eum, qui ex propria scientia, vel eorumdem carbonariorum confessione non sacramentali noverit, eos ad sectam illam pertinere; sed etiam eum, qui id a relatoribus fide dignis acceperit, sicut hæreticorum denuntiatio præcipitur.—6.° Cum de carbonariis agitur, a filio patrem, a sorore fratrem germanum, et vicissim debere denuntiari.—7.° Judicem laicum teneri ad denuntiandum Episcopo hominem, quem ex actis quæstionis a se habitæ cognoverit carbonarium esse.—8.° Etsi fortasse non omnes carbonarii pro hæreticis haberi possint, omnes tamen, etiamsi resipuerint, denuntiari debere. (V. n. 446 in fine).

438. **Hæresis legitimus judex.** Jure (*c.* 18 *de Hær. in* 6) definitum est: —1.° quod Pontifex sit judex hæresis pro toto orbe, et S. Cong. Cardinalium generalium Inquisitorum ideo instituta;—2.° Episcopus pro tota diœcesi;—3.° ut autem de hæresi cognoscat Episcopi Vicarius, commissionem ab eo accipere debet;—4.° Vicarius Capitularis, sede vacante. Sed iste probabilius non potest procedere contra exemptos sine speciali Apostolicæ Sedis delegatione; quia succedit Episcopo in iis tantum, quæ sunt de jure ordinario, non in potestate jurisdictionis delegata a Tridentino, quam habent Episcopi respectu exemptorum. *(Scavini, Varceno, p.* 327).

Q. *Quis potest ab hæresi absolvere?*

R. I. Hodie per Constitutionem *Apost. Sedis* Pius IX revocavit omnem facultatem Episcopis concessam tam supra hæresi occulta, quam deducta ad forum externum; nam lex non distinguit; ideoque poterit Episcopus ab irregularitate ob hæresim incursa absolvere; minime vero ab hæresi, nisi de impeditis Romam adire agatur. *Varceno.*

II. Simplex confessarius potest pœnitentem absolvere ab hæresi, quando per hanc non incurrerit excommunicationem; cum propter ipsam censuram tantum ea reservetur. Hinc rustici, aliique homines simpliciores in Germania, qui hæretici habentur, et tamen pertinaces non sunt, absolvi possunt a suis parochis; non sunt quidem hæretici formales, non enim errant pertinaciter. *Laym., S. Lig. n.* 19. Idem forte dici potest de quibusdam *liberalibus* contra Ecclesiæ doctrinas sentientibus.

III. Quando a superiore datur inferiori facultas ab hæresi absolvendi, addi solet in rescripto: *servatis de jure servandis,* quæ indicant pœnitentem non tantum esse obligandum ad abjurandum hæresim, sed etiam ad complices denuntiandos, libros hæreticos de jure tradendos, scandala reparanda, damna resarcienda, et occasiones fugiendas. Cum absolvitur ab excommunicatione, tolluntur etiam aliæ inhabilitates. (*Scavini, l.* 2, *n.* 817).

439. **Hæretici denuntiandi.** Quælibet persona cujuslibet dignitatis, si sciat aliquem esse hæreticum, vel de hæresi suspectum, generatim loquendo, tenetur sub gravi illum denuntiare Episcopo, vel Inquisitori, ex Constitutione *Noveritis* Nicolai III, anno 1580; et ubi hæc non viget, saltem ex lege naturali, quando agitur de gravi damno vitando in Ecclesia, vel in statu, aut in personis.

Hæc denuntiatio non tantum obligat sub gravi culpa, sed etiam sub excommunicationis *latæ* pœna, *simpliciter* Papæ reservatæ, donec denuntiatum fuerit, si agatur de occultis coriphæis, ac ducibus sectæ massonicæ, aut carbonariæ, vel alterius hæreticæ sectæ ejusdem generis, ex Const. *Apost. Sedis* Pii IX, ut est illa *fænianorum.* Sub nulla vero pœna simplices hæreticos denuntiare tenemur. *Scavini, l.* 4, *n.* 168. (V. n. 443.)

Q. *Quando urget hæc denuntiandi obligatio?*

R. 1.° Intra triginta dies ab habita hæretici cognitione ex decreto Sac. Inquisitionis generalis anno 1677, in Hisp. autem intra sex dies juxta decretum Hispaniarum Inquisitionis. (*Ita Viva, S, Lig., l.* 3, *n.* 123, et *l.* 4, *n.* 252).—2.° Ante ipsam correctionem fraternam, cum de bono publico agatur; et quamvis hæresis sit occulta, vel probari non possit; nam damnata est ab Alexandro VII hæc prop.: *Quamvis evidenter tibi constet Petrum esse hæreticum, non teneris denuntiare, si probare non possis.* Ratio, quia etsi judex tunc procedere non possit, tamen ratione boni communis indagare, et ad rei cognitionem venire valet, ut notat *Suarez.*—3.° Etsi sciatur sub secreto naturali, vel sub juramento non manifestandi; siquidem juramentum contra bonos mores non obligat, nec secretum naturale contra bonum commune, aut in damnum desiderantis secretum.—4.° Etsi hæreticus sit mortuus, vel emendatus; quia forte alios corrupit, vel ab aliis corruptus fuit.—5.° Etsi hæreticus jam sit ab aliis denuntiatus; ex pluribus enim testibus facilius venit convictio. Imo denuntiandus quamvis sit tantum fautor, aut receptator hæreticorum. (*C. VIII de hær. in* 6).—6.° Etsi quis sit cum fundamento tantum suspectus de hæresi. *Scavini, l.* 2, *n.* 814.

440. **De hæresi suspecti habendi sunt.** 1.° Confessarii ad turpia sollicitantes, vel sigillum frangentes, ex communiori sententia, si per errorem tenent doctrinaliter illud non obligare, vel non ita rigurose.— *Salmant.* extendunt etiam ad sacerdotes pluries in die, vel non jejunos, celebrantes.—2.° Voto solemni obstricti, si matrimonium contrahant; item rei polygamiæ simultaneæ; itemque sæculares Missam celebrantes, aut confessiones audientes.—3.° Superstitiosi, si superstitio sit cum conscientia peccati, ac veram de hæresi suspicionem fundet, ut evenit si in ea misceantur res sacræ, v. gr. oleum sanctum, Hostia consecrata; aut si quis alios ex professo de superstitione instruat.—Item si intercedat pactum expressum cum dæmone; secus disputant AA.—4.° Blasphemi hæreticales: item hæreticorum denuntiationem dissuadentes, nisi fiat ex amicitia; item hæreticos denuntiare negligentes, si ex officio teneantur. —5.° Sectis clandestinis nomen dantes. *(Scavini, n.* 814).

441. Q. *An semper urgeat obligatio hæreticos, et de hæresi suspectos, denuntiandi?*

R. Nega; non urget 1.° Si agitur de denuntiando se ipsum, vel complicem, si id fieri nequeat, quin denuntians se manifestet; cum nemo teneatur propriam prodere turpitudinem.—2.° Si fieri non possit sine gravi incommodo, ut definivit *S. Cong.* 22 *jan.* 1727, nisi adsit periculum damni communis; id enim prævalet bono privato.—3.° Si nulla adsit spes punitionis, ut in locis ubi hæretici catholicis permixti sunt; vel ubi tanta est male de religione sentientium multitudo, ut eos superior punire nullimode possit, prout hodie in omni fere regione evenit. (V. pag. 173).

—Hoc tamen non valet de ecclesiasticis hæreticis, vel de hæresi suspectis; illos quidem facilius Episcopi punire possunt, et sic damno spirituali populorum occurrere. Ideo in omni casu eos denuntiandos esse putamus cum *Scavini, n.* 815.—Item si agatur de quibusvis dogmatizantibus, ut Episcopus gregi provideat; saltem opportunis instructionibus, optimorum librorum diffusione, et similibus.

—Quoad propinquos dicimus cum *communi*, omnes ad denuntiationem teneri, si agatur de hæreticis formalibus, et fructus speratur; quippe hæresis est pestis ita noxia, quæ difficile remedium habet, et facile vergit in commune damnum. *(Ita Sanch., Salm., S. Ligor., l.* 4, *n.* 250, *cum communi* contra *Varceno* et *alios*).

Si vero denuntiandi sint tantum suspecti de hæresi, satis probabiliter tunc a denuntiatione excusantur non solum filii, contra *Salm.*, sed etiam conjuncti usque ad 4.m gradum. Ratio, quia denuntiare conjunctum idem est ac grave damnum, sive incommodum subire, quod rationabiliter excusat, quando periculum abest damni communis. (*Ita Dian., Less., Bordon., S. Lig., ibid., aliique*).

442. **Cum hæreticis communicare prohibitum est.** Si hæreticus sit specialiter, et nominatim excommunicatus, prout statuit Martinus V, Const. *Ad evitandas;* maxime si communicatio sit in divinis; nam sub gravi est prohibita, juxta illud Pauli: *Hæreticum hominem... devita.* (Tit. III). Ratio, quia hoc esse nequit, quin vel occasio adsit periculi subversionis, aut scandali; vel adsit communicatio in falso ritu; vel quædam externa falsæ sectæ approbatio, aut honoris retributio.

Hinc non licet celebrare in hæreticorum ecclesiis, neque permittere ut illi in nostris celebrent; quamvis in aliquibus Helvetiæ locis in eadem

Ecclesia ritus suos exerceant tum catholici, tum hæretici, alii post alios, ob locorum paupertatem, et inductam consuetudinem hodie toleratam.—Neque licet sacramenta citra extremam necessitatem ab eis recipere, ut declaravit *Congr. S. Officii.* Nec rectores ecclesiarum permittant hæreticos sacris officiis inservire, aut pacem in Missa iis tribuant osculandam.

II. Non vetatur, si communicatio sit civilis, secluso periculo perversionis, et scandali. Hinc licet catholico convivio nuptiali hæreticorum interesse, vel eorum funera comitari; (et tolerari potest, ut schismatici comitentur funera nostra causa honoris civilis), et eorum omnium templa adire ad ea simpliciter invisenda, cum nullus celebratur ritus; vel curiositatis causa, absque ulla communicatione in sacris, ut respondit *S. O. C.*, 14 *jan.* 1848; cum sit actus per se indifferens, qui nonnisi ex pravo fine, vel aliis circumstantiis efficitur malus. (*Scavini, n.* 820).

Secus dicendum de hæreticorum, et schismaticorum concionibus, baptismis, et matrimoniis, cum sit in rebus sacris participare. Tamen ex usu id permittitur, maxime in locis ubi catholici hæreticis sunt permixti, si fiat sine ullo pravo fine, scandalo, ritus communicatione, et participatione, vel perversionis periculo, quod raro abest, præsertim in juvenibus. (*Azor., Sanch., Ron., S. Lig., n.* 19, *Scavini, n.* 821).—Archiepiscopus Taurinen., 12 maj. 1863, omnibus diœcesanis indiscriminatim prohibet ob curiositatem protestantium templum adire, sive ad spectandos ritus, sive ad audiendos sermones, sub pœna excommunicationis *latæ* reservatæ; idem fecerunt Episcopi *Nicœnsis*, *Novariensis*, et *Neapolitanus.*

443. Q. *Quid de catholicis, qui se ad provincias hæreticorum conferunt?*

R. Pro Italis præcepit Clemens VIII, Const. *Cum sicut*, 1.° ut nullus Italus habitet in locis hæreticorum, si ibi non extat aliqua ecclesia catholica, ubi liberum sit ritus nostros exercere;—2.° ne matrimonium cum hæreticis ineant sine Pontificis licentia;—3.° ne eorum sepulturis intersint, nec filios eorum de sacro fonte levare præsumant, nisi baptizentur a sacerdote catholico; neque vicissim filios proprios levari ab illis sinant;—4.° ne utantur medicis hæreticis, si adsit medicus catholicus idoneus;—5.° ut discessuri ad prædicta loca per parochos serio admoneantur de fide catholica retinenda, de Ecclesiæ præceptis observandis, et sacramentis percipiendis.

—Unde admonendi parentes, qui indiscriminatim pro temporali lucro filios tenellos in partes hæreticorum mittunt, vel ire sinunt, quin ipsis provideant quoad religionem, peccare graviter 1.° contra *charitatem*, quæ vetat, ne proximo tribuatur peccandi occasio;—2.° contra *pietatem*, quæ ipsos impellit ad spirituali bono filiorum vacandum;—3.° contra *fidem*, cujus amittendæ periculo filios suos exponunt, et occasio, vel causa sunt illius lædendæ. (*Scavini, n.* 820).

Hinc Gegor. XVI in sua Encyclica graviter reprobavit manifestatam inclinationem cujusdam catholici ingrediendi cum heterodoxo in societatem beneficentiæ, vel commercii, vel litteraturæ, etc., ob contagium, quod faciliter contrahitur cum familiari hæreticorum consuetudine. (*Civiltà Catt., ser.* 5, *t. III*). Idem dicendum occurrit de famulis, et cujuslibet artis tyronibus. Invigilent parochi.

444. Cum hæreticis disputare. Disputatio alia est *materialis*, alia

formalis. 1.ª est ea, *quæ meræ exercitationis gratia fit inter credentes.*— 2.ª vero, *quæ instituitur ad defendendum aliquod dogma adversus illud negantes. Materialis* licet, et inservit ad intellectum exercendum, ad doctrinam acquirendam, et stabiliendam. *Circulus, et calamus fecerunt me*, ajebat Augustinus.—*Formalis,* et *publica* fieri nequit absque expressa R. Pontificis licentia; quia, ut ait S. C. de Propaganda, 8 martii 1625: *plerumque, vel ob loquacitatem, et audaciam, vel ob circumstantias populi acclamantis, veritas, falsitate prævalente, opprimitur.*

Privata vero, vel coram paucis, *per se* cuique vere docto, ac firmo in fide licita est; imo sæpe expedit; nam quisque tenetur Dei honori, et proximi saluti consulere. Hinc illud: *Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est spe. Sed cum modestia, et timore.* (I Pet. III).

At jure ecclesiastico, ob plura incommoda, quæ contingere solent, sub pœna excommunicationis *ferendæ* laicis id prohibetur. *(C.* 2, § 2, *de hæret. in* 6). Quod tamen communius cum *Suarez* explicant, si fiat absque Episcopi venia, aut extra casum magnæ utilitatis, atque inductæ consuetudinis. *(V. S. Thom.*, 2. 2, q. 10. a. 7). Grex fugiendo a lupis se defendit; ita fideles ab hæreticis fugiendo.

—Attamen ecclesiastico licet 1.º Si sit provocatus, nisi sit necessarium ad prædicantium petulantiam retundendam provocare.— 2.º Si cum fundamento speretur fructus in provocante, vel in aliis. Qua de re oportet, ut disputans sit maxima doctrina præditus, ne bonæ causæ noceat. *(Ita Scavini, n.* 822). *Disputatio de rebus fidei laicis est prohibita; sacerdotes nisi sint valde periti, ex consilio debent se abstinere, excusando se bonis verbis.* (S. Congr. *de Propag. fide,* 26 febr. 1630).

445. Q. *Quomodo dignoscuntur astuti hæretici?*

R. En regulæ: 1.ª *Amore novitatis* circa res religiosas, contra illud Pauli: *O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates.* (I Tim. VI).—2.ª *Nimia libertate* in pronuntiando circa res fidei, doctrinæ christianæ, et Papæ, vel Curiæ Romanæ quidquid in os venerit.—3.ª *Pertinacia,* ut siquis eos de errore commonens, convicia, et contumelias ab ipsis recipiat. *Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos. Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum: sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est.* (Matth. VII).

Neque refert quod ille, qui novitates damnosas spargit, vulgo habeatur ut religioni addictus, et morum integritate præditus; ut in aliquibus *catholicis-liberalibus moderatis* notatur; tunc cum D. Bernardo: *Quantum laudanda est ejus vita, tantum abominanda est ejus doctrina.* Quamquam, quæ probitas in illo, qui superbus viam a veritate alienam calcare prætendit? Si hæretica potest dici ejus doctrina, hæreticus etiam dici fas erit, qui eam scienter docet, ut sic a laqueo sibi caveant fideles; nam isti auctoritate vivunt, et auctoritate credunt; proindeque hæretica docentium auctoritas labefactanda est; non ideo tamen privatam illorum vitam scrutari, et domestica vitia propalare licet. *(Scavini, n.* 928).

446. **Moderna fidei impedimenta:** I. **Atheismus:** Licet penes eruditos ratum omnino sit, nullos dari posse atheos theoreticos, attamen fatendum est, plurimos dari practicos, qui omnia sibi permittere audent. Hinc definivit Vaticanum Concilium, can. 1: *Si quis unum verum Deum visibilium, et invisibilium Creatorem, et Dominum negaverit; anathema*

sit. Et Cicero, *de Leg.* 1, 8, ait: *Nulla gens neque tam immansueta, neque tam fera est, quæ non, etiamsi ignoret qualem Deum habere deceat, tamen habendum sciat.* Argumenta desumuntur ex impossibilitate seriei infinitæ in causis moventibus, et in causis efficientibus. (*V. S. Thom. p.* 1, *q.* 2, *a.* 3).

II. **Materialismus** hominem redigens ad meram organizationem cum naturali activitate cerebri, et voluntatis, velut cujusdam fluidi effectus. Pugnat contra Dei existentiam, religionem omnem, rationem, intimumque omnium populorum sensum. Unde Conc. Vaticanum, can. 1, definit: *Si quis præter materiam nihil esse affirmare non erubuerit; anathema sit.* Argumenta desumi possunt ex spirituali idea, immortalitatis, et infiniti notione, quæ omnia a materia oriri nequeunt; item ex cogitationibus nostris, et intimo sensu grato, vel ingrato absque aliquo physico contactu, etc.

III. **Rationalismus** docet humanam rationem esse unicam actuum humanorum regulam, et unicum omnis veri fontem; et sic pugnat contra supernaturalem religionem, auctoritatemque omnem. Hinc merito in Vaticano Conc., sequentes editi sunt canones: *Si quis dixerit, fieri non posse, aut non expedire, ut per revelationem divinam homo de Deo, cultuque ei exhibendi edoceatur; anathema sit.—Si quis dixerit, hominem ad cognitionem, et perfectionem, quæ naturalem superat, divinitus evehi non posse; sed ex se ipso ad omnis tandem veri, et boni possessionem jugi profectu pertingere posse, et debere; anathema sit.* In Syllabo, prop. 2, et seqq., id etiam proscriptum fuit. Argumenta ex philosophorum deliramentis desumi valent.

IV. **Naturalismus** cum rationalismo conveniens, quod supernaturale sapit rejiciens, regno puræ naturæ delectatur. De iis loquitur Seneca, dicens: *Non intelligis, te mutare nomen Deo? Quid est aliud natura quam Deus, et divina ratio toti mundo, et partibus ejus inserta?* (De benef. l. IV, c. 7). Argumenta hæc deservire possunt: Quid est natura? Est ne ens mentale, imaginarium, aut quod oculis intuemur, et manibus tangimus? Et potestatem habere queunt talia entia producendi ex se, et primario effectus, ac portenta, quæ miramur omnes? Natura nihil novum excogitat, hodie operatur sicut ab initio; ergo ut simplex aliquis spiritus perfectissimus operaretur necesse est; nam illa æque in universo absque strepitu operatur. Neque natura, seu materia habere potest ex se rationem entitatis, vel essendi.

V. **Semirationalismus**, est moderatus rationalismus (sicut a pelagianismo originem habuit *semipelagianismus*); licet enim rationalismum speculative rejiciat, tales quidem sententias promulgat, quæ logice easdem trahunt consequentias. Tametsi semirationalistæ fateantur fidem catholicam naturali hominis rationi non adversari, ita tamen quibusdam resonantibus verbis hanc describunt, ut primatum ei super Ecclesiam, et fidem concedere non erubescant; dicteriis Lutheri, et Calvini jam a sæculo XVI exoletis concinentes, illam nobis exhibent cruentis vulneribus onustam, et deformatam, cui frontem ruga senilis aret; ideoque peroptant ad præsentes populorum consuetudines, et progressus esse suis in doctrinis tam moralibus quam dogmaticis accomodandum. *Catholicismus moderatus,* et hunc sequentes *catholici moderati*, vel *catholici liberales* denominantur. Contra quos etiam sic se habet Vaticanum Conc, c. 4: *Si quis*

dixerit, in revelatione divina nulla vera et proprie dicta mysteria contineri, sed universa fidei dogmata posse per rationem rite excultam e naturalibus principiis intelligi, et demonstrari; anathema sit.—Si quis dixerit, disciplinas humanas ea cum libertate tractandas esse, ut earum assertiones, etsi doctrinæ revelatæ adversentur, tanquam veræ retineri, necne ab Ecclesia proscribi possint; anathema sit.—Si quis dixerit, fieri posse, ut dogmatibus ab Ecclesia propositis, aliquando secundum progressum scientiæ sensus tribuendus sit alius ab eo, quem intellexit, et intelligit Ecclesia; anathema sit. Idem proscribitur in Syllabo prop. 8, et seqq.

VI. **Liberalismus** ad semirationalismum revocari potest; nam veri catholici auctoritatis, et legis rationem, ac morum regulam a divina voluntate essentialiter, ac immutabiliter derivant; dum rationalista *liberalis* illam derivare blaterat ab unanimi multitudinis consensu; sicut in publica opinione veri, et falsi principium recognoscere cupit. Insuper homo *liberalis* in sensu catholico, et grammaticali dicitur homo generosus, magnanimus, qui, charitatis motivo cœlestis, religionis, vel Dei, aut proximi, et societatis bono, cum omnimoda Ecclesiæ, et auctoritati subjectione, se devovet. *Liberalis* autem rationalista nullam habet curam, vel modicam, ac superficialem de regno cœlesti; et in illo minime resplendet generositas, ac christiana magnanimitas erga Deum, ac proximum; sed quodam philantropico instinctu, ac suæ classis spiritu ductus, populum, ac terrestria tantum bona defendit; idque peroptans utpote supremam felicitatem. Quis ergo generosus, quis misericors, quis charitatis plenus dici meretur? (V. n. 26 circa regulas morum, et libertatem humanam).

VI. **Clerici liberales.** De his scribit non suspectus auctor: «Sacerdos esse nequit *liberalis*, nisi simul pravus sacerdos sit. *Patriotici* insignem verborum abusum admittunt, cum bonos sacerdotes appellant illos, qui in Ecclesiam rebelles sunt; ac pravos sacerdotes illos, qui suæ ipsorum professioni sunt fideles:» Et *Proudhon* ad democraticum La Mennais: *Vide..... Scio opera tua, angele contradictionis; ego omnes tuos libros lego, 20 annis Christum defendisti ac Ecclesiam, aliis 20 annis destrues opera tua.*—Ad Abbatem Chatel scribebat: *Ego constitui te sacerdotem abjectissimæ conditionis hominum, ut exemplum sis honorum avidis, et garrulis.*

Et revera postquam gubernia, et *liberales* homines iniquis Ecclesiæ spoliationibus, aliisque hujusmodi facinoribus palam finem suum ostenderunt, ac ostendunt, et SS. Pontifex Pius IX *liberalismum*, et *liberales catholicos* proscripsit, intellectu difficile videtur, ut militet sacerdos in liberalium agmine, quin honorem suum deturpet, conscientiam vulneret, professionem parvipendat, et apostasiæ inserviat, ac demum insurgat in se ipsum, chorum faciens cum inimicis suis.

VIII. **Pantheismus** a græco *pan*, omne, et *theos*, Deus; juxta quem totus mundus est Deus, et contingentia sunt modificationes, seu evolutiones divinæ substantiæ. Nihil absurdius, et monstruosius hoc errore, qui ad se occultandum diversas hodie species, ac formas induit: quare Vaticanum Conc., can. 1, illum damnavit hisce verbis: *Si quis dixerit unam eamdemque esse Dei et rerum omnium substantiam, vel essentiam; anathema sit.—Si quis dixerit, res finitas, tum corporeas tum spirituales, aut saltem spirituales, e divina substantia emanasse; aut divinam essentiam*

sui manifestatione, vel evolutione fieri omnia; aut denique Deum esse ens universale, seu indefinitum, quod sese determinando constituat rerum universitatem in genera, species, et individua distinctam; anathema sit.

Pantheismi absurditas demonstratur 1.° ex prædictis de existentia Dei, et de materialistis. In pantheistis retorqueri potest argumentum S. Augustini *de civ. Dei, l.* 4, *c.* 12, *et* 13, contra Pithagoram, ejusque asseclas, Deum esse mundi animam autumantes, mundum autem esse Dei corpus: *quod si ita est, quis non videat quanta impietas, et irreligiositas sequatur, ut quod calcaverit quisque, partem Dei calcet, et in omni animante occidendo pars Dei trucidetur?... Tam vero partes Dei fieri iniquas, impias, atque omnino damnabiles quis ferre possit, nisi qui prorsus insaniat?*—2.° Ex substantiæ proprietatibus; in pantheismo namque confunditur infinita Dei simplicitas cum materia; causa cum effectu; finitum cum infinito; ratio, et libertas cum necessitate; creatum cum increato; cogitatio cum sensu, et simili.—3.° Innititur principio identitatis absolutæ utriusque ordinis, sive cogitationis, sive *realitatis*. Sane in creata intelligentia utrumque ordinem harmonicum esse, non identicum, experientia docet, necnon ars logica.

IX. **Traditionalismus crudior** necessario requirit supernaturalem revelationem ad comparandam Dei notitiam; *moderatus* ad cognoscendam existentiam Dei necessariam putat institutionem aliquam, quæ a primativa revelatione originem ducat, et a societate habeatur: alii contendunt existentiam Dei nullis argumentis firmis probari posse. Contra hos omnes definit Vaticanum Conc.: *Si quis dixerit, Deum unum, et verum, creatorem, et dominum nostrum per ea, quæ facta sunt, naturali rationis humanæ lumine certo cognosci non posse; anathema sit.*

X. **Progressismus**, qui Ecclesiam justissimis suis possessionibus, doctrinis ac disciplina spoliat; scribendi licentiam cuique tribuit, ac docendi pestilentissimos errores, aliaque quamplurima molitur mala, cultum tamen hodie ambit universalem. Merito ergo Pius IX in Syllabo, prop. 80, cum hoc progressu reconciliationem damnavit. (V. n. 26). Huc facit illud:

Ætas parentum, pejor avis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem...

Et quoad laudandos progressus, jam celebris religiosus *Rogerius Baco* scribebat sæculo XIII: «Currus etiam possent fieri, ut sine animali moveantur cum impetu inæstimabili; ut naves..., unico homine regente, ferantur majori velocitate, quam si essent plenæ hominibus...» Et sic vias ferreas, et vapores indicasse videtur. Item tradunt eruditi Salomonis templum pluribus virgis metallicis auratis desuper fuisse munitum ad cohibendum fulmen. Non esset ergo nova Franklinii hæc inventio.

XI. **Protestantismus** cum rationalismo consociatur; non solum a pluribus fidei catholicæ articulis recedit, et ab infallibilibus Ecclesiæ Christi decisionibus, sed etiam independentem constituit ac proclamat individualem rationem, et principium liberi examinis circa religionis materias; absorbet, infuscat ac destruit omnem fidem supernaturalem; omnemque errorem justificat, omne schisma, omnem hæresim: imo

numquam in tuta, et certa via asseclas relinquit; insuper dividit, ac subdividit mentes non minus quam voluntates; omnemque demum societatis religiosæ, ac unitatis ideam delet. (V. Scavini, l. 4, n. 157).

XII. **Socialismus, Radicalismus, Communismus, Fourierismus**, systemata sunt eorum, qui in paradiso voluptatis, et otiositatis vivere peroptant. (V. T. II, n. 5).

XIII. **Massonismus**, seu **carbonarismus** toties a RR. Pontificibus damnatus, crescit tamen in dies, et omnes mundi partes pervadit: amplectitur, ac tuetur omnes socialistarum, communistarum, et aliorum ejusdem furfuris hæreticorum, et apostatarum errores, præsertim invehit contra ecclesiasticas personas, et civiles auctoritates. Inter ceteros caveant diligentissime clerici omnes, ac præcipue seminariorum alumni a satanicis impiorum artibus. Omnimode detestentur horrifica eorum monita, et præcepta, quæ secreto dari solent a personis illius infernalis societatis, quæ juventutis educationem etiam ex officio suscipiunt. A curiositate caveant omnes. Ex decreto *S. C. Inquisitionis*, 5 aug. 1846, jussu Pii IX, confirmato, et declarato a *S. O. C.* 13 jul. 1865, nomine *massonismi* venit enim societas *Fœnianorum*.

Q. *Sub qua pœna prohibetur nomen dare sectis?*

R. Sub excommunicatione *speciali modo* Papæ reservata, aliisque pœnis contra hæreticos, si nomen detur hæreticorum, aut apostatarum sectis; v. gr. sectæ lutheranæ, anglicanæ, spiritistæ, rationalistæ, et illorum sectæ, qui denominantur *liberi cogitatores*. Et Pius Papa IX, Encycl. *Etsi*, 21 nov. 1873, memorat hæreticos, qui *veteres catholicos* se appellant, quorum pseudo-episcopum Dœllinger nominatim anathematizat cum sociis suis, atque adhærentibus. (V. n. 257, art. I, et 258, art. IV). *Del-Vecchio, l. 2, n*, 922. Tamen hodie solum excommunicationem simpliciter Papæ reservatam incurrunt non denuntiantes occultos coriphæos ac duces. *Ballerini, n.* 975, *Del-Vecchio, l.* 4, *n.* 168.

Nuperrime vero decretum edidit S. Pont. Leo XIII, audita prius Cong. Emm. Cardinalium, quod sic se habet.

1.° «Excommunicationem incurrunt Pontifici reservatam inter *specialissimas*, omnes illi, qui etiam sine voluntate adhærendi hæresi, et solummodo humani respectus gratia, sua dant nomina hæreticorum sectis, denominationis cujuslibet.

2.° A fortiori pœnam incurrunt eamdem, qui intersunt acatholicis functionibus, aut *servitiis* ceu dici solet, aut prædicantem audiunt, eo consilio ut eidem sese dedant, quatenus, uti impie dicunt, ab eo persuaderi possint.

3.° Ita etiam eamdem incurrunt excommunicationem qui alterius spiritualis ruinæ fautores effecti, inducunt quomodocumque, et curant ut alii eant, aut veniant ad aulas, vel templa hæreticorum ad audiendas *collationes*.

4.° Tandem eadem innodantur pœna omnes qui typis publicant invitationes ad præfatas *collationes*, et themata earumdem; propter favorem, quem tali actione præbent hæresis propagationi, aut confirmationi.» Sunt *fautores* hæreticorum hujusmodi typographi, hancque censuram incurrunt non tantum ii, sed etiam typos colligentes, impressiones factas corrigentes, officinæ domini, omnesque in typographeo officium habentes. Ita *Acta S. Sedis*, *Vol.* 11, *anni* 1878.

Prohibetur omnino ingredi, etiam propter curiositatem, modo scienter id fiat, in aulas, templaque protestantium, cum collationes locum habent; itemque graviter peccant, qui conciones illas ex mera curiositate audiunt; et quamvis materialiter tantum cæremoniis non catholicis intersint; omnes quoque artifices, qui lucri causa tantummodo canunt, vel instrumentum pulsant in protestantium templis; et typographi etiam, qui litteras, vel typos tantum ordinant, magistris obediendo in characterum compositione pro librorum hæreticorum impressione: ubi addendum, excommunicationem *specialissime* Papæ reservatam incurrere, etiam litterarum ordinatores, posito quod liber imprimendus hæresim edoceat, et defendat, atque fulciat, sustentet, propugnet.

Sunt insuper lethalis peccati rei architecti, ceterique artifices, qui protestantium templum construunt, et decorant. Fabri cœmentarii tamen, aliique opifices subalterni a peccato immunes esse poterunt, utpote quia labor ipsorum de facto neque scandalum, neque religionis despectum minime parit. Nihilominus parochi omnem curam adhibebunt, itemque confessarii in edocendo pauperes artifices ab istis laboribus materialibus eisdem abstinendum, semper, ac labor apostasiam a religione arguat, et cum labor ipse aliquid contineat, quod directe reprobationem catholici cultus, vel approbationem cultus hæretici damnati significet; vel cum in religionis catholicæ despectum ad laborandum vocatos fuisse constet; nullo modo hæreticorum cultui cooperari fas est.

Fiunt quoque rei gravissimorum peccatorum parentes, qui filios suos ad protestantium scholas mittunt, et multo pejus se gerunt, si ad easdem concurrere eos adigunt. Ipsi parentes a fidelium communione arceri debent, utpote indigni sacramentorum, donec filios suos a prædictis scholis separaverint. Filii quoque ad tales scholas concurrentes peccatum lethale incurrunt. In casu tamen veræ coactionis, confessarius juxta facti circumstantias probatorum auctorum regulas applicabit.

Romæ 12 jul. 1878. R. Cardinalis Vicarius.

446. Q. *Quid agere debet Parochus, si in sua parœcia protestantes cathedram pestilentiæ elevent, vel templum aperiant?*

R. 1.° Sese apprime instruere, ut bene possit religionis veritates docere, et populum de paratis sibi insidiis admonere, contra errores eum prævenire, et ad omnia dubia respondere.—2.° Doctrinam Patrum, et Conciliorum in compendium reducere, capacitati parochianorum accommodare, et prelo mandare, ut parochiani quamcumque inimicorum aggressionem possint faciliter repellere.—3.° Tam in catechismo, quam in suggesto, et familiari conversatione suos parochianos doceat differentiam inter sectarios, ac catholicos, et necessitatem perseverandi in catholica religione: in publicis orationibus peculiares identidem gratias Deo agere pro accepto catholicæ religionis beneficio, et una simul perseverantiam, ac propagationem postulare expedit.—4.° Tamen in quolibet argumento a verbis injuriosis contra hæreticos abstineat, et a qualibet aggressione contra illorum ministros sibi caveat.—5.° Si adfuerit propaganda hæretica, curet ne deficiat catholica propaganda; ita ut boni libri contra malos antidotum sint, ac error radices in parochia non immittet. Item urgeat potestates, ut falsa prædicantes pro bono pacis expellant, si adsit aliqua spes. Episcopum adeat, et ejus consilium exquirat; extraordinarias exercitationes, vel missiones habeat, quibus in fide populus confirmetur. Contra

blasphemiam, luxuriam, festorum profanationem invehat; sacramentorum frequentiam præcipue curet. *(Scavini, l.* 2, *n.* 929, et 833).

Q. *Cur pacem nolumus cum sectis in rebus fidei?*

R. *Quia turpis est; quia periculosa est; quia esse non potest,* ut Tullii verbis utamur. (Philipp. 7). *Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conventio Christi ad Belial? Aut quæ pars fideli cum infideli?* clamat Apost. II Corint. VI.

CAPUT IX.

De apostasia.

448. **Apostasia** est *totalis recessus a fide christiana per baptismum suscepta.* —Frequentissime inveniuntur luctuosis hisce temporibus, qui æquivalenter hoc delicto se inquinant per naufragium a fide.

Multiplex est apostasia. – 1.ª ab *obedientia* in eo, qui justis superiorum præceptis parere recusat. – 2.ª ab *ordine* in eo, qui sacris Ordinibus initiatus habitum clericalem deserit, et more laicorum vivit.— 3.ª a *religione* in eo, qui, emissa jam professione, sine licentia a statu religioso recedit. Hic nos tantum loquimur de vera apostasia a *fide christiana.* Cum enim hæc sit vera hæresis, verius idem peccatum est, et iisdem subjicitur pœnis. Sed qui sectæ nomen dat, et peccato desertionis a vera fide, et professionis falsæ sectæ irretitur, quod in confessione est exprimendum. *(Scavini, n.* 818).

Q. *Quinam sunt rei apostasiæ virtualis, et interpretativæ?*

R. Cum *Perrone* dicimus: 1.° Qui deliberata malignitate laudibus probant injurias, ac contemptus, quibus increduli, et hæretici Ecclesiam afficiunt.—2.° Qui deliberate convicia faciunt Papæ, Episcopis, sacerdotibus, religiosis, quatenus Dei ministris, eosque derident, vel persequuntur.— 3.° Qui in theatris sacra, et sacros ministros ridiculis scenis repræsentant; itemque adstantes id plaudentes.—4.° Qui proponunt, vel approbant leges religioni catholicæ contrarias. — 5.° Qui publice reprobant dispositiones, et leges Ecclesiæ, easque violant ad ostendendum contemptum, quem de ipsis faciunt.—Licet omnes isti forsan censuris in apostatas decretis irretiti non sint, nihilhominus ante Deum, et ante homines sunt tanquam veri apostatæ.

—Apostatæ a fide ad pœnitentiam redeuntes, apostasiam coram fidelibus tantum abjurare tenentur, abstinendo ab actibus infidelitatis, ac deponendo habitum infidelium, si protestativum falsæ religionis sit. (*Ex Congreg. S. Officii, Scavini, l.* 2, *n.* 818).

449. Q. *An Ecclesia hæreticos, et apostatas ad veram fidem compellere possit?*

R. Affirma, et tam armis spiritualibus, quam temporalibus potest eos compellere, ut adimpleant quod in baptismo promiserunt; siquidem sunt ejus subditi; si enim fidem accipere est voluntatis, eam tenere jam acceptam est necessitatis; et absolvi nequeunt, qui erroribus interne renunciant, *externe* tamen cum iisdem sociis adhuc communicant; siqui-

dem externe interiores profiteri videntur. (*Ita S. Officii Congreg.*, 5 *jul.* 1837).

450. Q. *An principes christiani licite permittere possint infideles, et hæreticos inter christianos commorari, et suos ritus peragere?*

R. I. Duplex est *indifferentismus*, seu *tolerantismus: civilis*, et *religiosus.*— Prior est, *quo princeps diversas religiones in sua ditione æque tolerat.*—Posterior vero est, *quo omnes religiones veluti æque bonas ad salutem consequendam tenet, vel fovet.* Hic absurdissimus, et gravissimus tolerantismus est; cum enim veritas una sit, et indivisibilis, quicumque cum ipsa non est, falsitatem amplecti necesse debet. Hinc Pius IX, Encyclica, *Qui pluribus*, vocat indifferentismum *systema horrendum, ac vel ipsi naturalis rationis lumini maxime repugnans;* eumque iterum damnavit in *Syllabo* sub prop. XV, et XVI.

II. *Civilis* permitti potest ad majora cavenda mala. *Quamvis infideles,* ait D. Tomas, *in suis ritibus peccent, tolerari possunt.* (2. 2, q. 10, a. 11).—Ad hanc cultus libertatem tolerandam præcipua causa est bonum commune religionis, ut in nationibus ubi vera religio persecutionem patitur, vel non admittitur; tunc melior est tolerantia generalis, quam religionis veræ rejectio.

Probabilius, ait *Varceno* cum *S. Thom.* 2. 2, *q.* 10, *a.* 11, *Scavini, l.* 4, *n.* 155, contra *Charmes, pag.* 325, etiam fieri potest ad impediendum gravissimum damnum temporale regni, v. gr. scandalum, vel dissidium. Revera aliud est permittere, et aliud fovere: primum licitum est ad majus malum vitandum; secundum vero nunquam licet, cum sit intrinsece malum. Sed semper gravissimum peccatum contra religionem, et contra societatem erit hanc perniciosissimam libertatem in natione generaliter catholica introducere, et plerumque eam ab initio saltem tolerare. Quid erit ipsi sub quovis prætextu favere? ¿Eruntne absolutione digni huic faventes, et ejus sceleris impœnitentes, talibusque principiis adhærentes?

451. Q. *An liceat fidelibus communicare cum judæis?*

R. Ad tuendam christianæ religionis dignitatem, et ad vitandum quodcumque perversionis periculum, ab Ecclesia statutum est: 1.° ne christiani cum judæis habitent, nec eisdem famulentur;—2.° ne eorum conviviis intersint;—3.° ne eorum azymis vescantur;—4.° ne mulieres christianæ judæorum infantes lactent, tam in illorum, quam in propria domo. (*Ita S. Ligor., n.* 18, *Gury, n.* 238, *Pius IV, Const.* Cum enim, *S. Congreg. Inquisit.*, 15 *mart.* 1612). Tamen quocumque perversionis periculo secluso, probabiliter lethale non est; imo nulla culpa, si id ex rationabili causa fiat. (*S. Ligor., l.* 2, *n.* 18, *Gury, ibid.*)

CAPUT X.

De libris prohibitis.

452. I. *Ecclesia potestatem habet damnandi, et fidelibus prohibendi lectionem, et retentionem librorum contra religionem, aut bonos mores, aut ipsius Ecclesiæ disciplinam;* adeo ut contravenientes graviter peccent

ut aperte liquet ex his Scripturæ S. verbis: *Pasce agnos meos... Pasce oves meas.* (Joan. XXI). *Pascite qui in vobis est gregem Dei.* (I Petri, v). *Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei.* (Act. XX). Ecclesiæ Prælati, et præcipue R. Pontifex independenter ab omni humana potestate auctoritatem a Christo Domino acceperunt decernendi de fidei, et morum causis, bona pascua Christi ovibus designandi, easque a noxiis arcendi: atqui libertas typographica, quæ a Pio IX in suis Encyclicis passim inter hodiernas inimicorum machinationes adnumeratur teterrima tot undique volantium libellorum et ephemeridum contagio, fidei ac bonis moribus officit; ergo...

Corrumpunt mores bonos colloquia mala, inquit Apostolus *(I Cor.* XV); quanto ergo amplius scripta noxia? Vel ipsi gentiles putida scripta execrabantur. *Plato* ajebat libros impudicos omnino a civitatibus eliminandos. *Virgilius* opus suum propter confictam *Didonis* impudicitiam, morti proximus, præcepit, ut igni traderetur. *Tullius* in poëtas ira exardescit, qui mollibus versibus *nervos virtutis elidunt.* Et ita plures alii.

II. Hanc perpetuam in Ecclesia fuisse consuetudinem demonstrant historiæ ab ipsa Apostolorum ætate. *Multi... ex eis, qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, et combusserunt coram omnibus* (Act. XIX); quorum librorum valor ex eruditis superabat summam 15000 scutorum.—In Concilio Nicæno, anno 325, Patres damnarunt, et comburendos esse decreverunt hæreticos Arrii libros.—In Ephesino, anno 431, damnata sunt impia Nestorii scripta.—In Chalcedonensi, anno 451, Eutychetis. Et ita fecerunt usque ad an. 1455., versus quem inventa est ars typographica a quodam Guttemberg, quam Fust protexit, Schoeffer perfecit. Primi ab ipsis editi libri fuere *Psalmorum codex,* et *Rationale Durandi,* anno 1457; *Clementinæ,* anno 1460; *Biblia sacra,* anno 1462.

—Postquam vero inventa est ars typographica, cum noxiorum librorum colluvies in immensum cresceret, Concilium Lateranense, sub Leone X, an. 1515, decrevit sub gravi piaculo, ac censura, ne deinceps ullus posset liber typis in lucem edi, nisi probantibus Episcopis, aut fidei Inquisitoribus. Paulus III, an. 1542, statuit Romæ Congreg. *generalis Inquisitionis,* cui pravos libros prohibendi curam imposuit. Sub Paulo IV confectus est *Index librorum prohibitorum;* sed cum illa non sufficeret ad tot noxios libros examinandos, S. Pius V novam Congregationem instituit, eam appellans *Indicis,* ideo quia libros noxios indicat.

453. Q. *An S. Congregatio ante prohibitionem audire debeat auctorem libri, si dignoscatur?*

R. Nega, *per se loquendo:* sed optat S. Sedes ut auctor, si causam suam tueri velit, audiatur, præsertim quando agitur de auctore catholico magni nominis.

Neque requiritur *regium exequatur* pro obligandis fidelium conscientiis circa librorum prohibitionem; nam potestas prohibendi noxios libros jure divino ad Ecclesiam pertinet.—Tamen Constitutiones Pontificiæ nequeunt in Statu publicari sine *regio exequatur,* ubi id Concordata concedant, si disciplinam tantum respiciant; ideo non obligant non publicatæ juxta Concordatum, si adsit. Secus dicendum, si tales Constitutiones dogmata, vel mores respiciant, vel nullum adsit tale cum Papa Concordatum. (*Varceno, pag.* 337, *et* 38, *cum communi*).

454. Q. *An Episcopus debeat in sua diœcesi libros noxios damnare?*

R. Affirma; quippe hoc essentialiter pertinet ad munus, quod jure divino habet populum sibi commissum sana doctrina pascendi. Hinc Leo Magnus: *Si quis Episcoporum... apocrypha habere per domos non prohibuerit... hæreticum se noverit judicandum; quoniam qui alios ab errore non revocat, seipsum errare demonstrat.* (Ep. 15, alias 93 ad Turibium, c. 15). Idem statuit Pius IX, 8 dec. 1849, et 24 aug. 1873, loquens in Encyclica *Nostis* signanter de impiis ephemeridibus, libellis, ac pagellis. Merito ergo Vicensis Episcopus 9, jun. 1878 sequentes proscripsit libellos: El mal y su remedio; La Vírgen María y los protestantes; La religion del dinero por Roussell; La hija protestante; Almanaque de la aurora de Gracia; Historia de los crímenes del despotismo de los papas; los periódicos *El Cardoner, La Campana de Gracia*, la revista *El Arsenal de la devocion.*

455. **Pœna in pravos libros legentes.** Libri hodie prohibiti in quatuor dividuntur classes: 1.ª et 2.ª classis prohibentur sub censura; 3.ª sub peccato, et 4.ª absque ulla pœna.

1.ª Classis. Prohibentur in hac sub gravi, et sub censura *speciali modo* Papæ reservata, ex Const. *Apostolicæ Sedis*, libri *apostatarum a vera fide, et hæreticorum, uti talium damnatorum,* sive noti, sivi occulti sint. (*Scavini, n.* 830).—Ad hanc censuram incurrendam requiritur, ut liber non solum hæresim aliquam contineat, sed etiam ut ea in ipso propugnetur. Unde hanc censuram non incurrit:

1.º qui legit librum pagani, turcæ, vel alterius infidelis, licet errores contra fidem propugnet; quia non est liber apostatæ, aut hæretici. *S. Lig. l.* 7, *n.* 282.

2.º qui legit hæretici librum non notorii, vel non damnati ab Ecclesia, etsi errores contra fidem propugnet, nisi alias *nominatim* per Apostolicas Litteras sit prohibitus; vel etsi librum notorii, et damnati hæretici hæresim continentem legat, sed non eam propugnantem, vel obiter paucis verbis, et quasi aliud agentem. Propugnare est, si quid opinor, hæresis patrocinium suscipere data opera, et quasi pro viribus. *Ita Ballerini, n.* 972, *Comm. Reat.*, *S. Lig. n.* 1. *in app. et l.* 7, *n.* 287.

3.º qui legit libros eorum, qui credunt, favent, defendunt apostatas, vel hæreticos, nisi in libro contineatur indubia hæresis, vel apostasiæ a fide propugnatio, et propugnatio hæresis sit *pertinaciter* facta, ut dubitari non possit, auctorem libri esse certe hæreticum; nam prohibitio non est de eorum libris, sed illorum, qui ad apostatarum, vel hæreticorum sectas *formaliter* pertinent, sive quia ex notis sectis sunt, sive quia *scienter* errorem contra fidem docent. (*Ita Avanzini, n.* 7, *Varceno*, *Scavini*, *n.* 830). Tales sunt qui legunt v. g. librum Renan, et versionem S. Scripturæ a Deodati cum notis vulgatam.

2.ª Clasis. *Sub hac censura prohibetur liber cujusvis auctoris nominatim damnatus per suum proprium titulum, et per Litteras Apostolicas* in forma Brevis, aut Bullæ, aut Encyclicæ, vel in quavis alia forma Pontificia, modo dicatur *Auctoritate Apostolica*, aut quid æquivalens; non vero per decreta Indicis. Nulli alii hodie habentur libri sub hac censura prohibiti; quia Const. nostra in quos censuram non invehit, eam sustulit, si forte existebat. (Ita *Avanzini, Scavini, n.* 830, *Varceno, pag.* 417, *Comment. Reat.*, *Ballerini, n.* 972). (V. n. 260, art. v.)

Unde ad hanc censuram incurrendam requiritur: I. Ut legens sciat linguam, in qua scriptus est liber.

II. Ut librum *scienter* legat; nempe, ut sciat librum esse *apostatæ*, vel *hæretici* hæresim ibi propugnantis, vel alterius *nominatim per Apostolicas Litteras* damnatum; et quod hujus lectio censuræ pœna plectatur. Excusat ergo ignorantia crassa, ut communiter tenent *Sanch., Sylv., Ronc., Bon., Salm., n.* 47 *et* 48, *S. Lig., l.* 7, *n.* 47, 301: imo affectata etiam; nam Ecclesiæ non contradicit, qui nescit se Ecclesiæ contradicere, ob quamcumque ignorantiam hoc faciat, ait *S. Dr.* de hæresi loquens, quod hodie, cum eadem sit censura, etiam de hac lectione dici posse videtur, cum *Sanch. n.* 38, *Bon. n.* 11, *Ronc., Salm. n.* 199, *plurimisque aliis*, contra *Scavini*, *n.* 830, et *alios non paucos*, quibus adhæret S. Lig. n. 47, (*saltem ut communiori*, ut ait, licet aliam *sententiam non audeo dicere improbabilem*). Hanc autem scientiam accipe tam de legentibus, quam de retinentibus, imprimentibus, etc., merito ait *Ballerini, l. c.* (V. n. 222).

III. Ut legat in notabili materia, et absque Apostolica, vel legitima auctoritate. Communiter docent in paucis lineis haberi posse gravem materiam; v. g. si legens illico in hæresim, vel ejusdem propugnationem offendat. *S. Lig., n.* 284. Secus si liber principaliter de re indifferenti tractet; tunc enim paginam etiam legendo a mortali excusaris, si nullum ibi errorem legas contra fidem. *S. Lig. l. c. cum communi.* Imo etsi legas duas, vel tres paginas, ait *Scavini, n.* 830, tali secluso errore; potest etiam censura incurri in notabili proœmii, vel indicis lectione. *S. Lig. in append. et l.* 7, *n.* 292.

456. **A censura probabiliter excusantur.** I. Vir doctus etiam a peccato excusatur, hæreticum legens librum, vel apostatæ ad confutandum, et convincendum auctorem, si periculum sit in mora, nec pateat recursus Romam, vel alio, ratione necessitatis, et epikiæ. *Scavini, l. c., S. Lig., n.* 283.

II. A censura excusantur legentes scholia hæretici in libro catholico, vel indifferenti, si non sint adeo uberiora, ut liber potius ex ipsis constet. Secus in hoc casu si hæresim contineat, et propugnet. *S. Lig., n.* 286.

III. Item si error sit abrasus; etenim hæresim jam non continet. Ita *Croix, Pignat., aliique plurimi.* Secus si liber hæresim ex professo defendat; quippe tunc error adhuc ibi continuatus permanet. *Spor., Varc., Scavini,, aliique.* Item si error in aliquo ex libri voluminibus tantum sit, illud solum erit sub censura vetitum; singula enim volumina per se subsistunt, et alia hæresim non continent, nec error ibi propugnatur; secus si erroris argumentum sparsum in omnibus, ut in historia, reperiatur, præfata ratione. *Lugo, n.* 57, *Varceno, p.* 415, *S. Lig., n.* 283.

IV. Item probabilius a censura excusatur, qui tantum audit hæretici libri lectionem, vel ejusdem concionem; cum revera ille non legat, et pœnæ minime sint extendendæ. Ita *Alasia, Scavini, Gury, n.* 982, *et alii plurimi*, modo non induxerit, ad legendum.—Imo etsi ad legendum induxerit, licet contra charitatem tunc peccet, si legens licentia careat, ut tenent *Sanch., n.* 48, *Pal., n.* 4, *Con., Ugol., aliique non pauci*, prædicta ratione; et a peccato etiam excusant, si audiens nullum perversionis periculum incurrat. *Viva, Spor., Sousa, et Stephan.* apud *D. Lig., n.* 292.

Q. *Quid de lectione hæreticæ concionis, epistolæ, folii, ephemeridis, et similium hæresim continentium?*

R. Alii cum *Azor, Viva, Sylv., Spor.*, et *probabiliter* ait *S. Ligor., n.* 293, excommunicationem incurri negant; siquidem hujusmodi concio, epistola, libellum, aut folium hodie dici nequit liber. Idem dicunt alii de manuscriptis hæreticorum.—Alii autem affirmant cum *Holz., Croix,*

Suar., Sanch., Scavini, n. 830; nam ex S. Congr. nomine libri veniunt epistolæ, ordinationes, et similes parvæ scripturæ; equidem libri dicebantur antequam typus inventus fuisset, et hodie etiam similiter vocantur libri parochiales baptismorum, etc.; nam eadem est ratio periculi; modo ibi hæresis contineatur, et propugnetur. Res dubia est, et odia restringenda saltem quoad hanc gravissimam censuram, etsi graviter peccent legentes.

Idem dic de ephemeridibus hæreticorum hæresim propugnantibus, præsertim de foliis quotidianis; nam licet in decreto S. C. Inquis. 1832 ad Episcopos Helvetiæ, et in Litteris SS. D. N. Pii IX datis Em.° Urbis Vicario, 30 jul. 1871, comprehendantur etiam diaria; tamen hodie (etsi graviter peccent talia legentes ob imminens periculum), cum adsit pœna gravissima, non ab hisce prohibitionibus, sed a Const. *Apostolicæ Sedis* imposita, non est facile extendenda, sed stricte interpretanda, maxime cum in prædicta Constitutione tantum loquatur de libris, eosque imprimentibus, etc., non vero de foliis, manuscriptis, diariis, et similibus. *(Ita Varceno, Del-Vecchio, l.* 2, *n.* 830).—Diaria utique censuræ, seu examini Episcopi subjici debent etiam quoad opiniones politicas, juxta Responsum *S. C. Inquis.* 1832 *ad Episcopos Helvetiæ*, ut ait *Ballerini, n.*983. Non enim huc veniunt hæreticorum libri philosophici, magici, Bibliæ vulgares, aliique hæresim non continentes, nec propugnantes. *S. Lig., n.* 288. Ad 3.m classem erunt referendi.

457. **Imprimentes.** Præfatam censuram ex Const. *Apost. Sedis* incurrunt etiam prædictos libros imprimentes, seu quotquot ad impressionem proxime cooperantur: 1.° auctor libri, si ejus cura hic edatur; — 2.° editor, et typographus, qui ejus operas quasi conducunt; — 3.° qui chartas madefaciunt, typos componunt, atramento eos tingunt, torcular calcant. *(Comment. Reat., Ballerini).*—Cooperatores subalterni ad incurrendam hanc censuram ejusdem scientiam habere debent; imo ex adjunctis erit judicandum, an sint formales, vel materiales cooperatores; et sic an ex justa, et proportionata causa a cooperationis culpa, vel saltem a censura excusentur necne, ut ait *Cretoni.*

Non autem huc veniunt, qui remote cooperantur, uti chartas, et typos vendentes; nec editionis impensas facientes, vel mutuantes, preli corrector censuram ignorantes, etsi graviter, saltem posteriores classes, peccent. *(Ita Suar., Sanch., Bon., Lugo, Varceno, Scavini).*

Defendentes, seu qui patrocinium eorum librorum suscipiunt: 1.° vi, aut fraude, vel occultatione impedientes ne igni tradantur, vel Ordinario, vel ne alio modo pereant; — 2.° quovis modo suadentes bonos esse, vel non prohibitione dignos; vel ejus pravam doctrinam laudantes, approbantes, promoventes, tuentes; non vero qui doctrinam sanam ibi contentam, vel stylum, ingenium laudant, modo hoc non arguat laudem, et approbationem libri. (*Suar., Lugo, n.* 94, *S. Lig., n.* 297, *Varceno, Ballerini, n.* 972).

458. **Retinentes** per notabile tempus sine justa causa apud se, vel apud alios sine licentia, et nomine proprio, vel in deposito, aut mutuo nomine alterius, vel animo non legendi; nam de facto retinent. *S. Lig., n.* 297 *et* 298.—Excusantur 1.° qui per unum, vel alterum diem librum retinent; — 2.° vel amplius opportunitatem licentiam petendi expectando, vel superiori, aut alii licentiam habenti ipsum tradendi; vel qui apud

alium licentiam habentem retinet, ea lege, ne repetat quousque licentiam legendi, vel opportunitatem tradendi obtineat. *(S. Ligor., n.* 295 *et* 298).— 3.° Graviter item peccant, et censuram incurrunt bibliopolæ, qui prædictos libros ad vendendum retinent; sunt enim retinentes, ac simul vendentes. *(Varceno, p.* 418, *aliique plurimi).*—4.° Item qui eos retinent per notabile tempus, v. g. ad aromata, aliasque merces cum ipsis foliis involvendum. *(Duard., Alter., Bon., Varceno, ibid.)*

459. **3.ª Classis.** Huc veniunt *libri ab Ecclesia sub sola pœna culpæ prohibiti,* ut sunt reliqui omnes in Indice relati, aliique irreligiosi, magici, obscœni, ac immorales quocumque titulo, ac omnia scripta jure naturæ vetita, licet in Indice nondum sint relata.—Item libri ab Episcopis in singulis diœcesibus prohibiti, etsi tum præceptum, tum censura, siqua adsit, solos cujusque subditos adstringit. (*Avanzini, n.* 8, *Gury n.* 983).

—Hinc sub gravi *ex se* vetantur 1.° omnes libri ante an. 1515 damnati, licet in Indice descripti non reperiantur;—2.° omnes libri hæresiarcharum, et hæreticorum erronei, vel de religione tractantes, nempe, de S. Scriptura, de theologia scholastica, dogmatica, aut morali, de mysteriis fidei, de cultu Dei, aut Sanctorum, de ritibus Ecclesiæ, de canonibus, de rebus spiritualibus, et similibus. *Salm. n.* 72, *S. Lig. n.* 283. Secus hodie id non videtur vigere, ait *Ballerini, n.* 984;—3.° Bibliæ versiones sine notis a SS. Ecclesiæ Patribus desumptis, et sine ipsius Ecclesiæ approbatione (*ex S. Indicis Cong. jun.* 1757 *et* 7 *jan.* 1836);—4.° libri tractantes de astrologia judiciaria, divinatione, et sortilegiis;—5.° omnes libri damnati ob falsi dogmatis suspicionem;—6.° libri ex professo de obscœnis tractantes, etsi in Indice non reperiantur. (*Gury, n.* 984). Ratio, quia vel transgreditur gravissimum Ecclesiæ præceptum, vel saltem naturale; nam exponitur talia legens maximo spiritualis detrimenti periculo. (V. n. 260, art. v.)

460. **De libris, quos romanenses vocant.** 1.° Mortaliter peccant qui libros graviter obscœnos componunt, et sæpe etsi non sint graviter obscœni; multis quidem sine justa causa scandali occasionem præbent; —2.° item librarii, qui in sua officina eos detinent, et ad vendendum exponunt, nisi iis tantum vendant, qui licite illos legere valeant, vel saltem ita præsumere possint, nisi graviter essent obscœni (*Bouvier*);—3.° item lethaliter peccant eos legentes, si adsit periculum peccandi, ut facile in juvenibus evenit, etsi libri non sint graviter obscœni, uti novellæ quædam amatoriæ.—Si absit peccandi periculum, et libri non sint graviter obscœni, ex curiositate eos legere, veniale non excedit.—Tamen confessarius ab iis pœnitentes avertat; quia *ex se* tales libri nati sunt sensus commovere, et impurum ignem accendere. (*Scavini, n.* 831).

—Unde recte ait *Stapf.* : Per talem lectionem tota imaginatio conspurcari, stimuli animales succendi, atque corda effeminata perversissimis affectibus imbui solent; simul vero omnis religionis sensus extinguitur, et ipse intellectus a veritate misere detorquetur.

—Neque typis committi possunt libri partim mali, partim boni, nec vendi, nec donari, aut locari, nisi accurate expurgentur, vel nisi viris doctis licentiam habentibus ad eos confutandos, aut si periculum ex eorum lectione non adeo grave sit, ut compensari possit magna utilitate inde secutura. Typographi antea ad superiores confugiant consilii causa; cum hæc omnia corruptelis plena sint. (*Gousset, l.* 1, *n.* 392).

461. **4.ª Classis.** Huc demum *veniunt libri simpliciter prohibiti sine*

ulla sancita pœna, donec specialiter in indice non designentur: ut sunt libri apocriphi, seu auctoritate destituti; v. gr. libri sacri sine Ordinarii approbatione impressi; libri indulgentiarum, et libelli, folia, summaria, diaria, in quibus earum concessiones continentur sine approbatione *S. Cong. Indulg.:* item libri rituales sine approbatione C. SS. Rituum editi, etc. (*Avanzini, n.* 8, *Ballerini, n.* 983).

Hinc resolves: 1.° Lex Indicis de jure naturali, et positivo omnes obligat, etiam in Gallia, maxime post declarationes Pii IX, et S. C. Conc. 1857 in actis Concilii *Remensis;* libros equidem non prohibet, nisi quatenus sunt perniciosi. (V. n. 260, art. v.)

2.° Prohibentur etiam manuscripta, et diaria perniciosa; nempe, illa quæ interdum de Ecclesia, ejusque ministris, ac cæremoniis, vel de legitima auctoritate sinistre blaterant; item ea quæ spectacula impudica, seu immoralia annuntiant; nam in decreto de libris prohibitis disserte de manuscriptis mentio fit; et cum hæresis, quævis infidelitas, et luxuria mortales sint, peccant quoque mortaliter, qui earum periculo se exponunt, sive conversando, sive conciones audiendo, sive libros, aut diaria legendo; proinde, si alicui hæc periculosa sint, illi jure naturæ ita sunt. (*Gury, n.* 987, *S. Ligor., l.* 1, *n.* 19, *et l.* 7, *n.* 293).

3.° Juxta communissimam, ac sequendam sententiam, ait *Scavini,* (et recte; nam agitur de vitando periculo proximo labendi), etsi quis certus moraliter sit nullum sibi imminere periculum, libros prohibitos legere licite nequit; nam finis prohibitionis non solum est animarum damnum vitare, sed etiam improbis scriptoribus ansam perniciosissimam pravos libros evulgandi auferre.—Aliunde nemo quantumvis doctus, ac pius tuto confidere potest; nam quidquid legitur, ita animum demulcet, et ad cor pertransit, ut sensim sine sensu fieri soleat veluti proprium lectoris, teste luctuosa experientia. *Avitus* presbyter legendo Origenis scripta, etsi simul eorum confutationem, imo et per S. Hieronymum, ut sibi caveret, monitus, virus tamen lethaliter absorbuit. —*Eutyches,* invictus antea fidei confessor, ad unam libri cujusdam Manichæi lectionem, mutatus est in hæreticorum infandum caput. Ita alii plurimi.

4.° Circa hanc rem fideles confessarii mandatis obsequi debent; et confesarii directionem ab Episcopo sedulo exquirere, ac ordinarie circa id rigidiores opiniones sequi. (*Ita S. Ligor., Gury., n.* 986).

5.° Licet a censura *in retinentes* communiter excusetur qui libros vetitos comburit, ut tenent *Salm. n.* 74, *Croix, n.* 355, *Sanch., et alii,* præceptum tamen est, ut sub gravi Inquisitoribus, vel Ordinario, vel ei saltem, qui licentiam habet, tradantur, ex Bulla Julii III *Cum meditatio,* et Constitutione Pii IV *Dominici gregis.*—Tamen hodie nisi agatur de libris noviter compositis, non videtur graviter peccare, qui eos flammis tradit; supponitur enim eos jam esse notos a superiore. *(Scavini, Del-Vecchio).*

6.° Minime vero libri pravi domino sunt reddendi, si eos retinendi hic facultate caret, nisi denegari nequeant absque gravi incommodo, puta, rixa, blasphemiis, litibus, etc.: tunc ipse dominus videat. Levis contristatio, vel timor solvendæ amicitiæ, quin grave quid timeatur, plerumque non censetur causa sufficiens *pravos libros reddendi;* de re gravi quippe sermo est. (*Varceno, Gury, n.* 241, *Scavini, n.* 833).

462. Q. *An liceat dominis hospitiorum quævis folia publica, et diaria hospitibus exhibere?*

R. Exhibere possunt ea, quæ de rebus politicis tractant, etsi interdum aliquid minus rectum quoad religionem, et mores contineant. (*Ita Gury, n.* 256, *Scavini, Varceno*). Excipe, ut recte ait *Ballerini.* si falsa, atque ideo noxia principia aut palam propugnarentur, aut subinferrentur callide; vel si legitima cujusvis jura impugnentur, v. gr. Ecclesiæ, vel Papæ; ad odia, vel ad rebellionem, etc., populi excitentur. Utcumque prorsus illud indubitatum est, ephemerides, quarum lectio periculosa est fidei, seu moribus, ipso naturali jure vetitas esse sub gravi. Quod post Litteras SS. D. N. Pii IX datas Emo. Urbis Vicario, sub die 30 jul. 1871, certo certius est. (*Ballerini, n.* 256-982, *ex Comm. Reat.*)—Item si directe, evidenter, et ordinarie religioni, vel bonis moribus sint adversæ, quamvis hospites ad ipsos confluere desinant; quippe hoc jam non est tantum occasionem mali ponere, sed ad malum directe allicere; et si primum aliquando licitum esse potest ex *D. Thoma*, nunquam tamen secundum. (*Scavini, n.* 832).

463. Q. *A quonam licentia libros prohibitos legendi est impetranda?*

R. Ex Const. *Apostolicum officium* Gregorii XV, 1612, innovata ab Urbano VIII, an. 1631, et a Leone XII, 1825, et a SS. Pio IX, 24 aug. 1864, nequeunt Episcopi hanc licentiam concedere, nisi quoad libros ab ipsis prohibitos. Imo Episcopi, sine Papæ licentia, libros ab ipso prohibitos legere non valent ex Bulla Julii III *Cum meditatio,* ex Paulo IV, et Pio IV. —A solo Romano Pontifice, vel a *Cong. S. Officii,* aut *Indicis,* talis licentia est impetranda; Episcopi est apud supremam Sedem testari de probitate, et qualitate postulantis; unde hac de re, ad curiam episcopalem fiat recursus.—Caute ipsi licentiam habentes retineant libros prohibitos, ne sibi, aut aliis sint scandalum, aut post mortem in hæredum manus veniant. (*Scavini, n.* 828).

PARS TERTIA.

DE VITIIS RELIGIONI OPPOSITIS EX DEFECTU, SEU DE IRRELIGIOSITATE.

464 **Irreligiositas** est irreverentia specialis, quæ Deo sive immediate in se, sive mediate in personis, et rebus sacris irrogatur. Præcipuæ ejus species sunt sacrilegium, simonia, tentatio Dei, blasphemia, et perjurium. De ultimis duobus in 2.° præcepto dicetur.

CAPUT I.

De sacrilegio.

465. **Sacrilegium** est *violatio, seu indigna tractatio rei sacræ.*—Res sacra *est id omne, quod publico ritu ex institutione Dei, vel Ecclesiæ ad divinum cultum deputatur.*—Ratio hujus peccati est, quia per illam

sacram deputationem res specialem mereatur reverentiam. *(V. Thom., 2. 2, q. 99, a. 1).* Non requiritur intentio inhonorandi, quod hæreticum esset; sed utique requiritur, ut res violetur in eo, quo sacra est. Sic detractio clerici non est sacrilegium; nam fama ejus non est sacra.

Triplex est sacrilegium: *personale*, *locale*, et *reale*.

Personale est *violatio personæ divino cultui deputatæ per clericalem tonsuram, vel per statum religiosum, aut per sacram ordinationem.*

Tripliciter fit hæc violatio: 1.º Manus violentas in clericum, vel monacum inferendo.—2.º Judicio fori laicalis eos subjiciendo, nisi per concordata, vel desuetudinem privilegium exemptionis cessaverit.—3.º Violando luxuriose personam Deo dicatam per sacram ordinationem, vel professionem religiosam. Omnis actus luxuriosus tam interior, quam exterior in persona, vel cum persona sacra est sacrilegium; et si ambæ ita sint sacræ, duplex adest sacrilegium, proprium nempe, et cooperationis. *(Ita Less., Elb., Salm., S. Ligor., n. 456).*

466. Q. *An sit sacrilegium violatio personæ voto simplici castitatis extra religionem ligatæ?*

R. Affirma *cum comm*; nam votum solemne, et simplex circa hanc rem per se essentialiter jure divino non differunt, sed solum accidentaliter jure ecclesiastico; etenim per votum res, seu castitas, etsi non tota persona, uti in voto solemni, fit sacra Deo. *Ita Angelicus cum Cajet., Bill., Less., Bon., Salm., Scav., S. Ligor., aliique contra Elb., Ballerini. Suar., Varceno, et alios,* qui dicunt per tale votum non fieri traditionem Deo, sed meram promissionem.

Tamen qui, voto castitatis obstrictus, illud violat, certo peccat contra religionem ratione infidelitatis saltem, et contra castitatem. *Varceno* ait contra religionem non peccare, cum ita obstricto peccantem.—Probabilius sacrilegium committit, qui voto castitatis ligatus, alteri peccatum carnale suadet, ex positivo affectu libidinoso; jam enim in luxuria directe peccat.—Secus si alio fine induceret; nam votum propriam tantum respicit castitatem; unde tunc scandalo solum ex se peccaret. *(Ita Salm., Bill., Dian., Scav., S. Ligor., l. 3, n. 457).* Religiosus qui morose delectatur de carnali peccato alieno, vel alterum suis manibus polluit, etiam sine sua delectatione, sacrilegium utique committit. *S. Lig, n. 457.*

Q. *An sacerdos, et simul monachus professus contra castitatem peccans, dupliciter peccet?*

R. Nega verius; nam etiamsi contra duo præcepta peccet, tamen ex eodem motivo, et in eadem re peccat. *(Ita Sanch., Salm., S. Ligor., n. 455).* Idem dic de eo, qui pluries castitatis votum iteravit.

Etiam communius docent quod, si sacerdos impudicitia inquinatus, dum ad confessionem accedit, fingat se esse laicum voto castitatis obstrictum, modo aliud non obstet, venialiter tantum peccare, mentiendo. Secus si alia specialia sacrilegia, ratione malæ sacramentorum administrationis, vel celebrationis, haberet. *(Lugo, Scavini, aliique).*

467. Q. *Quid de actu luxurioso in eo, qui Christum in aliquo exercitio specialiter repræsentat?*

R. 1.º Sacrilegus erit quivis luxuriosus actus tam interior, quam exterior in eo, qui Eucharistiam gestat, ut communiter dicunt *Tamb., Sanch., S. Ligor., l. 3, n. 463 cum aliis;* nam *sancta sancte sunt trac-*

tanda.—2.° In eo, qui se polluit statim post Communionem, scilicet, intra mediam horam circiter, ut tenent *Tamb., Lugo., Salm., n.* 37.—3.° In eo, qui rebus sacris utitur ad turpiter peccandum, v. gr. qui ad Missam indutus se pollueret; gravem enim injuriam Christo in Sacramento irrogaret. *(Dian., S. Lig., ibid).* Secus dic de eo, qui gestat reliquias, cereos agnos; vel illas amasiæ dat, nisi esset in pretium peccati; nam tunc adesset simonia. (*Ita Azor., Fil., Salm., c.* 6, *n.* 37).

468. II. Locale sacrilegium est *violatio loci divino cultui auctoritate publica Ecclesiæ dedicati, tum ad divina officia celebranda, tum ad mortuos sepeliendos;* prout sunt omnes ecclesiæ, ac publica sacella, et cœmeteria, etsi non benedicta ab Episcopo: non vero oratoria privata, nisi Episcopi auctoritate sint erecta, ut in hospitalibus, etc., tunc enim sunt veræ ecclesiæ. *S. Lig., n.* 39.—Per ecclesiam intelligitur locus a pavimento usque ad tectum: non autem sacristia, cella, claustrum, dormitorium, tectum super ecclesiam, janua extra limen ejusdem, et atrium, nec domus regularium; cum in odiosis stricte facienda sit interpretatio, etsi sunt loca sacra. *(Salm., Sanch., S. Ligor., n.* 459). —Neque caveæ fabricatæ sub pavimento, nisi sint sepulturæ loca, vel divinorum officiorum, ait *Gousset.*—Nec turris campanarum, si ab ecclesia, et cœmeterio sit sejuncta.—Nec chorus monialium ab ecclesia separatus. *(Scavini, l.* 1, *n.* 776).

Q. *Quomodo polluitur locus sacer?*

R. I. Polluitur per hominis occisionem, sanguinis, aut seminis humani notoriam effusionem voluntariam (modo effusio certo sit peccatum grave, et sacrilegium), donec iterum benedicatur, ait *S. Ligor., l.* 3, *n.* 458; et constat ex jure canonico. *(C. unic. de Consecr. eccles. in* 6, *et ex cap. Eccles.* 20, *de Consecr. Dist.* 1).

II. Per immunitatis loci sacri violationem, v. gr. fores effringendo; altaria evertendo; bona eripiendo; hominem, sine auctoritate facta, ab ecclesia, vel ab ejus cœmeterio violenter extrahendo, nisi sit latro publicus, vel nocturnus agrorum populator, vel enorme maleficium asyli fiducia istic commiserit; etsi polluta sit, vel interdicta ecclesia.

III. Per sepulturam infidelis, vel non baptizati, vel excommunicati vitandi.

IV. Per actiones loci sanctitati ex natura sua, vel juris præscriptione adversantes, ut per mercatus, publica convivia, ludos histrionum, spurcities, seditiones, stipulationes equorum, et strepitus judiciorum sine gravi causa. Aliqua privata comestio, vel moderata deambulatio in ecclesia, etiam sine causa, gravis non videtur, secluso clamore, scandalo, et contemptu. (*Salm., S. Lig. n.* 37, *Scavini, n.* 130). (V. n. 258, art. v.

469. Q. *An omnia luxuriæ peccata, in loco sacro commissa, sint sacrilegia?*

R. I. Affirma per actus externos, saltem consummatos, ut foret voluntaria pollutio, fornicatio, copula conjugalis extra necessitatem; nam per ea certe gravis irreverentia loco sacro irrogatur. (*Scavini, Gury, S. Lig., n.* 454, *et* 459); II. Affirma probabilius, per aspectus, verba, oscula, tactus, et amplexus graviter turpes, licet absit pollutionis periculum; cum ipsa per se semper gravem deformitatem externam contineant contra sacri loci reverentiam. *(Ita Sanch., Lugo, Salm., Suar., Scavini, S. Ligor., n.* 459 *et* 461, *et alii* contra *plures*, satis probabiliter contrarium tenen-

tes cum *Con.*, *Salm.*, *Vazq.*, *Dian.*, *Holz.*, *n.* 721, apud *D. Ligor.)*; nam hæc pœna ex solo jure ecclesiastico emanat; jus canonicum tantum loquitur de sanguinis, aut seminis effusione; ergo... Aliud quidem est pœna, et aliud specialis loci sacri irreverantia gravis, vel levis.

III. Nega, quoad peccata mere interna; nisi agatur de desiderio tam intra, quam extra locum sacrum habito, modo sit externe peccandi in loco sacro; terminum quippe haberet ad violandum locum sacrum: secus vero si desiderium, etsi in loco sacro habitum, sit extra eumdem peccandi; eo quod locum sacrum non videtur specialiter tunc afficere. (*Ita communiter cum Scavini*, *Gury*, *S. Lig.*, *n.* 462).

Q. *An actus conjugalis in ecclesia habitus ipsam polluat?*

R. Alii cum *Sanch.*, *Croix*, *Suar.*, *S. Ligor.*, *n.* 458, affirmant, nisi fiat ex morali necessitate; nam jus canonicum indiscriminatim loquitur; et etiam adest irreverentia in orationis loco. Alii negant satis probabiliter, cum lex pœnalis sit stricte intelligenda de sola illicita copula. *Ita Glosa.*, *Sa.*, *Sot.*, *Pontius.*, *n.* 13, *aliique*, et hanc opinionem satis probabilem censent *Salm.*, *et S. Ligor.*, *n.* 458. Idem docent de sanguinis effusione ob defensionem facta.

In morali necessitate censentur conjuges, si in ecclesia permanere debeant per 10, aut 20 dies, aut 30, juxta AA. opiniones.

Dicitur ecclesia adhuc occulte violata, si tantum id sciant duo, vel tres personæ; et tunc ad omnia spiritualia deservire potest; nam per copulam fornicariam occultam minime pollui, neque sacrilegium commiti ajunt *Coninch.*, *Pontius*, *Nav.*, *Azor.*, *Vazq.*, etc., quia cum sit de jure ecclesiastico, et homines non fiunt infames, nisi crimina innotescant, ita reverentia loci sacri non violatur, nisi publice constet de crimine.

Sed probabilius contrarium tenet *S. Lig.*, *n.* 334, et 458; nam irreverentia Deo irrogatur, qui occultas res scit.

470. Q. *Quomodo ecclesia execratur?*

R. Execratur cum suam benedictionem, vel consecrationem amittit; v. gr. cum totaliter, vel ex maxima parte corruit, vel destruitur; aut si omnis parietum crusta, vel major saltem pars simul auferatur. (*S. Lig.*, *n.* 368). Tunc iterum est benedicenda, vel consecranda præscripta forma.

Altare *fixum* consecrationem amittit cum lapis superior a suo stipite amovetur. *S. R. C.* 15 *maji* 1819.—Altaria sive *fixa*, sive *portatilia* suam amittunt consecrationem per fractionem tumuli, in quo reconduntur sacræ reliquiæ, vel per ipsarum amissionem. *S. R. C.* 23 *sept.* 1848. Non sufficit alias reliquias authenticas in illis tumulari, sed altaria denuo sunt consecranda. *S. R. C.* 7 *dec.* 1844.

Vasa, et sacræ vestes execrantur, cum formam suam amittunt, nec amplius inservire possunt. Discrimen adest inter ecclesiæ pollutionem, et execrationem, quod pollūta ecclesiæ parte, integra ecclesia pollui censetur, etiam cœmeterium adjacens; e contra execrata ecclesia, non ideo execratur cœmeterium, nec altaria fixa.

471. Q. *Quomodo est reconcilianda ecclesia polluta?*

R. I. Si ecclesia erat tantum *benedicta*, reconciliari potest a simplici sacerdote, delegato ab Episcopo, cum orationibus consuetis, et cum aqua ab Ordinario benedicta, si hæc haberi facile possit; secus ab ipso sacerdote delegato ad ecclesiam reconciliandam benedici valet. (*S. Lig.*, *n.* 363,

Gury, *n.* 389). — Imo Benedict. XIV *de Synod.*, 1. 3, c. 15, n. 2, ait: *Si simpliciter benedicta* (ecclesia) *fuerit, tunc idem Gregorius IX* (in Can. Si ecclesia de Consecr. eccles.) *statuit*, *nulla prœobtenta delegatione*, *per simplicem sacerdotem*, *adhibita aqua benedicta*, *quam sanctam sive lustralem vocant*, *posse ecclesiam pollutam reconciliari*, cum facultate Episcopi; vel sine ea, addit *Diana*, *p.* 4, *tom.* 4, *res.* 91.

II. Si vero ecclesia erat *consecrata*, ab Episcopo reconciliari debet, vel a sacerdote delegato a Papa juxta ritum *Pontif. Romani.* Si absque gravi incommodo omitti non possint divina officia, Episcopus, aliquo impedimento detentus, sacerdotem ad ecclesiam benedicendam delegare valet simplici benedictione, donec ipse eam consecrare queat. (*Gury*, *Cabassut.*, *Varceno*). Oratoria privata, licet benedicta, et ad cultum deputata, pollui non censentur; ideoque reconciliatione non indigent.

472. III. **Reale sacrilegium** est *violatio rei sacræ distinctæ a persona*, *et loco*, *quæ ad cultum divinum pertinet*, *vel proxime ad eum refertur*, ut vasa sacra; vel sanctitatem producit, uti sacramenta; vel quæ sacrum significant, ut verba S. Scripturæ; vel quæ ad cultum, et ornatum ecclesiæ pertinent, vel ad ministrorum sustentationem, qua talia sunt, ut bona ecclesiastica tam mobilia quam immobilia (modo sint possessa), et ecclesiasticum beneficium. (*Ita S. Thom.*, 2. 2. *Q.* 99. *art.* 3. *S. Lig.* *n.* 42, *Scavini*, *n.* 130).—Secus dicendum cum communi de furto extra ecclesiam de rebus ad clericos pertinentibus non ratione beneficii, sed particularis proprietatis.

Q. *Quomodo committitur hoc sacrilegium?*

R. Multipliciter. 1.° Indigna administratione, et susceptione sacramentorum.—2.° Permittendo, ut Hostiæ sacræ in pixide corrumpantur.—3.° Vasa, corporalia, et ornamenta sacra enormiter immunda adhibendo, vel ad profanos usus ea applicando.—4.° Indigna tractatione, et surreptione sacrarum imaginum, reliquiarum, nimis indecore eas sculpendo, ac pingendo. *(Ita Ronc.. S. Ligor., Gousset).* Grave esse dicunt *Leand.*, *Nav.*, *Mol.* reliquiam furari, etiam in parva quantitate, si sciatur dominum ob id esse valde contristandum.

473. Q. *An vasa sacra antequam artifici reficienda tradantur, a sacerdote execrari debeant?*

R. *Negative* respondit *S. R. Cong.* 20 *apr.* 1822, *aprobante Pio VII.* —Item conceditur laicis sacristis regularibus utriusque sexus, ex privilegio Sixti IV, vasa sacra tangere. (*Gury*).—Nuda manu calices, patenas, aras, et alia chrismate uncta sine causa tangere sub levi, citra contemptum, prohibetur cæteris laicis; cum causa sine ullo peccato. *(Suar., Tamb., et communiter* ait *S. Lig., l.* 3, *n.* 48). Alii cum *Sa., Scoto, Henriq. Sanch., Fag.* censent nullum esse peccatum. Tangere ornamenta sacra, corporalia, et purificatoria post sacrum usum lota, reliquias Sanctorum, et alia, quæ Eucharistiam immediate non continent, nec chrismate unguntur, omnibus licet. *(Gury, S. Lig., ibid.).*

474. Q. *An omne furtum in ecclesia sit sacrilegium?*

R. Ex jure canonico constat esse sacrilegium auferre *sacrum de sacro*, *vel non sacrum de sacro*, *vel sacrum de non sacro. (Can. Quisquis caus.* 17, *p.* 4, *c.* 21). Tamen plurimi cum *Lugo, Gury,* et *Less.* negant sacrilegium esse furari rem non sacram de sacro, quæ casu in ecclesia reperitur, ut horologium, crumena, vel res, quæ ipsius ecclesiæ custodiæ

non est commendata, vel commissa, saltem pro ejus ornatu; nihil quippe interest ecclesiæ de alterius bonis. Alii vero cum *Salm., Varceno, Scavini, S. Lig., l. 3, n.* 39, etsi probabilem vocant primam sententiam, affirmant tamen probabilius esse sacrilegium; surripitur enim *non sacrum de sacro;* et cum hic non respiciatur res, sed loci actu irreverenti furti violatio, ex juris dispositione, sicut supra per actus luxuriæ, quia *ita voluerunt patres nostri*, concludi rationabiliter potest, quod sit sacrilegium.

Q. *An sit sacrilegium legata Ecclesiæ relicta injuste retinere?*

R. Nega probabilius; quamdiu etenim ea non possideat Ecclesia, sacra non fiunt; nam intentio res sacras non facit sine voto. *(Salm., Pal., Tamb., etc.).* Idem dicunt *Croix, n.* 52, *Tamb., Pal.,* contra *Less., Elbel, Spor., et alios,* de non solventibus decimas.

475. Q. *An liceat uti verbis S. Scripturæ, vel sacris rebus ad vana?*

R. I. Nega; nam usurpare hæc verba ad scurrilia, fabulosa, vana, detractoria, adulatoria, sortilegia, et superstitiosa, temeritatem, ac violationem verbi Dei vocat *Trident.*, et eam per Episcopos puniri jubet, *(Sess,* 4). Ipsa verba usurpare ad stabiliendas hæreses, vel ad res turpes, sacrilegium esset. *S. Lig., n.* 40.

II. Partes avulsæ a re consecrata, destructa ejus forma, desunt esse sacræ; v. gr. ligna, et lapides ecclesiæ dirutæ, vel altaris: ob respectum tamem ad rem sacram, cujus sunt reliquiæ, applicari non possunt ad profanos usus, aut divendi sine Papæ licentia. Statuæ autem sacræ, et imagines templi destructi, in alio collocari debent. Lacera etiam paramenta, aut vetustate consumpta igne absumi debent, et non adhiberi ad profanos usus. *Ita S. Alph., l.* 6, *n.* 371).

Tamen *Pal.*, et *Diana* docent probabile esse, quod non sit saltem mortale, si mutata forma ad profanos usus applicentur albæ dissolutæ, frustula corporalis, etc.—Fragmenta autem librorum, in quibus verba sacra inscripta sunt, ad profanos usos sine contemptu adhibere licet. — Idem dic de Sanctorum imaginibus non benedictis, vel de vestibus, et vasis sacris, si res ita immutetur, ut ad communem reducatur materiam, v. gr. calix ad massam argenti; vel si illa jam formam amiserint, et benedictionem. (*S. Lig. n.* 41, *Salm., tr.* 21, *c* 12, *n.* 31). Tempus non est objectum sacrilegii, nisi in die veneris Sancti exhibeantur comœdiæ, ludi publici, etc; nam sic notabilis irreverentia cultui divino irrogatur. *S. Lig. n.* 46.

476. Q. *Quale peccatum sit sacrilegium?*

R. Est peccatum mortale ex genere suo; nam excellentissimæ virtuti religionis opponitur; tantoque gravius, quanto sanctior, et gravior sit res violata.—Sic grave erit ad usum communem applicare ea, quæ consecrari, vel specialiter benedici debent, uti vasa sacra, altarium, et sacerdotum ornamenta ad Missam celebrandam.—Leve esse potest ex parvitate materiæ, ut levis clerici percussio, vel rei sacræ subreptio, ait *Roncag.*, vel in rebus tantum benedictis, ut sunt cineres, panes, palmæ, etc.—Imo nullum peccatum est ad communem usum adhibere candelabra, tapeta, pelvim, manutergium, panes, palmas, aquam benedictam, aliaque mediate tantum ministerio sacro servientia. (*Tamb., Scavini, n.* 130, *S. Lig., l.* 3, *n.* 40).

En exempla. Nadab, et Abiu, qui ignem profanum desuper thuribulis

imposuerunt, devoravit ignis a Domino egressus. (*Lev.* x). Balthasar, qui vasis sacris abutitur. a Domino repentina morte corripitur. (*Dan.* v). Lysimachus, multis commissis in templo sacrilegiis, secus ærarium interficitur. (*II Mach.* iv).

477. Q. *An prædicta sacrilegia specie inter se differant?*

R. I. Affirma, si agitur de *personali*, *reali*, *ac locali;* et in confessione est exprimendum. (*Salm.*, *S. Thom.*, *D. Lig.*, *n.* 34, *et* 38).

II. Nega probabilius, quoad species infimas; sic v. gr. concubitus a percussione clerici specie morali non differt; cum ambæ habeant unam formalem sacrilegii rationem. *Ita Viva*, *Salm.*, *S. Thom.*, 2. 2, *q.* 99, *a.* 3, *ad* 2, qui docet præfatas species habere diversos gradus, *significans*, (ait S. Lig.) *eos constituere quidem circumstantias aggravantes*, *non speciem mutantes.* (Ibid.) Dicunt tamen in confessione esse exprimendas species, et materias; nam sæpe diversam habent malitiam.

478. Pœnæ in sacrilegos, ex Const. *Apost. Sedis* sunt: 1.º Excommunicatio nemini reservata in alienantes, et recipere præsumentes ecclesiastica bona sine Apostolico beneplacito.—2.º Excommunicatio *simpliciter* Papæ reservata in clericorum, et regularium percussores.—3.º Item *speciali modo reservata* in interficientes, mutilantes, percutientes, capientes, detinentes, vel hostiliter insequentes *Cardinales*, *Episcopos*, *Legatos*, *et Nuntios*, et qui illis auxilium, vel favorem præstant.—4.º Item in usurpantes, aut sequestrantes, cujuscumque sint dignitatis, jurisdictionem, bona, redditus ad personas ecclesiasticas ratione suarum ecclesiarum, aut beneficiorum pertinentia; sicut et invasores Rom. Ecclesiæ bonorum.—5.º Qui vero hæc bona usurpata ab usurpatoribus recipiunt, et qui bona ecclesiastica usurpant, vel detinent, quæ non pertinent ad clericos ratione ecclesiarum, vel beneficiorum, ut bona piorum locorum, ex Trident. (*Sess.* 22, *c.* 11, *de Ref.*) excomm. Papæ *simpliciter* reservatam incurrunt.

Extra hos casus nulla habetur censura *ipso jure* sacrilegis adnexa, licet ecclesiam bonis suis expolient cum januæ effractione, præter perpetuam inhabilitatem ad Missæ celebrationem in abutentes hoc sacrificio ad sortilegia, ex Bened. XIV, qui approbavit decretum *S. Officii*, 5 *aug.* 1745.

CAPUT II.

De simonia.

479. I. Simonia, a *Simone mago* sic dicta, est *studiosa voluntas vendendi*, *vel emendi temporali pretio aliquid spirituale*, *vel spirituali adnexum.*—Unde tria ad simoniam requiruntur: 1.º Res spiritualis, vel spirituali adnexa.—2.º Pretium temporale.—3.º Emptio, vel venditio, quæ sufficit, ut malitiose ab una tantum parte intendatur, ut *Simon Magus*: ideo dicitur *studiosa voluntas*. Intelligitur quivis contractus onerosus, sive venditionis, sive locationis, sive permutationis, sive renuntiationis, tacitus, vel expressus cum aliqua obligatione. *S. Lig.*, *n.* 49.

II. Hinc simonia non est 1.º dare aliquid temporale pro spirituali

omnino gratis; neque aliquid sperare, vel intendere solo gratitudinis titulo absque pacto;—2.° dare spirituale pro spirituali, v. gr. rosarium pro trisagio; excipe ex jure canonico omnem commutationem circa beneficium ecclesiasticum;—3.° aliquid exigere per modum mulctæ ad piam causam, ut communiter dicunt AA.; item per modum commutationis, sicut vota in eleemosynas commutantur; ac etiam per modum pœnæ in eleemosynas distribuendæ, non per modum sustentationis. (V. T. II, n. 483, et 494);—4.° solutiones accipere in matrimonii dispensationibus, etc., etiam per modum sustentationis onerum Pontificatus. *(Scavini, n.* 135, *S. Lig., n.* 96).

III. E contra simonia erit aliquid dare, vel accipere pro actibus jurisdictionis spiritualis, tum pertinentis ad forum conscientiæ, uti absolutio a peccatis, sacramentorum administratio; tum ad forum externum, ut est dispensatio a votis, juramentis, irregularitate, impedimentis, festis, jejunio, censuris, etc.; nam hujusmodi actus spirituales sunt ratione causæ efficientis, finis, et effectus.

480. Q. *Quid venit per pretium temporale in simonia?*

R. Munus quodcumque temporale. *S. Thom.* revocat ad *munus a manu, munus a lingua, munus ab obsequio.*

I. **Munus a manu** est quidquid boni, commoditatis, et favoris temporalis pretio æstimabile, quod onus in aliis inducat. 1.° esset rei mutuatio, solutionis dilatio, anticipata solutio; eo quia est res pretio æstimabilis;—2.° dare alicui ecclesiasticum beneficium cum pacto, ut aliquod novum onus subeat, licet spirituale, v. g. docere, canere, infirmis assistere, etc. Excipe, si vacanti beneficio ab Episcopo cum Capituli cathedralis consensu onus adjungatur. *(Ita ex cap. Significatum de præb.)*;—3.° permutatio spiritualis, quæ in aliis rebus spiritualibus permitti solet; v. g. *si hodie applico Missam pro te, ut mane applices pro me;* vel reliquiam pro reliquia, calicem pro calice, vetatur tamen sine licentia in re beneficiaria, ex eodem jure.

II. **Munus a lingua**, scilicet, laudes, commendationes, favores, preces, et quodlibet patrocinium cum pacto, vel promissione; hæc quippe temporaliter æstimantur. Sic erit simonia 1.° Si Episcopus beneficium, aut vicariatum principaliter alicui conferat, ut laudibus, et favoribus ab ipso exornetur; vel ne ejus, aut alterius odium incurrat; vel si preces pro indigno porrectas exaudiat.—2.° Si dicat: *Non conferam tibi beneficium, nisi talis me roget;* motus quidem favore humano ageret. Secus si simpliciter ad preces alterius beneficium conferat; vel si preces pro digno porrigantur, nisi ad humanum favorem attendatur, non autem ad dignitatem personæ. Si vero aliquis pro se rogat, ut obtineat curam animarum, ex ipsa præsumptione redditur indignus, et sic preces sunt pro indigno.—3.° Siquis per collationem quamque rei spiritualis, pacto tacito, vel expresso obligare intendat ad preces, vel favores pro se fundendas. *(Scavini, n.* 136, *D. Thom.*, 2. 2, *q.* 100, *a.* 5).

III. **Munus ab obsequio**, seu famulatus, vel quævis servitus, fine aliquod spirituale a superiore obtinendi; v. gr. Episcopo temporaliter servire, ut dein ab eo beneficium consequatur; vel si Episcopus beneficium ecclesiasticum famulo, vel famuli filio conferret, ut gratis sibi serviat, vel ad compensandum famulatum.—Secus si in spiritualibus serviat; ut in prædicatoris munere; *nam ecclesiasticis utilitatibus desu-*

dantes, ecclesiastica dignum est remuneratione gaudere. (C. Eccles. 67, c. 12, q. 2).

Idem dic *cum Salm., Suar., ac communi* de eo, qui absque ullo pacto, ac simoniaca intentione Episcopo *primario* servit, ad ejusdem captandam benevolentiam; datur enim temporale pro temporali, servitus pro benevolentia; *secundario*, ut dein gratis beneficium ei conferat, etsi hoc valde periculosum sit; nullum sane adest pactum, neque intentio commutationis; sed spectatur, ut omnino gratis detur. — Item Episcopus clerico beneficium conferre potest in gratitudinis recognitionem ob præstitum obsequium; nam, ut ait *Suarez*, non dat ut pretium; et gratitudo virtus est.

481. Q. *Quid venit nomine rei spiritualis in simonia?*

R. *Omne quod ex natura sua, vel ex Dei, aut Ecclesiæ institutione ad ordinem spiritualium bonorum pertinet.* Triplicis generis hæc sunt: 1.° *A natura sua*, seu *formaliter*, ut gratia sanctificans. — 2.° *Causaliter*, uti sacramenta, sacramentalia, oratio. — 3.° *Efficienter*, quæ a causa spirituali procedunt; velut potestas dispensandi, docendi.

Spirituali adnexum est *quidquid cum re spirituali conjungitur*, quod tripliciter fieri potest; nempe, *antecedenter, concomitanter*, et *consequenter*. — 1.m est *quod ad spirituale ordinatur*, ut vasa, olea, ædes sacra, corona deprecatoria; vel cui accedit spirituale, ut jus patronatus fundo inhærens. — 2.m est *quod intrinsece conjungitur cum re spirituali*, ut labor in sacris functionibus. — 3.m est *quod ex spirituali pendet*, ut jus redditus ecclesiasticos percipiendi, quod pendet a beneficio. His positis:

I. Vendi potest extrinsece adnexum spirituali *antecedenter*, et *concomitanter*, sicut argentum calicis, extraordinaria defatigatio in cantu, vel hora Missæ, nulla habita ratione benedictionis, vel laboris rei inseparabilis. — Secus si *consequenter*, vel *concomitanter* sit spirituali intrinsece adnexum; nam tunc rem ipsam spiritualem inseparabilem supponit. Hinc simonia est: 1.° Vendere jus vivendi de bonis monasterii, vel jus redditus ecclesiasticos percipiendi. — 2.° Tempus quod necessario in Missæ celebratione insumitur; et sic de aliis sacris actibus. — 3.° Jure canonico prohibetur aliquid sub simonia accipere pro balsamo, oleo benedicto, chrismate, et cœmeterio. Usus tamen invaluit, ut in aliquibus cathedralibus aliquid a particularibus accipiatur pro compensandis olei causa sumptibus factis. *(Scavini, Gury, n.* 289).

482. **Divisio.** Multipliciter dividitur simonia, nempe, ratione *modi*, et ratione *juris*.

I. *Ratione modi :* 1.° est *mentalis*, cum *quis dat temporale cum animo obligandi ad reddendum spirituale, vel e converso*, sed absque pacto. — 2.° *Conventionalis* est *cum adest pactum*. — *Conventionalis* est *pura*, *mixta*, et *realis*, prout *neutra pars rei traditionem perfecit;* vel *una pars tantum tradit;* vel *utrinque facta est traditio*, saltem inchoata. — 3.° *Confidentialis* est *quæ fit quolibet pacto, vel confidentia in electione, vel præsentatione, aut resignatione ad ecclesiasticum beneficium.* Hæc speciales habet leges, ex Const. *Romanus* Pii IV, et *Intolerabilis* Pii V. — Ex *Trident., sess.* 25, *c.* 7, quatuor modis evenit, scilicet, per *accessum*, per *ingressum*, per *regressum*, et per *pensionem*.

1.° Reservatio per *accessum* fit, cum quis beneficium alteri confert, vel resignat ea conditione, ut sibi ipsi, vel consanguineo, aut alteri opportune resignet.

2.° Per *ingressum* evenit, cum quis beneficium collatum, sed nondum possessum, resignat sub pacto, ut in ipsum beneficium ingrediatur idem resignans, si alter moriatur, aut id dimittat.

3.° Per *regressum* accidit, cum quis beneficium a se jam possessum alteri resignat, ea pactione, ut provisus resignet idem beneficium priori resignanti, vel alteri capaci facto, vel tempore convenienti. Sed non vetatur beneficium fundare ea conditione, ut fundator, aut filius, aut nepos eodem primo instituatur; *ex Bened. XIV, Notif.* 95.

4.° Per *stipulationem pensionis* est, cum quis beneficium alteri procurat sub pacto expresso, vel tacito, ut hic sibi, vel alteri a se designando, (v. gr. filio postquam fuerit ordinatus), vel partem beneficii fructus tribuat, aut pensionem ex eo persolvat. Horum ratio est, quasdam odiosas prohibere hæreditariæ in beneficiis species successionis. Probabilius non est simonia confidentialis, si resignatio fiat sub spe tantum pensionis; vel resignationis in sui favorem ex sola gratitudine; etiamsi resignans declaret suam intentionem esse, ut alter remaneat obligatus ad resignandum in futuro, sed sine alterius promissione; nam in jure uti talis non damnatur, nisi quæ fit cum pacto expresso, vel tacito. *(S. Lig., l.* 3, *n.* 86, *Salm. n* 67 *et* 68).

Tamen *accessus, ingressus, regressus*, et *pensio* super idem beneficium cadere oportet, ut habeatur confidentialis simonia; secus erit solum conventionalis, seu realis. (*Scavini)*.

II. *Ratione juris:* est simonia *juris divini*, seu *naturalis*, et *juris ecclesiastici.* 1.ª est *permutatio rei temporalis pro vere spirituali, vel spirituali adnexa*, ut sunt sacramenta, gratia, indulgentiæ; ideoque intrinsece mala est.—2.ª vero est *permutatio, seu pactio rei spiritualis, vel huic adnexæ, pro alia item spirituali, seu huic adnexa*, ut in beneficiorum permutatione absque superioris auctoritate; ideoque mala tantum est, quia prohibita.—Hinc resolves:

1.° Est simonia juris divini dare temporale uti pretium, vel principaliter pro re spirituali, aut viceversa, v. g. pro qualibet spirituali potestate, sive jurisdictionis, sive Ordinis; vel pro sacramento, reliquia, indulgentia, pro inclinando patronum ad ecclesiasticum beneficium Tito conferendum, et pro similibus. Hinc damnata est sub n. 45 hæc prop. ab Innoc. XI: *Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed damtaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale.*—2.° Promittere, dare, vel accipere, aut commutare temporale æstimabile pro collatione. electione, præsentatione, confirmatione, permutatione ecclesiastici beneficii, aut viceversa. —3.° Vendere jus percipiendi fructus; nam tale jus essentialiter datur ob spirituale officium; vel permutare beneficium, aut fructus cum laicali pensione; in omni enim casu formaliter, aut virtualiter commutatur temporale pro spirituali, aut e contra. *(Gury, Suarez, Scavini, n.* 141).

483. Committitur simonia juris humani. 1.° Beneficia ecclesiastica commutando, in alterius favorem resignando, in iis paciscendo, transigendo, vel pensiones licet spirituales sine licentia reservando. *(C.* 4 *de Sim.)* Secus dic de aliarum rerum spiritualium permutatione, uti rosario cum Missa.—2.° Aliquid dando, vel accipiendo occasione examinis ad parochiales concursus, *ex Trid., sess.* 24, *c.* 18, *de Ref.*, nam pro ipso

examine, ut illud prospere cedat, esset simonia juris divini.—3.° Item occasione collationis Ordinis, vel litterarum ad ipsum Ordinem, etiam primæ tonsuræ, *ex Trid., sess.* 21, *c.* 1, *de Ref.* Verum *S. Cong. Conc.* 8 *oct.* 1678 Episcopis permisit, ut candelam ab ordinandis, ac etiam mappam a presbyterandis reciperent. Imo deputata ab Innocentio XI taxavit emolumenta pro dimissoriis, et testimonialibus, etc. – 3.° Vendendo cœmeterii partem *(C.* 13 *et* 14, *de Sepul.)*; et erit simonia juris divini, si vendatur ut res sacra. Potest tamen emi jus sepulchri in tali loco, ut probat usus; exigitur quidem pretium ratione oneris alios ibi non sepeliendi.—Item ad deferendam crucem argenteam pro ferrea plus exigere licet; cum hic sit mundanus honor. *(Scavini).* – 5.° Vendendo, vel emendo procuratoris officia, sacristæ, œconomi, defensoris Ecclesiæ; eo quod intuitu religionis prohibitum est. *(C. Salvator II caus.* 1, *q.* 3). – 6.° Pecuniam exigendo pro admissione in religionem ratione sustentationis. Tamen hodie paupertatis ratione, et ob alia incommoda, *S. C. Cong.* amplexata est S. Caroli decreta, quibus singulis monialibus statuitur tradendam dotem titulo sustentationis. Unde ex Benedict. XIV satis est, si Episcopi modum imponant. *(De Synod. Diœc, l. XI, c.* 6, *et Notif.* 29). Excipe ex speciali decreto fratrum minorum religionem, quæ nihil accipere potest. *(Gury, n.* 291).

484. *An promittere pecuniam in eleemosynam pauperibus, erogandam si tu danti beneficium obtineas, sit simonia?*

R. Nega, si omnino gratis pecuniam quis tribuat (quod difficile videtur); non enim datur temporale in pretium rei spiritualis. *Ita Salm., Scavini.* Et *Angelicus* admittit monasterio eleemosynam erogare, ut facilius, sed ex gratitudine, in id quis admittatur: nam ex titulo honesto dare, ut in stipendium laboris, in sustentationem, in gratiarum actionem, simonia non committitur.—Secus si quis alicui beneficium procuret, ut sibi ipsi vel tali pauperi superflui fructus dentur; est quippe onus superadditum quoad personæ pauperis determinationem. *(Scavini, n.* 275).

Q. *Quid de eo, qui ad rem spiritualem sibi comparandam dicit; ero tibi gratus, gratias reales referam?*

R. Si per illas obligationem, vel compensationem, aut motivum principale dandi, vel accipiendi temporale pro spirituali, aut viceversa intendat simoniam committit; adest profecto æstimatio inter temporale, et spirituale. – Secus si tantum intendat signum puræ gratitudinis præbere; nam hæc virtus est, et nulla adest studiosa voluntas simoniaca. *(Scavini).*

Q. *Quid de eo, qui mediatori dat pecuniam, ut sibi Ordinem, vel beneficium obtineat?*

R. Non erit simonia pecuniam labori proportionatam dare, aut damno emergenti, vel lucro cessanti; temporale siquidem pro temporali datur; secus si pro ipsa mediatione cum pacto, ut intercedat. *Sic enim per pecuniam*, ait Angelicus, *pararet sibi viam ad rem spiritualem obtinendam.* (2. 2. q. 100, a. 2 ad 5.).—Neque simoniacum est, etsi periculosum, pecuniam alicui dare, ut tua merita simpliciter Episcopo proponat; nam obtentio rei spiritualis non est immediatus finis pecuniæ præstationis. *Ita Salm., Ron., Azor., Sanch., etc.*—Item neque qui, beneficium supplicando, sua præterita merita patrono retulit ad gratiam obtinendam; nullum porro habetur pactum. *(Gury, Scavini, n.* 276).

Q. *An simoniam committat qui ecclesiasticum beneficium obtinet per fictam pecuniæ promissionem?*

R. Reus est simoniæ, quatenus cooperatur ad collatoris simoniam; sed probabilius ipse in eam non incurrit, licet graviter peccet; cum non adsit vera emptio, nec studiosa voluntas emendi, sed fingendi. Quoad pœnas puto cum *Croix*, ait *Scavini*, *n.* 276, eum illas non incurrere; cum desit simonia utrinque completa.

485. Q. *Quid de illo, qui beneficium confert ob carnalem affectionem?*

R. Simoniacus non est, nisi intendat aliquod sibi, vel familiæ bonum inde obventurum: *Est quidem illicita, et carnalis collatio; non tamen simoniaca ;* ait Angelicus; *quia nihil ibi accipitur.* (2. 2, q. 100, a. 5).

Q. *An a patrono sine simonia vendatur jus ad beneficium præsentandi?*

R. I. Affirma, quoad honores, et subventiones, quæ patronis debentur, cum non sint res spirituales. *(S. Thomas, S. Ligor., l.* 3, *n.* 71). —Vero jus præsentandi, si rei est affixum, re vendita, simul cum ea in emptorem transfertur. Item per rei donationem, vel hæreditatem.

II. Nega, saltem jure ecclesiastico, extra hos casus; ut si patronus pluris vendat ratione talis juris, vel novum onus præsentato imponat, v. g. ut suis expensis litem sustineat circa jus præsentationis. *Ex. c. præterea de jure p.*—Delinquentes *ex Trid., sess.* 25, *c.* 9, *de R.*, excommunicationis, et interdicti pœnis subjiciantur, et jure patronatus *ipso jure* privati existant.

486. Q. *An liceat parocho pinguiorem parochiam eligere, ut ampliorem habeat sustentationem, etiam pro pauperibus?*

R. Affirma, si revera, consentiente Episcopo, illam eligat, ut ampliorem habeat sustentationem pro se, et pauperibus, vel ut melius evangelizet; nulla enim est commutatio temporalis pro spirituali.—Secus a simonia mentali difficile excusari poterit, et saltem erit vituperandus, si lautiorem vitam, vel fortunæ suæ, aut familiæ augmentum quærat. Hoc sedulo attendat, ait *Scavini, n.* 279.

487. Q. *Quid si aliquod temporale tradatur pro rei spiritualis omissione?*

R. Si omissio procedat a spirituali jurisdictione ecclesiastica, uti hominem non absolvere jam confessum, vel excommunicatum; vel si ob culpabilem omissionem alter spirituale consequatur, v. g. ecclesiasticum beneficium, tunc erit simonia; nam venditur quod est pretio invendibile. *Correctio... est spiritualis actus... unde simoniam committit qui pecuniam accipit, ut peccatum, quod tenetur revelare, aut punire, non revelet, nec puniat*, ait *Angelicus, in* 4. *dis.* 25, *q.* 3, *a.* 2, *q.* 11.

Secus vero si omissio non sit de exercitio spiritualis jurisdictionis, vel intuitu rei spiritualis pretio æstimetur, ut omissio orandi, celebrandi, ordinandi aliquem, eleemosynam dandi, etc., (nisi alter ex justitia teneatur), etsi turpe plerumque esset. (*Scavini, n.* 281, *S. Ligor., n.* 97).

Q. *An sit peccatum simoniæ temporale aliquid accipere pro tradenda doctrina christiana?*

R. Affirma, si instructio ad bonum spirituale aliorum tendat; cum sit res spiritualis, nisi accipiatur ratione sustentationis, vel honorarii.—Secus vero probabilius, si instrucio sit temporalis, ut explicatio *theologiæ*,

vel *sacrarum litterarum*. Ille qui habet scientiam, et non suscepit cum hoc officium, ex quo obligetur aliis usum scientiæ impendere, licite potest pretium suæ doctrinæ, vel consilii accipere, non quasi veritatem, aut scientiam vendens, sed quasi operas suas locans. *(S. Thomas*, 2. 2, *q*. 100, *a*. 3 *ad* 3, *S. Ligor.*, *n*. 94).

Q. *An simoniam committat sacerdos, qui spondet laico Missam pro exitu ludi, dum socius pretium temporale exponit?*

R. Nega per se; quia non æquiparatur res spiritualis proprie temporali, sed tantum offertur executio rei spiritualis loco temporalis alioquin tradendæ. Cæterum talis ludus raro caret aliquo scandalo. *(Gury, Voit, n*. 506, contra *alios*).

488. Q. *An simoniam committat sacerdos, qui pro Missa stipendium supra taxam consuetam, aut ab Episcopo statutam exigit?*

R. Affirmant *Voit, Reiffenstuel, Friderich, Azor, Schamlzgrueber, aliique plurimi contra Gury;* etenim deest omnis justus titulus temporale exigendi; nam, neque ratione stipendii, neque honestæ sustentationis illud plus exigi potest; ergo tantum ratione simoniaci pacti, vel æstimationis, nisi sponte offeratur; sane quivis liber est dandi quod suum est.

489. Q. *Quid de eo, qui principaliter ob emolumentum temporale celebrat, concionatur, et ministrat.*

R. I. Adest *finis operis,* et *finis operantis;* seu *pretium rei,* et *personæ stipendium*, ut finis operantis. Qui ita ministrat principaliter ob stipendium, non ut pretium, sed ut honorarium personæ debitum, vel ad sustentationem, simoniam non committit; nam *secundum ordinationem Ecclesiæ, et consuetudinem approbatam* accipit, ut ait *D. Thom.*, 2. 2, *q*. 100, *a* 3. Ita *probabilius Croix*, *Gury. n*. 290, *Scavini*, *n*. 278, *S. Ligor.* —Secus si recipiatur *ut finis operis principaliter intentus*, nempe, ratione studii, defatigationis, etc., ut ait *Angelicus cum communi*. Tamen qui sacra peragunt ministeria principaliter ob temporale, non facile saltem a veniali excusari possunt, ratione inordinationis. (*Salm., S. Ligor., n*. 55).

Hinc I. Licite relinquuntur legata, et aliæ eleemosynæ pro Missarum celebratione; nam dantur pro sustentatione ministrorum, et non ut pretium. Unde Martinus V hanc Wicleffi damnavit prop.: *Omnes sunt simoniaci, qui se obligant orare pro aliis, eis in temporalibus subvenientibus.*

II. Licite pauperi eleemosyna datur, ut oret pro dante; emere enim orationes non intendit, sed gratis compellere, vel ratione honorarii dare. —Item licet donum promittere ad aliorum utilitatem, v. g. ut Missam audiant, sacramenta recipiant, monasterium ingrediantur, catechismo assistant, etc., nullum equidem onus aliis, neque danti utilitas inde obvenit. *S. Lig.*, *n*. 104.—Item non inquietandos esse simplices, observat *Vens*, qui aliquid temporale pro spirituali dant, vel accipiunt. Sic cantores, sacristæ, et parvuli Missæ servientes aliquid tuta conscientia percipiunt, licet explicare nequeant qua ratione.—Item in praxi aliquid exigi potest pro planetis ab ordinandis, in quantum teruntur paramenta per usum; secus vero pro sacro usu præcisse.

CAPUT III.

De causis a simonia excusantibus.

490. Etsi nunquam liceat temporale principaliter pro spirituali dare, vel accipere, utpote intrinsece malum; tamen occasione rei spiritualis ex titulis simoniæ extraneis sæpe aliquid temporale licite recipitur.

I. Quando datur temporale pro spirituali, et viceversa, omnino gratis ex utraque parte, vel titulo gratitudinis, sine ullo pacto explicito, nec implicito, etsi cum spe, vel intentione excitandi ad remunerationem; nam donatio, et gratitudo ex se virtutes sunt. *Illud gratanter recipi potest, quod fuerit sine taxatione gratis oblatum.* (C. 30 de simonia; *S. C. C.* 1 *febr.* 1593, *Gury n.* 289).—Excipe ex jure canonico, quod recipitur occasione examinis ad parochiam, vel Ordinum collationem. In dubio an gratis detur temporale, pensandæ sunt circumstantiæ personæ, et doni.

II. Quando datur temporale per modum stipendii ad honestam sustentationem; nam jus ad hanc habemus. *Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelium vivere.* (I Cor. IX). *Dignus enim est operarius cibo suo.* (Matth. 10).

III. Quando temporale datur pro labore extrinseco, ita ut sine eo exerceri posset actio, ut cantus in Missa, hanc in ecclessia dissita, vel hora v. gr. decima celebrare. Secus de labore intrinseco, ut collatio sacramenti, oblatio in Missa, etc. Nec obstat quod sine stipendio non prædicaret, vel celebraret, caneret; hoc solum probat quod, deficiente sustentatione, non operaretur, minime vero quod ponat spirituale sub pretio. (*Scavini*).

IV. Quando adest legitima consuetudo. Hinc Benedict. XIV ait: *Præstationes, quas Canonica, ad possessionem admissi, solvunt, si antiquas, non facile improbandas.*

491. **Injustam vexationem pecunia redimere.** I. Si agitur de jure acquisito, vel certe acquirendo, licet se temporali pretio redimere a quocumque, et quovis modo veniat injusta vexatio, aut odium, vel diffamatio; datur quippe temporale pro temporali; scilicet pro libertate, pro justitia. Hinc si judex, vel quivis alius parochum impediat, ne sua onera impleat, licite pecunia se redimet a nefario impedimento. Ita *communiter S. Thomas, D. Lig. n.* 101. Secus si pro redemptione quid spirituale detur, contraria ratione.

Item licet, si injusta vexatio in jure acquirendo ab iis proveniat, qui jus illud concedere nequeunt; v. gr. diffamatori pecuniam dare, ut a diffamatione desistat, quæ patronum te ad beneficium eligere impedit. *Scavini, n.* 145, *S. Lig. n.* 99, *et* 107, *et S. C.* 18 *jun.* 1785.—Item licet in necessitate pecuniam dare sacerdoti sine illa ministrare sacramenta nolenti, eadem ratione; esset enim alterius permittere peccatum justa de causa. *Less., S. Bonav., S. Lig. l. c. cum communi.* — Item reddere, vel redimere absque simonia licet pensionem mere temporalem; cum in spirituali titulo non fundetur. Secus dic de spirituali, quæ concionatori, vel coadjutori Episcopi datur propter ecclesiasticum officium. *S. Lig. n.* 104.

II. Si agitur de injusta vexatione in jure acquirendo, quæ provenit ab iis, qui jus illud concedere possunt, non licet; in hoc enim casu vere, et proprie daretur temporale pro spirituali, nempe pro ipsa beneficii assecuratione, vel pro consensu emendo; uti esset temporale aliquid dare iis, qui suo voto, vel suffragio libere ad electionem, vel præsentationem prodesse, vel obesse possunt.

—Neque licet competitori pecuniam dare, ut desistat; nam hoc esset viam directe, ac simoniace ad beneficium per temporale parare, non autem se redimere ab injusta vexatione, sed justa. *(Ita communiter Croix, S. Lig., n.* 103, *Gury, Scavini, n.* 149).—Excipe si electoribus detur, ut indigni minime eligantur, modo non determinetur persona eligenda; sane tunc datur, ut eligant digniores in genere; Ecclesia habet jus acquisitum in dignos; ergo datur, ne mala fiat electio. *S. Lig. n.* 103.

492. Q. *Quale peccatum sit simonia?*

R. Grave peccatum est ex genere suo; opponitur enim omni juri. — 1.° naturali, quod vetat rem pretio inæstimabilem vendere, utpote injusta venditio.—2.° divino, juxta illud: *Gratis accepistis, gratis date.* (Matth. x).—3.° ecclesiastico, in quo simonia vocatur *execrabile flagitium, exitiale monstrum*, ut constat ex toto titulo de *simonia.* Imo juxta communem sententiam simonia est quædam species realis sacrilegii; nam res sacra vilipenditur, ac indigne tractatur, temporali eam comparando, cum sit supra omne pretium. *(Scavini, n.* 134).

Q. *An detur parvitas materiæ in simonia?*

R. Nega, in simonia juris divini; nam semper gravis est ex se irreverentia in res sacras instar temporalium eas æstimare: quocirca nullum donum gratiævendi potest, licet parvum, sine gravi irreverentia doni, et donatoris. *S. Lig. n.* 49. Ita communiter, nisi agatur de parvis donis temporalibus, uti floribus, aviculis, fructibus.—Secus vero probabiliter, si agatur de simonia juris ecclesiastici; quippe non fit injuria rei sacræ, sed Ecclesiæ præceptis, quæ parvitatem admittunt. *(Scavini, Croix, Gury, Ballerini, aliique).*—Hæc exceptio valere non videtur quoad examinatores ad parochiam. His enim pœnis simoniæ propriis interdicitur, ne quid prorsus recipiant sive a candidato, sive ab aliis. *(Ballerini).*

CAPUT IV.

De pœnis in simoniacos latis.

493. I. *Nulla incurritur pœna ob simoniam pure mentalem*, pure *conventionalem*, vel *conventionalem mixtam;* jura enim de completa simonia loquuntur; *et odia restringenda.* Ita judicare *Curiam* testantur *Navar. aliique.* Sola simonia *confidentialis*, et *realis* in collatione Ordinum, ac beneficiorum, ob ingressum in religionem, et mere *conventionalis* in electione Romani Pontificis pœnis ecclesiasticis subjacet. *S. Lig. n.* 105, *Suar., Less. Laym.* In venditione aliarum rerum, v. gr. jurisdictionis, sacramentorum, pensionis, aut capellaniæ non collativæ, etsi facinus simoniæ committitur, nulla tamen incurritur pœna. *Salm. n.* 1, *S. Lig. n.* 105.

II. *Ad incurrendas pœnas communius, et probabilius requiritur, ut simonia sit ex utraque parte completa;* nam sine traditione rei, et pretii non perficitur venditio simul, et emptio: in jure nullibi infliguntur pœnæ in simoniam, nisi utrinque completam, et *odia sunt restringenda;* ergo... Ita *Les., Suar., Croix, n.* 112, *S. Lig., n.* 106, *et alii* contra *Salm., Pal., aliosque.*

Sufficit, ut pars tantum promissi solvatur, etsi occulta sit simonia. Imo si confidentialis sit, pœna incurritur etiam per simoniam conventionalem mixtam, nempe, ex una parte completam, ex Bulla S. Pii V, *Intolerabilis, S. Lig. ibid.* Qui obtinet beneficium per fictam pecuniæ promissionem non impletam, etsi graviter peccat, quia saltem ad simoniam cooperatur; tamen a peccato, et pœnis simoniæ excusari posse videtur; nam voluntate non sese obligandi interveniente, non adest vera emptio ad simoniam requisita. *Croix, n.* 200, *S. Lig., n.* 107.

Valde probabile est per simoniam tantum de jure ecclesiastico statutam, si expresse lex id non exprimat, pœnas non incurri; v. g. siquis emat sacristæ officium, vel resignet beneficium cum pensione ex propria auctoritate; nam jura pœnas statuentia sunt intelligenda communiter de rigorosa simonia (*odia enim restringenda*), quæ sit etiam contra jus divinum. *S. Lig., n.* 108.

III. *Pœna contra reos simoniæ realis in beneficiis* quibuscumque, eorumque complices, seu mediatores, et cooperatores est: 1.° *Excommunicatio* ipso facto Pontifici *simpliciter* reservata ex Pio IX (Const. *Apost. Sedis, n.* 8). 2.° Nulllitas electionis, præsentationis, et canonicæ institutionis; ita ut sic promotus, vel institutus nequeat fructus beneficii facere suos.—3.° Inhabilitas perpetua ad idem beneficium obtinendum; ad alia vero nisi post sententiam reus inhabilis non fit, ut probabilius docent Bullam pianam explicantes. Imo qui alia habet beneficia, illa retinere potest; nulla sane lex expresse hanc pœnam *ipso facto* decernit. (*Suar., S. Lig. n.* 112, *Scavini, n.* 143).—En Const. Pii V, § 8, verba: *Qui beneficium, aut officium ecclesiasticum simoniace adeptus fuerit, illis similiter ipso jure sit privatus, et ad fructuum omnium, quos perceperit, restitutionem teneatur, et perpetuo sit inhabilis ad ea, et quæcumque alia beneficia obtinenda.*

IV. *Rei simoniæ confidentialis*, sive completæ, sive incompletæ in beneficiis quibuslibet, et cujusvis dignitatis sint, ultra pœnas contra reos simoniæ realis impositas, incurrunt insuper privationem omnium ecclesiasticorum beneficiorum etiam antea obtentorum, sed solum post sententiam saltem criminis declaratoriam. (*S. Lig., l.* 3, *n.* 3, *cum communi*). —Si vero simonia sit commissa ab ipsis examinatoribus synodalibus occasione examinis ad parœciam, ipsi privantur ante omnem sententiam beneficiis jam obtentis ex Trident.; adeo ut *a simonia absolvi nequeunt, nisi dimissis beneficiis.* (Sess. 24, c. 18, *de Ref.*) —Beneficium autem ecclesiasticum per confidentiam collatum, et acceptum manet Sedi Apost. reservatum, ex eodem Pio IV, et Pio V.

V. *Ad incurrendam censuram contra reos simoniæ confidentialis in beneficiis quibuslibet* requiritur 1.° ut pactum certum, et obligatorium sit, sive expressum, sive tacitum, vel conditionatum, ita ut tanquam ex debito beneficium, aut ejus fructus sibimet, vel alteri certo tempore quis cedat. (*Ita Reiff., Schmalzg., n.* 37).

2.° Ut pactum versetur circa ipsum beneficium, vel ejus fructus;

unde si versatur super alio beneficio, hæc simonia, et censura locum non haberent. Item si non beneficium, vel fructus, sed aliquid aliud quis reservaverit super beneficio ipso. (*Suar.*, *Less.*, *Nav.*, *Salm.*, *n.* 70).—Item quando fit pacto tacito, etsi intentio simoniaca significetur, sed sine alterius promissione. (*Schmalzg.*, *n.* 40). -Item si adsit tantum spes ingressus sine pacto, etc., etiamsi significetur. (*Suar.*, *Less.*, *S. Alphon.*, *n.* 86).

3.° Ut pactum sit validum; unde si quis beneficium non in Episcopi manu, sed propria auctoritate renuntiaverit, non tenet renuntiatio, nec censura. (*Salm. n.* 73, *S. Lig. n.* 90.) Permutatio beneficiorum, licet sit quædam quasi resignatio, tamen non cadit sub confidentialem simoniam. (*Navar.*, *Suar.*, *Schmalzg.*, *n.* 43). Item si quis inter partes aliquid convenerit circa beneficium ipsum, vel fructus (*Reiff.*, *n.* 40). -Si vero conveniunt cum Ordinario, vel alio collatore, aderit simonia confidentialis, modo circa beneficia stricte sumpta sit conventio. In hac censura comprehenduntur omnes dignitates, etiam prælati majores, non vero complices; nam Const. *Apost. Sedis* de iis non fit mentio. (*Varceno, p.* 471).

—Hæc accipi debent quoad pœnas de beneficiis proprie dictis, cujusmodi sunt Episcopatus, canonicatus, decanatus, parœcia, etc., ac etiam beneficia *regularia* cujusmodi sunt Regularium *Prælaturæ* de munere ordinario, ut *Generalatus, Provincialatus, Abbatia, Præpositura, Prioratus*, *Rectoratus, Guardianatus*, etc. (*Ita Ballerini, n.* 293). —Non ergo veniunt beneficii nomine *capellaniæ, coadjutoriæ, nec officia inquisitoris, legati, procuratoris rerum Ecclesiæ*, etc., licet simoniæ peccato subjiciantur; nisi agatur de *vicaria temporali*, vel ad *nutum*, aut de *capellania jure laicali*, aut *pensione*, quæ absque ullo simoniæ reatu vendi possunt, cum nec ecclesiastica officia sint. (*Scavini*).

VI. *Ob simoniam realem propter ingressum in religionem* incurritur *ipso facto* excommunicatio Papæ reservata, ex Pio IX. Illam non incurrere nisi *præsumentes*, ait *S. Lig. n.* 108. Item omnes electiones simoniacæ ad Generalatum, Rectoratum, et quodlibet aliud officium spirituale in religione *ipso jure* irritæ sunt. (*Cap. penult. de elect.*). (V. pag. 175, et 176).

Quoad reos simoniæ realis ob ingressum in religionem censura hodie locum tantum habet, cum ex debito aliquod recipitur emolumentum solo titulo professionis religiosæ; non vero si emolumentum pro vestibus, et sustentatione exigatur, saltem per totum novitiatus tempus, etsi dives sit cœnobium. *S. Lig. n.* 92 ex *Trid. sess.* 25, *c.* 15. Excipiuntur etiam postulantes infirmi, senes, hebetes ingenio, tunc accipitur temporale pro incommodo temporali. *Croix*, *S. Thom.*, *S. Lig. ibid.* -Item excipiuntur monasteria monialium, ex Clem. VIII, ut referunt *Nav.*, *Less.*, etc., qui indulsit, ut pacisci de dote recipienda possint; nam obnoxia sunt diversis infortuniis. Nec incurritur, nisi post initam professionem. (*Reiff.*, *n.* 255, *Salm*, *S. Lig. n.* 108, *cum communi*).

Quoad Ordines adest tantum suspensio *ipso facto* per triennium á collatione Ordinum in Episcopum ordinantem absque titulo beneficii, vel patrimonii cum pacto, ut ordinatus non petat ab ipso alimenta. (Const. *Apost. Sedis* Pii IX).

494. Q. *An ignorantia a pœnis excuset?*

R. I. Affirma quoad censuras, si ignorantia inculpabilis sit (quæ raro in sacerdotibus supponi potest); nam *sine culpa non est aliquis puniendus.* (*Cap.* 23, *de reg. juris in* 6).

II. Nega quoad cæteras pœnas; ita ut etiamsi a tertio patrata fuerit simonia, non obstante inculpabili ignorantia, provisio beneficii nulla esset, neque fructus retineri possent a possessore percepti. (*C.* 33, *de simonia*).— Item nulla est electio, etsi in electione, quæ fit a pluribus jure *communitatis*, vel *collegii*, unus tantum simoniace suffragium ferat; secus si tot sint præsentationes quot sunt patroni; simoniaca unius collatio legitimam alterius collationem non inficit. (*Laym.*, *Fagn.*, *Barb.*, *Schmalzgr.*, *l.* 5, *t.* 3, *n.* 266).

Excipe 1.° si beneficiatus sciens contradixerit, et dein, simoniam ignorando, beneficium acceptaverit; — 2.° si tertius ad hoc simoniam commiserit, ut alium inhabilem redderet ad beneficium; — 3.° si pacifice tribus annis bona fide in beneficii possessione fuerit. (*Ita communiter Del-Vecchio cum D. Thoma*, *S. Lig. l.* 3, *n.* 507, *Scavini*, *Rigant.*, *ad Reg.* 36, *Cancel. in* 6). Neque obstat regula *Cancellariæ*, ubi requiritur absolute, ut beneficium obtineatur sine *ingressu simoniaco;* nam intelligitur de eo, qui culpabiliter sic ingreditur. (*Scavini*, *n.* 144). (V. t. 2, n. 104).

Si in priori actu est commissa simonia, v. gr. in electione, omnes actus sequentes irriti sunt; secus tamen, si legitime electus, vel præsentatus confirmationem, seu institutionem simoniace obtineat; tunc hæc sola, in qua vitium commissum est, irritatur. Quocirca si per dispensationem tollatur inhabilitas per posteriorem hunc actum contracta, opus non esset nova electione. (*Ballerini*, *Reiffenst.*, *l.* 5, *t.* 3, *n.* 265).

CAPUT V.

De absolutione a pœnis in simoniacos latis.

495. I. *Quoad excommunicationem* ob beneficii collationem, vel ob admissionem in religionem, solus Papa absolvere potest, si publicæ sint; secus etiam Episcopus ex Trident., cap. *Liceat*, et ex Const. *Apost. Sedis*.

II. *Quoad inhabilitatem*, ex Pio V, et ex Trident., dispensare potest Episcopus ad habenda alia beneficia, modo simonia non sit confidentialis, neque deducta ad forum contentiosum; eo quia tunc adesset irregularitas ex infamia juris. (*Sess.* 24, *c.* 6, *de Ref.*)

III. *Quoad idem beneficium* simoniace habitum item potest Episcopus dispensare, si simonia sit commissa, ignorante beneficiario, et in illa vacatione, si beneficium sit simplex, scilicet, nullam habens jurisdictionem, vel specialem præeminentiam, vel curam animarum, etsi sit canonicatus, vel dignitas, et antea sponte renuntiaverit (*C.* 27 *de simonia):* in alia vero vacatione, si beneficium sit majus, scilicet curatum (*C. penult. de elect.*, *Salm.*, *n.* 37, *Sanch.*, *S. Lig.*, *n.* 118).—Si *scienter* simoniace quis acceperit beneficium sive simplex sive curatum, etiamsi sponte illud renuntiet, nequit Episcopus dispensare ad idem beneficium habendum, neque pro illa vice; quamvis possit dispensare ad alia beneficia obtinenda, nisi simonia fuerit confidentialis. Probabilius Episcopus etiam impertiri potest prædictas dispensationes cum quo commissa est simonia; nam indistincte Episcopis id conceditur. *S. Lig.*, *n.* 119.

S. Pœnitent., ex Bulla *Pastor bonus* Bened. XIV, dispensare potest cum occultis simoniace ordinatis: item convalidare titulos beneficiorum cum

occulta inhabilitate obtentorum, imo partem pretii simoniaci condonare ob delinquentis paupertatem.—Si vero simonia sit publica, ad *Datariam* est recurrendum, causas impetrandi dispensationem exprimendo; v. g. majus scandalum, vel paupertatem ex beneficii dimissione, etc. (*Scavini, n.* 146.)

496. Q. *An sit restituenda res spiritualis simoniace acquisita?*

R. I. Affirma quoad beneficia; nam in pœnam delicti obstant jura, quominus recipiens aut pretium, aut beneficium, acquirere possit dominium rei sic acceptæ. Et cum irrita sit beneficii adeptio, eo ipso restituendi quoque sunt fructus ejusdem una cum beneficii dimissione, detractis tamen laborum, ac functionum stipendiis, aliisque bona fide jam consumptis, sive occultum, sive publicum sit crimen. (*Ita communis, et certa DD. sententia, cum D. Lig., n.* 113).

Prædicta restitutio obligat tam si simonia sit patrata a beneficiario, quam ab alio, ipso beneficiario sciente, et non contradicente; vel contradicente quidem, sed tamen beneficium acceptante cum notitia simoniæ intercedentis, non obstante sua protestatione; cum enim nec bonam fidem habeat, nec titulum, fructus percipere, vel retinere nequit. Et tunc non solum existentes, sed etiam consumptos, imo et eos, qui a legitimo possessore percipi potuissent, ut communiter de posessore malæ fidei dicitur, restituere debet. Non tamen restituere tenetur stolæ fructus, aliarumque parochialium functionum; etenim isti non recipiuntur ceu beneficii redditus, sed ut officii stipendia. Quod si per triennium bona fide in pacifica beneficii possesione perstiterit, deinde ratione præscriptionis neque fructus, neque beneficium restituere obstringitur. (*Ita Ballerini, Rigantius ad Reg.* 36, *Cancell., n.* 232, *cum aliis plurimis* contra *alios*).

Aliqui eadem lege ac beneficia comprehendi etiam censuerunt pensiones tum *simpliciter spirituales*, quæ dantur ob spirituale ministerium, tum etiam *mixtas*, quæ ex romanæ Curiæ stilo, neque vendi, neque redimi sine Apostolica dispensatione possunt. Verumtamen cum jura non loquantur nisi de beneficiis, in materia pœnali ac odiosa, ad aliud non sunt extendenda. (*Ita Schmalzgr., n.* 283, *Less. n.* 68, *Ballerini, Gury, n.* 295).

Q. *Quid si aliquid simoniace perceptum sit in aliis rebus spiritualibus?*

R. I. Si justitiam quis ita lædit, abs dubio pretium est restituendum ante omnem judicis sententiam; ex justitiæ enim commutativæ læsione oritur obligatio. Hinc restituere tenetur 1.° qui pretium accepit pro re mere spirituali, quæ nullum temporale commodum affert; nullum siquidem est pretium rei, quæ pretio non æstimatur; ideoque injustum est ex ea illud accipere;—2.° qui pretium accipit pro re spirituali, etsi commodum temporale afferat, quam tamen quis, v. g. parochus, ex officio, et justitia præstare tenetur; — 3.° superior qui vendit ecclesiastica beneficia, vel officia, quorum collatio vi muneris sui ad ipsum spectat: cum ex officio gratis ea conferre debeat; pretium pro eo accipiens, contra justitiam agit. (*Vide Schmalzgr., l.* 5, *t.* 3, *n.* 293 *et* 295).

II. Si justitiam quis ita non lædit, restituere non adstringitur ante judicis sententiam, excepta materia beneficiali; modo pretium non excedat æstimationem commodi temporalis, quod cum re spirituali in alterum transfertur, et quod pro sustentatione exigi poterat; nam alia restitui non possunt, ut sacramenta; vel non debent nisi post latam sententiam, ut pro admissione ad religionem, si admissus in monasterio maneat; interim pro communitatis alimentatione acceptum retineri potest: alia jure naturali valide

transferri queunt, etsi simoniace contracta, uti reliquiæ; cum ad id non requiratur nisi potestas transferendi in uno, et acquirendi in altero; ergo valet etiam jure humano; cum ab hoc irritæ fere solæ beneficiales provisiones simoniacæ decernantur. *(Ita Suar., Gury., n.* 295*, S. Lig. n.* 114*, Schmalzgr., n.* 284).

Hinc simoniæ reus erit, sed restituere ante judicis sententiam non tenetur, 1.° qui vendit temporale ecclesiæ officium, uti œconomi, custodis, etc.; — 2.° qui, pretio valorem materiæ non excedente, vendit oleum sacrum, chrisma, sacras reliquias, aliaque benedicta; — 3.° qui pecuniam recipit pro admissione alicujus in religionem; —4.° qui contra specialem prohibitionem, titulo tamen stipendii ad sustentationem, pecuniam pro functione spirituali accipit;—5.° qui stipendium alioqui lege non vetitum accipit tanquam fucntionis spiritualis pretium; —6.° qui beneficium suum alteri vendit, non quidem ejus dominium, sed rei beneficiariæ commodum in alterum transferens, in quo etsi simoniam committat, non tamen contra justitiam peccat, *ut ait Schmalzgr., l.* 5*, tit.* 3, *n.* 287 *et* 291.

497. Q. *Cui est restituendum simoniacum pretium?*

R. I. Si tantum est datum pretium, communiter jure naturæ danti est restituendum, nisi aliter decreverit judex: porro deest titulus retinendi, cum non præstetur id pro quo est datum, et jura solum contra realem simoniam pœnas statuunt. *S. Lig., n.* 114.

II. Si utrinque secuta est traditio, distingui oportet; vel agitur de re beneficiali, vel non: si 1.m ante sententiam, quæ pretium ecclesiæ, aut pauperibus restituendum præcipiat, posse hoc illi reddi, qui rem dedit, tenent *Reiff., l.* 5*, tit,* 3, *n.* 296, *Ballerini, n.* 295, *Less., Sanch., cum pluribus aliis theologis et canonistis.* Neque obstat allegatum *C. de hoc;* ut enim advertit *Schmalzgr., n.* 304, *hoc unum ex illo infertur, acceptam pecuniam sine gravi salutis periculo retineri non posse.* Ratio; quia cum recipiens jure positivo incapax fuerit illud acquirendi, dominium remansit apud dominum.

Item potest reddi ecclesiæ beneficii, modo commodum ex hoc non recipiat, qui simoniam commisit. *S. Thom.* 2. 2, *q.* 100, *art.* 6, *Salm., S. Antonin., Suar., aliique;* et hoc in pœnam irreverentiæ ecclesiæ irrogatæ in venditione rerum suarum; vel si superior velit dari pauperibus, *ex D. Thom.*, 2, *q.* 32, *a.* 7, aut etiam successori in beneficio; imo etiam obtineri potest compositio a Papa. (*Scavini, n.* 146, *Salm.,* 32 , *aliique*). Idem dicunt de fructibus beneficii per simoniam acquisitis.

Si 2.m, quoad pretium pro alia re spirituali acceptum, superest ut danti restituatur; cum enim aliter statutum non reperiatur, *per se, et lege,* restitutio læso est facienda; hic est qui pretium dedit; ergo... Si vero hic illud remittat, tunc accipiens id retinere poterit usquedum in pœnam criminis ecclesiæ, vel pauperibus idem erogari per judicem jubeatur. *Ita Gury, Ballerini, Schmalzgr., n.* 297, 298, 301, contra *alios,* qui id omne confundunt.

CAPUT VI.

De tentatione Dei.

498. **Tentatio Dei** definitur: *Dictum, vel factum, quo quis temere explorat, an Deus sit potens, sapiens, misericors, aut alia perfectione prœditus.* (V. D. Thomam, 2. 2, q. 97, a. 1).

Duplex distinguitur: *explicita*, et *implicita*, 1.ª est *quando quis expresse dubitans de aliqua Dei perfectione, vel ex curiositate, aut imprudenti fiducia, quidquam facit animo eam explorandi;* v. gr. miraculum a Deo petit, vel ex alta turri se dejicit, experturus an Deus sit potens. —2.ª vero est *quando quis expresse quidem non intendit experimentum de Deo suscipere; petit tamen, vel facit quod ex natura sua non potest alium in finem referri;* ut si quis, sine divino instinctu, media ordinaria negligat, v. gr. in periculoso morbo medicinam respuat, sanitatem a Deo expectans.

Ex duplici vitio ortum habet Dei tentatio; nempe, ex *infidelitate,* et est *stricte talis;* vel ex *prœsumptione,* et dicitur *minus stricte talis.* Prima ad explicitam refunditur; secunda vero ad implicitam.

Q. *Quale peccatum est Dei tentatio?*

R. I. Certum est explicitam Dei tentationem ex genere suo esse peccatum mortale, tum contra *fidem;* siquidem deliberatam dubitationem de perfectionibus Dei includit; tum contra *religionem*, ratione *explorationis*, vel curiosius agendi cum Deo; nisi cuipiam non satis proposita sit fides, et ad explorandam veritatem, signum a Deo petat, ut ait *Suarez.*

II. Quæstio est quoad *implicitam.* Alii cum *Busemb., Cajet., Valent., Ballerini, Lessio,* docent dari parvitatem materiæ, ut si quis in re levi, et sine gravis damni periculo Deum tentaret ex sola curiositate, spectando aliquod opus supernaturale. Alii probabilius cum *Sanch., Suar., Salm.*, et *S. Ligor.,* ratione sui de mortali eam damnant; nam gravis irreverentia est velle, ut Deus potentiam suam ostendat ad satisfaciendum hominis curiositati. *(S. Lig., l. III, n.* 30).

Tamen *S. Ligor., cum Sanch., Suar., aliisque* sustinet contra *Salmant.* veniale tantum esse ex se medicinam rejicere, modo absit periculum mortis, sperans a Deo sanitatem, quin miraculum quis petat; *et aliquando ego puto*, ait Sanctus, *etiam ab omni culpa vacare*, si naturaliter sperat sine remediis, Deo adjuvante, a tali morbo liberari, dum sæpe in hujusmodi morbis natura ipsa salutem operatur. Leviter saltem peccare eum, qui sine necessitate imparatus ex negligentia ad prædicandum accedit, tenent *Varceno, Suar., Sanch., Less., Laym.*, sperans a Deo speciale auxilium.

Specie differre *explicitam* ab *implicita* etiam videtur cum *Suarez, Bon.*, et *Ballerini;* nam prima oritur ab infidelitate, vel dubitatione; secunda vero a præsumptione, vel levitate, aut nimia fiducia: in prima duplex malitia adest, uti modo diximus; in secunda una tantum, nempe, irreverentiæ, seu irreligiositatis. *Probabilius* specie differre expressam Dei tentationem ab interpretativa *negant Salm., n.* 11, ait *S. Lig., n.* 32.

499. Q. *An liceat miraculum petere a Deo?*

R. Licet sub conditione, *si ei placuerit,* quoties adest causa gravis ad nostram, aut aliorum salutem, aut Ecclesiæ bonum, vel ad divinam implendam voluntatem; nam tunc non est tentare Deum, sed postulare Dei auxilium in tempore opportuno. Sic Deus per Prophetam dixit Achaz: *Pete tibi signum a Domino Deo tuo.* (Isai. VII). Et Elias proposuit miraculum ad verum Deum cognoscendum. (*III Reg.* XVIII).

Peccaret tamen qui absolute miraculum peteret, vel offerret ad peccatorum conversionem extra casum inspirationis; satis abunde sufficiunt fidei nostræ testimonia, et ordinaria auxilia. *(Scavini, n.* 119).

500. Q. *An liceat se martyrio sponte offerre?*

R. Affirma, si adsit debita sustinentia ad passiones tolerandas, et gravis causa, v. gr. ad vitandas blasphemias; ad procurandam Dei, et fidei gloriam; ad eliminandum in proximo incredulitatis periculum; cum hoc sit maximæ charitatis. Secus graviter peccat id agens, nisi bona fides ipsum excuset, vel divina inspiratio, ut in compluribus Sanctis contigit; cum nemo vitæ suæ sit dominus. Spontaneam oblationem expresse vetuit antiqua Ecclesiæ disciplina; id unum permittebat illis, qui Christum pro tribunali abnegassent, ut ibidem Christum confiterentur. Ita sentit *D. Thom.*, 2. 2, *q.* 124, *a.* 1. *ad* 3).

Hinc resolves: 1.° peccare eum, qui in puteum, vel in aliud periculum se conjicit ad experiendam Dei providentiam;—2.° qui gravi periculo temere se exponit, in divino auxilio imprudenter confidens, dupliciter peccat, scilicet contra virtutem religionis, et contra quintum Decalogi præceptum.—3.° Item peccatum est crimina inquirere per tactum ignis, ut olim fiebat; adest enim species divinationis, ac simul Dei tentationis.

PARS QUARTA.

DE SPEI, ET CHARITATIS ACTIBUS.

CAPUT I.

De spe.

501. **Spes definitur:** *Virtus theologica, per quam certa cum fiducia æternam beatitudinem, et media illius consequendæ a Deo expectamus.*

Divisio: est *actualis*, *habitualis*, *viva*, et *mortua*. 1.° Spes actualis est, *quæ actus elicit, quibus æternam beatitudinem expectamus:*—2.° Habitualis est *habitus nobis a Deo infusus actuum spei elicitivus cum gratiæ actualis auxilio,* quæ perdurat quamdiu per vitium desperationis, vel præsumptionis non expellitur:—3.° Viva, *quæ in subjecto est conjuncta cum gratia sanctificante:*—4.° Mortua, *quæ hac gratia caret.*

Objectum spei duplex est: *materiale*, et *formale.*

Materiale subdividitur in *primarium*, et *secundarium*. Primarium est *quod sperare debemus*, scilicet, Deus ipse, juxta illud: *Ego... merces tua magna nimis.* (Gen. XV). Secundarium vero sunt *omnia divinæ gratiæ auxilia simul cum operibus nostris ad Deum possidendum*, juxta illud Apostoli: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona justitiæ.* (II Tim. IV).

— Objectum autem *formale* spei, seu motivum propter quod sperare tenemur, est *omnipotentia*, et *Dei misericordia una cum ejus promissione*, et *fidelitate*. Omnipotentia erigit nos, misericordia adjuvat. Promissio allicit, et fidelitas efficit, ut ipsis motivis cum fiducia æternam salutem, ejusque media expectemus. *Ita S. Lig., n.* 21.

502. *An spes theologica sit certa, et necessaria?*

R. I. Affirma quoad infallibilem Dei promissionem, juxta illud: *Scitote quia nullus speravit in Domino, et confusus est.* (Eccli., II). Nega vero in sensu hæreticorum, quatenus ex parte nostra excludatur omnis timor salutaris, clamante Apostolo: *Cum metu et tremore vestram salutem operamini.* (Philip. II). Hinc Tridentinum: «Si quis dixerit, hominem a peccatis absolvi, ac justificari ex eo quod se absolvi, ac justificari certo credat; aut neminem vere esse justificatum, nisi qui credat se esse justificatum, et hac sola fide absolutionem, et justificationem perfici; anathema sit.» (Sess. 6, c. 14).

II. Item, est necessaria adultis tum necessitate *medii*, tum *præcepti*. 1.° Necessitate medii, juxta illud: *Spe enim salvi facti sumus.* (Rom. VIII). Ratio, quia homo ad finem ultimum pervenire nequit, nisi actibus propriis una cum superna gratia, ad quam obtinendam necessaria est spes. *Qui enim hæsitat... Non... æstimet homo ille quod accipiat aliquid a Domino.* (Jacob. I). Et Tridentinum inter cætera ait de peccatoribus: Ut spe erigantur fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore. (Sess. 6, c. 16).

2.° *Necessitate præcepti.* Constat: 1.° Ex Apostolo: *Divitibus hujus sæculi præcipe... neque sperare in incerto,... sed in Deo vivo.* (I Tim. VI); 2.° ex prop. ab Alexandro VII damnata, quæ est: *Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei, et charitatis, ex vi præceptorum divinorum.*

503. Q. *Quandonam urget hoc præceptum?*

R. Non potest positive designari: quod dictum est de fide, et dicetur de charitate, n. 513, idem hic tene. Tamen cum ad hoc præceptum implendum generatim sufficiat spes virtualis, et hæc passim a christianis exerceatur in piis actibus, hinc vix fidelis aliquis huic obligationi deest; et qui desunt, cum fere sine advertentia id faciant, res eodem modo recidit. *(Ballerini, n.* 212, *S. Lig., n.* 7).

504. **Subjectum spei est**: —1.° Omnis justus viator, prout Innocentius XI definivit contra semiquietistas. — 2.° Omnis catholicus peccator; nam non quodlibet peccatum, sed tantum desperatio, præsumptio, vel incredulitas spei opponuntur. — 3.° Omnis anima in purgatorio detenta; siquidem beatitudo est eis certa, sed absens, et ardua obtentu.

Non sunt 1.° beati; rationem quippe formalem veræ spei jam possident;—2.° neque damnati; nam *mortuo homine impio, nulla erit ultra spes* (Prov. XI); — 3.° nec hæretici; fidem enim non habent, quæ est spei fundamentum. Sua spes est nonnisi naturalis, et vana. *(Scavini, n.* 845).—Spei opponuntur præsumptio, et desperatio.

505. **Præsumptio** est *temeraria beatitudinis, vel mediorum ad eam assequendam expectatio.* Causæ præsumptionis sunt superbia, inanis gloria, et ignorantia.—Tripliciter præsumptione graviter delinqui potest: 1.° Si salus obtinenda spectetur propriis viribus, ut volunt *Pelagiani*, quod ab inani gloria oritur.—2.° Si illa a Deo spectetur sine ulla cooperatione nostra, ut tenent *Novatores*, in divina satisfactione, et misericordia temere confisi, quod in superbia vitæ fundatur.—3.° Si quis confidit ob sua benefacta Deum sibi propitium fore, etsi interim emendari nolit, quod oritur ex ignorantia.

Præsumptionis remedia sunt: 1.° Ostendere spem sine timore, non esse theologicam spem, sed præsumptionis vitium. *Initium sapientiæ timor Domini.* (Ps. cx).—2.° Sanctum hunc timorem valde commendari juxta illud: *Timete Dominum omnes sancti ejus.* (Ps. xxxiii).—3.° Carentiam hujus timoris esse periculosissimam; de peccato quidem ad peccatum trahit; præsumptuoso suadere oportet frequentem meditationem super novissimis, et spiritualem lectionem.

Q. *An præsumptio sit peccatum grave?*

R. Ex genere suo utique grave est non secus ac desperatio; opponitur quippe charitati Dei, quem socordem facit; item charitati propriæ, omittens salutis media necessaria: imo cum ipsa hæresi conjungitur, si ortum habet ex falso judicio contra fidem, ut si quis salvari posse solis operibus naturalibus præsumeret, vel sola fide sine operibus.—Potest tamen dari materiæ parvitas in præsumptione.

506. Q. *An sit contra spem terrena magis amare quam cœlestia, v. gr. cupere perpetuo in hac vita degere?*

R. Affirma; nam est sistere in vita temporali, ut in ultimo fine.—Non est tamen per se contra spem ex tædio mortem exoptare, cum non sit ab ultimo fine recedere: et generatim veniale non excedit, nisi adsit rebellio expressa contra Providentiæ ordinem; sane non sibi ut malum desideratur, sed uti medium malum finiendi. *(Gury, Scavini, n.* 938, *S. Lig., n.* 21).

Q. *Quid de illo, qui in peccato perseverare vult usque ad mortem, sperans fore, ut in illo puncto se pœniteat?*

R. Licet hic difficulter a gravi peccato contra propriam charitatem excusari possit, cum evidenti periculo damnationis se exponat, imo et contra Deum, cujus amicitiam floccifacit; tamen contra spem non peccat, nisi spes sit motivum influens in ipsum peccatum. *Peccare autem sub spe veniæ*, ait Angelicus, *quandoque percipiendæ, cum proposito abstinendi a peccato, et pœnitendo de peccato, hoc non est præsumptionis; sed hoc peccatum diminuit, quia per hoc videtur habere voluntatem minus firmatam ad peccandum.* (2. 2, q. 21, a. 2). *Bon., Spor., S. Ligor., n.* 21.

Q. *An sit præsumptio pluries idem peccatum committere, quia tam facile pluries quam semel commissum accusatur, ac remittitur?*

R. Nega, si non delinquitur ex facilitate veniæ obtinendæ, sed ex minori difficultate confitendi, quamvis sit dispositio valde Deo injuriosa.—Affirma vero, si quis peccat, ex eo quod tam facile remittuntur plura peccata quam unum; tunc spes esset quidem motivum influens in peccatum ipsum. *(Gury, n.* 214, *Scavini,* 938, *S. Lig., n.* 21).

507. Desperatio est *voluntaria diffidentia assequendi veniam, bea-*

titudinem, *vel media necessaria ad illam*, juxta illud Cain: *Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear.* (Gen. IV).

Desperatio est peccatum grave ex genere suo, sed periculosius, et pejus præsumptione; quippe sublata spe, homines præcipites ruunt.— Præsumptio etsi mala, adhuc relinquit animi robur ad operandum, aliquam rerum spiritualium æstimationem; at desperatio, ex adverso, omnia contemnit, et odit; et sic magis Dei benignitati adversatur, quoniam *magis proprium est Dei misereri, et parcere, quam punire*, ait Angelicus. Hinc grave est desperare consequi Deum, aut salutem, et veniam peccatorum, aut media ad illam; quod peccatum ratione sui veniale esse nequit, cum Dei misericordiæ injuriosum sit. *S. Thom. Q.* 20, *art.* 3, *S. Lig. n.* 31.

In dubio de consensu, videndum est, an ideo solita pietatis opera sint omissa, vel non. Si 1.^m^, consensum esse censetur; secus, si 2.^m^ (*Scavini, n.* 848).—Sunt animæ devotæ hujusmodi tentationibus exagitatæ, quæ timorem salutis cum desperatione confundunt; confessarius non facile credat, eas graviter peccasse, sed ipsas in humilitate, et spe confirmet.

Causæ desperationis sunt: 1.° *Luxuria;* nam luxuriosus bona spiritualia fastidit, et ob pravos habitus se emendare desperat.—2.° *Acedia;* acediosus enim falso judicat mandata Dei se observare non posse.—3.° *Melancholia*, quæ avertit a fiducia gaudii.—4.° *Scrupuli*, quibus anima dejicitur, et emendari, sancteque vivere desperat.—5.° *Diabolica tentatio*, quæ de venia desperari curat.

Remedia desperationis. Videat confessarius ex quo illa proveniat; auferat causas, et cessabunt effectus. Recole quæ remedia dedimus pro acediosis, si ex laxitate ortum habeat; et pro scrupulosis, si ex nimio timore, et ea hic adhibe; neque recordare omittas quod fecit Jesus cum magnis peccatoribus, parabolam *filii prodigi*, 100 *ovium*, *dracmæ perditæ, et inventæ*, etc. *Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos,... et invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est, et onus meum leve,* ait Christus. (*Matth.* XI).

Tamen alio modo dirigendi sunt, qui ex malitia, vel ex peccatorum pondere in desperationen demersi sunt; alio vero qui ex pusillanimitate, vel diabolica tentatione ad eam impelluntur. Cum magna prudentia, et patientia juxta ingeniorum diversitatem ad spem erigi debent omnes. (*Gury, n.* 216).

CAPUT II.

De charitate.

508. **Charitas definitur:** *Virtus theologica, qua Deum super omnia diligimus propter se, et proximum sicut nosmetipsos, propter Deum.*—Diligere Deum super omnia, et propter se est eum diligere ut bonum infinitum, ideoque ut principium, et fontem omnium bonorum, et ut bonum nostrum, ut mercedem nostram, ut beatitudinem nostram, uti explicat *Perrone,* et

etiam *D. Augustinus, Serm.* 91, *n.* 3, etc.—Super omnia bona, non quidem *intensive,* sed *appretiative.* Nos, et proximum propter Deum. *Sunt duo isti amores... duo annuli, sed catena una; duæ actiones, sed una virtus,* ait Greg. M., *Moral., l.* 7, *c.* 10, et D. Thom., quippe unum est motivum, scilicet propter Deum.

Divisio. Charitas est: I. *Habitualis, et actualis.* 1.ª est *habitus divinitus infusus actuum charitatis, permanenter habilitans ad actus ipsos eliciendos.*— 2.ª *vero est actus ipse amoris erga Deum, vel erga proximum.*

II. *Appretiativa, et intensiva.* Prior est, *qua Deus omnibus creaturis præfertur.*—Posterior vero est, *qua voluntatis vehementia, et cordis conatu Deus super omnia diligitur.*

III. *Affectiva,* et *effectiva,* prout *in corde tantum sistit;* vel *etiam in opera erumpit.* Additur erga *Deum,* et erga *proximum,* ut supra.

509. **Objectum charitatis** duplex est: *materiale,* et *formale.* 1.º Objectum *materiale primarium* est Deus; *secundarium* vero nos, et proximus, indirecte autem sunt omnia, quæ divinam augent gloriam.—2.º Objectum *formale* est infinita bonitas, ut radix, et aggregatio omnium perfectionum juxta veriorem, et securam doctrinam; quod valet etiam de contritione; quippe una est Dei charitas.

Q. *An liceat Deum amare etiam amore concupiscentiæ?*

R. I. Ut clarius res appareat, distinguere oportet amorem *benevolentiæ, et amicitiæ,* ab amore *concupiscentiæ.* 1.ˢ est, *quo quis proprium amati bonum respicit.*—2.ˢ vero est *amor benevolentiæ mutuus.*— 3.ˢ est, *quo quis intendit primario bonum amantis proprium.*

II. *Michaël Molinos,* hispanus, sæculo XVII inter ceteros errores hunc docuit, quod nempe qui Deum diligit, non debet unquam secum ipse cogitare neque de præmio, neque de punitione, neque ullum habere propriæ salutis desiderium, sed totum se divinæ soli voluntati relinquere, ac conformare. Hoc systema *Quietismi* nomine solet nuncupari.—Exortus est deinde *Franciscus de Fenelon* in Gallia, et tradidit, quod ut charitas sit perfecta, nullam involvere possit admixtionem motivi proprii interesse. Cum doctrina hæc ad *Quietismum* accederet, dicta est idcirco *Semiquietismus.* His positis:

III. *Quietismus,* et *Semiquietismus* SS. Scripturis opponuntur: *Quærite... primum regnum Dei,* ait Christus J.: itemque Ipse nos docet orare Patrem suum: *Adveniat regnum tuum.* Math. VI.—*Propter retributionem.* Ps. CXVIII. Apposite ergo Trid., sess. 6 de justif., c. 31: *Si quis dixerit, justificatum peccare, dum intuitu mercedis bene operatur; anathema sit.*

IV. Res clarior evadet, si consideremus quod charitas communi sensu definitur: *Virtus a Deo infusa, qua diligimus Deum propter se, et super omnia, cetera autem propter ipsum Deum.* Ergo charitas, etiam perfecta, non excludit amorem ceterorum, et præsertim beatitudinis nostræ, dummodo hæc in ipsum Deum refundatur, et ab eo minime distinguatur. Debet enim charitas ita ordinari, ut amor benevolentiæ sit primarius, et concupiscentiæ sit secundarius; quatenus nempe hoc ipso, quod Deum amamus uti perfectissimum, bonum atque beatum in se, necessario trahamur ad eum simul amandum uti fontem nostræ quoque beatitudinis, quæ est Dei ipsius visio beatifica.—Amor enim concupiscentiæ separatus ad spem tantum pertinet. Diligere Deum propter beneficia non est actus charitatis, sed gratitudinis. *Scavini, S. Lig., n.* 24.

Q. *An desiderium fruendi Deo sit actus charitatis?*

R. Affirma, si tendat ad Deo fruendum ob gloriam ipsius Dei, et perfectissimæ charitatis; nam fruitio est charitas consummata; diligitur equidem bonitas dispensantis.

510. Q. *An charitas in hac vita possit augeri, minui, ac destrui?*

R. I. *Potest augeri sine termino;* definitum est in *Conc. Vien., an.* 1311 *contra Beguardos et Beguinos.* At charitas non augetur *extensive*, sed *intensive;* non per additionem charitatis ad charitatem, quod esset multiplicari; sed per majorem radicationem, et actuationem in subjecto. *(Billuart).*

II. *Charitas potest minui*, non solum actualis, sed etiam habitualis indirecte per venialia, quatenus per ea ejus fervor minuitur; at non directe; nam vel minima charitas attingit omnia charitate diligenda. *(S. Thom.*, 2. 2, *q.* 24, *a.* 10).

III. *Charitas potest amitti.* Est contra Jovinianum, Beguardos, Beguinos, et Calvinum damnatum in Trident. his verbis: *Si quis hominem semel justificatum dixerit, amplius peccare non posse,... anathema sit.* (Sess. VI, c. 23). Sane, quilibet peccare potest; per peccatum mors gratiæ in animam intrat; ergo...

Q. *An dentur signa charitatis Dei in anima immanentis?*

R. Affirma, et sunt ex S. Laurentio Justiniano: 1.° *Libenter de Deo cogitare :* qui aliquem diligit, illius frequenter reminiscitur. — 2.° *Libenter pro Deo dare:* amor enim nescit esse vacuus. — 3.° *Libenter pro Deo pati. Fortis est ut mors dilectio.* (Cant. VIII).

Q. *Quænam est indoles charitatis?*

R. Est ut sit 1.° *Supernaturalis*, a divina gratia proficiscens. —2.° *Interna;* secus esset fictio.—3.° *Universalis, et appretiative summa*, ut Deum semper in omnibus præferamus.—4.° *Efficax* juxta illud: *Si diligitis me, mandata mea servate.* (Joan. XIV). Gravissimum omnium peccatum est, si quis Deum formaliter odio inimicitiæ oderit; v. g. si optes Deum non esse, scientiam non habere, potentiam, etc. *S. Lig., n.* 24.

511. **Effectus charitatis** sunt sequentes: 1.° Hominem justificat; nam *charitas operit multitudinem peccatorum.* (I Petri, IV).—2.° Omnes virtutes perficit: *Charitatem habete, quod est vinculum perfectionis.* (Colos. III).—3.° Veram amicitiam inter Deum, et homines constituit: *Qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum... Jam non dicam vos servos:... Vos autem dixi amicos.* (Joan. XV). — 4.° Unionem hominis cum Deo facit: *Qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo* (I Joan. IV): prout in sole manet, qui in lumine ipsius est.

Proprietates charitatis duæ præcipue sunt, scilicet: *excellentia, et necessitas.* Charitas est omnium virtutum præstantissima; siquidem Deum modo præstantissimo attingit: *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc: major autem horum est charitas.* (I Cor. XIII).

CAPUT III.

De necessitate charitatis.

512. Charitas est necessaria necessitate *medii* omnibus, ac necessitate etiam *præcepti* adultis. I. Necessitate *medii* est necessaria charitas *habitualis;* cum absque ejus infusione non remittatur peccatum, nec possideatur gratia sanctificans, sine qua salus æterna obtineri nequit.

II. Charitas *actualis* est necessaria necessitate *præcepti* omnibus adultis; patet tum ex lege naturali, tum ex divina positiva: *Diliges Dominum Deum tuum in toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua. Hoc est maximum, et primum mandatum.* (Matth. XXII). Tamen non *intensive,* sed *appretiative* Deus a nobis est diligendus; intensio charitatis non est quidem proprietas substantialis amoris, sed accidentalis, et variabilis: si hæc necessaria esset, sequeretur, quod contritio, quæ hodie sufficit ad remissionem peccatorum, cras forte non sufficeret, si intensius de matris meæ morte doleam. *(Ballerini).* Unde mortaliter peccat, qui amat Deum amore appretiative minori, quam creaturas; aut non principaliter propter se, tanquam finem ultimum, sed tantum propter aliud; v. g. ad evitandum infernum. *S. Lig., n.* 24. Et modus diligendi Deum, ut ait *S. Thomas* ex *D. Augustino,* est eum diligere quantum possumus.

513. Q. *Quando sub gravi obligat charitatis præceptum erga Deum?*

R. Obligat *per se,* et *per accidens. Per se:* 1.° In usus rationis initio, seu in initio Dei infinitæ bonitatis cogitationis, ne differatur notabiliter, puta ultra annum; nam tota vita Deo servire amore filiali tenemur; id videtur fieri non posse, nisi eliciatur actus amoris. *S. Thom., q.* 89, *art.* 6, *cum communi.*—2.° In mortis articulo, saltem si christiane non vivitur, et nullum aliud justificationis medium suppetat; secus gravis obligatio probari nequit, ut recte ait *Ballerini, n.* 219; revera jam per amorem erga Deum est conjunctus bonus christianus.—3.° Sæpius in vita. Alii cum *Salm., n.* 12, *Trull., Hurt., Mendo,* censent semel saltem in anno; alii cum *Card., Croix,* in mense; alii in hebdomada; sed nil certum, nec solide probatum invenimus præter quod ex hisce propositionibus damnatis ab Innoc. XI eruitur, quæ sic jacent: 1.ª *Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquennis per se obligare præceptum charitatis erga Deum.*—2.ª *Tunc solum obligat, quando tenemur justificari, et non habemus aliam viam, qua justificari possimus.* (*V. n.* 397 *de fide, ac idem dic);* nam ut ait *Croix,* veri amoris actus sunt omnia opera meritoria exercita ad finem placendi Deo; v. g. eleemosyna, modo ex fine pravo non sint facta. (V. n. 39).

Per *accidens* obligat 1.° in periculo labendi in mortale, nisi actus charitas eliciatur; nam cum alia plura sint media ad repellendas tentationes, raro eveniet hæc necessitas;—2.° cum urget præceptum contritionis, ut quis existens in mortali Eucharistiam sine confessione suscipere possit.

Suadendi sunt fideles, ut sæpe explicite actus charitatis eliciant ad majorem cum Deo conjunctionem; maxime moribundi, sed non facile

arguendi de mortali negligentes, dummodo præcepta Ecclesiæ adimpleant; quia in annua confessione, et Communione, ac in Missæ auditione, vel in aliis meritoriis operibus, ut in oratione dominica, etc., videtur sufficienter inter tot opiniones adimpletum præceptum. Etsi aliqui per totum annum, et amplius in mortali existant, ratione ignorantiæ, vel inadvertentiæ etiam a gravi, ut plurimum, excusari videntur; quod colliget confessarius ex confitendi modo pœnitentis, quin de hoc eum interroget: aliunde confitendo tempus, et alia gravia, jam implicite hanc omissionem pœnitentes confitentur.

CAPUT IV.

De charitate erga se, et proximum.

514. **Se ipsum diligere tenetur homo**; tum ratione imaginis Dei, tum ratione ordinis, et legis naturalis, ac regulæ charitatis proximi, juxta illud: *Diliges proximum tuum tanquam teipsum* (Marc. XII); adeo ut mortaliter peccet contra propriam charitatem, qui suam spiritualem salutem, vel corporalem sine gravi causa graviter negligit; quamvis confitendo peccatum, quo læsa est charitas, jam satis declaretur hæc læsio. Potest tamen homo vires concupiscentiæ penitentiis minuere, ut corpus suum redigat ad Dei, et animæ servitium. Hinc: *Qui... diligit iniquitatem, odit animam suam.* (Ps. X). Hoc modo Sancti oderunt corpus suum, ut sanctitatem diligerent. (V. n. 863).

Q. *An sit contra charitatem sibi mortem optare?*

R. I. Ex se mortale esse docent omnes. Tamen excipiunt si fiat, ut eruamur ex tot peccandi periculis, vel ut non videamus mala Sanctorum, seu ex desiderio æternæ felicitatis; cum ita *mori lucrum* sit. Hinc Apost.: *Desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo.* (Philip. I). Sic Elias petivit animæ suæ, ut moreretur, ad vitandas Jezabelis insidias. *(III Reg.* XIX). Sic Pius IX, Encyc. *Etsi*, 21 nov. 1873, ob tot ærumnas, quibus Ecclesia catholica afficitur, exclamare non dubitavit: *Modo res eo devenit, ut mors ipsa vitæ tot fluctibus agitatæ præstare videatur.*

II. Si vero id fiat ad vitanda gravia mala; v. g. internam aflictionem, vitam nimis duram ob infirmitatem, indigentiam, viri sævitiam, etc., non improbabiliter etiam negant alii cum *Sanch., Suarez, Scavini, S. Lig., l.* 5, *n.* 22, contra *Salm., n.* 46, *et alios;* ut si quis vitam experiatur morte amariorem, ex illo: *Melior est mors quam vita amara.* (Eccli. XXX).— De peccato mortali damnat *Diana ex se* mulierculas, quæ ob minimas molestias mortem optant, nisi excusentur defectu advertentiæ, et deliberationis.—Non liceret puellæ ex culpa gravidæ abortum desiderare, ne infametur; est quidem intrinsece malum innocentis mortem optare; neque avaro, aut ambitioso ob suam spem frustratam, et tædium vitæ inde oriens mortem sibi, vel aliis optare fas est; neque ex hoc licet media conservationis negligere. (*Stapf., Scavini, n.* 859 *et* 942). Per se loquendo potest quis seipsum privare bonis spiritualibus ad salutem non necessariis ob

bonum proximi spirituale, vel corporale; v. g. omittere religionem ingredi ad suos alendos parentes, vel filios. Item ob spiritualem proximi salutem se exponere probabiliter peccandi periculo; nam cum adest gravis causa, illud non judicatur voluntarie susceptum. Imo ad id teneri communiter dicunt, qui de suo periculo dubitat, dum proximi periculum e contrario est certum, v. g. baptizare infantem sine baptismo moriturum, cum accedere quis non possit, absque subversionis periculo. *Azor.*, *Pal.*, *S. Lig.*, *n.* 26. Nunquam autem licet ob quamcumque causam etiam venialiter peccare; nam talis vellet sibi malum spirituale. *Laym.*, *S. Lig.* (V. n. 520).

515. **Omnes beatitudinis capaces diligere tenemur**, juxta illud: *Diliges proximum tuum, sicut teipsum.* (I. Matth XXII). *Mandatum novum do vobis: ut diligatis invicem.* (Joan. XIII). Non ad *æqualitatem*, sed in *similitudinem:* et norma sumenda est ab ordinis, et necessitatis ratione.— Hic amor *benevolentiæ* esse debet *internus*, ac *formalis. Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere et veritate.* (I Joan. III). Hinc Innoc. XI hanc 10 damnavit prop.: *Non tenemur proximum diligere actu interno et formali.*—Excluduntur æterne damnati; esset enim contra Dei justitiam eos diligere amore benevolentiæ; cum eis nec Deus in æternum quidem benevolus erit.

Q. *Quid requiritur ut charitas nostra erga proximum sit legitima?*

R. 1.° Ut sit *sancta* ratione *finis*, et *motivi*, nempe, propter Deum, et in ordine ad Deum; vel ut sit in Deo, et cum Deo.—2.° Ut sit *justa* ex suo objecto; id est, *ut nemo proximo indulgeat in aliquo malo, sed in bonis,* ut ait *D. Thomas;* secus esset odio habere.—3.° Ut sit *vera* ex suo principio; scilicet, ut nemo proximum diligat ob propriam utilitatem, quia est sibi benevolus, affabilis, lepidus, consanguineus, sympathicus; hoc esset seipsum quærere, et amare; vel proximum amare amore carnali, et non propter Deum. Hæc generalis regula pro *affirmativa* parte est, *ut faciamus aliis, quæ nobis fieri volumus;* pro *negativa vero, ut nemini faciamus, quæ nolumus nobis fieri.*

Q. *Quandonam obligat præceptum dilectionis proximi?*

R. Per se ad satisfaciendum præcepto sufficit amor generalis, qui neminem excludat, ac omnes complectatur, ut docet *S. Thom.* 2. 2, *q.* 25, *a.* 8. Atque adeo extra necessitatis casum ad id sufficit oratio, quæ pro omnibus fit, recitando dominicalem orationem, in qua et internum, et externum actum habes. *(Ballerini).*

CAPUT V.

De dilectione inimicorum.

516. **Præceptum charitatis extenditur etiam ad inimicos.** Constat ex Matth. V et VI: *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos: et orate pro persequentibus, et calumniantibus vos.—Si autem non dimiseritis hominibus; nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.*—Hinc S. Augustinus: *Dominus in Evangelio, ut inimicos*

diligere debeamus, non dedit consilium, sed præceptum. Et sane inimici sunt adhuc proximi nostri beatitudinis capaces. Imo amor inimicorum est de lege naturali. *Non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum*. (Levit. XIX). *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum*. (Prov. XXV).

Hoc præceptum, quatenus *negativum non odio habendi*, obligat *semper*, et *pro semper;* quatenus *affirmativum benefaciendi*, obligat ratione necessitatis proximi. Tamen inimicos diligere, in quantum sunt inimici, perversum esset; quia hoc erit diligere malum alterius,... *debet enim nobis displicere, quod nobis inimici sunt*, ut ait *Angelicus ibidem, a*. 8. Diligere debemus inimicum sicut membrum vitiatum, nempe, detestando malum, et diligendo, ut partem corporis, membrum, in quo stat malum. *(Habert)*.

Imo ratione difficultatis dilectio est magis meritoria erga inimicum, licet ratione bonitatis excellentius sit amicum diligere; cum objectum dilectionis sit melius.

Q. *An liceat de inimico vindictam sumere?*

R. I. Nunquam licet privatam sumere vindictam, dicente Domino: *Mihi vindicta; ego retribuam*. (Rom. XII). Quamvis autem omnes teneamur inimico injuriam remittere, potest tamen quis vindictam publicam, et justam apud judicem sumere, modo accusatio non sit facta ex odio, vel pravo animo, aut principaliter in malum delinquentis; nocentes enim punire, ad bonum commune refertur. *(Ita Salm., tract.* 21, *c*. 6, *n*. 18). In praxi (ait S. Alphonsus, *l*. 2, *n*. 29, *et Hom. apost*., tr. 4, n. 17) *ego nunquam ausus sum absolvere aliquem istorum, qui dicebant, se inimicis pepercisse, sed voluisse, ut justitia suum haberet locum, animadvertendo in scelestos. Nunquam mihi suadere potui, quod hujusmodi, qui aliquando veniunt peccatis onerati, ita bonum commune, et justitiam diligant... dumtaxat in suum offensorem, ut omnis vindictæ labe sint defæcati.*

Bene tamen potest prosequi in conscientia coram judice satisfactionem injuriarum, si alias ipse, aut ejus familia, infamiam, vel aliud damnum sit passurus, vel passus sit, ut compensetur; aut ad peccantis emendationem, ad ejus cohibitionem, aliorumque quietem, ad justitiæ conservationem, Dei honorem; vel ne aliis noceat; aut ne impunita maneant crimina cum reipublicæ damno. *(Ita Scavini, n*. 865, *Antoine, S. Thom*., 2. 2, *q*. 108, *art*. 1, *D. Ligor*., *l*. 2, *n*. 29).

II. Si offensus dimittat sub conditione, ut offensor prius satisfaciat pro injuria, vel in longinquam regionem proficiscatur; aut quia habet fratres, vel filios, qui facile iracundia abripiuntur; aut quia offensor est ita ad rixas proclivis, ut nova damna timeantur, recte dicunt, ait *Scavini, n*. 865, absolvi posse offensum. Item negant *Trull., Azor., et Fil.* teneri offensum, statim postquam offensio est illata, remittere; eo quod est res violenta, et supra humanam fragilitatem. Unde spectandum est opportunum tempus; et interea sufficiet, quod offensus odium deponat, ait *S. Ligor*., *l*. 2, *n*. 29, cum *Ron*., *Maz*., *Tamb*.

517. Q. *An liceat malum inimico optare?*

R. Ut ejus malum est, nunquam licet; nam esset odium. Quatenus vero inde bonum eveniet ipsi inimico, vel ob bonum alterius spirituale, aut bonum commune regni, vel Ecclesiæ, licet; siquidem bonum est spirituale præferre temporali, commune privato. Sic licet hæresiarchæ mortem optare, vel publicæ pacis perturbatori, juxta illud : *Utinam et abscin-*

dantur qui vos conturbant. (Galat. v)—Item licet tristari, quod dignitates indignis conferantur; egestatem, morbum, vel mortem alicui desiderare, ut a vexationibus, et peccatis cesset. *S. Lig. n.* 30. *Salmant.* admittunt licere patri mortem filio optare, si timeat ex ejus flagitiis dehonestandam familiam; quia *malum non desideratur in quantum est malum illius, sed in quantum est impeditivum malorum alterius:* in re simili est *D. Thom., in* 3 *sent., d.* 3, *q.* 1.—Tamen gaudere non licet de alterius morte ob temporale emolumentum, v. gr. ob pinguem hæreditatem; nec mortem optare marito, eo quod ab eo male tractetur uxor; neque filiæ, ob deformitatem, paupertatem, nubendi difficultatem, etc., sane tunc non adest causa majoris boni spiritualis; et aliunde ordo charitatis graviter turbaretur. *(Salm. n.* 49, *Ronc., Varceno, pag.* 351).

518. **Dilectionis signa inimicis debita.** I. Dilectionis signa alia sunt *communia*, alia *specialia.*—1.° Communia sunt, ea *quæ communiter omnibus ejusdem conditionis ad invicem exhibentur;* v. gr. inter concives, confamulos, condiscipulos, commilitones, conjunctos, pauperes et divites, superiores et subditos, aliaque, quæ homo cuilibet homini ex charitatis, vel affabilitatis virtute debet.—2.° Specialia vero ea sunt, *quæ aliquibus exhibentur ratione cujusdam conditionis, familiaritatis, vel amicitiæ;* et dicuntur *beneficia amicabilia*, v. gr. invitare ad amicorum convivia, prius salutare, familiariter recipere, et colloqui. *(S. Thom., Scavini).* His positis:

II. Debentur *per se* inimicis *communia dilectionis signa, et beneficia* ex gravi præcepto; ista enim negare, idem fere est ac injuriam vindicare. Hinc peccaret qui inimicum excluderet a communi oratione, eleemosyna, publica mercium venditione, salutatione, responsione interroganti, et similibus. *S. Lig., n.* 29. Item qui aversus ab alio, fugit illum, ut eum suo colloquio, et solatio privet, atque ita contristet, et male illi sit; est enim peccatum, et odium inimicitiæ. Si vero nihil mali optando, tantum fugias, quia tuæ indoli est dissonus, vel tibi molestus esse solet, est odium aversionis, et peccatum, si absque ratione fiat: secus si persona valde aspera sit, modo absit contemptus, scandalum, et vindictæ cupiditas. *S. Lig., n.* 30.

Excipe 1.° Quando agitur de justa correctione subditi, ut fecit David cum Absalom, cui etiam, remissa injuria, faciem suam videre non concessit. *(II Reg.* XIV).—2.° Si ex signorum denegatione speretur inimici emendatio.—3.° Si ex concessione prudenter timeantur rixæ, abusus.—4.° Si adsit periculum, ne ejus præsentia horrorem excitet; vel si fiat ob expressionem justi doloris ex injuria concepti.—Caveant tamen omnes, ne id fiat odio, et passione. *(Gury, n.* 224, *Scavini, n.* 863).

III. Non debentur *per se* inimicis *signa specialia dilectionis;* nam eorum omissio non est signum odii nec vindictæ; cum nec alios ita specialiter diligere debeamus.

Excipe 1.° si ratione status, conditionis, et officii quispiam indiscriminatim hæc agere debeat, ut recte ait *Ballerini.* Additur necessitas spiritualis, vel temporalis.—2.° Si eorum omissio esset scandalosa.—3.° Si inimici essent superiores, quibus forent talia signa exhibenda.—4.° Si per aliquod dilectionis signum posses, sine tuo gravi incommodo, inimicos et Deo, et tibi reconciliare; tunc id omittere esset grave, ait *S. Lig. n.* 29.—*Negare homini signa familiaritatis, quando necessitas expeteret, esset*

vindicta ; vel etiam quando veniam peteret, vel quando se ille, qui hostis habetur, ad familiaritatem ingerat..., quia tunc diligit, et inter amicos deputandus est. (S. Thom. 3, dist. 20, q. 1, a. 2, ad 5, S. Lig., n. 28).

IV. Verumtamen cum agatur de speciali amicitia, seu familiaritate, quæ sicut libere admittitur, ita et retinetur libere, audiatur Petrus de Lorca : *Si titulus præstandi dilectionis signa sit solum specialis amicitia, et familiaritas, quam aliqui voluntarie intra se contrahunt, non debetur inimico ; hæc enim est specialis dilectio, et potest dissolvi non solum si amicus fiat inimicus, sed etiam si non fiat : quare nemo tenetur eam amicitiam conservare.* (In 2. 2, q. 25, n. 27). Non ergo semper necessario exigenda est pristinæ hujusmodi amicitiæ, ac familiaritatis redintegratio, neque dure agendum cum id negante, addit *Ballerini, n.* 224; modo scandalum amoveas, ait *Tour. cum Suar., Bon.*, etc., non teneris cum gravi incommodo.

Hinc deduces: 1.° Graviter, vel leviter peccare collegialiter viventes, vel religiosos, etc., qui post rixam non se salutant, colloquuntur, vel scribunt, sicuti solebant, si inde sequatur scandalum inter impios, vel in communitate.—Secus, etsi non sequatur scandalum, saltem veniale non evitant. Ut autem remedium apponatur, non tenentur iterum specialem primàriam amicitiam inire, sed sufficit, ut se habeant ad invicem, sicuti ad cæteros fratres. *(Billuart).*

2.° Non peccant parentes, qui colloquium, et aspectum filiæ suæ ad tempus recusant, ut emendetur; eo quia ipsis invitis matrimonium contraxit.—Graviter peccant, si in perpetuum recusare parati sint; esset enim vindicta. *(Ita Layman, Diana, Scavini, n.* 943, *aliique).*

3.° Non videtur peccare graviter qui pluribus occurrens, omnes salutat præter inimicum, si nullum, vel parum sit scandalum, et non ex odio, sed in significatione injuriæ; vel ut in posterum magis ab offensionibus caveat, vel alia justa de causa sic agat. Secus si adsit prava intentio, odium, vel notabile scandalum. *Ita Dens, Sylvius, S. Thom., D. Lig., n.* 29.

4.° Non adest *per se* obligatio inimicum obvium salutandi; ægrotum invisendi, mœstum consolandi, hospitio excipiendi, vel familiariter cum eo agendi; quia salutatio, et colloquium non sunt signa communia proximo debita, sed specialia, vel generalia inter valde conjunctos.—Secus tamen si adjuncta status, aliave motiva similia postulent, ut omnes indiscriminatim sese salutent; vel agatur de subdito erga superiorem suum; vel si antea solebas eum salutare; vel ad fratrem lucrandum, aut scandalum vitandum conveniat. *(Gury, Ballerini, S. Ligor., l.* 2, *n.* 29).

Quoad *salutationem* adverte sequentia ex Petro de *Lorca :*—Salutatio anticipata nemini debetur, nisi quibusdam personis dignitate præcellentibus, honoris causa.—Resalutatio, et responsio omnibus hominibus debita est virtute affabilitatis, præsertim concivibus; alias censeris inimicum contemnere, et in hostilitate velle perseverare, ut communiter docent AA. cum *S. Ligor., n.* 29. —Omissio allocutionis, et salutationis, etiam quando debentur, non est regulariter peccatum mortale; nam opponitur affabilitati, quæ non est tantæ obligationis, nisi forte ex personæ circumstantia, et aliis adjunctis in magnam caderet injuriam; vel propter scandalum, quod raro fit, et prudentis arbitrio decerni debet. (2. 2, *dist.* 25, *n.* 28).

5.° Offensor *per se* veniam a læso petere debet, nisi modus reconci–

liandi magis conveniens suppetat, uti varia officia, et beneficia præstando; vel inutilis videatur veniæ petitio; aut si offensor offenso longe superior sit; vel si offensus prudenter censeatur id condonare. Tamen, visitando, et amicabiliter colloquendo, communiter omnia odia pereunt. *Sol non occidat super iracundiam vestram.* (Ephes. IV). *Si ergo offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te: Relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo.* (Matth. V). Hoc nempe pæstandum est juxta naturam præcepti affirmativi, quando scilicet ratio prudentiæ, locus, et tempus id permittunt; alioquin animi præparatione, et cordis affectu hæc præstare sufficit. Cæterum hic agitur de eo, quem tu offendisti; nam si ipse te offendit, jam non *frater tuus habet aliquid adversum te*, sed tu adversus illum, sicque non teneris veniam postulare, sed tantum vere dimittere.

6.° Si offensor satisfactionem exhibet secundum quantitatem culpæ, vel suam possibilitatem, tenetur offensus eum ad amicitiam recipere, salutationem restituere, et ei loqui. *Si autem non dimiseritis hominibus: nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* (Matt. VI).—Secus non tenetur, quando scilicet, satisfacere omnino non vult, vel semiplene. *(S. Antoninus in Summa*, part. 2, tit. 8, c. 2, 6).—*Quod aliquis ultro se ad familiaritatem inimico ingerat, hoc perfectionis est.* (S. Thom. 3, dist. 30, q. 1, a. 2, ad 5).

519. **Praxis confesarii in reconciliatione inimicorum.** I. Non statim damnandi sunt pœnitentes de peccato, præsertim gravi; sæpe enim odium *inimicitiæ* confundunt cum *abominationis odio*, seu *qualitatis*, aut *defectus;* vel cum aliqua animi aversione naturali, et invincibili, in quo casu ab erronea conscientia eos liberare debet, dicens odium non esse verum, nisi cum quis deliberate inimico vellet malum inferre, vel de suis malis animo gaudet, vel de bonis tristatur.

II. Etsi penitus non desit inordinatus animus, et aliqualis injustæ vindictæ appetitus, non ideo statim de gravi culpa arguendi sunt; nam sicut mali illatio, ita et illius desiderium parvitatem materiæ admittit, et multo magis erga provocantem. Sive offensus dicat se condonare, sive non, dum quædam offensori officia ex dictis recusat, et grave aliquod huic malum infert, aut exoptat, absolutione indignus est. Si autem hoc absit, et nulla alia gravia incommoda ex officiis illis offensori negatis timeri queant, utique pro viribus hortandi officio, sed nulla absolutionem negandi necesitate confessarius adstringitur. (*Ita Ballerini*, *n.* 226). Tamen qui recusant inimicum alloqui sine justa causa, et a fortiori qui asserunt se nunquam verbum illi esse dicturos, etsi se condonare dicant, non sunt absolvendi; isti equidem malæ animi dispositionis suspicionem injiciunt. *Gury, ibid.*

III. Qui alium offendit, quin fuerit offensus, debet prior reconciliationem curare, ut dictat naturalis æquitas.—Si offensio fuerit mutua, et fere æqualis, qui prior offendit.—Si fuerit inæqualis, præire debet, qui gravius offendit, habita ratione circumstantiarum.—Sed non facile inexpertus confessarius dignoscere hoc poterit, præsertim in rixosis mulierculis, quæ non cessant superbiam suam, ac illatas injurias excusare, et acceptas ponderare, aliisque causam tribuere; nec facile reduci possunt, ut dimittant, salutent, charitatis officia adimpleant. Sæpe tamen ad veram reconciliationem nil melius quam mediatio amicorum; et videtur aliquo-

ties, *per se*, in sua bona fide, si adsint, relinquendas esse (mulierculas); cum non putant graviter deliquisse, neque sub gravi ad salutationem teneri et reconciliationem, dummodo verum odium non habeant.

Exempla Christi, et Sanctorum martyrum, inferni supplicia, odii, et ejus pravi effectus stultitia, cor durum mitigant: v. g. proponere offenso: nonne tu quoque Deum sæpe offendisti? et nonne speras, et optas, ut tibi dimittat? -Et tu pulvis, et cinis proximo tuo, fratri tuo superbe negas quod liberaliter tibi repetit *Rex magnus super omnes deos?* Pro inimicis Christus suum fudit sanguinem: et tu pauper, et cæcus, et nudus cum sis, salutare recusas? Quid inde boni consequeris? Profecto tibi ipsi majus damnum infers quam quo omnes mundi, et inferi adversarii te afficere valent.

CAPUT VI.

De ordine charitatis.

520 **Ordinem in charitate esse servandum** docent illa Scripturæ verba: *Ordinavit in me charitatem* (Cant. II); et dicit etiam ipsa inæqualitas objectorum charitatis. --Triplex est ordo charitatis, *bonorum*, nempe, *personarum, necessitatum.*

I. **Bonorum.** 1.° bona spiritualia, et supernaturalia, ut gratia, merita, et æterna beatitudo, juxta illud: *Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?* (Matth. XVI). —2.° Bona naturalia intrinseca, ut vita, sanitas, membrorum integritas. —3.° Bona naturalia extrinseca, ut fama, et honor, quibus ultimo addendæ divitiæ, utpote inferioris ordinis, ex quibus omnibus maxime pendet vita nostra civilis.—4.° Bonum commune præferendum est bono privato; nam bonum commune est bonum totius, et privatum partis tantum.

II. **Personarum**: aliæ siquidem aliis dignitate, conjunctione, et necessitate præferuntur. Hinc inter Deum, et nos; et inter nos, et proximos: 1.° præferendus est Deus;—2.° anima nostra;—3.° anima proximi;—4.° corpus nostrum;—5.° corpus proximi. Ratio est, quia *charitas bene ordinata incipit a semetipso.* Hinc damnata est sub n. 63 ab Innocentio XI hæc prop.: *Licitum est quærere directe occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi.*

—Inter proximos ipsos: 1.° Beata Virgo.—2.° Angeli.—3.° Sancti juxta majorem sanctitatem.—4.° Pater et mater, superiores, uxor, filii, fratres, sorores, etc.

III. **Necessitatum**, quæ adnumerantur: 1.ª *Extrema;* cum quis *sine alterius auxilio se liberare nequit a damnationis periculo, aut mortis, vel alterius mali ferme æqualis.*—2.ª *Gravis;* cum quis *nisi adjuvetur, difficillime periculum animæ, vel vitæ, alteriusve gravis damni effugere valet.* —3.ª *Communis;* qua *quis providere sibi potest sine magna difficultate,* ut in spirituali sunt ordinarii peccatores, et ostiatim mendicantes in temporali. His positis, en regulæ practicæ:

1.ª *In extrema proximi necessitate spirituali,* dicunt *communiter AA. cum D. Thoma* licere indirecte periculo peccandi se exponere, non inten-

dendo peccati occasionem, sed proximi subventionem, debitis tamen adhibitis præsidiis. Imo *Val.*, *Azor.*, *S. Lig.*, *l.* 2, *n.* 26 addunt ad id quemque teneri: *Si potes, debes,* ait *Scavini, n.* 867: nam ex una parte urget charitas, et ex alia tunc periculum ex proximo fit remotum. Extra hoc periculum est succurrendus proximus etiam cum certo periculo vitæ nostræ; v. gr. baptizare, absolvere moriturum; cum vita æterna proximi excellentior sit vita nostra temporali. De hoc SS. Patres intelligunt illa verba: *Quoniam ille animam suam pro nobis posuit, et nos debemus pro fratribus animas ponere.* (I Joan. III).

—Intellige: 1.° Si necessitas spiritualis proximi certa sit, et proximus certo damnandus, nisi a te adjuvetur. — 2.° Si spes illum salvandi sit etiam moraliter certa.—3.° Si nemo alius adsit, qui id præstare valeat.—4.° Si gravius inde malum non timeatur, ut si vita se exponentis necessaria esset bono communi.—Hinc teneris infantem moriturum baptizare, etiam cum vitæ tuæ temporalis damno, si alius non adsit, qui hoc faciat.—Item si scias aliquem in mortali existentem interficiendum in somno, ebrietate, vel non cogitantem, subvenire ei teneris.—Excipiunt si exponens sit in mortali, et de contritione dubitet: sed id rejiciunt alii cum *Antoine;* quia *majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* (Joan XV). *S. Thom. Q.* 20, *art,* 5, *S. Lig. n.* 27.

—Si vero proximi necessitas sit temporalis, non ideo tenetur dives magnam summam erogare; v. gr. ad pretiosissimam medicinam emendam, vel ad redimendum a periculo mortis; cum hæc sint media difficilia, et fere moraliter impossibilia. (*Ita Viva, Tourn., Sylvius*). Multo minus vitam exponere, nisi agatur: 1.° de salvanda republica; 2.° de vita personæ bono publico necessariæ. (*Ita communiter cum Scavini, ibid.).*

2.ª *In gravi proximi necessitate, sive spirituali, sive temporali,* nemo *per se* tenetur ei succurrere, etiam alios extrahere a peccatis cum gravi periculo vitæ, famæ, aut bonorum; siquidem absolute potest quis se a periculo liberare per pœnitentiam, etc. *Salm. n.* 32, *Bon., S. Lig. n.* 27.—Tamen si quis ratione officii, et justitiæ, uti sunt pastores animarum; vel ratione delicti, ut si quis hæresim docuisset, et alius non impediat; vel si necessitas illa sit publica; quippe semper conjuncta esse solet cum extrema aliquorum, v. gr. si in persecutione plebs aliqua careret sacerdote, et alias esset in periculo amittendi fidem; vel tempore pestis, ad absolvendos rudes, aut ignorantes, qui contritionis actum elicere nesciant, si habituati sint in peccatis; tunc etiam cum periculo vitæ quis subvenire teneretur. (*Scavini, l.* 2, *n.* 867, *Lay., S. Lig. n.* 27, *cum communi*).

Item communius licet ex motivo charitatis vitam proximi aptioris ad Dei gloriam vitæ propiæ anteponere: secus non licet. (*Laym., Less., S. Lig. n.* 27, *Scavini, ibid.*)

3.ª *Si vero proximus versetur in necessitate communi, sive spirituali, sive temporali,* est utique adjuvandus ab eo, qui commode possit; tamen *per se* nisi sub levi; nam a tali necessitate quisque facile se liberare potest. (*Ita omnes*).

521. **Ordo subventionis servandus inter proximos.** I. *Cum charitas ordinem naturæ non mutet, sed perficiat,* ut ait Angelicus in 3 dist. 29, a. 7, *in pari necessitate,* si hæc sit *extrema :* 1.° sunt præferendi parentes, ratione principii eminentiæ, et quidem pater matri; 2.° conjux; 3.° filii, fratres, etc.

II. Si vero necessitas sit *gravis*, vel *communis*: 1.° Præferenda est uxor; nam est una caro cum viro.—2.° Filii, cum de parentum substantia procedant.—3.° Parentes.—4.° Fratres, sorores, propinqui, domestici, concives, ac commilitones.

III. In necessitate *inæquali* affective præferendus est sanctior; sed effective ille, qui in majori necessitate est constitutus; cum obligatio charitatis non sit nisi ratione necessitatis.

Tamen per accidens fieri potest, ut ob aliquas circumstantias ordo invertendus sit: sic mater bona erga prolem patri nequam et proli maleficæ præferri potest; sic filium multo necessarium in rebus domesticis inutili uxori, et clamorosæ præferre licet. (*S. Lig. l.* 2, *n.* 27).

CAPUT VII.

De charitatis officiis, et de eleemosyna.

522. **Officia charitatis** in hisce verbis sunt condensata: *Non diligamus verbo, neque lingua, sed opere et veritate.* (I Joan. III). Et hæc verba veniunt expressa in 14 operibus misericordiæ, de quibus prima est eleemosyna; quæ ex Angelico: *Est opus, quo datur aliquid indigenti ex compassione propter Deum.* 2. 2, *q.* 32, *a.* 1.

Q. *Utrum detur præceptum eleemosynam erogandi?*

R. Affirma. Constat ex generali lege charitatis, et etiam ex S. Scriptura: *Eleemosynam pauperis ne defraudes.* (Eccli. IV). *Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo: quomodo charitas Dei manet in eo?* (I Joan III). *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum... Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare: sitivi, et non dedistis mihi potum.* (Matth. XXV).

Q. *An sub gravi obliget præceptum eleemosynæ?*

R. Affirma in extrema, et in gravi necessitate, quæ mox in extremam verti possit. *(Ita omnes).* —Secus de peccato gravi non constat; nimis difficile profecto est judicare, quis, cui, et quantum sub mortali dare teneamur, tum ratione bonorum nostrorum, vel aliorum, tum ratione indigentiæ alienæ, tum ratione controversiæ inter theologos. — In ordinaria necessitate est satis probabile cum *S. Antonino, Ballerini, aliisque pluribus* non obligare sub gravi; obligatio quippe non oritur a bonis, sed a necessitate; quæ cum non sit gravis, grave præceptum parere nequit.

Tamen præceptum eleemosynæ est *in se* grave, et præcipue necessitatem communem respicit, cum gravis, et extrema raro eveniant. *(Gury cum S. Lig. aliisque).* Certum est quod plerumque mediocriter divites pauperum sunt refugium, melius quam magnates, et opulentes.

Tenentur tamen medici, advocati, et similes operam pauperibus gratis impendere; sunt equidem in vera necessitate, et aliquando extrema, nec ab aliis adjuvari possunt. *(Gury, S. Thom.,* 2. 2, *q.* 71, *a.* 1).

523. Q. *Quinam eleemosynam tribuere possunt?*

R. Generatim illi soli, qui liberam bonorum suorum administrationem habent. Nam *Dominus... odio habens rapinam in holocausto.* (Isai. LXI).

Et hoc, licet proximus sit in extremis; quo casu omnia bona sunt communia; quia præceptum te obstringit ad subveniendum de tuis, si potes, secus, vel si de alienis bonis succurras, ad restitutionem teneris. *(Scavini)*.

Hinc deduces: 1.º Tutores eleemosynam facere tantum posse de bonis administratis, quales facere deberent illi, quorum vices gerunt.—2.º filios, et uxores erogare posse eleemosynas statui proportionatas, in quibus parentum, et mariti consensus rationabiliter adesse præsumitur; —3.º servos, quibus nullum competit jus in bona dominorum, tantum erogare posse illas modicas eleemosynas, quas permittit usus, ac domini præsumptus consensus.

524. Q. *Ex quibus bonis nostris fieri debet eleemosyna?*

R. Triplicis generis sunt bona nostra: 1.º *necessaria vitæ*, sine quibus vita nostra, vel aliorum, quorum cura nobis incumbit conservari non potest;—2.º *necessaria statui*, sine quibus non valet aliquis convenienter vivere secundum suam conditionem. Huc referuntur, quæ juxta prudentium æstimationem necessaria sunt ad sustentandos hospites, famulos alendos, moderata convivia cum amicis continuanda, et similia; qua tamen in re caute procedendum; nam *si inania quærimus, nihil sufficit* (ait S. Augustinus in Ps. CXLVII);—3.º *superflua vitæ*, vel *statui*, vel *utrique simul*. His positis:

I. Nunquam eleemosyna est facienda ex bonis necessariis *vitæ nostræ;* eo quia possumus, imo ordinarie tenemur, vitam nostram alienæ præferre; nisi pauper sit talis, a quo pendeat publica salus; cum bonum commune privato sit anteponendum.

—Utrum autem cum ipsius status jactura teneamur pauperem in extremis levare, vel magnam pecuniæ summam erogare ad illum a mortis periculo liberandum, vel ad remedia salutis extraordinaria ei procuranda? Probabilius negatur; nam hic tantum adest charitatis præceptum, quod ex communi non obligat cum gravi incommodo. *(Ita Gury, n.* 228, *Ballerini, Palaus, Scavini, n.* 872, *S. Lig., n.* 31, *contra alios)*.—Tamen si extreme indigens alibi bona habeat, vel habiturus sit, satis esse mutuum ei dare dicunt; quippe tunc non est absolute pauper.

II. In *extrema necessitate* teneris ad succurrendum etiam ex bonis statui necessaris, non tamen eo usque teneris, ut a statu decidere debeas. Ratio, quia vita proximi bono status nostri prævalet. Hinc D. Ambrosius: *Pasce fame morientem: si non paveris, occidisti. (Gury, Varceno, Scavini,* ibid.)

III. In *gravi necessitate* juxta aliquos est succurrendum ex bonis aliquo modo statui necessariis, seu cum modico proprii status detrimento, ex eadem ratione. Sed negant alii cum *Viva, Ballerini, S. Thom.* (Quodlib. 8, a. 12); etenim charitas ex communi non obligat cum gravi incommodo.

IV. In *communi necessitate*, quam sentiunt pauperes ordinarii, nulla est gravis obligatio eleemosynam dandi huic, aut alteri in particulari; quia communiter obligatio eleemosynæ non oritur ex bonorum superfluitate, sed ex urgenti proximi necessitate, quæ cum sit levis, onus grave parere nequit. *S. Anton., Laym, aliique non pauci.* Attamen ex communi sententia a peccato saltem veniali excusari nequit, qui bona statui superflua habens, nullam unquam largiri vellet eleemosynam. Alias ab omnibus pauperes in sua necessitate possent derelinqui, quod esset con-

tra congruam bonorum divisionem. Unde ait Christus: *Quod superest date eleemosynam. (Luc.* XI). Sed non facile diviti non danti est neganda absolutio ob AA. dissensum. *Laym.* Etsi *alii* cum *D. Lig.* sub gravi obligare docent eleemosynam.

Dicunt probabiliter *D. Lig., Viva, Bon., Salmant., aliique,* obligationem omne superfluum elargiendi pauperibus non esse in solidum; neque dandi omne superfluum adest obligatio, sed unusquisque pro sua parte, nisi agatur de ecclesiasticis, qui tenentur omnia superflua ex suis beneficiis pauperibus erogare (sed v. T. II. n. 14); vel sermo sit de necessitate extrema, vel ita gravi, ut facile in extremam evadere possit; quia tunc dandum est quantum ad levandam hic et nunc hanc necessitatem sufficiat. Quoad pauperes ordinarios communius dicunt satis esse, si dives in eleemosynam eroget duo pro quolibet centenario suorum reddituum, et etiam minus, si divitiæ multum excedant. (Ita *D. Lig., l.* 2, *n.* 32, *cum communi).* Quinquagesimam partem eorum, quæ statui supersunt, ait *Gury, n.* 228.

525. **Debitæ conditiones eleemosynæ** sunt: 1.° Ut sit justa, vel de rebus propriis: *Honora Dominum de tua substantia.* (Prov. III).—2.° Ut sit prudens, vel fiat vere pauperi: *Si quis non vult operari, nec manducet.* (II Thes. III).—3.° Ut sit prompta, et hilaris: *Ne dicas... cras dabo tibi.* (Prov. III). *Hilarem enim datorem diligit Deus.* (II Cor. IX).—4.° Ut sit secreta: *Cum ergo facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt... Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.* (Matth. VI).—5.° Ut sit ordinata, et omnibus auxilians: *Omni autem petenti te, tribue.* (Luc. VI). *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum.* (Prov. XXV). Excipe eos, quibus vitam auferre licet, ut sunt hostes reipublicæ: item laborare potentes, et otiosi; nam esset eis favere in vitiis suis.—Si vero paupertas voluntarie, et rationabiliter contracta, et Deo grata sit, prout in religiosis; vel etiam olim culpabilis, nunc vero irreparabilis, ratione infirmitatis, vel annorum, velut in quibusdam, qui otio, et ludo vacantes, salutem perdiderunt, laudabilis erit eleemosyna, cum sit vere indigentibus tribuere, nullique nunc peccato cooperari. Pauperes extranei a parochia, vel a civitate expelli possunt, juxta *Ferraris, Bouvier, aliosque,* quando indigenæ omnes ali non possint, vel morbum afferant, aut perversa dent exempla, in otio torpescunt; aut si statutum sit, ut quælibet parochia, et civitas proprios alat pauperes.

Effectus eleemosynæ. Ex se eleemosyna est *satisfactoria, impetratoria,* et *meritoria,* juxta illud Tobiæ: *Eleemosyna a morte liberat, et ipsa est, quæ purgat peccata, et facit invenire misericordiam, et vitam æternam.* (Cap. XII).

CAPUT VIII.

De correctione fraterna.

526. I. **Correctio fraterna** est *admonitio, qua quis ex charitate conatur alium a peccato revocare.* Triplex est: *Judiciaria, paterna, fraterna:* 1.ª Judiciaria est *actus justitiæ vindicativæ ordinatus ad delin-*

quentis emendationem, et punitionem.—2.ª Paterna est *actus auctoritatis, quo superior absque judicii forma delinquentem corrigit.*—3.ª Fraterna vero est *actus misericordiæ, quo quis proximum salutari monitione a peccato revocare conatur.*

II. Correctio fraterna obligat: 1.º præcepto naturali: lex enim naturæ nos obstringit, veluti membra unius corporis, ad subveniendum indigenti; —2.º præcepto divino positivo: *Si autem peccaverit in te frater tuus, vade, et corripe eum inter te, et ipsum solum.* (Math. XVIII). *In te*, id est, si peccaverit *contra te*, vel *te sciente*, ut explicat S. Augustinus (serm. 32, alias 15, c. 10): *Corripe proximum..., ne forte iteret.* (Eccl. XIX).

Etsi hoc præceptum omnes obliget, etiam subditos, strictius autem prælatos, parochos, magistros, dominos, tutores, omnesque superiores. Imo Episcopi, et parochi sub gravi tenentur quoad subditos, etiam cum gravi damno proprio, ratione stipendii, ac officii; et adhuc cum periculo vitæ in eorum necessitate non solum extrema, sed etiam gravi, ut communiter dicunt *Suar., S. Thom., S. Ligor, n.* 40.—Parentes autem, mariti, et alii, qui nullum ad hoc accipiunt stipendium, probabilius cum periculo damni proprii non devinciuntur; nam pietas, et charitas, aut officium inde ortum habens, non obligant cum gravi damno. *S. Lig., n.* 40.—*Salm., n.* 67, docent concionatores teneri peccata publica reprehendere, si aliquis speretur fructus, et majus damnum commune non timeatur; etiamsi ideo privata damna pertimescant, aut propria, ut docet *Hurt.* Sed v. n. 520.

527. **Materia correctionis fraternæ** est quodlibet peccatum, in quod proximus lapsus est, et nondum emendatus, vel lapsurus prævidetur, etsi leve sit: *Si autem peccaverit*, ait Dominus J. C.: quod aliquando etiam sub gravi urget superiores præsertim regulares quoad leves defectus subditorum ad sustinendam disciplinam in religiosa communitate.—Neque sufficit semel id fecisse, sed correctio iterari debet semper ac fructus speretur.—Hinc qui sine causa correctionem negligit, ex genere suo graviter, vel leviter contra charitatem peccat, juxta gravem, vel levem correctionis materiam: quoad venialia autem, nisi facillime corrigi possint, vel proxime ad mortalia disponant, plerumque non adest correctionis fraternæ obligatio, ratione incommodi ob rem levem. In confessione sufficit correctionis omissionem confiteri, quin ejus materia explicetur; semper enim charitati opponitur. *(Scavini, S. Lig., n.* 34).

Q. *An sit obligatio peccantem ex ignorantia corrigendi?*

R. Affirma: 1.º Si agatur de ignorantia vincibili; cum hæc a peccato non excuset.—2.º Si de rebus necessitate medii ad salutem necessariis; nam tunc prodesse potest, et minime nocere; vel de rebus, quæ publicum damnum, vel scandalum præbeant, etsi ignorantia sit invincibilis, et desperetur fructus; ne scilicet, alii putent illa licere, eo quod non corriguntur.—3.º Semper ac previdеatur fructus; tam si peccata sint contra jus naturæ, quam contra divinum præceptum, vel humanum; nam ignorantia est malum ipsius ignorantis; aliaque incommoda, et mala inde profluere solent; insuper, posita lege, transgressio illa inordinationem includit; ideoque per correctionem est impedienda. Secus non adest obligatio. *(Gury, n.* 231, *Varceno, Scavini, n.* 875, *S. Lig., n.* 36, *cum communi*). Si ignorantia sit contra jus positivum, probabile est correctionem privatos non obligare, saltem sub gravi; nam proximus tunc non est in peccato, neque aliquid intrinsece malum agit. Secus dicendum de prælatis, parentibus,

confessariis, magistris; etenim ipsis specialiter incumbit docere subditos. *S. Lig., ibid., Salm., et alii.*

528. Q. *Qualis ordo servandus est in correctione fraterna?*

R. I. Servandus est sub gravi ratione famæ ordo a Christo ipso assignatus, nisi circumstantiæ aliud suadeant. Hinc: 1.° *Corripe eum inter te, et ipsum solum.*—2.° *Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos* testes: scilicet corripe coram illo, vel illis.—Si adhuc non emendatur, *dic Ecclesiæ* (Mat. XVIII), id est, ad superiorem deferatur.

II. Ordo iste inverti debet: 1.° Si crimen sit publicum. Tunc ex Angelico, *non est tantum adhibendum remedium ei, qui peccavit....., sed etiam aliis..... ut non scandalizentur.* (2. 2, q. 33, a 7).—2.° Si omissio denuntiationis ad superiorem vergat in grave damnum communitatis, vel innocentis, vel etiam corripientis, aut delinquentis. Correctio privata sæpe difficultates involvit, et non raro est incerta spes emendationis.—3.° Si præstat rem statim soli superiori probo manifestare; v. gr. si agatur de sacerdotibus corruptis, vel corruptoribus.—4.° Si delinquens juri suo cessit, ut fit in variis Ordinibus religiosis.

Hinc deduces peccare ratione infamiæ: 1.° qui crimen alicujus jam emendati ad superiorem referunt, ubi non adest relabendi periculum;—2.° qui ad superiores mediatos crimen deferunt, prætermisso immediato, qui *per se* utiliter corrigere posset. *Pal., Trull., S. Lig., n.* 42.

529. **Conditiones requisitæ ad correctionis præceptum** sunt: 1.ª ut certo constet de proximi peccato, aut de proximo peccandi periculo. *Charitas... non cogitat malum.* (I Cor. XIII). Indagare circa aliorum delicta solus superior tenetur.—2.ª ut effulgeat spes aliqua, imo major probabilitas emendationis. *Ubi auditus non est, non effundas sermonem.* (Eccli. XXXII).—In dubio an sit profutura, vel nocitura, omittenda est, ut dicunt *Concina, Antoine, S. Lig., l, 6, n.* 612, *cum communi;* nam dubius nonnisi imprudenter morali actioni manum admovet. *Noli arguere derisorem.* (Prov. IX).—Excipe in mortis discrimine, si certo constet de formali peccato proximi; tunc porro non exponitur ejus salus; vel in perversionis aliorum periculo, ut in hæretica prædicatione, vel hæresis propagatione coram fidelibus; cum periculum sit, ne populus seducatur;—3.ª ut non sit alius æque, vel magis idoneus, vel superior, qui correpturus credatur;—4.ª ut fieri possit sine gravi incommodo, vel damno honoris, aut bonorum corripientis; nisi sit pastor, vel alius, cui ex officio incumbat alterius cura;—5.ª ut necessaria judicetur ad delinquentis emendationem; nec spes saltem probabilis sit, eum sponte sua emendatum iri: *Perversi difficile corriguntur* (Eccles. I);—7.ª ut non speretur tempus correctionis opportunius. *(Ita communiter cum Gury, Scavini, S. Ligor., n.* 38).

Q. *Quomodo facienda est fraterna correctio?*

R. I. Non *violenter:* Cum actus virtuosus debeat esse moderatus, ut ait *Angelicus* (2. 2, *q.* 33, *a.* 2), non oportet nos quærere, quibus impendamus; sed sufficit quod impendamus eis, qui nobis ocurrunt. Hinc tenemur corrigere: 1.° Superiores nonnisi obsecrando: *Seniorem non increpaveris, sed obsecra ut patrem.* (I Tim. V).—2.° Fratres, amicos, et æquales cum mansuetudine, et humilitate monere tenemur.—3.° Cum modestia, et industria parentes admonere debent filios blasphemos, impios, etc., si speretur fructus.—4.° Superiores, qui ratione officii, vel stipendii bonum subditorum curare debent, inquirere moderate, non injuriose, de-

vinciuntur in vitam, et mores suorum subditorum, ut eos delinquentes corrigant; sed non de certa quapiam persona, sine dubio positivo, aut speciali ratione; nec facile admittere debent spontaneos accusatores, et multo minus fidem eis statim præbere; neque per simplicem denuntiationem sibi factam ut patri, judicialiter procedere valent; sed delictum subditi cognitum cum vera charitate, et paterna suavitate corrigere tenentur. *Hart.*, *Dian.*, *S. Lig. n.* 42. (V. n. 838.)

II. Non *præpropere. Si propterea quisque objurgandis, et corripiendis, male agentibus parcit, quia opportunum tempus inquiritur, vel eisdem ipsis metuit, ne deteriores ex hoc efficiantur..., non videtur esse cupiditatis occasio, sed consilium charitatis*, ait D. Augustinus in lib. *de Civit. Dei.* Sæpius enim correctio non prospere succedit, quia deficit in modo; ut si fiat cum ira, asperitate, improperiis, repetitionibus, coram aliis, etc. *Corripiendus est seorsim frater, ne si semel pudorem aut verecundiam amiserit, permaneat in peccato,* recte ait D. Hieronymus super Matth.

530. Q. *Quinam a correctione fraterna facienda excusantur?*

R. I. Plerumque omittenda est correctio 1.° erga eos, quorum indoles penitus ignota est; ne male eam suscipientes deteriores fiant. —2.° subditi erga superiores, propter ineptitudinem.

II. Ordinarie a fraterna correctione facienda excusantur 1.° scrupulosi, ut inepti; quippe scrupulis perturbati, causæ excusanti attendere non valent. — 2.° privati inter se, et etiam spiritu pusillanimes raro ad correctionem tenentur, saltem sub gravi, nisi sint familiariter conjuncti; rarissime quidem reperiuntur conditiones requisitæ inter illos. *(S. Lig., n.* 39, *Scavini, n.* 879). Tamen si corrigendus sit tantum pudore afficiendus, aut futurus in posterum minus amicus, aut ad tempus exacerbandus, sed postea ob correctionem factam emendabitur, nec melior occasio expectari possit, corrigi debet; nam bonum speratum malo prævalet. (*Billuart*, *Laym.*, *Suar.*, *Sanch.*, *l.* 6, *c.* 18).

CAPUT IX.

De vitiis charitati oppositis, et hic de scandalo.

531. Vitia directe charitati specialiter opposita ex *D. Thoma* numerantur: *odium*, *invidia*, *discordia*, *contentio*, *schisma*, *bellum injustum*, *rixa*, *seditio*, *scandalum*, *et cooperatio peccatis alienis.* (2. 2, q. 34, ad q. 44). De duobus posterioribus tantum dicemus, cum de aliis jam actum sit, vel in quinto Decalogi præcepto erit dicendum. Nunc de scandalo.

Scandalum duplex est, *activum*, scilicet, et *passivum*, seu *acceptum*. Activum ex Angelico definitur: *Dictum, vel factum minus rectum præbens* alteri *occasionem ruinæ* spiritualis (2. 2, q. 43, a. 1), et etiam venit *omissio dicti, vel facti recti...* Id est quælibet inductio ad violandam legem Dei, et Ecclesiæ, vel status obligationem. *S. Lig.*, *n.* 43.

Divisio: 1.° Scandalum activum est absolute directum, aut formale, seu diabolicum, ut *cum quis directa intentione ad peccatum adducitur, ut spiritualiter moriatur.* - 2.° Simpliciter directum; *cum quis directe*

proximum ad malum inducit, non præcise ut ruat, sed propter utilitatem, vel propriam oblectationem.—3.° Indirectum; *cum quis aliquid agit, unde alius indirecte ad malum excitatur,* ut si turpia loquaris coram adolescente; vel si die vetito carnes manduces, tacendo quod causam habeas. *(Ita Lugo, Suarez, de Mat., disp.* 10, *sect.* 2, *n.* 1).

Q. *An scandalum datum sit peccatum?*

R. Affirma, licet *indirectum* sit; nam in moralibus voluntarium directum, et indirectum ad eamdem speciem pertinent; unde ex genere suo omne scandalum datum grave, et speciale peccatum est contra charitatem juxta damnum prævisum, cum obligatione illud vitandi. *(Ita Lugo, Salm., S. Thom., Gury, Ballerini, n.* 235, *cum communi). Væ mundo a scandalis,* ait Christus D... *Væ homini illi, per quem scandalum venit.* (Matth. XVIII).—Admittit tamen materiæ parvitatem, sicut admittunt peccata contra charitatem.

532. **Scandalum passivum est** *ipsa ruina spiritualis proximi.*—Dividitur: 1.° In *pharisaicum*, quod *oritur ex sola accipientis malitia propter dictum, vel factum rectum alterius*, more pharisæorum, qui ex odio scandalum capiebant a sanctissimis Christi dictis, et factis. —2.° In scandalum *pusillorum,* seu *infirmorum*, quod *oritur ex ignorantia, aut debilitate accipientis propter dictum, vel factum alterius rectum, aut indifferens.*

Hinc scandalum esse potest *datum,* quin sit *acceptum,* et viceversa; in quo casu est potius tribuendum malitiæ sine ratione illud accipientis. Tamen ad scandali peccatum non est necesse ut de facto sit acceptum, sed sufficit ut occasio detur, ex qua probabiliter existimari queat, ac debeat sequi posse; nam quod non sequatur, per accidens, non per dantem, stat.—Ratio periculi ejusdem colligitur ex dantis, et accipientis circumstantiis; quo sensu explicatur illud D. Bernardi: *Nugæ nugæ sunt in ore sæcularium, in ore sacerdotum blasphemiæ. S. Lig. n.* 43. Unde si quis peccat coram aliis, qui sunt parati idem facere, nec ejus exemplo moventur; vel coram iis, qui conditione, vel pietate sua scandalum non sunt accepturi, non censetur scandalum dare. *Sanch., n.* 6.

533. Q. *An sit scandali peccatum petere aliquid ab eo, qui illud quidem est daturus, sed cum peccato?*

R. I. Affirma, si petatur res ex se mala, uti meretricium; porro etsi parata jam sit meretrix, certe ei infertur ruina pejor opere complendo, et petens contra charitatem, et contra castitatem peccat. *Ita Scavini, S. Lig., aliique cum Sporer, qui hanc sententiam vocat communem ac certam,* contra *Azor., Sot., Valent., Henriq.* et *alios* id negantes; nam uti dicunt hi, jam est meretrix in actuali, seu virtuali voluntate peccandi.

II. Si vero quis petat rem, quæ absque peccato præstari possit, uti mutuum ab usurario, juramentum a falsum juraturo, sacramentum a peccatore, graviter peccat tum contra charitatem, tum contra specialem virtutem ad quam lædendam occasionem præbet; nam ex hoc duplici capite vitare tenemur proximi ruinam, et virtutum læsionem.—Excipe, si causa proportionata adsit, ut n. 7 diximus. *Ita Scavini, S. Thom., D. Augustinus, S. Lig., n.* 47, contra *Lugo, Cajet., Sot, Navar., aliosque* id negantes; cum usurarius v. gr. voluntatem deliberatam peccandi jam habeat, si occasionem ei proponas, ista anticipatio accidentaliter tantum peccatum illius variat.

534. Q. *An teneamur opera nostra omittere, si ex illis proximus scandalum sit passurus?*

R. I. Nihil unquam juri naturali contrarium facere, vel omittere licet, vel necessarium saluti necessitate medii, ad quodcumque scandalum passivum vitandum; intrinsece malum equidem esset, et *non sunt facienda mala, ut inde eveniant bona.* Talia sunt præcepta fidei, spei, charitatis, aliquorum sacramentorum, et præcepta naturalia, saltem negativa: aliqui vero contendunt posse aliquando omitti præcepta affirmativa; v. g., proximum corrigendi, cum majus timeatur malum; licet hæc limitatio nobis parum arrideat; nam in tali hypotesi verius præceptum jam per se cessat. *S. Lig.*, *n.* 51.

II. Opera præcepta nunquam sunt omittenda ob scandalum pharisaicum; siquidem potius ansa bonum impediendi per malitiam daretur. Secus ob scandalum pusillorum; prævalet sane naturale præceptum de scandalo vitando præcepto mere positivo. *(Ita Suar., Salm., Scavini, n.* 890, *S. Lig.. n.* 51. Unde uxor semel, vel iterum omittere debet jejunium, ex quo maritus graviter offenderetur. Item si ituro te ad Sacrum die festo excitanda sit gravis rixa, vel cædes.—Item superior peccata subditi sæpe dissimulare potest ad vitandas turbas, et majora mala. *Layman.*

Hinc sequitur quare mulierem scientem esse turpiter concupitam semel, aut iterum se abstinere teneri a Sacro, licet præcepto, ut docent *Lay.*, *Suar.*, *Salm.*, *n.* 51, *aliique;* nam præceptum naturale vitandi scandalum præferendum est præceptis positivis: sed non tenetur ultra, ut valde probabiliter dicunt *S. Lig. ibid.*, *Lay.*, *Tour.*, *Spor. n.* 29; nimis quippe durum esset semper, aut frequenter ad id teneri.—*Alii plurimi* cum *Elbel* censent posse, sed non teneri Sacrum tunc omittere; cum ex alterius malitia scandalum accedat; quod quidem nisi id concedant ob probabilitatem oppositæ sententiæ, difficile videtur; nam si absit necessitas vitandi scandalum, non apparet cur Missæ interesse non teneatur, ait *Ballerini.* Hujusmodi obligatio vitandi scandalum raro continget, dicit *Suarez, de Mar., disp.* 10, *c.* 3, *n.* 10. Confessarius in hac opinionum varietate consilia præbeat, obligationem non facile urgeat.

III. Opera non præcepta, ex *D. Thoma*, aliquando differre, aliquando omittere tenemur ad pusillorum scandalum vitandum, ratione majoris boni; nam scandalum vitare est de lege naturali; alia non præcepta sunt tantum de consilio. Hinc illud Apostoli: *Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum.* (I Cor. VIII). Sed in hisce rerum adjunctis melius est rationem reddere boni operis, et scandalum pusillorum fiet pharisaicum, propter quod amplius bonum opus sive spirituale, sive temporale omitti non debet, juxta illud Christi: *Sinite illos: cæci sunt.* (Matth. XV). Sic nec Christus destitit cum publicanis manducare, licet pharisæos scandalizari sciret. *S. Thom.*, 2. 2, *q.* 43, *art.* 7.

IV. Ob pusillorum scandalum actio indifferens omitti debet, donec tollatur occasio scandali, si absque difficultate fieri possit; si enim cura de bono proximi obligare potest ad bonum faciendum, cur non etiam aliquando ad intermittendum? præsertim cum nullo bono spirituali propterea privatur homo, ait *Suarez.* Aliunde ista omissio præcipue est necessaria in actu exteriori; in desiderio interiori siquidem potest fructum retinere, et meritum; quod eo ipso erit majus meritum ratione charitatis actus.

V. Ad scandalum pharisaicum vitandum sunt omittenda opera indif-

ferentia, si absque difficultate omttti possint, donec scandalum tollatur, vel delinquens expresse, vel tacite, ratione charitatis moneatur. *(Varceno, pag.* 375).

535. Q. *An dimittere tenearis bona temporalia ad scandalum vitandum?*

R. Nega, propter scandalum pharisaicum: secus daretur occasio malis illa rapiendi, quod bono communi noceret, ut ait *Angelicus* (2. 2, *q*. 43, *a*. 8). Hinc non teneris solvere plus æquo operariis, licet prævideas propter hoc esse blasphematuros; incommodum enim illud licet leve in se, sæpius occurrere potest, et sic in complexu grave fiet; aliunde ad blasphemandum id esset incitamentum. *(Gury, S. Lig., l.* 2, *n*. 52). Item parochus jura stolæ dimittere non tenetur ad præcavendas obtrectationes; gravia enim non sibi modo, sed et successoribus damna inde evenirent: magis ergo expediet, eos, a quibus sua jura repetit, deinde eleemosynis adjuvare. *(Ballerini)*.—Item Prælati lites omittere non possunt, vel ea, quæ sint necessaria ad bona Ecclesiæ conservanda, ob scandalum pharisaicum: imo etiam ob scandalum pusillorum, etsi his prius rectitudinis ratio reddi debeat. *(Diana, S. Thom., D. Lig., n*. 52).

Tamen quoad scandalum pusillorum nemo potest dimittere bona sibi commissa, vel Ecclesiæ, etsi differri debeat exactio, donec instruantur, ut ait *S. Antoninus cum Laym., Sporer.*—Dicunt autem *S. Antoninus, Caj. et Val.*, quod si adhuc post monitionem populi scandalum non cessat, et magna immineat fructus spiritualis jactura, melius se geret Prælatus, si Ecclesiæ assensum procuret, ut debitum remittatur. Sed in hoc bene advertit *Layman* pensandas esse circumstantias malorum, et bonorum, et sentire cum *D. Thoma*, qui ait: Propter *scandalum pharisaicum... non sunt temporalia dimittenda; quia hoc et noceret bono communi; daretur enim malis rapiendi occasio; et noceret ipsis rapientibus, qui retinendo aliena, in peccato remanerent* (a. 8). Sed utilius erit rationem reddere, et postea fiet scandalum pharisaicum, de quo nihil amplius curandum.—Item nemo tenetur dimittere ob dictum scandalum bona magni momenti, ut sustinent *Palaus, Sanchez, Sporer, Diana, Suarez, etc.*, quia charitas non obligat cum gravi incommodo.

536. Q. *An liceat suadere minus malum alicui ad majus determinato?*

R. Probabilius licet, si omnino quis jam sit determinatus, dummodo circa eamdem personam versetur; v. gr. parato aliquem occidere, suaderi potest, ut ab eo furetur; nam tunc qui suadet, vel permittit, non malum quærit, sed bonum, nempe minoris mali electionem. Secus non liceret; tunc enim suadens tertiæ personæ nocere, esset quidem causa efficax mali. Excipe, nisi hic alter ex charitate teneatur hoc minus malum in se pati ad damnum alterius gravissimum impediendum. *(Scavini, Gury, S. Lig., n.* 57, *aliique* contra *Laym., Azor., etc.,* dicentes, etiam tunc licitum esse verum malum suadere.

Q. *An liceat etiam peccati occasionem aliquando alteri ponere, vel permittere?*

R. Affirma probabilius, si adsit causa; peccans enim non inducitur ad peccandum, sed ponitur actus indifferens cum sufficienti ratione, scilicet, ut dominus, vel pater a periculo damni eventuri servet se indemnem, vel ut opportunum subditos delinquentes corrigendi locum

inveniat, quem aliter non facile inveniret. Sic pater, vel dominus sinere valet esculenta pretiosa, vel pecuniam in loco publico ad servi fidelitatem probandam. Custodes agrorum abscondere se possunt, ut damnificantes capiant. Tunc rationabiliter permititur peccatum unum, ne plura fiant.— Secus vero dicendum, si actus non sit indifferens, sed intrinsece malus; ut esset ad luxuriam, hæresim provocare; nam esset directe scandalizare. (*Scavini, Gury, S. Lig., n. 28 et 58, cum communi).*

537. Q. *Utrum in scandalo detur peccatum contra charitatem, et contra virtutem, ad quam violandam proximus inducitur?*

R. I. Affirma, *quoad scandalum directum;* quælibet enim virtus non solum contrarios actus specialiter vetat, sed etiam ne quis alium directe ad eam violandam inducat. *Ita communiter.*

II. *Quoad scandalum indirectum* plurimi item affirmant, eadem ratione; et quia licet occasio inductiva ad læsionem positive non influat, influit indirecte; at voluntarium directum, et indirectum ad eamdem speciem pertinent; ergo... Aliunde si scandali occasio proximi charitatem lædit, cur non reverentiam, amorem, et puritatem virtutum, quæ sunt objectum præstantissimum, contra quod scandalum tendit? (*Ita Scavini, S. Lig. l. 2, n.* 45, *S. Thom., et alii plurimi.*)

Alii vero id negant; diversa quippe est ratio obligationis; nam exemplum non est causa directe influens, sed tantum occasio; et omnes aliæ virtutes, præter charitatem erga proximum, obligant ad instar virtutis justitiæ, quæ utique obligat, v. gr. *ne procures alios furari, non tamen ut eorum furta impedias, et ad hunc finem abstineas ab intemperantia,* ut aiunt *Lugo, disp.* 16, *n.* 161, *Gury, Ballerini, n.* 236, *Varceno, p.* 371, *et alii*). Juxta hanc opinionem nec confiteri tenetur pœnitens speciem scandali indirecti; nec si coram pluribus, vel paucis eodem actu scandalum dederit.

538. Q. *An peccans cum alio circumstantiam sollicitationis confiteri debeat?*

R. Negant *Lugo, Tamb., Sanch., Gury, n.* 237, *S. Lig., l.* 2, *n.* 46, aliique satis probabiliter; nam accedente alterius consensu, adest ejus cooperatio ad ruinam alterius; proindeque et peccatum contra charitatem; et tunc sollicitatio non est nisi quid aggravans: quocirca scandali peccatum sufficienter accusatur, dicendo peccatum cum aliis commissum, v. g. fornicationem, turpem conversationem, etc., etiamsi, ut arguit *S. Lig. n.* 46, *cum Tour.,* in fornicatione, adulterio, incestu, sodomia triplex adsit peccatum, nempe propter pollutionem propriam, et alienam, et vicissim propter cooperationem ad peccatum illius, qui alterum polluit; sed confessarius jam illa diversa peccata in confuso intelligit. Hæc diversa peccata in uno actu adesse negant *Suar., Spor., n.* 435, et non improbat *S. Lig. ibid.* (V. n. 310).

Affirmant *Salmant. et alii non pauci;* nam inducens est principalis, ac efficax causa peccati; ideoque adest speciale peccatum contra charitatem, et virtutem; cum cooperans tantum ad externum actum jam determinatum influat. Hinc juxta hanc sententiam qui scandalum sive directe, sive indirecte dat, in confessione explicare debet non solum peccatum scandali, quo charitatem læsit, sed etiam alias virtutes læsas; an castitatem, vel religionem, aut justitiam; et item numerum eorum, quibus scandalum datum est; quippe tot sunt peccata, quot jura læsa.

CAPUT X.

De cooperatione ad aliena peccata in genere.

539. Cooperatio in genere est *concursus cum alio principaliter agente.*—Prout autem charitati adversatur, definitur: *Participatio quædam ad pravam alterius actionem.*

Divisio: I. *Immediata,* et *mediata.* Prima est *quando cooperans agit cum peccante in ipso actu peccati,* v. g. in furto, in fornicatione.—Secunda vero *quando ponit alias actiones connexionem aliquam cum peccato alterius habentes;* v. g. scalam applicare, vel januam ad furandum aperire.

II. *Positiva,* et *negativa.* 1.ª est, *quando cooperans actionem aliquam ponit in alterius peccatum influentem, vel audaciorem, aut securiorem illum reddentem;*—2.ª vero est *omissio actus debiti,* v. g. oppositionis.

III. *Formalis,* et *materialis,* 1.ª est *cum quis cooperatur actuali peccato alterius,* v. g. fornicationi admissæ; vel *cooperatur malæ voluntati alicujus,* uti furem recipere, qua fur. 2.ª vero est, *cum quis operam suam exhibet actui alicujus ex se indifferenti, qui ea ad malum finem abutitur,* uti vinum se inebriare volenti præbere, vel domus claves dare. *(S. Lig., l.* 2, *n.* 63).

Datur cooperatio *proxima,* et *remota; physica,* et *moralis; directa,* et *indirecta.* (V. n. 5, et T. II. n. 324).

540. Q. *An liceat actioni alterius peccaminosæ cooperari?*

R. I. Numquam licet peccato alterius formaliter cooperari; nam talis actio moraliter, et directe in peccatum alterius influit. (*S. Lig., n.* 63).

II. Licita aliquando est materialis cooperatio, si malus effectus per bonum compensetur, et bonus ille effectus immediate a causa procedat; vel si scandalum aliis non producat, quasi nempe putent nos ex animo cooperari.

Hinc eo major requiritur ratio ad cooperandum, 1.º quo propinquior, et major sit cooperatio; — 2.º quo probabilior est effectus secuturus, vel alterum non peccaturum, te non cooperante; — 3.º quo pejor est effectus, vel quo magis justitiæ, vel charitati peccatum repugnat; — 4.º quo minus habes jus ad tale opus. Ratio est, quia cum tu præstes actum bonum, vel indifferentem sine prava intentione, et alter illo abutitur ad peccandum, tunc non est actio tua, quæ conjungitur pravæ voluntati proximi, sed ille conjungit suam pravam voluntatem tuæ actioni; unde fit quod actio tua non est causa illius peccati, sed tantum occasio, quam auferre non teneris, si justam causam eam ponendi habes. Ratione charitatis teneris peccatum illius impedire; sed charitas non obligat cum gravi incommodo: ideo ponens tuam actionem cum justa causa, non peccas. *(Scavini, n.* 895, *Gury, S. Lig., l.* 2, *n.* 63). (V. n. 7).

Unde licite materialiter cooperantur, — 1.º sponsa contrahens cum sponso, quem scit sacramentum in mortali accipere.—Secus de sponso, qui sciret alterum votum castitatis habere ad contractum; quippe illicitum concurreret. (*Layman, Sanchez, S. Ligor., l.* 2, *n.* 60);—2.º parochus Eucharistiam præbens hæretico, excommunicato, peccatori occulto, si

publice petat, vel privatim, si ex sola confessione notitiam habeat.—Peccaret utique qui ab alio peteret quod sine peccato concedere nequit, ut idolis sacrificare, blasphemare, veram pietatem irridere, et similia. (V. t. 2, n. 339).

De cooperatione in particulari.

541. Quoad famulos. I. Nulla videtur cooperatio, si famulus equum heri ad peccandum profecturi sternat; cum hoc idem sit, ac pileum porrigere. (*Gury, Ballerini, n.* 251).

II. Non licet probabilius famulo herum ad lupanar comitari, ratione famulatus, nisi grave ei damnum immineat; nam proprior est cooperatio. (*Gury*, *S. Ligor.*, *n.* 64, contra *Bus.*, *Nav.*, *Man.*, *etc.*, qui sola ratione famulatus id permittunt). Maxime si inde herus animosior fiat; vel si absque comitatu non iret. Secus illud permittunt *Salm.*, *Sanch.*, *etc.*, quippe tunc est merus comitatus. Excusatur etiam quoties non est certus de pravo domini animo. (*Volger, Gury*).

III. Probabilius potest famulus metu mortis, mutilationis, infamiæ, ab utili famulatu ejiciendi, quando non potest alium sic utilem invenire, vel alterius gravis damni, scalam domino deferre ad fornicandum, et humeros subjicere; cum hoc *ex se* malum non sit, sed tantum ex pravo fine heri. (*S. Lig.*, *l.* 2, *n.* 66).

Sed postea si aliud hujusmodi timeat, domum heri deserere tenetur famulus, et alium quærere, si absque suo gravi damno potest. (*Gury*, *n.* 250).

IV. Verius non licet famulo ratione famulatus munera meretrici deferre; nam hæc *per se* turpem amorem fovent, quod intrinsece malum est. (*Scavini, S. Lig.*, *n.* 65, *etc.*, contra *Sanch.*, *Bus.*, *et plures alios*, id permittentes, loquendo tantum de esculentis, et aliis munusculis).

V. Numquam licet famulo ob metum gravem scribere, et deferre litteras amatorias ad concubinam domini; quia hæc formaliter ad ejus peccatum concurrunt, turpem amorem fovendo. (*Scavini, S. Lig.*, *n.* 67). In dubio an litteræ contineant amatoria, cum constet de turpi amore, moraliter creditur turpia continere.—Si sola urbanitatis signa contineant, etiam requiritur justa causa ultra obsequium famulatus. (*Ita S. Lig.*, contra *alios*).

VI. Licet famulo ostium meretrici aperire, modo, ipso non apariente, adsit alius, qui aperiat; et prop. 51, ab Innocent. XI damnata, intelligitur de aperitione *per vim* facta. (*Ita S, Lig.*, *n.* 66, *Salm.*, *n.* 14, *cum communi*).

VII. Non licet aurigis, aut nautis meretricem ad amasium deferre, nisi excusentur ratione gravis damni aliter subituri; quamvis inter amasium et concubinam peccatum jam conventum esset; neque ratione talis damni id licet famulis, etsi dominus sine illis esset æque peccaturus; eo quod tunc non peccaret sine eorum coperatione, quam præstare nequeunt sola ratione famulatus, aut servitii. (*Ita S. Lig.*, *n.* 64, *etc.*, contra *alios*).

VIII. Negant *Salm.*, *Pal.*, *Vazq.*, *Dian.*, ait *S. Lig.*, *n.* 69, licere famulo carnes in die vetito ministrare, nisi adsit dubium saltem de justa heri causa; cum nemo præsumendus sit malus, nisi probetur. Secus si grave damnum inde famulo sequeretur; charitas equidem non obligat cum gravi damno. *Sporer* id permittit sola relatione famulatus.

IX. In civitatibus, in quibus vitandi majoris mali causa permittuntur usurarii, et meretrices, licet eis domum locare, maxime si alii conductores non inveniantur; nisi tamen meretrices graviter nocerent vicinis honestis, vel ob istud locatores ansam majorem peccatis darent. (*S. Lig.*, *n.* 70, *cum communi*). Addit *Gury*, *n.* 250: *aut illis alias ædes conducere facile sit.* Quod dicitur de famulis, valet etiam de filiis, et uxore.

542. **Quoad operarios.** I. Licet operariis indiscriminatim arma construere, et vendere, etsi in genere cognoscant aliquos iis abusuros, secus talem commercium prorsus rueret. Excipe 1.º, si abusus contra justitiam prævideatur; — 2.º si innocentis perversio non fiat nisi per has merces; etsi malum non sit præsumendum, nisi de abusu constet. Sic vendere licet aleas, fucos, gladios, venena, ornatus, etc.; cum res sint indifferentes; — 3.º si de abusu constat, non licet, nisi ratione gravis damni rem non vendendo secuturi; vel nisi ratio proportionata excuset. (*S. Lig.*, *n.* 17, *Gury*, *n.* 254). Alii excipiunt, si neque tunc impediretur peccatum, quod est tota causa prohibitionis; v. g. quia æque ab aliis emeret peccator. *Croix*, *Nav.*, *Azor.*, *Sanch.*, *et alii*, quod non admitit *S. Lig.*, *n.* 71, nisi alias notabile incommodum patiatur venditor.

II. Licet theatra ædificare, honeste ea ornare; cum licitum sit principi spectacula permittere, et omnis cooperatio ad malum est valde remota. (*Gury*, *n.* 252).

III. A peccato mortali non eximuntur architecti conductores, fabrorum magistri, qui scientes et volentes propriam conferunt operam, atque laborant ad extruendum aliquod protestantium templum, vel synagogam judæorum. Structores aliique inferiores operarii a peccato eximi poterunt, secluso scandalo, neque opus fiat in religionis catholicæ contemptum. Plerumque abest scandalum, cum omnes sciunt hos operarios inferiores operam suam conferre penuriæ et miseriæ causa, atque in iis insudare, eo quod alibi mercedem non habent; præsertim si idem sine ipsis fieret; et etiam statuas falsorum deorum ad solum platearum, vel ædificiorum ornamentum construere valent; secus si pagano essent tradendæ. (*Scavini*, *Gury*, *S. Lig.*, *n.* 72, *et S. O. C.* 14 *jun.* 1818). (V. n 345, in fine).

IV. Non licet pecunia, vel hortationibus concurrere ad publica monumenta erga impios, sacrilegos, vel injuste famosos; nam esset eorum principiis subscribere, ac eorum iniqua molimina probare.—Neque id licet cum animo tantum referendi ad bonum, quod fecerunt, aut ad eorum ingenium; sane intentio non mutat opus, nec scandalum aufert; secus et diabolo erigi posset monumentum. (*Varceno*, *p.* 383, *Scavini*, *n.* 957).

V. Licet captivis ex gravi metu contra catholicos remigare, arma construere, advehere, et ædificare propugnacula, mala externa bonis christianorum inferre; nam hæc intrinsece mala non sunt, nec christianis proxime perniciosa; et cum ex gravissima causa fiant, omni culpa carent. Secus si hæc illi negantes a magno periculo classem christianam eriperent, vel ad ejus victoriam conferrent; tunc hoc bonum vitæ suæ anteponere tenerentur. (*S. Ligor.*, *n.* 73, *cum comuni*).

At non liceret, etiam mortis metu, actu pugnantibus contra innocentes catholicos, hos occidere, mutilare, tormenta explodere, ignem navibus applicare, et similia; hæc quidem intrinsece mala sunt; nec illis patroci-

nari potest consensus ipsorum innocentium. (*Varceno, p.* 382, *Scavini, n.* 957).

VI. Non licet organa pulsare, vel canere in templo infidelium, vel hæreticorum in honorem idoli, vel tempore functionum; esset enim in falso cultu participare; item campanas pulsare ad annuntiandam hæreticorum concionem, cum sit invitationis instar.

VII. Illicitum est *immediate* cooperari pravis libris edendis; v. gr. typos ordinare, chartam typis apponere, impressionem dirigere; quippe hoc intrinsece malum est, saltem est cooperari ad multorum ruinam. Excipiunt *Frassinetti*, *Laym.* casum gravissimi damni, et ob id ad breve tempus tale quidpiam præstare, secluso scandalo, ac religionis contemptu, ut si filius typographi hæretici ad fidem converteretur, qui sine suo gravissimo detrimento patrem tam cito deserere non possit. *Mediate* autem cooperari, v. g. atramentum, vel chartam præparare, aut libros impressos ordinare, gravi de causa communiter licere docent *AA.* cum *Gury*, *n.* 253.

VIII. Incolæ provinciæ, vel urbis, quam tyrannus occupat, licite inter iniquos possessores manent, eosque, cogente imperio, juvant contributione, excubiis, fossione.

Hinc etsi ab omni culpa absolvere velimus, v. g. eos, qui externa lætitiæ signa præbent pro aliquo reprobato opere, ut faces noctu incendendo, vexilla pandendo, domum ornando, campanas, et musica instrumenta pulsando, adhortationes hac de re prælo subjiciendo, aut vulgando, vel affigendo, gestando signa peculiaria, ac mali operis significativa, etc., ideo quia secus mala multa eis revera gravia imminent; ac etiam principis consensus tunc præsumitur; non sunt certo excusandi qui talia subito præstant non repugnantes, nulloque periculo imminenti, neque remoto scandalo; quod scandalum majoris esset damni, si illud præberent viri ecclesiastici. *Scavini, n.* 955.

Item omnino dedecere videtur spectaculis interesse, quibus invasiones, usurpationes, et similia celebrantur, nisi adsit ratio officii, vel alterius gravis causæ, et tunc amoto scandalo; nam videtur quasi tacita mali operis approbatio, cujus gratia talia exercentur. (*Laym.*, *Varceno*, *Scavini*, *l.* 2, *n.* 955, *S. Lig.*, *n.* 74).

543. Quoad divina. I. Formalis, et intrinsece mala ad ritus superstitiosos censetur cooperatio, si fuerit pars hujus ritus; e contrario censenda materialis, si non fuerit pars talis ritus; et aliquod grave damnum, quod immineat, a peccato cooperationis in hoc casu excusabit. (*S. Officii Cong.*, 2 *jul.* 1827). Hinc si quis suffragium tibi mandet pro certo indigno, non tibi licet cooperari; nam spirituale suffragium ejus nomine facere, esset illius peccato cooperari. (*Scavini, n.* 957). Si vero princeps ob bellum, aut victoriam injustam publicas preces fieri jubet, juxta *Lessium*, metu gravis damni, licite fiunt, intendendo in corde orare pro felicis causæ successu. —Sed non licet privatis, nec parochis eas indicere, vel facere, neque fines mutando, vel tergiversando; siquidem publicas preces indicare ad supremam Ecclesiæ auctoritatem spectat: tergiversatio enim finis esset publica deceptio, apertus sacrorum abusus, et fidelium scandalum, quod est omnino illicitum, etsi metus gravis damni concurrat. (*Varceno, p.* 383, *Scavini*, *l.* 2, *n.* 955).

II. Non licet Missam celebrare, et eleemosynam ob eam accipere pro

græco schismatico, *nisi expresse constet eleemosynas a schismatico præberi ad impetrandam conversionem ad veram fidem.* (S. Off. Cong. 19 apr. 1837).

III. Licet sacerdotibus Missam cum eleemosyna celebrare pro turcorum, aliorumque infidelium intentione, *dummodo non adsit scandalum, nihil in Missa specialiter addatur, et quoad intentionem constet nihil mali, aut superstitionis in infidelibus eleemosynam offerentibus subesse.* (S. Off. Cong. 1863).

IV. An licite paciscantur christiani cum paganis Tunk. occident. ut partem operum publicorum, et licitorum in pago sustineant, modo pagani non illos inquietent cum superstitionibus, non illis mandarinis prodeant, et accusent, et insuper tractent negotium superstitiosum coram mandarinis pro toto pago ad libitum. Sic agendo christiani solummodo intendunt se a superstitionibus faciendis liberare, et sese mandarinis occultare. Respondit S. O. Cong. 1841: *Prout exponitur, posse tolerari, seu non esse inquietandos.*

V. Licet christianis prædia ad delubrum spectantia conducere, præsertim si contrahendi rationi consona causa concurrat; nam res est suapte natura indifferens.—Locati pretium solvere debitum est justitiæ, etsi putet conductor delubri gratia impendendum. (*S. C. de Prop. fide* 1807). Scandalum inde oriturum contestatione compesci debet, et conductor hortandus, ut abstineat a locatione, si inde aliquod periculum perversionis, vel scandali occasio timeatur.

VI. Gentiles conversi ad veram fidem, qui tabellas progenitorum familiæ servant, si superstitiosæ sint, nec possunt domi conservare, nec aliis tradere, si propriæ sunt, sed tenentur eas destruere; secus vero si ad alios pertinent, obstringuntur tunc eas de domo tollere, vel suos dominos monere, ut ipsas e domo sua tollant, et sibi sumant. Pari jure paganorum idola, quæ proselytus depositi gratia servat, suis dominis sunt restituenda. (*Ita S. O. Cong.* 1781).

VII. Christiani, qui emunt territoria supra quæ idola, aut idolorum oratoria sunt, non possunt monere gentiles, quorum prius erat territorium, ut ea tollant, *si proprietas horum idolorum, vel oratoriorum sit annexa territorio, et cum fundi dominio transeat ad emptorem, qui tenetur ea tollere, et destruere, vel formam eorum ita immutare, ut omnis cultus superstitiosi removeatur occasio... Si sint publici juris, ac sub principis potestate, non licet christianis ea tollere, vel destruere, sed potius abstineant ab iis territoriis emendis.* (S. O. Cong citata).

VIII. Non licet christianis locare domos, et officinas gentilibus, si expresse petantur ad fanum construendum; licet vero si constet domos petere ad inhabitandum, et officinas ad usum indifferentem. (*S. C. de prop. fide ad Vic. Apost. Christianensem*).

IX. Permitti potest christianis solutio tributi (præsertim protestatione præmissa), quam largire nolens ab ingressu in mercium forum prohibetur, etsi partim ad thus falso numini adolendum cedat. (*S. C. ad Vic. Ap. Tunkini occid.* 1816).

X. Possunt christiani Sinenses pecunia contribuere, quæ eis exigebatur, ut in anno novo in dæmoniorum idololatriis, simulque aliis indifferentibus populi lætitiæ demonstrationibus expendenda, *dummodo per hujusmodi contributiones non intendant ad actus superstitiosos concurre-*

re, supposita causa, nempe, ad vitandos tumultus aliquos contra christianos, præsertim præmissa, si commode fieri potest, protestatione. (*S. C. de prop. fide*, 1645, *ad PP. Dominicos in Sinis*).

XI. An magistratus catholicus jussus emere bibliam hæreticæ versionis suis impensis pro ecclesia parochiali, vel pulpitum erigere pro concionatore hæretico, vel tribunal judiciale extruere in monasterio, facere id possit; an artifices circa hoc laborare? S. Off. Cong., 17 aug. 1613, respondit: *Non licere magistratibus; artifices vero, si absque periculo non possint se ab hoc abstinere, et eximere, poterunt circa prædicta laborare.*

XII. Christifidelis, qui sciens et volens delubri muros, januas, implementa diruit ac perdit, et ea de causa ab ethnicis captus, *tenetur ad restitutionem titulo justitiæ.* Ita S. O. C., jun. 1818.

XIII. Non licet catholicis latinis permittere, ut in eorum ecclesiis Missam celebrent presbyteri græci ritus schismatici, et hæretici. Tolerari potest, ut causa meri civilis honoris materialiter tantum comitentur funera catholicorum, minime vero ut in illa functione proprios ritus adhibeant, vel ut nostris se immisceant. (*S. O. C.* 10 *maj.* 1873).

XIV. Non licet catholicis ritus græci non habentibus catholicam ecclesiam ejusdem ritus communicare in divinis cum græcis schismaticis, et hæreticis; sed in tali necessitate ad ecclesiam catholicam latinorum confugiant, et in defectu sacerdotis ritus catholici græci a sacerdotibus latinis sacramenta suscipiant. Extra casum necessitatis non licet sacerdotibus latinis administrare sacramentum pœnitentiæ græcis catholicis communicantibus in divinis cum græcis schismaticis. *Eadem S. O. C.*

XV. Non licet suscipere baptismum, nisi in extrema necessitate, etsi aliunde beneficia juris civilis amitti debeantur; nec matrimonium contrahere coram parocho intruso, seu schismatico. *Invasores omnes sive Archiepiscopi, sive Episcopi, sive parochi appellentur. ita devitate, ut nihil cum illis sit vobis commune præsertim in divinis.* Ita in Apost. Litt. Pii VI, 13 apr., et 26 sept. 1791. Ratio: quia intrusus non est parochus, nec ullum titulum, sive verum, sive coloratum habet; nec licet cum schismatico communicare in divinis.

Exequias defunctorum celebrandas esse a parochis legitimis in domibus privatis juxta Ecclesiæ ritum, si aliter fieri nequit. His vero expletis, etsi non possunt impedire quominus cadaver e domo ab intruso exportetur, et ab eo funus fiat, catholici nec funus comitentur, nec sacras preces socialiter cum illo recitent, nec alios Ecclesiæ ritus cum eo agant. *(Ibidem.)* Vide Scavini, l. 2, n. 958.

544. **Quoad caupones, et venditores.** I. Non licet cauponis vinum dare iis, qui prævidentur se inebriaturos, nisi adsit gravis causa, v. gr. ad rixas, blasphemias, sævitias vitandas, vel si aliter notabiliter minueretur emptorum numerus: etenim charitas non obligat ad peccata impedienda cum gravi incommodo, tam proprio, quam alieno. (*Billuart, Gury, S. Ligor., l.* 2, *n*, 69, *cum plurimis aliis*).

II. Idem dic de præbente carnes comesturis ipsas in die vetito. *Busemb., Sanch., S. Ligor., ibid.*—Excipe, si carnis petitio fiat in religionis contemptum; porro tunc esset res intrinsece mala.

III. Licet vero quando communiter carnes petuntur; difficilius quippe esset inquirere de rationibus cujusque petentis, plerumque peccatum æque fieret, subministrantibus aliis, et caupones notabile damnum

paterentur, dum paulatim ad eos fere nemo veniret. (*Bouvier, Gousset, Sanchez, l.* 1, *c.* 6, *aliique*).

IV. Ob simile periculum excusantur plerumque caupones in locis ubi catholici vivunt mixti hæreticis, vel ubi divertunt rhedæ publicæ, qui mensam cibis licitis, et illicitis struunt; nam cum constet plerosque carnes petituros, non videtur necessarium a singulis petere quid velint. (*Gousset, n.* 303, *S. Ligor., ibid.*).

V. Demum ea quæ ad peccatum proxime concurrunt, vel inducunt, vel cum justitia pugnant, etsi ex genere suo sint indifferentia; v. gr. hero alterum occisuro gladium dare; ostendere illum, qui ad necem quæritur; compulsare campanam sine scandalo ad concionem hæreticam; meretricem, etsi conductam, et paratam, e domo evocare, et ad herum deducere; furi scalam applicare; gerenti injustum bellum mutuas pecunias dare, gravissimam causam requirunt, hoc est, metum tanti mali, quod secundum leges charitatis nemo teneatur subire ad evitandum alterius malum; v. gr. si alias occidendus esset. (*Layman, c.* 13, *n.* 4, *S. Ligor., l.* 2, *n.* 69).

VI. Circa caupones qui choreas in ædibus admittunt, ut plures alliciant hospites, prudenter inquirat confessarius circumstantias, et modum, quo istæ fiant; nam etsi ab hoc avertendi sint omnes, in quantum fieri possit, tamen non semper est eis neganda absolutio, nisi habeantur minus honestæ, ut peccati occasionem præbeant; uti plerumque in hisce receptaculis fiunt. (*Gury, n.* 256).

DE SECUNDO DECALOGI PRÆCEPTO.

NON ASSUMES NOMEN DOMINI DEI TUI IN VANUM. (*Exod.* XX).

Nomen Dei profanatur per blasphemiam, juramentum, et votum illicitum, aut violatum.

CAPUT I.

De vana SS. nominis Dei usurpatione.

545. **Nomen Dei vane usurpari** dicitur, cum *sine rationabili causa, vel debita reverentia assumitur.*—*Tripliciter* fieri potest: 1.° *Ex impatientia* in se ipsum, aut etiam in creaturas inanimatas; v. g. *Deus meus! Bone Deus!* et similiter.—2.° *Ex admiratione:* v. g. *Oh Deus meus! Jesus, et Maria!*—3.° *Superflue,* plerumque ex consuetudine, levitate, vel mera

formula, uti: *Deus meus, quantus calor, vel frigus, ventus!* aut *Per Deum! per Christum! uti existit Deus,* etc.

Q. *An vana nominis Dei usurpatio peccatum sit, et quale?*

R. I. Affirma; lædit sane reverentiam tanto nomini debitam. *Nominatio vero Dei non sit assidua in ore tuo.* (Eccli. XXIII). *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.* (Exod. XX).

II. Tamen *per se* veniale non excedit; cum ita reverentia illa non graviter lædatur, nisi adsit formalis contemptus; nam tunc de ratione blasphemiæ participare censetur. *(Gury, n.* 297). Dicitur *contemptus formalis;* eo quod *virtualis,* qui generatim in quolibet reverentiæ, obsequii, et obedientiæ defectu adest, gravitatem blasfemiæ nequaquam induit.

Hinc si ira contra Deum, vel in formalem Dei contemptum non feratur, utut gravissima, verborum naturam non immutat, nec gravem reddit vanæ usurpationis Dei nominis culpam. *(Ballerini, ibidem).* In ira contra hominem, vel minores creaturas, non indignando Deo, ejus sanctum nomen usurpare, est peccatum inter venialia grave, ait *S. Ligor., l.* 3, *n.* 128, *cum Sanchez, aliisque.* Unde locutio hispanica communis nimis: *Voto á Dios,* cathalaunice autem: *Voto a Deu,* leve erit; nisi ira, vel contemptu in Deum dicatur. Sæpe culpa vacat hæc usurpatio ob ignorantiam, vel inadvertentiam. Non tamen sunt excusandi, qui ex consuetudine SS. Dei nomen semper in ore, at non in corde, habent sine reverentia. *(Bouvier, de* 2.º *præcep.)* Qui reverenter illud invocant, Sanctorum, et Angelorum imitatores fiunt, et præmium merentur.

Idem, proportione servata dicendum est de Sanctorum, et Virginis Mariæ, ac de SS. Dei nomine. *Et nominibus Sanctorum non admiscearis.* (Eccli. XXIII). Idem dic de vana usurpatione S. Scripturæ verborum, quando irreverenter sumuntur. *(Gury, n.* 298).

546. Q. *An sit peccatum frequens, et inutilis nominatio diaboli?*

R. Nega *per se;* imo suadendum est eis, qui contra Deum, vel Sanctos verba proferunt, ut execrabile diaboli nomen ponant. Reprobanda tamen est ut minus decens talis nominatio in ore christiani, maxime in sacerdote, qui ratione scandali interdum immunis ab aliqua culpa non est. *(Bouvier, Gury).*—Quidam asserunt esse veniale per se. *(Ita Voit, n.* 514).

CAPUT II.

De blasphemia.

547. **Blasphemia** est *locutio contumeliosa in Deum.*—Tripliciter dividitur; nempe, ratione *modi, objecti,* et *intentionis.*

I. *Ratione modi* alia est blasphemia *cordis,* alia *oris,* alia *operis.*—1.ª est quæ interius consummatur, juxta illud: *Dixit insipiens in corde suo: non est Deus.* (Ps. XIII).—2.ª ea est, quæ verbis exterius prodit, uti Deo maledicere.—3.ª vero illa est, quæ opere committitur; v. g. lapidare, vel spuere Crucifixi imaginem.

—*Blasphemia oris* subdividitur in *simplicem, hæreticam, hæretica-*

lem, imprecativam, et *dehonestativam*. 1.ª est quæ aliam malitiam præter blasphemiam non includit, ut Deo maledicere;—2.ª est quæ hæresim continet, quod tripliciter fieri potest: *Primo:* Deo tribuendo quod ei non convenit; velut dicere *Deum esse auctorem peccati*, vel *tyrannum, injustum. Secundo:* auferendo quod ei convenit; v. g. *Dicere Deum non esse justum, providum, nolle nos juvare, nostra non curare*, et similia. *Tertio:* tribuendo creaturæ quod Dei proprium est; ut diabolo tribuere virtutem corda scrutandi. Si quis vero hæc ore proferens, corde non credat, habetur blasphemia hæreticalis;—3.ª *imprecativa* est malum Deo imprecari, v. g. dicere: *pereat Deus;* — 4.ª *dehonestativa* est vera de Deo pronuntiare, sed per contemptum, ex ira, malo animo erga Deum, ut illa Juliani apostatæ in Christum impie excandescentis: *Vicisti, Galilææ, vicisti;* licet a criticis in dubium hoc factum revocatur. *S. Lig. n.* 121.

II. *Ratione objecti* alia est *immediata*, et alia *mediata;* prout in *Deum*, vel in *Virginem*, *Sanctos*, vel *res sacras* proferatur, cum relatione ad Deum.

III. *Ratione intentionis* est *directa*, et *indirecta:* 1.ª est, quæ *Deum directe aggreditur animo ipsum inhonorandi;*—2.ª est cum *quis blasphemat ex ira, irrisione, more detestabili absque directa intentione Deum inhonorandi.* Hinc:

548. **Blasphemia est.**—1.º dicere: *Male eveniat Ecclesiæ; maledictum Pascha; jurare serio per falsos deos,* nisi irrisorie fiat; vocare Christum *amasium;* Virginem *meretricem,* etsi irrisorie, per hyperbolam; dæmonem *sanctum*, *omnipotentem*, nisi dicatur *sapiens*, *potens*, modo sic ei honor tribui non intendatur. (*S. Ligor.*, *n.* 123).

2.º Item irrisorie, et contumeliose Christi membra usurpare, scilicet: *perdat te sanguis Dei, vulnera, caput, passio, mors Cristi, sacramenta, chrisma, et similia;* cum hæc non ad perdendum, sed ad salvandum sint instituta. (*Scavini, n.* 266, *S. Ligor.*, *l.* 3, *n.* 126, *cum communi).*

3.º Item verba inhonesta cum rebus, et nominibus sacris jungere, vel ad turpia usurpare verba S. Scripturæ, et similia; vel irrisorie jurare per *Virginis verenda*, *Petri*, *Christi*, *Dei*, *et similia*, saltem si scienter, ex contemptu, vel contumeliose hæc proferantur. (*S. Ligor.*, *n.* 123).

4.º Se fædare, vel maledicere aliis quibuscumque rebus, *addito Dei, Christi, vel Sanctorum nomine*, v. g. *me conspurco in hunc Dei equum, vel maledicere Dei vento, lapidi, calori, pluviæ, frigori, et similibus,* velut a Deo imperatis; nam in Deum redundat contumelia, sicut de juramento dicetur. (*S. Ligor.*, *n.* 129). Si vero non addatur Dei, vel rei sacræ nomen, etsi illa ex divina dispositione accidant, et talia maledicta in Deum proferri videantur; in praxi, ob ignorantiam, præsertim a gravi plerumque excusari possunt miseri ruricolæ, aliique similes. (*Scavini*). (V. n. 550).

5.º *Injuriose spuere, manibus, vel pedibus, aut dentibus in cœlum infrendere*, vel dicere: *velit, nolit Deus, faciam, vel non faciam tale*, et similia. *(Gury, S. Ligor., n.* 125). Item Sanctorum imagines lapidare, conculcare, spuere, et similia, ut dicunt aliqui *AA.*, nam est id valde contumeliosum. *Scavini* dicit esse blasphemiam *impropriam*, ideo non reservatam.

6.º Blasphemia hæretica, vel hæreticalis erit dicere: *Deum esse injustum, injuste me opprimere, injuste malos prosperare in mundo, et bo-*

nos vexari sinere.—Item dicere: *Deus est mei plane oblitus*; *quare me creavit Deus, si in tot malis erat me derelicturus; curam mei non habet Deus*, et similia; nisi hæc modo loquendi humano, ex levitate, vel ad ostendendum doloris, ac tædii gravitatem proferantur, ut sæpe a rusticis fieri solet; tunc enim a gravi saltem excusari possunt. *(Voit, n.* 519, *Gury, n.* 300). — Item blasphemia hæretica ex se est dicere: *Sic erat a fato destinatum*, si intendatur affirmare more paganorum, fato universa regi; secus non erit blasphemia. (*Tamb., Sanch.*)

549. **Blasphemia ex se non est**, sed vana nominis Dei usurpatio, 1.° nomen Dei, vel Sanctorum usurpare etiam ira in hominem, vel in alias minores creaturas; aut proferre verba quidem blasphematoria, sed dimidiata, vel corrupta: v. g. *corpus Dei, sanguis Christi, Christe sancte, Deus de Deo, per Deum, per sacramenta sancta, pœnas lues; Sancti cœli, ira Dei, per fidem, vel per vitam Dei, hoc est verum sicut Deus, vel renego Deum, si non te percussero*; quippe nonnisi vane, et ob similitudinem hyperbolicam hæc proferuntur. Excipe si indignatio sit directa contra Deum, vel si adsit scandalum, vel periculum incidendi in blasphemias, quod raro abest. (*S. Ligor., n.* 123 *et* 128).

2.° Neque qui blasphemando addit *extra Deum:* v. g. *nubo, voto*, vel *me conspurco extra Deum.* (S. Ligor., n. 124). Immo studium mutilandi, vel detorquendi blasphematoria verba, detestationem ostendit blasphemiæ; nam vulgus ad suam iram temperandam emphatica quæque verba usurpat; et in praxi consultius erit ei suggerere modum aliquem innoxium æstum illum significandi, quam silentium exigere, ut recte ait *Ballerini.* Aliunde ordinarie non irrisorie in Deum proferuntur, sed in hominem, vel irrationalia, vel ad aliquid firmandum, quod per se veniale non excedit.

Tamen, ut dicunt *Sanch., n.* 41, *Spor., Tamb.*, apud *S. Ligor., n.* 124, omnis blasphemia etiam joco prolata est mortalis, nisi jocus tolleret omnem irreverentiæ rationem in Deum, *quod dicunt raro evenire*, ait *S. Ligor.* In dubio de blasphemia nec ne, minime res ut blasphemia est sumenda. *(Viva, Tamb., aliique apud S. Ligor., n.* 129).

550. Q. *An sit blasphemia maledicere toti mundo, vel creaturis?*

R. I. Affirma, si ut Dei opus maledicatur; nam sicut jurare per cœlum, et terram est verum juramentum, quia in ipsis specialiter resplendet Dei potentia, ita ob eamdem rationem maledicere eisdem creaturis vera est blasphemia, cum in ipsis Deus indirecte contemnatur.—Secus si maledicatur mundus pravus, vel quatenus est Dei inimicus, contraria ratione. (*S. Ligor., n.* 129).

II. Affirma item, si maledicantur creaturæ, in quibus aliquod Dei attributum efulget, vel quæ ex se specialem ad Deum relationem habent; prout *anima, Crux, Evangelium, Missa, sacramenta, Sancti, et similia*, modo blasphemia dirigatur ad hæc velut opera, vel amica Dei, aut cum aliqua ad Deum relatione; v. g. uti sunt res sanctæ. (*S. Lig., n.* 129).— Secus si contumeliose quis in creaturas, vel Sanctos, vel in sacra feratur sine habitudine saltem virtuali ad Deum, et absque odio, indignatione, vel contemptu; ut si contumelia in sola creatura terminetur; v. gr. si quis joco vocat sutores *SS. Crispinum, et Crispinianum;* SS. Apostolos piscatores; vel sicut homines olim in terris; quod veniale tantum erit. *(S. Ligor., n.* 125 *et* 129).—*Maledicere autem rebus irrationalibus, in quantum*

sunt creaturæ Dei, est peccatum blasphemiæ. Maledicere autem eis secundum se consideratis, est otiosum, et vanum, et per consequens illicitum. (S. Thomas, 2. 2, q. 76, a 2). Hinc grave non est simpliciter maledicere horæ, diei, nisi addatur verbum *Sancto;* vel nisi dies quid speciale sanctitatis præseferat; v. gr., dies Natalis, Epiphaniæ, Paschatis, etc.; nam tunc ad Deum refertur, qui omnis sanctitatis auctor est: *Salm. n.* 721, *S. Lig. n.* 129, *cum communi.*—Item ex se blasphemia non est, si quis fidei alicujus maledicit; modo non exprimat, nec intendat fidem sanctam, seu Christi; siquidem nomine *fides* intelligi potest fides humana, et raro saltem quis intelligit fidem sanctam maledicere. *Mazz.*, *S. Lig. n.* 130.

III. Maledicere defunctis ordinarie non est blasphemia; nam non eorum animæ, vel ut sunt creaturæ Dei maledicuntur, sed ad execrandum, vel imprecandum eis ob aliquod bene, vel male factum in mundo; aut ad vivos exprobrandos; unde seclusa gravi imprecatione, veniale non excedit. (*Scavini*, *S. Lig.*, *n.* 130). Idem dic de vivis.

IV. Neque blasphemia est diabolo maledicere, nisi ut creatura Dei maledicatur, quod, seclusa impatientia, nullum peccatum est. *Tamb.* Idem dic de malis, si fiat ad Dei gloriam, vel ad impios deterrendos, et corrigendos, vel ad justos præcavendos, ut fecit David. (Ps. 108). (*Calmet*, *Comm. in Ps.* XXXIV). Neque valet reponere horrorem in fidelibus hæc audientibus; nam horror non est signum blasphemiæ; de aliis indecoris etiam horrorem habent fideles.

551. Q. *Quale peccatum sit blasphemia?*

R. Grave peccatum est, ex *genere suo toto,* etsi quis directe Deum inhonorare non intendat, quod diabolicum est, sed advertenter tantum blasphemare. *Qui blasphemaverit nomen Domini*, *morte moriatur.* (Lev. XXIV). *Nihil horribilius blasphemia*, ait S. Hieronym., l. 7, in Isai. c. XVIII. *Omne peccatum blasphemiæ comparatum levius est.* S. Thomas, 2. 2, q. 13, a 3. Et de blasphemiis in Sanctos addit: *Sicut Deus in Sanctis suis laudatur, in quantum laudantur opera, quæ Deus in Sanctis efficit; ita et blasphemia, quæ fit in Sanctos, ex consequenti in Deum redundat;* (a. 1).

Veniale esse poterit ex imperfectione actus, sicut in aliis rebus. *Blasphemia potest absque deliberatione ex surreptione procedere dupliciter. Uno modo quod aliquis non advertat, hoc quod dicit, esse blasphemiam; quod potest contingere, cum aliquis subito ex aliqua passione in verba imaginata prorumpit, quorum significationem non considerat; et tunc est peccatum veniale... Alio modo quando advertit, hoc esse blasphemiam, considerans significata verborum ; et tunc non excusatur a peccato mortali* (ait Angelicus, 2. 2, q. 13, a. 2, ad 3).—Si quis per jocum dicat verba blasphemiæ, ubi apud audientes abfuerit conjuncta inhonoratio Dei, gravis reatus non erit; secus vero ubi apud audientes conjuncta sit inhonoratio Dei. *(Reuter n.* 442, *Ballerini*).

552. Q. *An omnes blashemiæ specie differant inter se?*

R. I. Affirma, si ex *desperatione, odio, infidelitate, hæresi,* vel *imprecatione* proferantur; nam tunc blasphemiæ accedit nova malitia contra *spem,* vel *fidem,* vel *charitatem.*

II. Nega probabilius de blasphemiis in Sanctos, et Deum; omnes sane blasphemiæ non sunt, nisi in ordine ad Deum; ergo semper sunt blasphemiæ in Deum ratione sui, et speciei ; nisi eos intendat quis injuriis afficere ob propriam eorum excellentiam, seu uti homines

olim in terris degentes, et non quatenus sunt amici Dei: tunc dumtaxat erit blasphemia contra duliam, vel hyperduliam, quæ mortale peccatum erit, si fiat ex odio, contemptu, vel indignatione in Sanctos, ut communiter fit. Secus erit tantum veniale, ut supra. (*Sanch.*, *Salm. n.* 12, *Bon.*, *Laym.*, *Viva*, *Varceno*, *aliique* contra *alios*).

III. Si de directe, et indirecte volita sermo sit, dicunt *Scavini, n.* 124, *Varceno, S. Lig.*, *l.* 3, *n*, 126, *aliique*, specie differre; cum adsit in prima formalis legis contemptus, quod deest in secunda. Tamen alii *cum Ballerini, n.* 299, adducente in sui favorem *Laym.*, *Salm.*, *Less.*, dicunt adesse tantum circumstantiam aggravantem, non necessario in confessione exprimendam; cum non adsit nisi major, vel minor injuria intra eamdem speciem. Et hoc quidem ad praxim multum confert; eximit enim a certa obligatione declarandi in confessione, an directe, vel indirecte volita fuerit; an in Deum, vel in Sanctos quis blasphemaverit.

553. Q. *Ad quid tenetur blasphemiam audiens?*

R. 1.° Blasphemum corripere, si effulgeat emendationis spes.—2.° Blasphemum denuntiare, si blasphemiam hæreticam, vel hæreticalem protulerit, ex decreto *S. Inquis. generalis*, intra mensem; et infra sex dies in Hispania, dicunt *Viva.*, *Salm., n.* 129, etc., modo serio, advertenter, et contumaciter blasphemaverit; secus si ex ignorantia, lapsu linguæ, iracundiæ impetu, quæ usum rationis abripuerit, vel sine pertinacia. Et ut dicunt *Mazzotta*, *Tamb.*, *Viva, apud S. Ligor.*, *l.* 3, *n.* 123, propter desuetudinem, hæc decreta non videntur hactenus obligare; maxime hodie, quia, ut asserit *Varceno, pag.* 447, hæc denuntiandi obligatio ex hoc capite limitatur ad hæreticos dogmatizantes. Tamen qui blasphemiam hæreticam profert cum plena deliberatione, in excommunicationem incidit *speciali modo* Papæ reservatam. (V. nn. 437 et 439).

554. Q. *Quid de iis qui consuetudinem blasphemandi habent?*

R. Sub gravi operam dare tenentur ad illam extirpandam; secus toties graviter peccant, quoties advertenter id omittunt, et blasphemant; tunc equidem periculo proximo peccandi voluntarie manent, et blasphemiæ suæ omnes sunt voluntariæ in causa.—Secus post sufficientem retractionem, si serio blasphemus emendare conetur, etsi a veniali difficulter excusari valeat, nisi nulla omnino adsit advertentia. (*Scavini*).

555. **Remedia contra blasphemiam** sunt *indirecta*, et *directa:* 1.ª sunt oratio, jejunium, maxime frequens confessio;—2.ª sunt occasiones, v. gr. ludos, socios, vitare; serio gravitatem vitii, quod diaboli, et damnatorum proprium est, quotidie meditari, saltem mane et sero, juxta illud Chrysostomi: *Tanta est in blasphemia irreverentia erga res sacras, quam si hæc omnia pedibus conculcarentur;*—Quod blasphemandi consuetudo est reprobationis signum;—Quod ingratus, ac ferus blasphemus sputa dat Christo, qui dedit ei sanguinem.—Post blasphemiam illico se pœnitere, ante Crucifixum genuflectere, vel terram osculari.—Semper præ oculis Dei præsentiam habere, juxta illud: *Humiliamini igitur sub potenti manu Dei.* (I Pet. v).

CAPUT III.

De juramento, et de requisitis ad ejus validitatem.

556. **Juramentum** definitur cum Angelico: *Invocatio tacita, vel expressa divini Nominis in testem alicujus rei.*—Juramentum spectari potest ratione *formæ, temporis*, et *loci*.

I. *Ratione formæ* est: 1.° *verbale, reale*, et *mixtum;* prout verbis, vel signis, v. gr. contactu crucis, aut verbis simul, ac signis conflatur. —2.° *Explicitum*, et *implicitum;* prout quis divinum testimonium conceptis verbis vocat; v. gr.: *Testis est mihi Deus;* vel quis jurat per creaturas, quatenus in iis elucet specialiter aliquod Dei attributum; ut jurare per *sanctam Crucem.*—3.° *Solemne*, et *simplex;* prout fit cum cæremoniis ab Ecclesia præscriptis, uti cum Missa, Communione, etc., vel non.—4.° *Contestatorium*, et *imprecatorium*, seu *execratorium*, et *comminatorium;* prout simpliciter Deus in testem vocatur, vel etiam in vindicem perjurii; v. gr.: *Deus me perdat, si mentior; faciat Deus ut hinc nunquam sanus surgam;* et similia; vel cum sub juramento alteri pœnas quis minatur; v. gr.: *Juro per Deum, quod si hoc facias, pœnas lues.*

II. *Ratione temporis* est *assertorium*, et *promissorium*. 1.^m est *quo præterita, vel præsentia affirmantur, aut negantur;* v. gr.: *Testor in Dei nomine me non esse talis criminis reum;* vel *non audivisse, aut interfuisse ibi.*—2.^m vero est *quo aliquid futurum promittitur;* v. gr.: *Juro in nomine Dei me semper superioribus meis obtemperaturum*, vel *cauponam non ingressurum.*

Tamen in *promissorio* includitur etiam *assertorium;* nam et testem quis Deum vocat, nunc voluntatem faciendi habere, quod promisit; et eumdem Deum promissi quodammodo fidejussorem adhibens, ex virtute religionis obligationem assumit implendi promissionem; nisi jurasset solum de intentione præsenti; v. gr.: *juro nunc me voluntatem habere Romam eundi anno sequenti;* quod sane propositum dein sine perjurio frangere potest. (Ita *Laym., Ballerini, n.* 309, *Varceno, p.* 418).

III. *Ratione loci* est 1.° *judiciale*, et *extrajudiciale*, prout fit in judicio, aut extra;—2.° *decisorium*, et *ex officio:* 1.^m est *quod defertur ab una litigantium parte, a qua pendet causæ decisio;*—2.^m vero est *quod judex ex officio suo defert.* Judiciale dicitur juramentum *calumniæ, malitiæ*, et *veritatis;* prout litigantes illud ponunt animo expresso non calumniandi, neque nocendi, sed ex bona fide ad bonam causam agendam;—vel prout illud ab una exigitur parte; quippe suspicionem tribuit, quod aliquid faciat mali, vel malitiose dicat; vel prout testes jurant totam dicturos veritatem, de qua interrogentur. *(Schmalzg.)*

—*Ex communi sententia*, ait *S. Lig., l.* 3, *n.* 142, omnia juramenta sunt ejusdem speciei. Unde in confessione opus non est explicare utrum per Deum, an per Sanctos juraveris, cum jurans semper intendat saltem indirecte Deum adducere in testem. *Suar., Les., Lugo, n.* 286. Intellige *ex se*, et ex virtute religionis; secus vero si alias species secum conjungant, ut in imprecatorio, vel comminatorio.

557. **Juramentum est res honesta, debitis fulcitum conditionibus.**

De fide est contra pelagianos, waldenses, aliosque hæreticos. Constat: 1.° ex S. Scriptura: *Dominum Deum tuum timebis,...ac per nomen illius jurabis.* (Deut. VI). *Testem Deum invoco in animam meam.* (II Cor. I);—2.° ex Ecclesiæ definitione: in Concilio enim Constant. damnata est hæc Wiclephi prop.: *Juramenta illicita sunt, quæ fiunt ad roborandos humanos contractus, et commercia civilia;*— 3.° ex SS. Patribus, inter quos scribit Augustinus: *Invenimus jurasse Sanctos, jurasse primitus ipsum Dominum, in quo non est omnino peccatum; non ergo est peccatum jurare* (Serm. 180);—4.° ex ratione: Bonum est Deum revereri, ac honorare; in juramento Deus honoratur, ut summa veritas, ipsam adducendo utpote testimonium infallibile, ac irrefutabile; ergo... Unde dicitur: *Laudabuntur omnes qui jurant in eo.* (Ps. LXII). *Omnis controversiæ eorum finis, ad confirmationem, est juramentum,* ait Apostolus. *(Hebr.* VI). Adducitur Deus in testimonium, qui nec falli, nec fallere potest, ad nostram fallibilitatem sublevandam.

558. **Requisita ad validitatem juramenti.** Duo requiruntur, nempe *intentio,* et *formula:* 1.° *Intentio jurandi,* saltem virtualis; est sane quædam lex privata, quæ sine deliberata intentione non concipitur. Si vera adsit intentio, quacumque utatur formula, in foro interno adest verum juramentum, si quis putat sic jurare: secus si vera non adsit intentio jurandi, sed iracunde, et gravius affirmare, etsi propria utatur formula. Unde si quis ob dolum, vel ignorantiam, aut errorem jurat sine jurandi intentione, nulla ei sequitur obligatio in foro interno; secus in externo; hoc enim de internis non judicat, sed de iis quæ apparent. (*Suar., Sanch., Laim., Gury, n.* 307).

2.° *Formula juratoria* requiritur quoad forum saltem externum sive explicita per Deum, sive implicita per creaturas sit, in quibus speciali modo elucet aliqua Dei perfectio, vel aliquod attributum.

Sic erit juramentum: Juro *per Deum,—per Sanctos,—per sacramenta,—per Crucem,—Evangelium,—Ecclesiam, fidem catholicam, altare,—cœlum,—terram, — animam meam,—et similia.* Salm., *n.* 28, Suar., S. Lig., n. 135.

Item dicere: *Deum attestor,—sit mihi Deus testis,—Deum in testem invoco,—per hunc Dei ignem, lapidem, equum, et similia;* cum sic invocatur Dei nomen in se, vel in creaturis. (*Ita Scavini, Gury, S. Lig., n.* 134 *et* 138).—Idem dic de imprecatoriis, ac comminatoriis juramentis.

Non est juramentum dicere: I. *Juro per conscientiam meam,—in rei veritate,—in fide viri probi,—per fidem sacerdotis,* aut *sanctam consecrationem.* (C. Si quis presb. 4 caus., 2, quæst. 5).—Neque *per fidem regis,—per hunc equum, herbam,* et similia; in iis enim non speciali modo elucet aliquod Dei attributum. (*Gury, n.* 308). Neque dicere, est *tam verum quam Evangelium,* (scilicet, suo modo; secus esset blasphemia);—*quam Deus existit,—quam existo in hoc loco,—habear ut hæreticus, si hoc est falsum,* vel juro *per istam crucem:* cruce tamen non signata, et similia; quia hic nec expresse, nec tacite ullus in testem vocatur, sed adest tantum asseveratio vera, aut falsa. *Salm., n.* 24, *S. Lig., n.* 143.

II. Neque juramentum est dicere, per modum sponsionis, vel pœnæ obligationem, ut communiter dicitur: *occidar, amputetur mihi caput,—diabolus me perdat, nisi ita...* Significant: *Si non est ita, spondeo meam*

vitam, vel pœnæ mortis me submitto. Secus vero si per modum execrationis dicantur hæc. *(S. Lig., n.* 143). Imo juxta *S. Ligorium, aliosque,* neque juramentum est dicere: *Juro*, vel *ita juro esse,* nisi præcesserit interrogatio; nullo siquidem modo divinum testimonium invocatur.—Item jurare *per falsos deos.*—Idem dic de hoc responso: *Non, per Deum.* Hæc verba: *Vivit Deus,—Deus veritas est,—coram Deo loquor,—Deus mihi testis esse potest,—scit Deus quod ita est,—coram Deo ita est,* ex se juramenta non sunt; quia non invocative, sed enuntiative proferuntur; tamen ex circumstantiis sunt judicanda. *(Suar., Sanch., Bon., Scavini).*

Aliqui rudes jurare se credunt vana verba, vel aliquas comparationes proferendo, quibus monere oportet tam in catechismis, quam in confessione, ne erronee graviter peccent; etsi a rebus sacris inaniter usurpandis fortiter sint retrahendi.

559. **Jurare possunt.** I. *De jure naturæ* omnis homo usum rationis habens jurare valet; nam quilibet dictum suum confirmare potest per testimonium majus.

II. *De jure civili* ordinarie repelluntur: 1.° Impuberes ob maturitatis defectum.—2.° Puberes, in causa criminali, qui nondum ad viginti annorum ætatem pervenerint, nisi agatur de casibus quibusdem gravioribus, uti de aperiendo crimen læsæ majestatis, vel de revelatione domini occisi. *(L.* 20 *de testib.).*—3.° Perjuri.

III. *De jure canonico,* clerici sine licentia sui Ordinarii; Episcopi sine licentia Papæ; religiosi sine licentia sui Prælati in judicio laico, et coram judice non suo, etsi ecclesiastico, jurare non debent.—Clericus vero, qui sine tali licentia coram judice laico jurat, vel indebito modo sine causa, peccat; ast nullam incurrit pœnam ipso facto, sed judicium irritum facit. Ratio, quia decens non est, ut laicus dominativam, ac judicialem potestatem in clericos sine licentia exerceat.

In causa autem criminali, etsi juret de superioris licentia, præmittere debet protestationem, *se non agere ad vindictam, neque ad pœnam sanguinis;* secus si hæc sequatur, irregularitatem incurrit. Tamen si contractus cum laicis ineant clerici, etiam sine Episcopi licentia, privatim ad illos firmandos jurare valent; cum sit voluntarium juramentum, ac nullo jure prohibitum. *(Schmalzg., Laym., Scavini, n.* 74).

Q. *An liceat præstare juramentum fidelitatis regibus, ac reipublicæ?*

R. Licite ab omnibus subditis exigi potest: I. Si *juramenti forma honesta sit;* id est non contra fidem, ac bonos mores. Hinc a Paulo V, anno 1606, Brevi *Magno animi mœrore,* reprobatur propositum juramentum ecclesiasticis a rege Angliæ, cum multa contineret fidei, et statui adversa.—Ano 1809, Pius VII declaravit illicitum, ac irritum illimitatum juramentum, infidelitatem ac flagitium erga legitimum principem implicans. *(V. n.* 150).

Neque licet præstare juramentum a gubernio italico catholicæ Ecclesiæ hostili propositum verbis, quibus illimitata obedientia continetur. Propositum fuit S. Pœnitentiariæ 10 dec. 1860, an possit fieri juramentum hisce verbis: *Juro fidelitatem et obedientiam Victori Emmanueli regi Italiæ et successori suo; juro observare statuta et leges Status ad bonum inseparabile regis et patriæ italicæ.* S. Pœnit. respondit: *Juramentum prout exponitur, non licere: tolerari autem posse juramentum obedientiæ mere passivæ in iis omnibus, quæ legibus divinis et ecclesiasticis non*

adversantur, juxta formam a S. M. Pii VII approbatam. (V. n. 157, *art.* XII).

Vaterland duo documenta publicavit circa juramentum Status legi præstitum: prius 13 *aug.* 1869 continet sacræ Pœnitentiariæ responsum officiale in Austria petitionis sequentis: *An in conscientia permissum sit Universitatis professori se obligare inviolabiliter observare legem Status?* —R. *Votum vel juramentum designatum illicitum esse.* Posterius ab *Unità catt.* 27 mar. 1870 simile priori: R. *Tale juramentum legi Status, quæcumque sit formula, vetitum omnino esse, sine hac clausula: Absque præjudicio legis Dei et Ecclesiæ.*

II. Si *juramentum nulli juri præjudicat:* inde clerici excipiuntur a jurisdictione sæcularium ex Lateranensi IV, *relato in cap. Nimis de jurerando const.* Hinc clerici fidelitatem regi debent, utpote subditi: at non fidelitatis juramentum, utpote exempti, nisi clerici sint simul feudatarii; nam si aliquid obtinent temporale, laici fidelitatis juramentum, non *homagii,* a clericis recipere possunt; *homagium* quidem importat specialem subjectionem; fidelitas vero civilem recognitionem domini directi, cujus est feudum; clericis 1.m non licet, utique 2.m. Non ideo fiunt civiles functionarii gubernii; cum semper ministri cultus omnino independentis maneant, et stipendium a gubernio solutum nihil sit aliud quam tenuis indemnizatio a multo, quod Ecclesiæ surreptum est. Si aliter a gubernio petatur, ad S. Sedem fiat recursus, uti evenit in regno pedemontano ab anno 1822, ubi ab omnibus ecclesiasticis dictum fidelitatis juramentum exigitur. (*V. n.* 150).

III. *Si suprema potestas legitima sit;* nam usurpator cum nullum habeat jus, nulla ei debetur fidelitas, uti tali; imo repellendus est, non colendus. Secus si jam in pacifica possessione devenerit, tunc ratione publici boni (non prout invasori) est in licitis ei obtemperandum. (*Vecchoitti, l.* 2, *c.* 10).

560. **Jurare tenentur omnes**: 1.° quoties id necessarium sit ad subveniendum proximo, ex lege charitatis; —2.° quoties a superiore legitime exigatur.—Sic obligantur Episcopi, Canonici, beneficiati, professores scientiarum, medici, testes, etc., in sui muneris susceptione; hodie tamen quoad plures non est in usu.

561. **Publicum juramentum fit**: 1.° Laici tam in judicio quam extra, Evangelium tangendo, maxime in causis gravibus, et arduis. (*C. Quot.* IX, *c.* 1, *q.* 7).—2.° Clerici, etiam coram judice ecclesiastico, propositis, non tactis, Evangeliis. Tamen hodie omnes clerici etiam Episcopi communiter jurant manu pectori admota. (*C. VII, Cum in, de juram. calum.*—3.° Hebræus tacto aliquo veteris Testamenti libro jurat, non in oratorio hebræo, sed alibi. *Ita S. Officii Cong.* 17 *aug.* 1826, probante Leone XII.—4.° Jurans tangendo bibliam adulterinam, credens esse veram, bene jurat; secus invalide, et sacrilege. (*Scavini l.* 2, *n.* 227).—5.° Juramentum ab atheo gubernio petitum, fictio est, ac hypocrisis. (*V. Civil. catt., ser. VIII, f.* 3, *pag.* 455).

CAPUT IV.

De requisitis ad juramenti liceitatem.

562. **Triplex conditio requiritur** ad juramenti liceitatem, juxta illud: *Jurabis: Vivit Dominus, in veritate, et in judicio, et in justitia.* (Jerem. IV).—Unde habet S. Hieron.: *Si ista defuerint, nequaquam erit juramentum, sed perjurium.*

Veritas hic est *assertionis conformitas cum jurantis cognitione, ac intentione;* nempe veritas *subjectiva,* quæ excludit omne mendacium; sed non *objectiva*, quæ omnem errorem avertat: sufficit prudens judicium, et magna probabilitas, quæ ad moralem certitudinem pertingat; at non requiritur certitudo absoluta.—Hinc affirmare cum juramento licet, quod a persona ita fide digna auditur, ut moraliter certos faciat audientes.—Excipe in judicio, ubi juramentum, quod exigitur, est de propria certitudine. (*Sanch., Bon., Salm., c.* 2, *n.* 42 *et* 44 *cum communi*).

Cum agitur de testimoniis in judicio, ait *Gousset*, exponi debent motiva ipsorum, ut judices debite ea æstimare possint.

563. **Jurare cum mentali restrictione.** *Restrictio mentalis* definitur: *Actus mentis, quo quis suum sermonem detorquet ad sensum diversum ab eo, quem verba prima fronte spectata præseferunt.*

—Duplex est; alia *late*, et alia *stricte* mentalis. *Prima* est, quæ *ex modo interrogandi, vel respondendi, vel ex usu recepto, aut aliis adjunctis, colligi potest,* v. g. si mutuum petenti respondeatur: *Non habeo,* nempe, *ad tibi mutuandum.*—Triplici modo hæc restrictio fieri potest: 1.° cum verbum duplicem habet sensum diversum; v. g. *volo*, quod sonat tam *velle,* quam *volare:*—2.° Cum sermo duplicem sensum exhibet: v. g. *hic liber est meus*, quod significare potest, me esse *dominum*, vel *auctorem.* —3.° Cum verba duplicem habent sensum; unum magis communem, alium minus, vel unum litteralem, alium spiritualem. Ita Christus de Joanne ait: *Ipse est Elias:* v. g. *in spiritu Eliæ.* Hoc sensu dicunt viri pii cibos delicatos sibi nocere; nempe spiritus mortificationi.

Secunda vero ea est, *quæ ex nullis adjunctis intelligi potest;* ut interroganti, an surripuerit, respondeat: *Non:* intelligendo, *manu sinistra.* Hæc dicitur *pure mentalis;* illa vero *non pure mentalis.* Unde:

I. Nunquam uti licet restrictione *pure mentali*, et multo minus eam cum juramento firmare: 1.° quia ita loqui est mendacium, cum falsum exprimatur, quin ullo modo sensus in mente habitus ab auditoribus percipi possit;—2.° quia id improbatur in S. Scriptura: *Qui sophistice loquitur, odibilis est* (Eccli. XXXVII);—3.° quia ab Innocent. XI id damnatum fuit, uti constat ex prop. 26, 27 et 28, quæ sic jacet: *Qui mediante commendatione, vel munere, ad magistratum, vel officium publicum promotus est, potest cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato regis exigi solet, non habito respectu ad intentionem exigentis; quia non tenetur fateri crimen occultum.* Hanc prop. ad pure mentalem etiam revocat *S. Ligorius.*

II. Commune est cum *S. Augustino, D. Thoma,* 2, 2, *q.* 69, et 110, *a.* 3, licere nobis uti, cum justa causa, restrictione, seu equivocatione,

vel amphibologia *non pure mentali*, etiam cum juramento: 1.° quia non decipimus, neque mentimur; nam sensus retentus satis ex adjunctis percipi potest; sed decipi permittimus, eo quod non tenemur ad aliorum mentem loqui, justa extante causa;—2.° quia sic Christus aliquoties etiam respondit: v. g. *Non ascendo ad diem festum istum*, subintelligendo, *palam*, ut exponunt *Chrysostom.*, *Eutym.*, *Theol.*, *Cornel. a Lapide in Joan.* VII.—Deinde: *De die illo... nemo scit, neque Filius;* nempe *ad manifestandum*, ut *SS. Hier.*, *August.*, *Ambr.*, *et Basil.* interpretantur. Adde inconvenientia in societate, si nullus esset modus secreta honeste celandi. Si ergo bonum est, juramento firmare licet. *Salm.*, *n.* 109, *cum communi.*

III. Diximus, *justa extante causa*, quæ esse *potest quicumque finis honestus ad servanda bona spiritui, vel corpori utilia*, ut ait *S. Ligor.*, *l.* 3, *n.* 151; *non requiritur causa absolute gravis, sed sufficit quælibet rationabilis causa, puta ad se liberandum ab importuna, et injusta interrogatione alterius... Imo, quando adest justa causa necessitatis, vel utilitatis, probabilius potest quis uti amphibologiis in juramento, etiamsi ad jurandum se offerat*, addit n. 170, *cum Salm.*, *c.* 2, *n.* 142, *et communi DD.* Hinc regulariter tali restrictione uti possunt omnes personæ publicæ de rebus suæ fidei commissis interrogatæ, ut confessarius, obstetrices, medici, notarii, secretarii, advocati, magistratus, duces, legati principum, etc., secus gravissima sequerentur incommoda contra bonum commune.

IV. Item amphibologia hac uti queunt, 1.° rei, vel testes non legitime a judice interrogati, subintelligendo *de quo legitime inquiritur;*—2.° venientes de loco false putato infecto, negare possunt, inde venire, nempe *ut peste infecto;*—3.° qui mutuum accepit, et satisfecit, si postea iterum urgeatur, negare potest, ut nempe *denuo solvere debeam;*—4.° ad mensam invitatus de malo cibo dicere potest bonum esse, scilicet, *ad mortificandum;*— 5.° qui habet res sibi necessarias, respondere petenti valet: *utinam haberem! vel gauderem habere; vel non eas habere*, nempe, *pro petenti.* Item indigens bonis absconditis ad sustentationem, judici respondere potest, se nihil habere. *Salm.*, *n.* 140. Creditor ex instrumento asserere potest cum juramento nihil sibi esse solutum, si pars sit quidem soluta, sed ex alio capite ipse creditum habeat, quod probare nequit; modo aliis creditoribus anterioribus damnum non inferat, nec juret talem summam sibi ex illo instrumento deberi; —6.° coactus ad matrimonium dicere valet, non contraxisse; nempe *libere, ut par erat;* idem dic de matrimonii promissione; — 7.° qui ad gabellas non tenetur, dicere potest: *se nihil ferre, ut solvere teneatur;*—8.° adultera marito asserere valet, non fregisse matrimonium, *quod vere persistit;*—9.° famulus ex jussu Domini negare potest ipsum esse *hic*, nempe *in janua*, vel *fenestra*, vel *quatenus videri possit;* vel egressus est domo, scilicet, *in præterito.* Item respondere ipsi licet, *dico non*, nempe *profero particulam non.* (Ita *Scavini, S. Lig.*, *n.* 153, *et seqq.*)

Rogatus a judice, an sit locutus cum reo, negare potest, intelligens *non locutum fuisse ad crimini cooperandum.*—Uxor debitum denegans, cui constat matrimonium esse nullum, judici, vel confessario, qui alias nollet eam absolvere, potest asserere cum juramento, se cohabitare cum viro, intelligens de *licita ipsi cohabitatione.*—Qui a fure vi obligatur ad promittendam pecuniam, valet cum juramento subintelligere: *dabo, si tibi de-*

buero, secluso juramento. Canonicis ad secretum obstrictis fas est jurare nihil manifestasse, si vere nihil eorum, quæ sub gravi celare tenebatur, manifestaverint. Ita *Salm.*, *n.* 141 *et* 142. Qui eligendus sit in officium aliquod, rogatus, negare potest impedimentum habere; si revera illud non sit tale, quod eum impediat.—Probabiliter mercatores jurare queunt, mercem carius ipsis constare, intelligendo *expensas etiam pro vectura, apotheca, etc.* Ita *Croix*, *n.* 301 *cum Gob.*

Asserere licet coram notario accepisse pecuniam, quam reapse quis non recepit, intelligendo, *eam pro accepta habere;* quia certus moraliter est alterum brevi pecuniam sibi fore soluturum. Ita *Tamb.*, *n.* 20, *et* 23, quod probabile dicit *S. Lig.*, *n.* 167, ex communi usu loquendi. Reus legitime interrogatus satis probabiliter potest, etiam cum juramento, nomen negare, si grave damnum ex confessione ei immineat, ut pœna mortis, vel carceris, aut exilii perpetui, amissionis omnium bonorum, triremium, et similium; lex enim humana sub gravi obligare nequit cum tanto onere. Ita *Lugo, n.* 15, *S. Lig.*, *n.* 156 *cum aliis plurimis* contra *S. Thom.*, *et alios,* qui probabilius quidem id negant, ait *S. Lig. ibid.;* nam tunc reus pro communi bono damnum illud subire tenetur; alias graviter perturbaretur ordo judiciorum.

Excipe tamen, ex omnibus supra dictis, cum *Lug.*, *n.* 67, 1.° semper ac auditores exinde in aliquod grave malum inciderent; v. g. contra fidem, justitiam, castitatem, vel alias virtutes; tunc illud impediendum esset ex lege charitatis, et harum virtutum honore;—2.° quando ratione offici tenemur aliquem instruere, et vera ei docere, ne erret; maxime si stipendio ad id devinciamur;—3.° quando contractus onerosos, et mutuos celebramus; nam ex justitia ad mentem contrahentis loqui debemus;—4.° quando judici, vel prælato legitime interroganti sub gravi, respondere jubemur, ex lege siquidem obedientiæ ad mentem suam respondere tenemur, ut docent *Bon.*, *S. Ligor, ibid.*;—5.° addi potest ratione boni communis; ut siquis ad sacros Ordines promovendus interrogaretur de *censuris, irregularitatibus, natalibus;* vel siquis matrimonium contrahere volens de *impedimentis* interrogetur; sincere, citra ullam æquivocationem quæsita fateri debent ii omnes; nam, ut ait *Viva*, non exigitur hic criminis confessio ad vindictam; imo neque absolute exigitur, ut crimen manifestetur, modo a postulatione ad Ordines, vel a matrimonio retrahatur indignus: agitur enim de bono communi, cui privatus se subdere tenetur, etsi cum gravi proprio damno, ut probabilius docet *Scavini cum communi.*

—Hisce exceptis casibus, *ex se,* in probabiliori sententia veniale est amphibologia sine ulla justa causa uti; nam in tali juramento *adsunt veritas, et justitia; deficit tantum judicium seu discretio, cujus deficientia non est nisi venialis*, ut merito ait *S. Lig.*, *n.* 151, *cum Sanch.*, *Salm.*, *Scavini, et communi.* Tamen caute in hac re procedendum est, ne societati, consuetudini, ac christianæ simplicitati noceamus; sed quoad fieri possit: *Sit... sermo vester, est, est: non, non.* (Matth. v).

564. Q. *An si quis sive reus, sive contrahens, æquivoce jurando, alium decipiat, absolvi possit, quin veritatem aperiat?*

R. Affirma probabilius *ex se;* sic enim non peccavit nisi contra justitiam legalem, ac obedientiam, cujus obligatio veritatem fatendi est actualis, seu in actu interrogationis. Tenetur utique alteri satisfacere alia via, casu injustitiæ, vel damni causati; et si nequeat, juxta *Salm.* debitum in judi-

cio detegere devincitur. *Sed etiam excusarem, si omnino essent impotentes, in præsenti, vel in futuro*, ait *S. Ligor.*, *n.* 155.

565. **Perjurium** est *juramentum veritate destitutum*. Ex genere suo semper peccatum mortale est; semper etenim gravis Deo irrogatur injuria in testem falsitatis eum adducere, quasi ipse decipere posset, falsum testando. Unde Innoc. XI hanc damnavit prop., n. 24: *Vocare Deum in testem mendacii levis, non videtur tanta irreverentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem.* Hinc S. August. ait: *Peccatum perjurii magnum esse peccatum nemo dubitat.* (Serm. 180). In praxi ratione indeliberationis, aut ignorantiæ, maxime in rudibus, et in juramentis implicitis, facile veniale tantum erit. *Salm., n.* 28 *et* 29.

566. Q. *An liceat juramentum petere a perjuro?*

R. Nega, sine justa causa; esset quidem ejus peccato cooperari: unde ait August.: *Qui scit et cogit jurare, homicida est.* Secus si justa adsit causa; ut si ex juris ordine, vel ratione officii, judex petat juramentum; vel si valde tibi interest perjurio uti ad fraudes alterius manifestandas, ut jus tuum consequaris; vel id exigat causa utilis honesta, ut dicunt *Pal., et Elbel, n.* 110; nam tunc ex sola pejerantis malitia sequitur perjurium, cum tu jure tuo utaris. (*Ita probabilius Suar., S. Thom., q.* 29, *Salm., Scavini, aliique).*

Idem dic de eo, qui per falsos deos sit juraturus. *Qui utitur fide illius, quem constat jurasse per falsos deos, et utitur non ad malam rem, sed ad licitam et bonam, non peccato ejus se sociat, quo per dæmonia juravit; sed bono pacto ejus quo fidem servavit;* ait S. August., Epist. 154.

567. **Judicium** *hic non sumitur pro executione justitiæ,* ait Angelicus, *sed pro judicio discretionis*, nempe pro consideratione, prudentia, reverentia, ac necessitate; quia *sancta sancte sunt tractanda.* Ad hoc tria requiruntur: 1.° *Necessitas* sive ratione officii, sive charitatis, sive utilitatis propriæ, vel alienæ, corporis, vel animæ, famæ, vel alterius juris. —2.° *Spes fructus.*—3.° *Probabilitas implendi.*

Jurare autem ex levitate, consuetudine, vel ficte cum juramento promissorio, communiter docent cum *SS. Antonin., Lig., n.* 145, *Scavini, n.* 78, *Gury, n.* 308, non esse nisi veniale; cum non adsit nisi vana nominis Dei usurpatio. Unde major securitas in contractibus, pax confirmanda, et similia, causa sufficiens erit ad tollendum omne peccatum.

Excipe 1.° si adsit pejerandi periculum, (ut in illo, qui sine attentione, sitne verum an falsum, quod jurare solet, consuetudinem non tollit,) gravis scandali, aut alterius gravis damni. Hinc: *Vir multum jurans implebitur iniquitate, et non discedet a domo illius plaga.* (Eccli. XXIII). *Sanch., n.* 10. Juramentum, ait *D. Thomas*, est velut medicina nostræ fragilitatis, quæ quanto salubrior, si debite sumatur, tanto magis nocet, si eam quis temere recipiat. Hac de causa Christus indiscriminatim juramentum prohibuit hypocritis pharisæis. Unde S. Augustinus ait: *Falsa juratio exitiosa est, vera juratio periculosa est, nulla juratio secura est.* (Sermone 180).

568. **Justitia** *hic consistit, ut res jurata sit justa, licita, et honesta.* Ex defectu justitiæ, juramentum grave peccatum erit semper ac quis illo promittat se aliquid mali gravis facturum, v. g. homicidium, furtum, adulterium; vel si juramento utatur ad consummandum peccatum etiam leve; quocirca ita jurans, quantum in se est, Deum facit fidejussorem, et

complicem sui peccati; nam tale juramentum includit obligationem ex virtute religionis, *ut homo faciat esse verum id quod juravit, secundum suam possibilitatem*, ait *Suarez, l.* 1, *c.* 8, n. 2, *et* 3, *cum D. Thom.* 2. 2, *q.* 89, *a.* 7, *ad* 1, *Scavini, n.* 79, *Varceno, Ballerini, n.* 311, *S. Lig. n.* 146, *aliique* contra *Antoine, Bon., Less., Bill., Suar., Collet, Gury, etc.,* tenentes veniale esse jurare exequi rem venialiter malam; cum non nisi ut testis propositi invocetur Deus, minime vero ut fidejussor. Ast reponi posset: atqui tale propositum peccandi jam in se includit peccatum; ergo invocatur Deus ut testis, et fidejussor actualis peccati. Venialiter sane peccat qui jurat aliquid contra consilia evangelica; v. gr. se non daturum eleemosynam, aut mutuum, non ingressurum religionem, etc., quia in se nonnisi minus bonum jurat. Ita *Suar., S. Lig. n.* 146.

—Attamen juramentum de re mala, vana, inutili, prodiga, indifferenti, contra legem, etiamsi tantummodo pœnalem; vel contra consilia evangelica, non obligat, cum juramentum non sit impedimentum majoris boni. Excipe, si in ultimo casu sit in favorem tertii; ut si alteri obligaveris tuum famulatum; tunc religionem ingredi non posses absque relaxatione juramenti; nam ille jus acquisisset. Secus si jurasses Cajæ eam ducere; nam huic promissioni tacita inest conditio, nisi meliorem statum eligam. *Scavini, l.* 2, *n.* 79, *S. Lig. l.* 3, *n.* 146, 176, *et* 177.

— Item si facta promissio a jure irrita sit in odium creditoris, semper ac sine peccato adimpleri possit; v. gr. promissio solvendi usuras; et hoc certum est apud omnes, ait *Sanchez, n.* 3.—Vel promissio sit facta meretrici, si hæc opus suum præstiterit. Secus si non præstiterit. *Spor., Lay., S. Lig. n.* 177. —Qui promittit concubinæ cum juramento, aliam non cognoscere, probabilius ad illud tenetur; ex regula juris debet quidem impleri juramentum semper ac possit sine peccato: occasio enim illa per accidens evenit. Ita *Salm., Sanch., S. Lig., n.* 184, contra *alios.*

—In juramento autem *assertorio* circa rem malam, veniale ex se erit peccatum; non enim assumitur ad firmandam voluntatem peragendi malum, sicut in promissorio, sed ad alios certiorandos de malo patrato; quod porro non est nisi vana nominis Dei usurpatio, ut jurans credatur. *Licet narratio sit de peccato mortali, sæpe ipsa non est peccatum saltem mortale; quia non fit complacentia in illo, nec cum injuria tertii, nec cum scandalo: imo si illa narratio habet honestam causam, vel necessitatem, poterit nullum esse peccatum; si vero leviter fiat, solum erit venialis culpa*, ait *Suarez, l.* 3, *c.* 12, *n.* 7. Ita probabilius, et communis cum *Salm., Scavini, n.* 79, *S. Ligor., n.* 146. *Gury, n.* 311. Excipe si una cum juramento adesset de peccato gravi commisso complacentia, aut scandalum; vel assumeretur ad firmandam gravem proximi calumniam, aut detractionem; quippe tunc adhiberetur uti medium ad malum. *Videtur enim tunc augeri graviter malitia contra religionem, et irreverentia in Deum, ita ut hoc titulo necessarium sit... in confessione explicare; quia nomen Dei assumitur quasi instrumentum ad faciendam injuriam gravem proximo, quod gravem injuriam Dei continet*, addit Suarez, ibi, n. 8.

569. Q. *An valeat juramentum contra primum juratum?*

R. *Nega*, si materiæ primi opponatur; v. gr. si jurasti matrimonium Cajæ, ac postea illud jures Bertæ, esset hoc de re illicita. *Affirma*, si opponatur in actu jurandi tantum, ut si jurasti non jurare, ac dein jures; etsi peccaveris jurando, implere teneris; nam secundum juramentum est

de materia licita: *S. Lig.*, *n.* 179: item licet, si judex te compulisset in judicio jurare; secus tuum primum juramentum non esset de meliori bono, sed de malo, nempe ad coarctandam auctoritatem superioris. (*Scavini, n.* 228).

570. Q. *Quotupliciter peccat juramentum de re mala implens?*

R. Dupliciter: nempe, contra religionem, divina auctoritate abutendo, et contra virtutem, cui opponitur juramentum. (*Gury, n.* 315). Unde gravissime peccant, et nullum faciunt juramentum, omnes in occultis societatibus jurantes, sive carbonariorum, sive liberorum muratorum (vulgo francmasones), et similium; in malo siquidem sunt fundatæ. Et in cujus Dei nomine jurant isti increduli?

CAPUT V.

De juramenti promissorii obligatione.

571. I. In juramento promissorio duo affirmantur: scilicet præsens jurantis animus implendi promissum, et intentio implendi suo tempore. Si Deo promittatur, est votum cum juramento; si autem homini, est jurata promissio humana. Ita communiter *Laym.*, *S. Lig.*, *n.* 172. Hoc juramentum eamdem habet conditionem, ac promissio, cui est annexum; quia accessorium sequitur principale. Si ergo non obligat promissio, neque juramentum. *S. Lig. n.* 180.

II. Certum est gravem promissionem juratam sub gravi obligare; cum sit de re gravi. – Secus probabilius sub levi tantum obligat, ut in voto: non enim adest perjurium, nam jurans actu voluntatem implendi habebat; sed tantum infidelitas, quæ, cum ratione objecti levis sit, ad gravem culpam ejus omissio protrahi nequit. Aliunde, nonne in voti omissione omnes materiæ parvitatem admittunt? Et nonne ex eodem religionis motivo tenent votum, ac juramentum? Ita cum communi *Scavini*, *S. Antonin.*, *Varceno*, *p.* 417, *S. Ligor.*, *n.* 173, ubi ait: *Si res promissa non sit gravis*, *hujusmodi infidelitas ad gravem culpam non pertingit.* Hinc qui cum juramento promisit rem exiguam, vel castigare prolem; nolle primum locum occupare; præcedere in portæ ingressu; minore pretio vendere, si postea contrarium agat, leviter tantum peccat. *Sanch.*, *Laym.* Idem certo dicunt AA. de parva violatione, vel omissione ex re gravi promissa. *S. Lig. n.* 173.

III. Nullum est juramentum de re illicita, vel impossibili, aut plane inutili, vel otiosa, ac vana, aut majus bonum impediens; sane juramentum non est vinculum iniquitatis, aut vanitatis. Neque reviviscit, etsi postea res illicita, vel impossibilis, vel otiosa esse desinat, juxta juris Reg. 18, in 6: *Non firmatur tractu temporis quod de jure ab initio non subsistit.* Hinc qui contra fidem priorum sponsalium secunda sponsalia jurata contraxit; vel qui, invita, aut ignorante sua conjuge, religionem professus est, ad hæc non tenetur, neque mortua prima conjuge, vel sponsa; quia irrita ab initio erat promissio secunda, et jam non firmatur. *S. Lig. n.* 179.

572. **Juramenta sic sunt interpretanda.** I. Juramenti obligatio stricte est interpretanda, et sequitur naturam actus, cui adjicitur; nam

censetur jurans voluisse se obligare quam minime potuit; dein juramentum non mutat actus naturam, sed tantum ei religionis onus superaddit.

II. Obligatio juramenti est interpretanda juxta conditiones tacitas in eo inclusas, ac usum receptum, et in favorem jurantis, cum sit vinculum propriæ voluntatis. Unde intelligitur: 1.° si potero sine gravi damno; —2.° si res non sit notabiliter mutata;—3.° si superioris voluntas, aut jus non obstet;—4.° si alter reciprocam fidem servet in mutua promissione; —5.° nisi de jure suo alter cedat. *(Gury, S. Ligor., n.* 180).

Hinc non peccat qui urbanitatis causa juravit se ante superiorem non sessurum, bibiturum, etc., si ab eodem coactus prius sedeat, bibat; quippe juramentum vel est nullum defectu intentionis, vel materiæ aptæ, vel a superiore relaxatur, et cedit jure suo. *(Scavini, S. Lig., n.* 180). Neque peccat negligens, qui juravit intra mensem debitum soluturum, si a creditore prorogetur.

Q. *An juramentum non ludendi obliget ad abstinendum etiam a ludo honesto, et moderato?*

R. I. Nega de juramento in genere facto. *Ita omnes,* ait *S. Lig. n.* 178.

II. Affirma vero si juramentum expresse sit factum abstinendi etiam a ludo licito, et moderato; nam actus virtutis est se abstinere etiam ab aliquo actu virtuoso ad majorem perfectionem. Hinc si jurans majus bonum intenderit, v. gr., ut Deo vacet, se mortificet, etc. implere tenetur. Secus si absque tali fine juraverit. *Salm. n.* 95 *et* 100, *S. Lig., n.* 178, *cum communi,* contra *Dic., Nav., Rodr., aliosque* absolute negantes; cum talis ludus ad virtutem eutrapeliæ pertineat: potest utique pecuniam alteri dare ad ludendum, et ipsum observare, et etiam adjuvare; nam hoc proprie ludere non est. *Sanch., Salm. n.* 99, etc.

573. Q. *An obligatio juramenti promissorii ad hæredes transeat?*

R. Affirma, quoad promissionem realem; omnia enim jura, et onera defuncti ad hæredes transeunt.—Secus quoad vinculum personale, seu religionis ex juramento; neque perjuri erunt, si realem promissionem non impleant, quamvis sint injusti. (*Scavini, S. Thomas).*

374. Q. *An valeat juramentum dolo, vel errore extortum?*

R. Nega, si error, vel dolus versetur circa rei substantiam, et probabiliter etsi circa illas accidentales circumstantias, quæ si ab initio essent notæ, a juramento, et promissione deterruissent, ut ait *S. Ligorius* de votis; quæ ratio valere debet in juramentis, utpote gratuitis, ut bene notat *Ballerini, n.* 313. Aliter obligaret juramentum. *(Gury, ibid.)*

575. Q. *An obliget promissorium juramentum gravi, et injusto metu extortum?*

R. I. Nega, si de juramento irrito a jure sermo sit; est quidem contra bonum commune, ac de re illicita, et inepta: talia sunt fori ecclesiastici renuntiatio, sponsalia, matrimonia, et professio religiosa injusto, ac gravi metu extorta. *S. Lig., n.* 177. (V. n. 568, et T. II, n. 107).

Secus communius, ac probabilius erga Deum obligare docent *Suar., Lugo, S. Lig., l.* 3, *n.* 174; etenim quodlibet juramentum est servandum, quando fieri potest absque peccato, tum ne Deus in testem mendacii adducatur, tum quia promissum expedit servare, tum quia jus canonicum dicit Ecclesiam relaxare juramentum metu extortum; ergo validum supponit. *Decret., l.* 1, *tit.* 24, *de jurej., c.* 15.

Negant autem alii cum *Azor.*, *Silv.*, *S. Antonin.*, quia juramentum naturam actus sequi debet, ac firmare nequit actum de natura sua nullum.—Tamen omnes conveniunt quod metum patiens relaxationem a superiore expetere valet, et si jam solverit, in judicio poscere potest, aut occulte se compensare, ut ait *Viva*, si solutum juridice obtinere nequeat. *S. Lig., n.* 174. Neque ridicula est talis assertio; in omnibus enim onerosis contractibus fere in judicio permittitur talis relaxatio ratione metus. Hinc adimpletur quod ait *Scavini:* Deo tribuitur promissum ob sanctitatem juramenti, et repetitur ab homine ob extorsionis iniquitatem, vel ante traditionem petitur rescissio juramenti.

576. **Resolves.** I. Si quis metu mortis latroni juravit, se ei pecuniam daturum, vel in furtis consociare velle, probabiliter tenet juramentum quoad primum, utpote de re licita, cum sine peccato eam dare valet, quamvis relaxationem antea petere queat ratione injuriæ; non vero quoad secundum; nam latroni sociari in furtis est quidem res mala. *S. Lig., n.* 174, *et* 177.—Si autem ita jurans ante traditionem moriatur, ad illam profecto non tenentur ejus hæredes; nam onus erat mere personale, et solius religionis titulo, minime vero obligatio realis debiti.

II. Qui juravit servaturum aliquod secretum; v. g. circa electiones, artes, medicinas conficiendas, licite illud revelare potest ad vitandum grave damnum tum proprium, tum alienum, sive spirituale, sive temporale; talis equidem promissio jam subintelligitur, *si non nocet;* aliunde juramentum esse nequit vinculum iniquitatis. Excipe confessionis, et consilii secretum ratione publici boni, et in quibuscumque semper ac non adsit sufficiens ratio juxta nocumenti gravitatem. *S. Lig., n.* 183, *Scavini, l.* 2, *n.* 229.

III. Qui juravit judici se dicturum quæ novit, non obstringitur secreta revelare, ad quæ jus non habet judex; bene autem alia; nam tale juramentum sine peccato adimplere valet absque gravi incommodo.—Qui vero ad carcerem redire juravit, etsi probabilius implere devinciatur cum probabili sui injusti gravissimi damni periculo, cum redire sit actus virtutis, ut probabilius tenent *Salm., n.* 75, *S. Lig., n.* 186; tamen juxta *Vazq.*, *Nav.*, *Tamb.*, *aliosque* non adstringitur, nec potest; esset enim se periculo illi sponte offerre, quod malum est.

IV. Jurantes statuta alicujus congregationis, capituli, etc., servare tenentur sub gravi, vel sub levi, sub pœna, vel sub consilio ad modum obligationis statuti quoad edita in vigore manentia, vel quæ a majori parte communitatis servantur, nisi aliud voluerint; non vero quoad edenda, seu desuetudine obsoleta, vel in usum non recepta, aut impossibilia, vel a majori communitatis parte non observata; siquidem promissio ipsa non aliter obstringit. Hinc inferunt, officiales, qui taxam præscriptam servare jurant, non peccare aliquid amplius recipiendo, si stipendium aperte insufficiens sit. *Salm., n.* 83, *Scavini*, *S. Lig., n.* 181.

V. Famulus, qui filio-familias juravit ejus peccatum se nemini dicturum, ad promissum tenetur, nisi intercedat correctionis necessitas, relapsus periculum, vel justa superioris interrogatio; nam contra bonos mores, et leges non tenet juramentum.—Item parentes, ac domini subditos punire jurantes, raro implere adstringuntur, vel quia juramentum fuit de re vana, aut de inordinata vindicta, et ira, non vero de moderata, et christiana correptione; subinde sine jurandi intentione, sed tantum terrendi;

tum quia delinquentes jam sunt emendati, vel emendari promiserunt. —Secus si verum, ac prudens esset juramentum; cum sit de re bona, et possibili. *S. Ligor., n.* 186 *cum communi.*—Idem currit dicendum de mercatoribus minoris non vendendi jurantibus, aut pluris non emendi. Ita *communissime cum Gury, n.* 315.

577. **Juramentum promissorium fictum** est jurare sine animo jurandi, vel se obligandi, aut implendi. I. *Si absque animo jurandi,* piaculum est; nam divino illuditur testimonio: unde proscripta ab Innocent. XI sub n. 25 fuit hæc prop.: *Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis.* Ast communissime veniale non excedit; cum non sit nisi divini nominis vana usurpatio. Excipe 1.° coram judice;—2.° in contractibus;—3.° ratione gravis deceptionis contra justitiam, vel obedientiam; in hisce enim casibus ex se intercedit gravis deceptio. *S. Lig., n.* 172.

II. *Si autem quis jurat sine animo se obligandi*, tam si habeat intentionem implendi quam non, probabilius ad nihil devincitur, et venialiter tantum peccat; hujusmodi juramentum necessaria conditione quidem caret ad promissorii juramenti naturam, scilicet, animo se obligandi; juramentum promissionis naturam sequitur, quam confirmat; promissio hæc nulla est; ergo... Ita *Salm., n.* 19, *S. Lig., n.* 172.

III. *Si vero quis jurat sine animo implendi*, graviter peccat; verum equidem juramentum affective violat. Idem dic si quis ad juramenti obligationem non advertat; hæc enim ex illius natura sequitur, nisi positive excludatur. Secus probabilius si illam ignorat: nemo sane onus contrahit, nisi volens illud sibi imponere. *Scavini, n.* 228, *S. Lig., n.* 172.

578. **Cessat juramentum** iisdem ferme modis, quibus votum, nempe: 1.° *Cessante causa finali;* tunc enim cessat effectus, seu ratio vovendi; v. g. si quis jurasset discolos punire, sed isti emendentur, vel incorregibiles fiant, aut secutura esset familiæ turbatio, vel rixa cum viro, et similia; vel promisisset eleemosynam pauperi, sed hic postea dives fiat; vel jurasset talem non ingredi domum ob aliquod periculum, ast hoc cessat; vel peregrinationem ob patris salutem, sed hic moriatur, et similia. Secus si tantum cessat causa impulsiva; non etenim cessat ratio volendi.

2.° *Notabili materiæ mutatione;* talis equidem mutatio aliud facit objectum, ad quod jurantis intentio non se extendit; v. g. si quis cum juramento nuptias promisisset Bertæ diviti, sanæ, virgini; ac deinde in paupertatem, morbum, vel fornicationem incidat. (25 *de jurej.)* Item si quod bonum erat tempore juramenti, fiat illicitum, vanum, vel impeditivum majoris boni, vel melius sit illud omittere, quam implere.—Item si juramentum mutes in opus aliquod aperte melius, et Deo gratius; id enim quisque per se valet, nisi de jure tertii agatur.

3.° *Si non concurrerunt requisitæ conditiones,* ut supra n. 562. Excusantur etiam ab implendo juramento, qui jurant comminatorie ex ira, vel non serio, ut solent pueri. *S. Lig., n.* 187. (V. n. 604, et ita hic resolve).

4.° *Irritatione*, quæ fit a quolibet dominatum habente in jurantem, licet de contractibus agatur, si ab eodem irritari possint; vel obligationis *remissione*, si ab eo, in cujus favorem promissio facta est, vel cui materia subjicitur, relaxetur. (V. n. 605, et seqq., ac ita hic resolve).

5.° *Dispensatione, vel commutatione,* quæ ab habente jurisdictionem

in foro externo dantur. S. Pœnitentiaria ex Bulla *Pastor bonus* Benedic. XIV relaxat juramenta, quæ in tertii favorem non sunt.—Qui facultatem habet dispensandi in votis, in iis dispensare potest, etsi sint juramento firmata; nam juramentum est illis quid accessorium. *(Scavini, l. 2, n.* 83, *S. Ligor., n.* 189).

Q. *An si quis delegatam habeat facultatem in votis dispensandi, in juramentis etiam dispensare possit?*

R. I. Affirmant *Suarez, Salm., Cajet., Dian., Ballerini, n.* 314, *aliique* de juramentis soli Deo præstitis; licet etenim sint diversa juramenta a votis, in ordine tamen ad dispensationem æquiparantur.

II. Negant vero *Bon., Sanch., Less., Varceno, Scavini, S. Lig., n.* 190 in praxi; nam vinculum est diversum; et ex stylo Curiæ facultas quoad juramentum specialiter conceditur; aliunde *obligatio juramenti jam contracta, cum sit certa, et possideat, auferri nequit per dispensationem tantum probabiliter validam*, ut recte ait *S. Ligor., ibid., et hæc in praxi tenenda est.* Neque, ut communius tenent *AA.*, valida est a peccatis absolutio cum probabili jurisdictione data, sine justa, ac urgenti causa, qua stante tantum, sentiunt supplere Ecclesiam, quod rarissime evenit in prædicta juramenti dispensatione.

III. Promissio in favorem hominis juramento firmata, nondum acceptata, non obligat, et revocari potest; nam sequitur promissionis naturam. Secus si ab ipso sit acceptata; tunc sine ejus consensu nec a Papa relaxari valet: hoc etiamsi juramentum principaliter sit factum in honorem Dei, semper ac per acceptationem sit tertio jus acquisitum. Ita *Croix, Suar., Sanch., Lugo, Less., Dian.*, et *alii* apud *D. Lig., n.* 194.

Excipe: 1.° Si jurans sit subditus, et juramentum circa ea, que superiorum potestati subduntur. (V. n. 605, et seqq., ac ita hic resolve).—2.° Si juramentum servari non possit absque communi damno; v. gr. juramentum non denuntiandi, non accusandi, vel super contractu a lege vetito, uti solvendi pœnam, si quis a sponsalibus resiliat. Sed potius talia juramenta sunt nulla, ac verius relaxatione non indigent. *Salm., n.* 6.—3.° Si juramentum sit dolo, aut metu injuste extortum; tunc relaxari ab iisdem ut infra n. 605, potest, in extorquentium pœnam, ut *certum est apud omnes,* ait *S. Lig., n.* 192; etiamsi juramentum sit extortum ab alio tertio, inscio principali; et quamvis extorquatur juramentum per levem metum, saltem pro interno foro. *Salm., n.* 8, *S. Lig., n.* 192, *cum communi.*

Juramentum in favorem tertii libere ab eo remitti potest, absque Ecclesiæ relaxatione. *Ita omnes*, ait *S. Lig., n.* 193.—Si vero promissio tunc sit principaliter Deo facta, *alii* cum *D. Thoma* negant cessare remissione tertii; nisi posita sit hæc conditio. *Alii* autem cum *Bus., Croix, Nav.* probabiliter cessare tenent; quia talis promissio dependenter a voluntate hominis est facta, maxime si tota cedat in favorem partis, ut eleemosyna. Ita *Salm., n.* 14 *cum plurimis aliis.*

CAPUT VI.

De adjuratione.

579. **Adjuratio** est *invocatio Dei, vel Sanctorum, aut rerum sacrarum, ad inducendum aliquem ad quoddam agendum, vel omittendum.* Ita *S. Thom.*—Quadruplex est: 1.ª *Solemnis, quæ ab Ecclesia modis constitutis fit,* ut exorcismis.—2.ª *Privata, quæ a quocumque sine solemnitate fit.*—3.ª *Deprecativa, si precibus.*—4.ª *Imperativa, si imperio fiat.* His positis:

I. *Per se* sola creatura rationalis, uti homines, dæmones, est adjurationis capax; cum hæc sola percipere valeat divina, eorumque reverentia, et timore ad agendum impelli. Res autem inanimes, ut sal, nubes, locustæ, hoc sensu solum adjurantur, ut adjuratio dirigatur ad naturam rationalem, quæ illis præsidet, easque movere potest. Huc pertinet adjuratio *S. Brixii*, qui infantem 30 dierum adjuravit, ut diceret, si ipse esset pater ejus, prout sparserant; cui infans respondit: *Non.* Continebat hæc adjuratio tacitam orationem, qua Deus rogabatur, ut infanti vocem daret.

II. Differt a juramento; quia non inducitur Deus in testem, sed tantum nomen ejus interponitur ad rem exoptatam efficacius obtinendam: tamen quæ de juramento diximus, huc de facili revocari possunt.

580. Q. *An liceat adjurare?*

R. Etsi in *veritate*, in *judicio*, et in *justitia* fiat, solemnis adjuratio graviter illicita est, sine Episcopi loci venia. (*Ita communiter cum Salmant., S. Ligor., l. 3, de adjuratione, n. IV).* Carentia *veritatis* raro erit plusquam venialis, ut si fictus pauper per Deum eleemosynam petat: carentia *justitiæ* gravis erit, si res graviter mala petatur; secus ut de juramento diximus: carentia *judicii* non est nisi venialis. *S. Lig., n.* 11.

Privata omnibus licita, vel illicita est, ut diximus de juramento. Tamen circa adjurationem dœmonum hæc sunt notanda:—1.° Ut fiat tantum ad damna amovenda, et vexationem obsessi, non ad curiositatem. Hinc dicunt communiter *AA.* cum *Salmant. n.* 55, non posse a gravi excusari, qui multos sermones inutiles habet cum dæmone obsidente. Probabilius veniale est imperativo modo unam, vel alteram rem curiosam quærere a dæmone. *S. Lig., n.* V.—2.° Ut cum eis adjuratio sit imperativa.

Q. *An liceat uti exorcismis in dubio de obsessione?*

R. Affirma, si Episcopus, re plane cognita, approbet; sed a scandalo, et Ecclesiæ contemptu, et a nimia credulitate, vel vanitate ad extraordinaria impellens, cavendum est.—Dæmon interrogari potest de omnibus generatim, quæ ad ejus expulsionem conducunt; v. gr. de tempore, et causa possessionis; de numero, et nomine eorum, qui in obsesso habitant; de signo egressus. Ita *Sanch., Pal., Trull., Salmant., S. Ligor., ibidem, n.* V, *q.* 2.—Probabilius, et communissime licet quærere a dœmone imperative manifestationem alicujus veritatis, si id conducat ad divinam gloriam. *(Salmant., S. Lig., n.* V).

Si dæmon assignet pro causa sui ingressus, obsessum fuisse invalide baptizatum, rationabiliter, ait *S. Ligor.,* opinantur *Salmant., n.* 6, hunc

non esse rebaptizandum, nisi aliunde adsint validæ conjecturæ non accepti baptismi, nempe si baptizans fuerit maleficus, vel hæreticus, parum instructus, vel acer inimicus parentum, qui ulcisci velle dixerit, vel similia.

581. **Signa veræ possessionis** præcipua sunt: —1.° Loqui idiomata prorsus ignota ante tempus possessionis. —2.° Occulta, et distantia manifestare, quæ naturaliter ab homine cognosci nequeant. —3.° Parere mandato mere interno sacerdotis. —4.° Experiri majorem dæmonis vexationem, aut majorem pacem ex contactu prorsus ignorato rerum sacrarum. (*Gury, n.* 318). Tamen non facile generatim credendus est aliquis a dæmone possideri; veræ quidem possessiones nostris temporibus sunt raræ, et pleræque ex iis, quæ perhibentur, falsæ inveniuntur, recte ait *P. Gury, ibid.*

CAPUT VII.

De voto.

582. **Votum**, prout est actus religionis, definitur: *Promissio deliberata Deo facta de bono meliori, et possibili.*

Votum est res sancta: sic probatur contra Lutherum, et Calvinum contrarium dicentes circa res non jam præceptas. — 1.° Ex S. Scriptura; nam Apostolus de viduis, quæ postquam continentiam Deo vovissent, iterum nubere cupiebant, quod minime in lege præscribebatur, sic scribit: *Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* (I Tim. v). Et de omnibus votis generatim dicitur: *Redde Altissimo vota tua.* (Ps. XLIX). *Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere.* (Eccles. v).—2.° Ex Ecclesiæ perpetua praxi: jam enim a sæculo IV, virgines castitatis votum violantes a fidelium communione arcebantur, ut ex Concil. Eliberitano constat.—3.° Ex usu ipsorum gentilium, qui vota ad cultum divinum spectantia emittebant, prout refert Livius.—Imo ex praxi sectariorum, præsertim massoniorum, qui votum obedientiæ cœcæ, etiam suum patrem occidendi, si eis a choriphæis imperetur, emittunt.—4.° Ex ratione; nam vota sunt deliberatæ oblationes, et latriæ actus soli Deo debiti, etiamsi Sanctis fiant; tunc enim sensus est, ea Deo voveri in honorem simul Sanctorum, sicut templa, et altaria Deo ædificamus in eorumdem honorem. (*S. Ligor., l.* 3, *n.* 194).

—Inde si opus ex se jam bonum est, ex voto factum perfectius erit; 1.° quia e virtute præstantiori procedit, nempe, religionis; — 2.° quia magis nos Deo sic submittimus; unde propriæ actionis bonitati, bonitatem voti superaddimus. Improbe ergo dicunt hæretici, vota libertati humanæ adversari; nam libertas Evangelii est libertas a peccato, est libertas Sanctorum, non vero a lege, aut a vinculo quocumque honesto, quod fideles, majoris perfectionis causa, sibi liberrime imponere exoptant; ita ut id negantes, vel impedientes, sunt qui directe contra humanam libertatem attentant, ac si humana libertas non esset data nisi ad malum. Fideles ergo non sunt indiscriminatim a votis arcendi, sed in iis

dirigendi, ne imprudenter voveant; v. gr. jejunia sanitatem læsura, eleemosynas facultatibus non accommodatas, castitatem perpetuam, et similia.

583. **Divisio.** Multiplex est votum: I. *Reale, personale,* et *mixtum.*—1.° *Reale,* quo promittitur res externa, ut eleemosyna.—2.° *Personale,* quo pollicetur actio propriæ voluntatis personæ, ut jejunium, oratio.—3.° *Mixtum,* quo vovetur propria actio, et simul alia res, v. gr. peregrinatio cum calicis oblatione.

II. *Votum personale* est 1.° *positivum,* et *negativum;* prout promittitur res facienda, v. gr. oratio; vel omittenda, ut non blasphemare; 2.° *liberum,* et *necessarium;* prout promittitur res non præcepta, uti religionis ingressus; vel jam præcepta, v. gr. non mentiri;—3.° *simplex,* et *solemne:* 1.m est *quod emittitur sine Ecclesiæ acceptatione, saltem in perpetuum,* ut simplex castitatis votum; 2.m vero est *quod ab Ecclesia approbatur, et in perpetuum acceptatur,* uti professio religiosa.

III. *Votum simplex* 1.° dividitur in *absolutum, conditionatum,* et *pœnale;* prout pure, et simpliciter fit, v. gr. voveo jejunare; vel adjecta conditione, aut pœna; v. gr. voveo Missam, si a morbo convaluero, vel si ad ludum rediero:—2.° in *reservatum,* et *non reservatum:* 1.m est quod relaxari nequit nisi a S. Pontifice; 2.m vero quod ab alio superiore relaxatur:—3.° in *expressum,* et *tacitum;* prout exterius profertur, v. gr. verbis; vel in alio continetur, ut in Ordine sacro:—4.° in *publicum,* et *privatum;* prout in aliqua congregatione, vel a privato fit;—5.° in *temporaneum,* et *perpetuum;* prout fit ad certum tempus, vel ad totam vitam.

Vota in societate Jesu ex Bulla Gregor. XIII sunt simplicia; quippe non sunt in perpetuum acceptata; et tamen uti solemnia habentur.—Vota conditionata non obligant, nisi expleta conditione.

584. Q. *Quinam vovere possunt?*

R. Omnes qui sufficientem rationis usum habent, nisi legitime sint impediti; nam quilibet *ex se* dominus est suæ voluntatis, ac suorum actuum; ideoque ante septennium nulla præsumuntur vota, nisi certo constet usum rationis adfuisse. Diximus nisi legitime sint impediti; potest enim quis legitime impediri tum ratione auctoritatis, tum ratione materiæ.—Hinc 1.° Ecclesia quasdam imponit quandoque conditiones, quibus non servatis, nullum est votum; sic Tridentinum 16 annos præscripsit completos pro religiosa professione.—2.° Quandoque res promissa pertinet ad potestatem alterius; ideo votum invalidat; cum nemo dare possit quod proprium non est, uti Tutor circa res minoris.—Idem dic de voto illius, qui sub alterius potestate vivit in iis, quæ a superioris voluntate pendent; uti de religiosis relate ad suum prælatum.

Tamen probabilius vota filiorum, uxorum, religiosorum, minorum, aliorumque subditorum valida sunt sive realia, sive personalia, donec a legitimo superiore irritentur; nam subditi voluntate non carent, et solum superioribus eam subjicere debent, si hi contradicunt. *(Ita Salm., Sanch., Suar., S. Ligor., l.* 3, *n.* 231, *aliique plurimi* contra *alios).*

585. Q. *Quid requiritur ad voti valorem ex parte voventis?*

R. *Vera, deliberata,* et *spontanea* intentio votum emittendi cum plena, et directa ad ejusdem obligationem advertentia; nam est instar legis cujuspiam, quam vovens sibi imponit; et nemo citra sufficientem animi deliberationem sese ita obligare censetur. *(Ita omnes).* Hinc:

1.° Votum essentialiter a proposito differt; nam propositum, etsi firmissimum, vinculum equidem obligationis non producit, nisi per accidens, v. gr. ratione infidelitatis, negligentiæ, tædii, quæ per se saltem veniale non excedunt. Plurimi, nisi adsit præceptum, negligentem propositum æque probabiliter omnino excusant. *(Gury, S. Lig., n.* 196-99).

2.° Nulla sunt vota in ebrietate, vel amentia facta, licet prævisa, actus quippe invalidus fuit prævisus, at non directe, seu in se volitus; nam *bonum ex integra causa*.—Item vota emissa cum semiplena advertentia, ut in repentino animi motu, calore iræ, vel ex contracta loquendi consuetudine, semper ac deficiat plena deliberatio, et oneris cognitio. *(Scavini, S. Lig., n.* 196, *cum communi).* Non est sufficiens indicium defectus deliberationis, si voventem, facto voto, mox pœniteat; item ira raro, et vix unquam rationis usum impedit.

Resolves: 1.° Si quis vovet positivo animo non promittendi, nec se obligandi, certe nullum emittit votum *S. Lig., n.* 201.—2.° Si vovens animum promittendi, et se obligandi habet, sed non implendi, ad votum tenetur; nam obligatio voti non pendet ab intentione implendi, sed a voluntate se obligandi.—3.° Si vovens animum promittendi habet, et implendi, ast non animum positivum se obligandi, sciens tamen aperte voti obligationem, sed ad eam hic, et nunc non advertens, et negative se habeat, non volendo, nec excludendo illius obligationem, ad votum quidem tenetur; etenim qui vult causam, vult etiam, saltem implicite, effectum. Ita *communiter Salm., n.* 23, *S. Lig., n.* 201.—4.° Ad votum verius non tenetur, qui ipsius obligationem nescit, et negative se habet, nec explicite, neque implicite illam suscipere intendens; cum nemo obligationem contrahat, nisi velit illam sibi imponere. Ita *Salm., l. c., S. Lig., ibid. cum communi.* Secus tamen, si voluerit vovere modo ordinario, quo alii hujusmodi status vovent; tunc implicite obligationem contrahere voluit; v. gr. in religiosa professione, Ordine sacro, etc. *Sanch., Scavini, S. Lig., ibid.*—5.° Si promittere velit, sciens voti obligationem, sed nolit ad votum se obligare, ad nihil tenetur; apponere quidem vult conditionem substantiæ contractus oppositam; neque lex obligat citra legislatoris voluntatem. Ita *probabilius, et communius Salm., n.* 25, *S. Lig., n.* 201. Ordinarie veniale tantum erit sic vovere, ob quamdam inordinationem. *S. Lig., n.* 213. Excipe in religiosa professione, ac sacrorum Ordinum susceptione, procul dubio esset tunc deceptio in re gravi. *S. Lig., n.* 201. Imo votum generaliter majorem non inducit obligationem præter eam, quam vovens apprehendit, ac sibi vult imponere. *Gury, n.* 321.

586. **Votum ex errore emissum** nullum est, si error versetur: 1.° circa *causam finalem,* v. gr. si quis aliquid voverit in gratiarum actionem pro sanitate alicui reddita, et is reapse non fuisset ægrotus, vel esset mortuus;—2.° *circa rei substantiam,* licet sit concomitans, (v. gr. si, cognito errore, adhuc tu vovisses,) et crassus error, ut si quis ingressum in cœnobium voveat, putans esse Stæ. Teresiæ, cum sit Stæ. Claræ; nam ad votum requiritur perfecta cognitio; — 3.° *circa substantiales circumstantias,* vel circa adjuncta, quæ voti substantiam ingrediuntur, v. gr. si quis voveat eleemosynam dare Cajo pauperi, eo quod consanguineum putat, cum talis non sit; —4.° *circa accidentales circumstantias,* quæ substantiam notabiliter mutant, ut si quis ad Compostellam peregrinari voveat, illam non distare putans nisi 30 leucarum itinere, cum 100 distet; in his

enim casibus res promissa non est satis cognita, et volita; 5.° neque si error versetur circa *accidentales circumstantias magni momenti* jam extantes, vel supervenientes, quæ si prævisæ, votum impedissent; quippe tunc rationem habent causæ finalis. *S. Lig., l.* 3, *n.* 226 sic se habet: *Salm., c.* 1, *n.* 152, *censent illam esse notabilem mutationem, quæ si a principio fuisset cognita, quis non se obligasset. Hæc sententia mihi videtur non minus probabilis, imo forte probabilior, quam prima.*

Excipe matrimonia, et vota regularium post novitiatum emissa in quocumque ordine approbato; irrita equidem non sunt ob ullum errorem præter substantialem; alias sæpe incerta manerent matrimonia, et religiosæ professiones, non sine gravi reipublicæ damno, et scandalo. *Sanch., Baller., Varc., S. Lig., n.* 198. Si autem error versetur circa *accidentales circumstantias non magni momenti* ut supra, vel circa *causam impulsivam,* tenet votum, licet error ipsi causam dederit; ut si quis voveat eleemosynam dare pauperi, probo, amico putato, etsi postea cognoscat improbum, inimicum, licet iis antea scitis non vovisset; vel si iter peregrinationis, quam quis vovit, sit paulo longius, quam putabat; aut si quis vovisset sanctuarium visitare causa SS. Virginem colendi, ac simul secundarie amicum invisendi, quem deinde scit ibi jam non esse; in omni quippe casu actus est sufficienter voluntarius quoad substantiam. *Scavini n.* 49, *S. Lig., n.* 198.

587. **Votum metu emissum** valet: 1.° Si metus ab intrinseco proveniat; v. gr. morbo, peste, naufragio; deliberate quidem votum emittitur ut medium ad periculum vitandum; —2.° Si metus sit juste incusus; porro vovens non est rationabiliter invitus; —3.° Si metus non sit incussus ad votum extorquendum; v. gr. si latro mortem minatur itineranti, et hic votum emittat, ut ab illo liberetur; cum sufficienti namque advertentia, et libertate vovet; —4.° Si metus sit levis; quia non censetur causa rei tam gravis, cum de facili rejici possit, ut probabilius tenet *S. Lig., n.* 197 *cum Sanch., Salm., n.* 161, *aliisque.*—Controvertitur an votum ex metu gravi injuste incusso emissum sit invalidum, saltem ex jure ecclesiastico. Affirmant probabiliter *Bus., Sanch., Less., S. Lig., n.* 197, *et alii non pauci ex cap. Ad audientiam de iis, quæ metu fiunt,* ubi dicitur: *Debere carere robore firmitatis, quæ metu fiunt;* et etiam *ex cap. Cum locum de Spons.* —Negant vero *Suar., n.* 6, *Silv., Pal., etc. (V. n.* 22).

Invalida sunt vota ob metum sive gravem, sive levem injuste incussum ad votum extorquendum; non quia non sint voluntaria, sed vel quia jus ea irritat, vel Deus non acceptat, ne det vim injustæ coactioni; revera injuria esse nequit radix obligationis. Ita *communiter cum Suar., S. Lig., n.* 197.

CAPUT VIII.

De materia voti.

588. *Tria* requiruntur ad votum ex parte rei promissæ, nempe, ut promissio sit de *bono*, de bono *meliori*, de bono *possibili.*

I. **De bono:** secus non esset Deo grata. Hinc: 1.° Nullum est votum

le re indifferenti sive ex parte rei, sive ex parte finis voventis; v. gr. si quis decidens ex equo, voveat non amplius equum ascendere; vel jejunium, ut quis sumptibus parcat; eleemosynam, ne avarus æstimetur; quia *displicet... (Deo) stulta promissio.* (Eccles. v). Qui dubitat, an res sit indifferens, de voto non tenetur; quippe adhuc id non possidet: nec postea tenetur, si res evadat bona; non enim firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit. *(Reg. jur.* 18 *in* 6). Qui sic inaniter vovet, leviter peccat, cum gravis inordinatio non appareat. (*Scavini, S. Lig., n.* 204, et 206). Item si id contingat ex ignorantia, etsi de re mala agatur.

2.° Votum de re mala, vel ad finem malum; v. g., ad impetrandam injustam victoriam, furtum, fornificationem, non solum est invalidum, sed etiam grave peccatum, et *actio blasphemiæ,* ait *D. Ligorius, n.* 206, et probabilius, etsi res tantum venialiter mala, cum blasphemia sit velle ut malum in Dei honorem cedat, vel ut ipse malum promoveat. Sed communiter ob ignorantiam hoc nonnisi veniale est. *Salm. n.* 71, *S. Lig., n.* 206. Plerumque a gravi peccato excusantur matres voventes, ut earum filios sæpe ægrotantes secum Deus in cœlum suscipiat; quia ex simplicitate potius id agunt, quam ex animo malevolo. *(Scavini).*

3.° Si vero malum se teneat ex parte tantum voventis, vel modi, v. g., ex vana gloria, ut laudetur, aut ex ira quis voveat eleemosynam dare, validum erit votum; licet peccet vovens; tunc pœniteat de modo, et substantiam adimpleat. *S. Lig., n.* 206.

4.° Si opus pravum ponatur ex affectu erga rem bonam, ut simplex conditio accidentalis, non ut finis; v.g., si quis eleemosynam voveat, ut furtum feliciter faciat, vel ex duello evadat illæsus, valet votum, et impleta conditione, honestum votum implere tenetur; nam votum super bona tantum cadit. *(Ita communiter S. Ligor., l.* 3., *n.* 206, *Gury, n.* 324). Item de voto ob effectum bonum ex opere pravo; v. gr., si filius ex adulterio nascatur. (*Navar., Laym., S. Ligor., ibid.*) Item votum ad obtinenda a Deo temporalia; sane bonum est hæc a Deo sperare. *S. Lig. n.* 206.—Votum, v. g., non se pectinandi tali die esset superstitiosum, et nullum, ut ait *S. Thomas.*—Valet tamen votum de materia aliunde præcepta; siquidem non repugnat diversis legibus ligari, uberiorisque meriti ratio accedit. *(Ita communiter cum Gury, Ballerini, n.* 324).

II. **De bono meliori:** nam promissio, quæ majus bonum impedit, de cultu Dei detrahit; unde Ei grata esse nequit, ac saltem est venialiter mala. —Hoc tamen non est intelligendum comparative ad bonum quodcumque; alioquin ad præstantissimum semper teneremur; sed de bono, quod in se melius sit ejus opposito, vel relative ad circumstantias. Hinc:

1.° Invalidum, ac leviter illicitum est aliquid vovere quod sit majoris boni impedimentum, v. gr. contra consilia evangelica, ut manere in seculo, mercaturam facere, ire ad militiam, uxorem ducere; etsi agatur de tollendo peccato alieno, v. g. meretricis; nam cælibatus semper est Deo gratior; nisi per accidens fieret majus bonum tum ratione scandali vitandi, prolis legitimandæ, honoris contaminatæ puellæ reparandi; tum ratione publici boni Ecclesiæ, vel Status, uti pax inter principes, hæreticorum conversio, regni tranquilitas. Ita *S. Lig, n.* 207 *cum communi.*—Item probabilius si quis, probata sua fragilitate, nubere voveat, quando alio remedio uti nolit; tunc respective matrimonium est quidem majus bonum; *melius est enim nubere, quam uri.* (I Cor. VII). *Scavini, n,* 51, *S. Lig., n.* 209.

2.° Nullum est votum de non amplius vovendo; quia non est de bono meliori, nisi fiat cum hac conditione: *Sine consilio.*—Si hac conditione non obstante, quis deliberate voveat sine consilio', peccat; valet tamen votum, habet enim objectum satis validum; nam est de meliori bono.—Item valet votum de non ludendo, etiam ludo honesto; cum sit actus majoris virtutis ab eo se abstinere. *S. Lig., n.* 210.

3.° Probabilius valet votum de non petendo voti dispensationem, commutationem, vel irritationem, etiam cum justa causa; nam sine hac, certe validum est. Sed potest a superiore irritari; et vovens non petere dispensationem, commutationem adhuc petere valet, et viceversa, si alterutram tantum voverit. *(Ita S. Ligor., n.* 28, *S. Antonin.)*

III. **De bono possibili**; nam ad impossibile nemo tenetur; *Displicet enim ei* (Deo) *infidelis et stulta promissio.* (Eccles. v).—Hinc non valet 1.° votum manu cœlum tangendi, et similia. Neque votum de opere, vel de re aliena; v. g. si mater voveat circa viri sui bona, vel filiæ suæ ingressum in religionem; cum id in matris potestate non sit.—2.° Neque votum numquam in genere peccandi, vel actus iræ, impatientiæ vitandi, ait *Ballerini;* nam, spectata humana fragilitate, est moraliter impossibile etiam levissima vitare peccata, sine speciali Dei auxilio, *ex Trident., sess.* 6, *c.* 23.—3.° Ast tenet votum omnia mortalia vitandi, vel etiam venialia ex perfecta advertentia, vel absolute in aliqua materia, saltem in viris valde piis; sane ordinario Dei auxilio id obtineri potest. *(S. Ligor., n.* 203, *Scavini, n.* 51, contra *Sanch., Salm., n.* 80, *et alios).*—Secus quoad omnia venialia, si de fragili, et vulgari persona agatur; nec expediunt huic præfata vota; quippe a peccato non eum retrahent, sed in laqueum mittent; ideoque sufficiens aderit tunc causa dispensandi, vel commutandi ei talia vota, non ut liberius peccet vovens, sed ut tollatur vinculum peccata multiplicandi, ut dicunt *Navarrus, Suarez, Ballerini, n.* 324. Proposita hujusmodi valde conveniunt; cum plerumque minus efficimus etsi magis proponamus. Imo præfata vota jam emissa adimplenda sunt in quantum possint. *S. Lig., n.* 203.

589. Q. *Quid de voto partim possibili, partim impossibili?*

R. I. Cum vovens sit legislator, ejus mentem inspici oportet; si per modum unius se voluerit indivisibiliter obligare, et una pars sit, vel fiat, etsi casu, impossibilis, *totum votum irritum manet. (Ita Salm., t.* 17, *c.* 1, *n.* 74).

II. Si vero de voventis mente non constet, videndum est, an singulæ partes juxta hominum æstimationem divisim consistere possint, vel non.—Si 1.m ad partem possibilem tenetur; quia utile per inutile non vitiatur; v. g. qui vovit 100 aureos, vel 30 jejunia, dein solvere nequit nisi partem, ad hanc solum tenetur; idem dic de pœnis aflictivis, et vindicativis; nam quoad excessum moraliter impossibilem non obligant, in reliquo autem tenent.—Si 2.m, ad nihil adstringitur; uti vovens templum ædificare, vel visitare, si non potest totum templum, vel iter, agere. *(Sporer, Scavini, n.* 570, *S. Lig., n.* 225.

III. Qui plura emittit vota, quorum aliqua sunt impossibilia, digniora servare debet; si æque digna fuerint, prius emissa; nam ex juris regula qui *prior est tempore potior est jure ;* et posteriora tunc jam essent ex se invalida, utpote de re impossibili: si nescias quodnam sit prius, libera erit electio. *(Ita S. Lig., n.* 210, *et* 225, *Laym., Trull., Busemb.,* contra

Sanchez).—Cæterum semper videndum est quid sit principale, juxta illud: *Ruente principali, ruit et accessorium,* non viceversa. Hinc qui vovit peregrinationem nudis pedibus, si dein impossibile, aut indecens is modus fiat, adhuc ad peregrinationem tenetur non nudis pedibus.—Si vero peregrinationem agere nequeat, nudis pedibus stare tali die non tenetur: hoc est quidem accessorium. *(Scavini, n.* 52, *cum communi).*

CAPUT IX.

De obligatione voti.

590. **Votum obligat** in conscientia graviter, vel leviter juxta voventis intentionem, vel materiæ capacitatem. Constat ex S. Scriptura, ex SS. Patribus, et ex ratione.

1.° Ex S. Scriptura. *Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus Deus tuus: et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.* (Deut. XXIII).—2.° Ex SS. Patribus, inter quos D. Agustinus ait: *Quia vovisti, jam te obstrinxisti, aliud tibi facere non licet.* (Ep. 45).—3.° Ex ratione; nam promissio homini facta certo obligat; ergo multo magis facta Deo, ratione fidelitatis in ipsum; adeo ut major sit quam obligatio juramenti, ut ait *Angelicus* (2. 2, *q.* 89, *a.* 8).

Q. *Quænam materia censetur gravis, quænam levis in voto?*

R. I. Materia censetur gravis, si ad honorem Dei, vel ad proximi, aut ipsius voventis utilitatem notabiliter influat; ita ut si ab Ecclesia præciperetur, sub gravi obligaret, ut *jejunium, Missa, rosarium,* et similia.

II. Secus sub levi obstringit, uti quotidie quinque *Pater et Ave* recitare, vel *Litanias B. M. Virginis,* aliaque de re levi. *(Ita Sporer).*—Ad parochi prudentiam spectat hac de re fideles instruere, ne ex conscientia erronea graviter peccent. *(S. Lig. n.* 211, *et* 212).

Q. *An quis vovere possit rem ex se gravem sub levi onere?*

R. Affirma; vovens equidem habetur velut legislator. At nemo se obligare valet sub gravi ad rem levem, ratione voti; siquidem materia undequaque levis capax gravis obligationis non est. In dubio de intentione v. n. 600.—Unde promissio vitandi peccatum non obstringit ultra hujus gravitatem, v. gr. si voveas mendacium vitare, mentiendo dupliciter quidem peccas, contra veritatem nempe, et contra votum; sed ex se leviter tantum; ratione tamen gravis scandali, v. gr. in Episcopo, vel gravis impedimenti a profectu in virtutibus, res magni momenti fiet. Ita *Salm., Sanch., S. Lig. n.* 211.

591. Q. *An materiæ leves in votis coalescere valeant?*

R. Affirma, si diversæ materiæ fuerint voto promissæ per modum unius, v. g. si dies non assignentur, nisi ad executionem non differendam.—Secus, si per modum unius non sint promissæ; ut si in honorem Dei fuerint promissæ ad finiendam obligationem.—Ad hoc consulatur voventis mens; et si dubia adhuc res maneat, juxta communem DD. sententiam resolvatur.

Hinc: 1.º Materiam esse per modum unius in votis realibus docent, uti unam monetam quotidie per annum dare; et tunc omissum altero die est resarciendum.—2.º Secus in personalibus, ut quinque *Pater* singulis anni diebus recitare; quotidie per mensem jejunare; tunc obligatio cum die finit, etsi peccaverit omittens.—3.º Si res adhuc sit dubia, affixum diei censetur votum; ideoque non coalescere; nam quisque, minoris quo potest, se obligare voluisse præsumitur. *(Ita Scavini, n.* 54, *S. Lig. n.* 212, *cum communi).*

592. **Votum dubium.** I. Si dubium sit de voti emissione, ad nihil tenetur dubitans, post diligentem inquisitionem ad illud tollendum; nam dubium est de legis existentia, et lex dubia non obligat. *(Ita Gousset, Salm., cum communi).*—Idem dic in dubio, an voto comprehendatur aliquid; non teneris ad partem dubiam, eadem ratione. Sic in jure sancitum est, teneri ad minus. (Cap. *Ex parte* 18 *de censib.*).

II. Si dubium sit de validitate voti certo emissi, vel de advertentia, et plena deliberatione, vel de animo se obligandi, et fuerit emissum post septennium, tenet votum; nam omne factum præsumitur tempore habili, et *recte factum, quod erat de jure faciendum;* neque censeri debet voluisse quis inaniter vovere; res enim ex communiter contingentibus est resolvenda; et possessio stat pro voto. *(S. Ligor., n.* 196, *Scavini, n.* 56, *et Angelicus* dicens : *Si autem dubitet quomodo in vovendo se habuerit, debet tutiorem viam eligere, ne se discrimini committat.* (In 4, d. 38, q. 1, a. 3). Secus, si ante septennium quis vovet, nisi constet de sufficienti rationis usu, ob contrariam rationem. Si dubitet, an post septennium voverit, probabilius negant *Sanch.*, *Dian.*, etc., ad votum teneri; nam est probandus libertatis expeditus usus.

Idem dicunt, si dubitetur, an votum, vel merum propositum quis emiserit, dummodo, promittendo, crediderit graviter peccare, promissum non explendo; nisi forsan de rudibus agatur, qui sæpe falso autumnant se peccare, dum propositum frangunt (*Scavini, Varceno, S. Lig., n.* 201) in fine, dicens contra *Croix: Cum jam apprehenderit peccare non implendo promissum, recte arguitur illam* (obligationem) *revera agnovisse, et sibi imposuisse.*

III. Si dubium sit de voti valide facti implemento, votum implendum est; id sane possidet, ac dubitans ejusdem implementum probare tenetur. (*S. Lig., n.* 224, *Scavini, n.* 56). Si quis immemor voti, vel pœnitentiæ injunctæ opus debitum præstet, bene satisfacit per voluntatem generalem satisfaciendi prius suis obligationibos. *(S. Lig., n.* 224.) (V. n. 56).

593. **Vota disjunctiva** *sunt de præstando unum ex duobus, vel pluribus.* I. Valida sunt, cum vera sit promissio, et satis designata materia quoad numerum: sunt veluti conditionata; nam si unum de duobus sit vanum, vel inutile, aut malum, v. gr. orare, aut ludere; vel casu inculpabili, et ante electionem pereat, nullum est votum; deest quidem eligendi potestas requisita in voto. (*Ita Sanch., Pal., Mol., Salmant., aliique*).

II. Tamen, si facta electione, altera res pereat, vel ante electionem ex mora culpabili, vel voventis culpa, ad aliam partem præstandam tenetur; tunc enim votum determinatur per electionem expressam, vel tacitam. (*Salm. n.* 141, *S. Lig. n.* 224, *Scavini, n.* 57).

III. Si vero, electione facta, ipsa res electa sine voventis culpa pereat, ad nihil tenetur; quippe res erat jam determinata.—Satis probabile

est, quod facta electione, etiamsi pars electa sit reservata, vovens cum altera commutare eam potest; nam votum adhuc remanet disjunctivum cum libertate eligendi. *S. Lig.*, *n.* 224.—Qui vovit disjunctive rem bonam, vel malam, aut vanam, aut impossibilem, nullum est votum; quia deest eligendi potestas. (*S. Lig. l. c.*, *Salmant.*, *c.* 1, *n.* 141).

594. **Votum conditionatum.** I. *Si de conditione impossibili, aut turpi agatur*, nullum, imo impium est votum; nam sic Deus ludibrio habetur.—Si est de futuro necessario, statim valet; sed ejus executio usque ad conditionis eventum suspenditur; talis enim præcise est voventis voluntas.—Si vero est de futuro contingenti, non obligat votum ante conditionis eventum; hac vero non adveniente, votum fit nullum; talis quippe est promittentis animus.

II. *Si agitur de conditione possibili, et honesta*, de præterito, vel præsenti, non est votum conditionatum, sed statim validum, vel nullum, prout conditio existit, vel non.—Conditiones valent, licet de bonis temporalibus, vel pœnalibus sint, ut si voveas religionem, si convalueris, vel si a turpibus non abstinueris; sunt equidem de meliori bono.—Ut valeat votum sub conditione emissum, conditiones sunt implendæ non solum æquivalenter, sed etiam specifice; nam votum est veluti lex, et non facile de casu ad casum extendenda.

Hinc qui vovet jejunium, si blasphemaverit, non tenetur jejunare, si pejeraverit; neque aliam rem facere, si jejunare nequeat, casu, quo blasphemaverit.—Qui vovit eleemosynam, si Sacrum in festo omittat, dare non tenetur, si ob infirmitatem, vel aliam impossibilitatem illud omittere debeat; siquidem non datur pœna sine culpa. *Salm. n.* 169, *S. Lig. n.* 219.

595. Q. *Quid si vovens conditionem cessare faciat, vel hanc impediat?*

R. I. Si hoc precibus, et rationibus obtineat, non peccat, neque ad votum tenetur; quia revera non adimpletur conditio, omnino libero manente principali impediente, qui jure suo utitur, ut supponitur; v. gr., pater erga filium.

II. Secus si conditionem vi, fraude, malitia, aut dolo impediat absque justa causa; nam tunc est positiva, et injusta causa illius impedimenti; sed probabilius ad votum non tenetur; non impletur sane apposita conditio. Tamen ajunt quod si adhuc currit tempus utile votum implendi, fraudem auferre tenetur; secus nugatoria esset illius pœnitentia. (*Suar., Varceno, p.* 401, *Scavini, n.* 217, *S. Lig. n.* 218, *aliique*).

Idem dicendum si pater illico consentiat, et illico dissentiat (sí, no), tunc pro dissensu standum est; non enim habetur uti consummatus, et perfectus consensus. (*S. Lig., n.* 218).

596. **Tempus implendi votum.** 1.° Si votum est *negativum*, ut non ludendi, blasphemandi, semper obligat, uti lex negativa,—2.° Si est *positivum*, et *personale;* v. gr. jejunandi, Missam audiendi, et vovens tempus affixit, pro illo tempore est obligatio; ita ut, illo transacto, et voto nondum impleto, ad pœnitentiam teneatur, non ad votum. Secus si votum sit *reale.* —3.° Si vero tempus non affixit, votum adimplere debet quamprimum commode possit, habita ratione circumstantiarum. *Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere.* (Eccles. v). Est regula juris: *In omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, res præsenti die debetur. S. Lig.* 220.—

4.° Votum *indeterminatum* quoad tempus, ut de rosario diurno, de jejunio in sabbatis, perpetuo obligat, nisi aliud ex circumstantiis colligatur. *S. Lig.*, *n.* 221, *Salm. n.* 140. Si dubium sit, an votum pro anno, vel pro mense fuerit, ad minimum adest tantum obligatio. *Salm.*, *n.* 146, *S. Lig.*, *n.* 222, *Gury, n.* 328, *cum communi.*

Q. *Quid si dubitetur an tempus appositum fuerit ad finiendam voti obligationem, an vero ad eam sollicitandam?*

R. In votis personalibus juxta usum communissimum, tempus censetur appositum ad obligationem finiendam, nisi aliter constet. Secus in votis realibus; nam pro ipsis communiter stat præsumptio.

Sic vovens eleemosynam in dominicis per annum, semper implere tenetur pro anteactis dominicis omissis; dies quippe censetur appositus ad sollicitandam obligationem.—Excipe casum, quo votum specialem habeat relationem ad diem, ut si eleemosynam dare voluisses in hebdomada jubilæi, vel in tali die per annum, quia eo anno gratiam recepisti. *(Ita Sporer, Salm. n.* 129, *Svavini, S. Lig., n.* 220).

Q. *An votum faciens indeterminatum graviter peccet, si diu implere differt?*

R. I. Si votum est in *perpetuum* Dei obsequium, v. g., religionem ingrediendi, graviter peccat qui sine justa causa diu differt; in *plurimorum sensu*, si ultra sex menses.—Justa erit causa ultra differendi, si vovens speret parentes fore emolliendos; vel si eorum, aut fratrum, vel ipsius voventis gravis spiritualis, vel temporalis necessitas ita postulet, modo dilatio non sit nimis diuturna, nec periculum ponat nunquam implendi votum. (*Ita Croix, Salm., Scavini, S. Ligor., l.* 3, *n.* 221, *cum communi*).

II. Si votum sit *temporaneum*, v. g. tot jejunia, rosaria, qui sine causa notabiliter implere differt, nempe ultra duos, vel tres annos, graviter eum peccare docent *Croix, Salm., Scavini, n.* 59, *S. Ligor., ibid., aliique communiter* ex supra dictis, *nn.* 590 *et* 596.

Sed nullam dilationem gravem censent *Spor., Tamb., Sanch., S. Antoninus, Ballerini,* modo absit impotentia implendi, vel oblivionis periculum; quia nullibi de gravi obligatione aliter constat.

597. Q. *An qui impedimentum in voti impletione prævidet, hanc prævenire teneatur?*

R. Nega, si votum sit affixum alicui diei, vel tempori; nondum enim viget ejus obligatio. *(S. Lig., n.* 220). Secus affirma; quia jam votum obligat; et si tunc non adimplet, adhuc ad illud tenetur quamprimum. *(Scavini, Suar.)* Ad rem ait *Gousset, n.* 505: Paulus simpliciter Deo promittit erogare pauperibus certam summam; de facili eam illico dare posset; sed prævidet, quod illam differendo per aliquot menses, utilior erit. Certo expectare licet. Qui vovit semel confiteri in quolibet mense, juxta *Croix*, et *Diana*, poterit per duos vel tres dies ex causa ultra mensem differe confessionem, vel si proximum venit festum, in quo confiteri desiderat.

598. Q. *Ad quem pertinet vota implere?*

R. I. *Vota realia* ex justitia, non autem vi voti, etiam ad hæredes (in voventis defectu) transeunt, sed non ultra vires hæreditatis; siquidem votum reale ipsam rem voventis tantum afficit ad quascumque manus pervenerit Hinc debita justitiæ ipsius voventis, et filiorum legitima, solvenda sunt ante vota; cum legitima debeatur ex jure, gravari nequit de-

bito voluntario. Sed vota ante legata; idem dic de votis mixtis quoad partem realem; nam prior est obligatio, quam devotio, et pietas erga Deum, quam erga homines. *(Scavini, S. Lig.*, *n.* 214 *et* 215, *aliique*). Vota realia ex proprio solvenda sunt, et qui nequit ex suo, mendicare ab alio non tenetur, tametsi valet, si alius sive rogatus, sive sponte pro ipso solvat cum voventis consensu; nam tunc res ipsius fit. *Salm. n.* 122, *S. Lig.*, *n.* 217. Nisi res sit determinata ob peculiarem rationem; secus etiam satisfacit si rem parem, vel æquivalentem tribuat. *Ballerini, n.* 328.

II. *Vota personalia* ad solos voventes pertinent; quippe solum eorum personam obligant. Hinc vota parentum visitandi una cum filiis suis aliquod templum, religionem ingrediendi, aliquibus diebus jejunandi, orandi, confitendi, etc., solos parentes obligant, qui curare tenentur, et sumptus persolvere, ut filii rationabiliter adimpleant, si velint; eos cogere, ratione voti, nequeunt: sunt enim vota conditionata; si *filii voluerint*.—Nec filiorum sola taciturnitas ratihabitio eorum censeri debet, sed verus, ac plenus consensus requiritur; nam silentium in iis, quæ oneris sunt, consensum non arguit. (*Salm., n.* 117, *Gury, n.* 329, S. *Lig., n.* 213). Idem dic de votis mixtis, quoad partem personalem.

—Unde si communitas, populus, vel magistratus aliquod festum, vel processionem, et similia voverint, licet ab Episcopo confirmata, in quod posteri non consenserint, ad illud non tenentur ratione voti, sed interdum ratione pacti, statuti, vel consuetudinis, ut declaravit S. R. Cong. 18 apr. 1643, et 19 *nov.* 1650: *Communitates, et universitates civitatum, seu locorum non teneri ex præcepto servare festa ex voto earumdem indicta; cum ex præcepto teneantur tantum personæ voventes.* (S. *Lig., n.* 216).

Excipe festum indictum per statutum, seu legem generalem cum Episcopi sanctione, cujus est cultum in sua diœcesi ordinare, et non civitatum, ac magistratuum; non equidem sunt locorum caput morale, sed materiale. *(Ita Lay., Scavini, n.* 60, S. *Ligor., n.* 216). Imo neque Episcopi ratione voti alios obligare possunt; sed ratione præcepti, vel statuti, vel consuetudinis, sicut cæteri superiores: et tunc aliorum non libere, ac sponte voventium statuti violatio non erit in religionem peccatum, sed contra obedientiæ virtutem. Ratio semper eadem est; quia votum est lex privata, quam soli deliberate eam volentes sibi imponunt. (V. n. 154).

599. Q. *Quotupliciter peccat votum violans?*

R. Si votum est de re jam præcepta, dupliciter peccat, nempe contra religionem, et contra præceptum jam existens; nam duplex violat præceptum; quod in confessione est exprimendum. *S. Lig.*, n. 213.—Secus unum erit peccatum contra religionem; nulla porro alia lex adest, et *ubi non est lex, nec prævaricatio.*

Hinc conjux castitatem vovens, etiamsi ex motivo amoris ad castitatem; vel jejunium quis vovens ex motivo speciali temperantiæ, probabilius votum transgrediendo, unum committunt peccatum contra votum, cum ex voto tantum obligentur erga Deum. *S. Lig.*, *n.* 224. Disputatur an sit sacrilegii hoc peccatum; alii cum *Angelico* affirmant; quia per votum res fit sacra Deo: alii universim negant cum *Suarez;* nam per se habetur tantum perfidiæ peccatum, seu contra fidelitatem. Revera res quæcumque non fit sacra per promissionem tradendi, sed per ejusdem traditionem, et acceptationem. Quis dicet sacrilegium esse furtum cereorum alicui imagini promissorum in domo voventis adhuc existentium ?

CAPUT X.

De votorum interpretatione.

600. Post voventis voluntatem, a qua vim suam habet omne votum, si hæc non clara percipiatur, en regulæ communiter admissæ.

1.ª Est ut verba obligationis juxta naturam, ac necessarias ejusdem conditiones accipiantur; sic qui preces vovit, eas devote dicere tenetur.

2.ª Ut verba intelligantur secundum communem regionis usum; sic qui calicem vovit, in dubio sufficit argenteum dare, non autem stanneum, nec tenetur aureum.

3.ª Adhuc manente dubio, votum eo modo servetur, ac si de eo lex Ecclesiæ haberetur. Ideo qui vovit jejunare, vel Missam audire per mensem, vel annum, non tenetur bis in dominica, vel festo die Missam audire, nec in dominicis jejunare; et si quis voverit jejunare qualibet vigilia, non tenetur si hæc in dominica venerit, sed die sabbato, juxta Ecclesiæ morem. *(Scavini, S. Ligor, l.* 3, *n.* 224).—Item qui jejunare vovit die veneris, probabiliter non tenetur, si ea die venerit Nativitas Domini, nisi id præviderit; quo sensu accipitur decretum Honorii III, qui etiam tali die obligat. *(Scavini, S. Lig., n.* 224, *aliique* contra *Salm. aliosque).*

4.ª Si adhuc res dubia sit, in voventis favorem resolvatur; quisque porro censetur se minus obligare quam potest. *(Ita Salm.,* Sc*avini, n.* 61, *S. Lig., n.* 224, *aliique).*

601. Hinc: 1.º qui religionem vovit, minus rigidam ingredi potest, modo sit approbata;—2.º eam quærere non tenetur extra propriam regionem, vel provinciam; et fœmina extra patriam, si ibi talis religio adsit, et in ea non admittatur; vel si remittatur; aut si ante professionem, ob justam causam egredi teneatur; v. gr. ob gravem, ac diuturnam tristitiam, et anxietatem, sive ex natura ipsa, sive aliunde natam, ait *S. Lig., n.* 222: sane aliter agere esset nimis grave. *(V. n.* 787). *Tolet.,* et *Gav.* idem de religioso dicunt;—3.º qui aliquid indeterminate quoad quantitatem vovit, satisfacit dando quod voluerit, modo non tam modicum, ut videatur potius Deo illudere;—4.º qui rosarium vovit, tertiam partem, ac etiam alternatim recitando satisfacit;—5.º qui vovet jejunium, lacticinia comedere potest. *Sanch., Salm., n.* 137, *etc.*

602. Q. *Quid de eo, qui vovit, si ludat chartis, vel aliis ludis?*

R. 1.º Si votum fuit simplex de pœna solvenda, si luserit, sufficit pœnam solvere pro prima vice tantum.—2.º Si fuerit duplex, nempe de non ludendo, et de pœna solvenda, quoties violetur votum, solvenda est pœna; nisi hæc sit gravissima, ut peregrinatio, elargitio magnæ eleemosynæ, quæ non soleat communiter repeti. *(Ita Salm., n.* 223, *Laym., Dian., S. Lig., n.* 177, *et alii).*

Resolves. 1.º Qui invincibiliter ignorat, sive obliviscitur votum principale, aut votum de pœna, ad eam non tenetur; nam deest culpa. *S. Lig., ibid.).*—2.º Cum relaxatur primum in voto pœnali duplici, relaxatur etiam et secundum, prout primi accessorium. *(Salm., c.* 1, *n.* 176, *cum Pal.,*

Laym., Sanch.). Tamen, ut ait *Billuart,* qui vovit dare unum aureum singulis vicibus, quibus juraverit, etsi inadvertenter juret, solvere tenetur; quia non mere in pœnam, sed in medicinam vovisse censetur. *(Scavini, n.* 58). —3.° Qui immemor voti, vel pœnitentiæ injunctæ opus debitum præstat, bene satisfacit per generalem voluntatem, quam quisque habere censetur, prius oneribus satisfaciendi, quam devotioni.

Votum cessare potest. 1.° Ob causas extrinsecas, ut irritatione, dispensatione, et commutatione; —2.° ob causas intrinsecas, nempe cessatione causæ finalis, substantiali mutatione materiæ, et impossibilitate, uti de legibus dictum est. Sit 1.° de causis intrinsecis.

CAPUT XI.

De voti cessatione ob causas intrinsecas.

603. I. **Causa finalis** voti ea dicitur, *sine qua votum non esset emissum. Impulsiva* ea est, *quæ tantum ad vovendum allicit, sed non determinat.*—Porro, cessante causa *finali,* extinguitur votum; cessat enim ratio vovendi: si culpa voventis illa cessat, erit peccatum, sed deerit materia voti.—Cessante vero causa *impulsiva,* non cessat votum; cum non influat illa in hujus substantiam, non cessat omnis ratio vovendi. Sic in eo qui vovit Romam ire studio limina SS. Apostolorum visitandi, et simul animo videndi amicum ibi commorantem, hæc erit causa impulsiva, illa finalis. *(Scavini, n.* 63).

604. II. **Substantialis mutatio materiæ,** quæ triplici modo fieri potest.—1.° si fiat impossibilis absolute, aut *moraliter*, aut desistente conditione; vel superveniente periculo mortis, infamiæ, vel alterius gravis damni;—2.° si fiat illicita, vel indifferens, vel impeditiva majoris boni; —3.° si status voventis relate ad voti materiam fiat moraliter diversus; ut si quis vovisset jejunare, et postea infirmetur; vel eleemosynam dare, et dein ipse pauper fiat. Commune est in hisce casibus nullam esse voti obligationem; nam merito præsumitur non fuisse voventis mentem tunc se obligare. *(Scavini, n.* 64, *S. Lig., n.* 187, *et* 225).

—Imo probabilius, et communius non tenet votum, cum supervenit circumstantia, de qua S. Thomas ait: *Id liberat ab obligatione voti, vel juramenti, quod si ab initio accidisset, aut notum fuisset, hæc fieri impediret.* (In 4, d. 38, q. 1).—Id valere videtur, licet ista circumstantia imprævisa non sit ita notabilis in se, modo notabilis relative ea sit, quæ si a principio fuisset cognita, quis non se obligasset, ut ajunt *Salm., n.* 152, *et S. Lig., n.* 226; nam votum non obligat ultra intentionem.—Tamen in dubio an mutatio sit notabilis, standum est pro valore actus; quia possidet votum, ideoque ad superiorem pro relaxatione est recurrendum. *(Scavini, S. Lig., n.* 187, *et* 226, *cum communi.)*

Excipe: 1.° Vota solemnia in professione religiosa, vel sacra ordinatione; item vota emissa in aliquibus congregationibus, maxime si adda-

tur juramentum perseverantiæ; tunc enim persona consideratur, ut membrum Ecclesiæ, vel religionis, cui præstat postponere bonum privatum, et contractum servare; alias quot scandala, quot perturbationes, et inconvenientia! (*Scavini, n.* 64). Tamen error circa substantiam tam ex parte profitentis, quam ex parte admittentis, vitiat professionem. *Salm., n.* 27.

2.° Vota simplicia castitatis, quæ firma manent ob quamcumque notabilem circumstantiam supervenientem; est quidem jam de natura sua quod stimulis carnis homo agitetur; secus vix ullum castitatis votum firmum esset. Hinc Trident., sess. 24, c. 9, damnat eos qui dicunt: *Posse omnes contrahere matrimonium, qui non sentiunt se castitatis, etiamsi eam voverint, habere donum; cum Deus id recte petentibus non deneget, nec patiatur, nos supra id, quod possumus, tentari.*

Sunt tamen tenentes etiam castitatis votum extingui, si notabilis mutatio superveniat, non directe ex ipso voto, sed aliunde, v. gr. fœmina per vim oppressa, quæ nisi nubat, in miserrima conditione versaretur; nam, hac prævisa circumstantia, votum non fuisset plerumque emissum; et votum non obligat ultra intentionem; ergo... (*Del-Vecchio, n.* 64).

CAPUT XII.

De votorum irritatione.

605. **Irritatio voti** est *rescissio facta ab eo, qui potestatem habet in voventem, vel in materiam voti.* Duplex est, *directa,* et *indirecta.* 1.ª *ab eo fit, qui immediate, et directe in materiam voti, vel in voventis voluntatem potestatem habet.*—2.ª vero *fit ab eo, qui potestatem habet exigendi a vovente actus quosdam cum voti executione incompatibiles.*

—Vota *directe* irritata nunquam reviviscunt; nam censentur facta sub implicita conditione, *nisi superior contradixerit.*—*Indirecte* vero irritata reviviscunt, quando sine superiorum jurisdictionis, et mandatorum præjudicio impleri possunt. Unde in his meram voti suspensionem, in illis autem voti nullitatem, seu inhabilitationem habes. (*Scavini, n.* 68, *Ballerini, n.* 330, *S. Ligor., n.* 227). Vota filiorum, uxorum, regularium, et aliorum subditorum, in iis, quæ superiorum jurisdictioni, et mandatis non præjudicant, valida sunt, donec non irritentur; nam subditi voluntate non carent, etsi eam subjicere debent superiorum voluntati, si contradicant. Ita probabilius *Salm., n.* 183, *S. Ligor., n.* 231, *cum communi.*

—Hoc jus in natura fundatum est; de jure enim naturæ est, quod in superiore sit dominans potestas, qua valide semper, etsi sine causa, omnia irritat subditorum vota, licet ea rata habuerit; maxime si ejus dominium offendunt; nam superior sibi adimere nequit potestatem, quam in subditos jure naturæ habet. (*Gury, Ballerini, n.* 331, *S. Ligor., n.* 239). *Hinc:*

I. Omnis superior potestate dominativa præditus in præsentem vo-

ventis voluntatem, seu tempore subjectionis, ut Summus Pontifex in omnibus religiosis etiam prælatis, Episcopus in ordinibus sibi subjectis, et superior regularis (etsi secundarius, absente primario, ac probabiliter etiam Abbatissæ), irritare directe possunt subditorum vota; et hic indirecte novitiorum, quæ regularem observantiam impediunt. Tamen votum ad strictiorem religionem transeundi, *ex c. Licet*, 18 *de regul.*, irritari nequit a prælato regulari.—Imo *S. Ligor.*, *n.* 233, censet, nec ab ipso Pontifice, prout supremus est religiosi ordinis prælatus, irritari posse, licet ab eo non solum Papa, sed etiam prælatus regularis dispensare queat. *Ita Salm.*, *n.* 38, 40, *etc.*

II. Quivis alius superior irritare, indirecte saltem, potest omnia subditorum vota in iis, in quibus ejus læditur potestas; quisque profecto jus habet, ne in suo dominio offendatur.

606. **Parentes filiorum vota irritare possunt:** I. *Si agatur de impuberibus*, omnia eorum vota, etiam castitatis, religionis, et realia, etiamsi votum sit de peculio *castrensi,* vel *quasi*, possunt directe irritari a patre, et patris defectu, ab avo paterno, ac tutore, et, his deficientibus, a matre, saltem quoad vota personalia, et probabiliter etiam præsente patre, vel tutore; nam ipsi quoque filii obedire tenentur; tamen *S. Ligor.* dicit, quod potest pater irritare vota, filiorum, contradicente matre; sed non sic mater, contradicente patre.—Hæc parentum facultas probatur 1.º ex jure canonico, *C. puella*, *causa* 20, *q.* 2, *c.* 2.—2.º ex jure naturæ, ratione potestatis dominativæ.—3.º ex ratione naturali; nam in tali ætate deesse censetur perfecta deliberatio ad tantam suscipiendam obligationem; ideoque prospexit natura, et jus positivum ad talem defectum.—Si dubitetur, an votum ante, vel post pubertatem emissum, aut ratihabitum fuerit, adhuc pater irritare potest; possidet quidem paterna potestas. *(Ita Gury*, *n.* 330; *Scavini*, *S. Ligor.*, *n.* 229, *et* 236, *aliique*).

II. *Si de puberibus* sermo sit, non possunt parentes, neque indirecte eorum vota personalia irritare, uti castitatis, religionis, jejunii, confessionis, nisi domesticæ procurationi graviter adversentur; v. gr. vota longæ peregrinationis, jejuniorum incompatibilium modo vivendi familiæ; nam in ea ætate filii, quoad suam salutem, sunt sui juris. (*Ita Salm.*, *Less.*, *Silv.*, *S. Thomas,* 2. 2, *q.* 88, *a.* 8, *cum communi).*

—Tamen indirecte irritare possunt eorum vota realia; quippe in minori ætate filii-familias suorum bonorum administratione carent.—Excipe si votum sit de peculio *castrensi*, vel *quasi;* aut si filius a patria potestate exierit. *(Can.* 2, *caus.* 20, *q.* 2, *Salm.*, *c.* 3, *n.* 48, *S. Lig.*, *n.* 229). Facultas, quam habet pater erga filios legitimos, eamdem habet erga illegitimos.

Herus vota famulorum potest non directe irritare, sed suspendere, saltem famulorum vota, quæ obsequium debitum impediunt, vel minuunt, ut votum quotidie Missam audiendi, aut jejunandi. *(S. Lig.*, *n.* 240).—Imo, ubi alii supradicti desunt superiores, potest herus cum suo servo, et magister cum discipulo, quod tutor cum pupillis. *(Ita Suarez*, *Less.*, *S. Lig.*, *n.* 228, *Ballerini*, *n.* 330).

607. **Conjuges inter se quædam vota irritare valent:** I. *Si agatur de castitatis voto*, probabilius invalidum est, utpote de re inepta, vel de bono hic et nunc impossibili juxta illam regulam: *Votum emissum tempore inhabili non obligat tempore habili.* (Ita *Salm.*, *n.* 55, *Del-Vecchio*, *S. Li-*

gor., *n.* 235). Dubitatur ergo hic de legis existentia; atqui lex dubia non obligat; ergo neque tale votum.

—Tamen si de *communi consilio* conjuges castitatem voverint, a neutro revocari posse communius docent *AA.;* cum uterque virtualiter juri suo cessit.—Alii autem dicunt posse maritum ex dominativa potestate, a qua spoliari irrevocabiliter nequit, directe mulieris votum, etiam castitatis, et religionis irritare, et tunc mulierem indirecte irritare posse votum viri. Ita valde probabiliter, ait *S. Lig.*, *n.* 239, *Sanch.*, *Sot.*, *Salm.*, *cum aliis plurimis*, et supra dicit: *videtur certum.*—Tamen infra addit: *cum hæc opinio sit contra communem, sapientibus decernendum remitto.*

—Si vero *ab una tantum parte* votum sit emissum, validum esse quoad non petendum, sed suspendi quoad reddendum usque ad compartis obitum, docent communiter *AA.* cum *D. Alphonso, n.* 236; quia non vovens irritare potest votum, cum ipsi onerosum sit, maxime si vovens sit vir. Imo vovens adhuc petere potest, et debet, si altera pars in periculo incontinentiæ versetur, et ob verecundiam non petat; esset enim interpretative reddere.

II. *Quoad alia vota*, probabilius maritus directe irritare valet omnia uxoris vota, licet matrimonii usui, prolis educationi, domesticæ administrationi non adversentur; imo etsi essent exequenda post ejus mortem. Probatur 1.° Ex Apostoli verbis: *Vir caput est mulieris.* Mulier debet esse subjecta viro, sicut membrum capiti; ideoque capiti subduntur omnes mulieris actiones.—2.° Ex SS. Patribus, inter quos ait Angelicus: *Nullum votum religiosi est firmum, nisi sit de consensu prælati: sicut nec votum puellæ existentis in domo, nisi sit de consensu patris; nec uxoris, nisi sit de consensu viri.* (2. 2, q. 88, a. 8, ad 3).—3.° Ex ratione potestatis dominativæ, seu subjectionis, pacis, ac familiæ boni id convenire videtur. Ita *Salm., n.* 57, *Azor.*, *S. Ambrosius, Scavini, n.* 70, *S. Lig.*, *n.* 234, *aliique* contra *Spor.*, *et alios* docentes maritum nonnisi indirecte irritare posse uxoris suæ vota, quatenus sibi officiunt.

Excipe 1.° vota uxoris emissa ante matrimonium, cum non sint emissa tempore subjectionis, etsi maritus suspendere ea possit, quatenus suæ potestati obsunt;—2.° vota quæ ad suam personam pertinent, modo in nullo viro noceant; nam quoad hæc homo, ex quo venit ad pubertatem, si sit liberæ conditionis, est suæ potestatis.

III. Uxor tantum indirecte irritare potest mariti vota, quæ jura matrimonii, vel internæ domus procurationem lædunt, uti votum castitatis, magnæ abstinentiæ, habitare alibi, cubare seorsim, induendi habitum eremitæ, longæ peregrinationis, et similia; cum mulier sit in subjectione; et probabilius votum non petendi debitum; nam gravosum esset uxoris pudori cogi semper ad petendum. *S. Lig., n.* 235, *et* 242.

608. Q. *An irritatio voti fieri possit sine causa?*

R. Affirma quoad validitatem; quippe dominus valide in re sua disponit.—Nega quoad liceitatem; quia irrationabiliter spiritualis profectus subditi impeditur; et graviter peccaret qui ex prava intentione, aut cum gravi subditorum nocumento, vel si ex odio, seu invidia profectus spiritualis eorum, aut ex religionis contemptu, vota irritaret: secus probabilius leviter, etsi positive illa approbaverit. (*Suarez, n.* 10, *Ballerini, n.* 331, *S. Lig., n.* 239, *cum communi).*

Vota subditorum irritare, ait S. Lig., n. 228, *de se loquendo verius,*

nullum est peccatum; quia vota subditorum sub conditione consensus superiorum emittuntur; unde obedientia pro causa sufficit. Dixi de se loquendo, *quia difficulter aliunde poterit excusari a veniali; vel quia facit actum otiosum, vel quia irrationabiliter profectum alterius impedit... Sufficit vero quævis causa rationabilis ad excusandum a veniali.*

Q. *Quænam causa ad licite petendam irritationem requiritur?*

R. Si nulla rationabilis adest causa, communis est sententia, subditum peccato non carere, sed probabilius levi, juxta *Suar., S. Lig. n.* 239, *Ballerini, ibid., aliosque;* nam actus otiosus, et profectum impediens esset. Unde Suarez *ex omnium sententia* infert, subditum, qui a prælato irritationem voti petit sine causa, quæ ad justam dispensationem sufficiat, non *peccare, quia* (ait) *utitur jure suo. Item quia votum non fuit absolutum, sed conditionatum, et per illum non se obligavit ad cavendum, ne conditio impediretur... Item non est peccatum se ostendere propensum ad irritationem; quia hoc neque est contra votum, neque contra aliud præceptum... Sicut ergo non peccat prælatus irritando, ita nec subditus petendo.* (Ibid. c. 7, n. 16).

CAPUT XIII.

De votorum dispensatione.

609. **Dispensatio voti** est ejusdem *remissio Dei nomine facta ob justam causam ab habente spiritualem jurisdictionem in foro externo.*

Ecclesiam dispensandi vota potestatem habere, constat tum ex *jure*, tum ex *facto*. 1.° Ex illis generalibus Christi verbis: *Quodcumque solveris.* (Matth. XVI). Et cum spiritualis potestas soli Ecclesiæ competat, jure *proprio*, et *ordinario*, ipsa sola hac gaudet potestate.—2.° Hanc potestatem semper exercuit Ecclesia, uti ex historia patet.

Q. *Quinam vota dispensare possunt?*

R. Cum hæc potestas ad externam gubernationem pertineat, sicut potestas ferendi leges, a votis dispensare tantum de jure ordinario possunt ii, qui hanc externam in Ecclesia habent potestatem; nempe Papa pro tota Ecclesia in omnibus votis simplicibus, qui organo S. Pœnitentiariæ dispensat in occultis, et S. Datariæ in publicis.—Prælatus ordinarius, item Vicarius capitularis, sede vacante, pro suis respective subditis in votis Papæ non reservatis.—Prælati regulares exempti erga suos religiosos, et novitios quoad vota etiam in sæculo emissa. Item ex privilegio regulares mendicantes, et quilibet a superiore ecclesiastico legitime delegatus, et tonsuratus. S. *Ligor., n.* 256.

Resolves. 1.° Prælati regulares dispensare valent votum sui subditi ad strictiorem religionem transeundi, nisi utilius noscatur in sua manere. —2.° Item Episcopus cum suis subditis dispensare potest in hujusmodi voto, relicto quoad substantiam religionis voto; cum nullibi reservata habeatur talis dispensatio.—3.° Vota tamen substantialia, vel ipsis annexa; v. g. non edendi carnes, dignitates renuntiandi, etc., dispensari nequeunt, nisi a solo Pontifice.—4.° Vota novitiorum non reservata dispensari

queunt tum a prælatis religionis, tum ab Episcopis propriis.—5.° Omnes confessarii regulares dispensare valent vota quorumcumque fidelium intra, et extra confessionem, ex diversis privilegiis Pontificiis apud *Salm.*, *n.* 94, *Elbel*, *n.* 280. Ita *ex comuni DD. cum* Less., *n.* 154, *Salm.*, *n.* 79, *et* 91, S. *Lig.*, *n.* 257, *plurimisque aliis.*

610. **Justa causa ad dispensandum semper requiritur**; nam vota soli Deo fiunt; homo ergo ab illis dispensare nequit, nisi ut a Deo delegatus; delegatus licite, et valide dispensare non valet absque justa causa; ergo... S. *Lig.*, *n.* 250, *cum communi.*

Unde invalida est dispensatio, etsi bona fide peracta, deficiente justa causa, quamvis justa falso credita. In dubio autem an fuerit sufficiens dispensandi causa, standum est pro valore dispensationis. *Scavini*, *n.* 250, *S. Lig.*, *n.* 251.—Ad legitimam commutationem, et dispensationem hæc sunt consideranda: 1.° quid liceat secundum æquitatem; 2.° quid deceat secundum honestatem; 3.° quid expediat secundum utilitatem.

Justæ dispensandi causæ sunt: 1.° *Necessitas*, vel major voventis utilitas sive spiritualis, sive temporalis, ut magna difficultas in voti executione, licet prævisa; nempe grave periculum violandi votum, etsi ortum habeat ex voventis fragilitate; aut si vovens magnis vexetur scrupulis.—2.° *Bonum commune* tum Ecclesiæ, tum reipublicæ, tum familiæ.—3.° *Imperfectio actus*, vel facilitas, et levitas vovendi; v. g. si ex iræ, vel tristitiæ impulsu; aut ob levem metum ab intrinseco incussum, ut levi timore incendii, naufragii, mortis, vel alterius mali. Tunc dispensari sine commutatione potest. Si vero de matura deliberatione constaret, tunc dispensationi aliqua commutatio addatur, excepto impubertatis casu. Item si causa non sufficiat ad integram dispensationem, perinde si cessat voti causa impulsiva. S. *Lig.*, *n.* 250, *et* 254.

611. **Vota Papæ reservata** præter solemnia sunt quinque. 1.m Votum perpetuæ castitatis.—2.m Religionem approbatam ingrediendi.—3.m Hierosolymitanæ peregrinationis ad Christi sepulchrum.—4.m Item Romæ ad Limina Apostolorum.—5.m Itemque ad S. Jacobum Compostellæ. Sed requiritur ut sint vota *absoluta, libera, determinata,* et *perfecta:*

I. *Absoluta:* unde reservata non sunt vota conditionata de futuro contingenti; nec pœnalia, et probabilius etiam impleta conditione; nam ex affectu imperfecto ad rem promissam procedunt, et magis referuntur ad conditionem. S. *Lig.* *n.* 260, *aliique plurimi.*

Reservata tamen sunt vota conditionata de futuro necessario, vel etiam de contingenti, quod sit commune; v. gr. *si vixero, si potero,* etc., vel si suspensiva conditio apponatur, v. gr. *si* 20 *annum attigero, si cursum consummavero, si pater obierit,* animo tantum suspendendi. *S. Lig.* *n.* 260.

II. *Libera* omnino: unde reservata non sunt vota etiam ex levi metu emissa ab alio incusso.

III. *Determinata:* hinc reservatum non est votum disjunctivum, v. gr. religionis, aut jejunii; quia non reservatum tunc vovens eligere potest; et probabiliter etsi pars reservata jam electa fuerit. *Salm.*, *aliique plurimi* contra *Sanch.*, etc.—*Et determinata quoad substantiam;* unde etsi reservata sit, v. gr., hierosolymitana peregrinatio, non sunt reservatæ hujus peregrinationis circumstantiæ, uti mendicando, nudis pedibus ire.—Item votum arctiorem ingrediendi religionem, vel statim; potest Episcopus dis-

pensare, ut benigniorem ingrediatur, vel ut differatur. *(Scavini, S. Ligor., n.* 258).

IV. *Perfecta;* quia versamur in odiosis: unde 1.° reservatum non est votum emittendi votum reservatum; v. gr., votum castitatis, vel religionis; quippe nondum est factum;—2.° si non fit principaliter in Dei honorem, vel sola devotionis causa;—3.° si sub levi obligatione;—4.° si incompletum in genere suo; v. gr., castitatis votum, quod non excluderet omnem actum venereum, etiam internum, uti esset votum non nubendi, non fornicandi, non adulterandi, debitum non petendi;—5.° neque castitatem vovere pro aliquo tempore; aut votum quod indirecte tantum castitatem respiciat, uti Ordines sacros suscipiendi, virginitatem servandi, si intendatur tantum conservatio illius; secus si abstinentia ab omni actu venereo; neque votum religionis non approbatæ. (*S. Ligor., n.* 258, *cum communi).* Item probabilius nec reservatum est juramentum cum voto castitatis inclusum. *S. Lig., n.* 259, contra *alios.*

612. Q. *An Papa dispensare possit in votis solemnibus?*

R. Affirma probabilius, et communius, urgentissima interveniente causa, nimirum ob commune bonum Ecclesiæ, vel regni, aut provinciæ, quoad religiosos, et clericos in sacris. Ratio; quia Papa, ut Dei minister immediatus, voluntatis ejus est interpres in bonum commune. Imo clerici simul, et conjugati esse possunt, dispensatione accedente; nam continentia non est essentialiter Ordini adnexa; et solemnitas hic est tantum de jure ecclesiastico. *S. Lig., l.* 6, *n.* 1059. Secus dic de regularibus; nam castitatis votum est de religionis essentia: sic dispensati a sua professione liberi erunt. *S. Lig., l.* 3, *n.* 256.

Tournely, refert Benedictum IX permississe Ramiro presbytero, religionem professo, ut labentem Aragoniæ prosapiam, editis liberis, excitaret. Et Julius III Cardinali Polo, legato in Anglia, facultatem fecit dispensandi cum presbyteris, et diaconis, qui tempore anglicani schismatis matrimonium de facto attentarunt, ut inter se contraherent, sed omni Ordinum exercitio sublato. Et Pius VII in Constitut. confirmatoria *Concordati,* 15 aug. 1801, declarat idem fecisse circa ecclesiasticos, qui tempore revolutionis gallicanæ matrimonium attentarunt.

613. Q. *An Episcopus valide dispensare possit in votis reservatis?*

R. Affirma: Episcopi, et omnes similem jurisdictionem habentes, uti Nuntii in sua provincia, Legati a latere, Abbates, etc., dispensare valent, si urgeat necessitas, quæ voti suspensionem non patitur, et non sit facilis recursus ad Papam, uti periculum violationis voti, scandali, infamiæ, rixarum, vel gravis damni spiritualis, aut temporalis, tam proprii, quam alieni; licet de votis absolutis, determinatis, ac perfectis agatur; cum reservatio sit ad bonum commune, et non ad damnum. Item si dispensetur cum adstricto voto castitatis, ut aliquam ducat ad reparandum honorem; sed nequit ille cum alia nubere. (*Ita* S. *Ligor., n.* 258, *cum communi*).

Disputatur an id possint confessarii mendicantes. *Negant communius Tamb., Croix, Sanch., Spor., etc.*, ait S. *Ligor.*, contra *alios.*

Episcopus juxta communem sententiam dispensare potest etiam ab omni impedimento exercitium actus conjugalis impediente, indeque a castitatis voto perpetuæ tum ante, tum post matrimonium emisso in ordine ad debitum.—Idem possunt confessarii mendicantes, si matrimonium jam sit contractum, tam intra, quam extra confessionem, non autem confes-

sarii in jubilæo habentes a Papa facultatem dispensandi in votis simplicibus. *(S. Ligor, n.* 259, *cum communi).* Merum juramentum religionis, castitatis, etc., vel ad firmandum tale propositum, licet sit in ipso voto reservato inclusum, non erit reservatum. *(Ita probabilius Viva, Diana, S. Ligor, n.* 259, *aliique plurimi* contra *alios).*

Denique facultas dispensandi in reservatis non est præsumenda, sed specialiter data probanda; si vero concedatur generalis facultas in reservatis, ad omnia extenditur; si aliquod votum excipiatur, exceptum erit. *S. Lig., n.* 250.

Qui vero facultatem dispensandi habet sive ordinariam, sive delegatam, secum ea uti valet, cum sit actus jurisdictionis voluntariæ. *Ita Less., Suar., S. Lig., n.* 256, *cum communi.* (V. n. 176 et 177).

614. Q. *An votum in utilitatem tertii emissum dispensari possit?*

R. Affirma ante acceptationem, si promissio sit gratuita, vel principaliter in honorem Dei, Sancti, aut ecclesiæ, vel peculiariter etiam ad personam directa; nam tertius nondum jus in eam acquisivit, neque ecclesia nisi dependenter a voluntate Dei, quæ relaxari potest.—Secus si in utilitatem tertii designati; v. gr. talis pauperis, ecclesiæ, ubi semel a paupere, vel a rectore illius ecclesiæ sit acceptatum; quippe tunc pauper, tertius, vel ecclesia verum acquirunt jus, quo citra injustitiam spoliari nequeunt absque ejus consensu.—Si vero promissio soli Deo sit facta aliquid indeterminatis pauperibus dandi, tunc semper commutari potest, vel dispensari, licet promissio alicui ex pauperibus postea manifestetur, et ab eo acceptetur. *Ita Suar., Lugo, n.* 93, S. *Lig. n.* 254, *cum communi.*

Dispensari minime potest, neque tempore jubilæi, mutua promissio, sive votum, aut juramentum perseverantiæ, quæ in aliquibus congregationibus emittitur; siquidem contractus bilateralis rationem assumit; congregatio scilicet se obligat ad sustentationem, et subditus ad servitium, ut declaravit Benedict. XIV, Bull. *Convocatis* 1748, et *Inter præteritas* 1749. Ideo tantum ipsa congregatio, et SS. Pontifex obligationem hanc remittere valent. *S. Lig., l.* 3, *n.* 255. (V. n. 619).

CAPUT XIV.

De voti commutatione.

615. **Voti commutatio** est *substitutio unius materiæ in locum illius, quæ fuit voto promissa sub eadem voti obligatione.* Triplici modo fieri potest; nempe, in bonum *melius,* in *æquale,* in *minus.*

Vota commutare potest: I. Quilibet potestatem ordinariam dispensandi in votis habens, habet etiam ea commutandi, sive intra, sive extra confessionem. *Cui licet quod est plus, licet utique quod est minus.* (Reg. 53 in 6). Sed non contra; quia majus in minori non continetur. *(S. Ligor., n.* 246).—Confessarii vero delegati non possunt vota commutare, si regulares excipias, nisi in foro sacramentali. *(Scavini, n.* 65).

II. Vovens auctoritate propria, et sine speciali causa, votum suum commutare potest *in melius,* modo id specialiter Ecclesia non prohibuerit;

cum minus in majore eminenter contineatur. Constat ex jure canonico. *(C. 3, de jurejurando).* Excipe vota Papæ reservata, nisi mutatio in statum religiosum fiat. Sic professus ad strictiorem ordinem, petita sui prælati licentia, etsi non concessa, ex justa causa transire potest; secus si ex levitate, vel temeritate; v. gr. ob acceptam offensionem, aut ob temporale commodum. S. *Lig., l.* 4, *n.* 73, *et l.* 3, *n.* 243, *Gury, n.* 334. (V. n. 250, et seqq.)

Tamen non potest *in minus*, ratione contraria; tunc esset enim velut dispensare.—Neque probabilius *in æquale* potest; nam res fuit promissa in specie, et stante promissione, gratius censetur esse Deo, ut vovens sit fidelis, quam ut rem æqualem præstet; aliunde commutatio est quidem contractus, qui perfici nequit absque consensu ejus, qui vicem Dei gerit in terris, scilicet prælati: *Ita communissime S. Thomas, Salm., Scavini,* S. *Ligor, n.* 544.—*Alii* cum *Salm., Suar.*, dicunt talem propriam commutationem in rem æqualem nullam, ac grave peccatum, esse.—*Alii* vero cum *Sanch., Dian.*, dicunt leve tantum esse; quia esset infidelitas in re modica, nisi in minus commutetur.—*Alii non pauci* cum *Elbel, n.* 304, *Tamb.*, affirmant, cuique licere suum votum commutare cum opere evidenter æquali; nam ita præsumitur ex divina benignitate, saltem ut hilarius ei oblatio præstetur.

III. Omnia vota personalia commutari propria auctoritate possunt in votum religionis, et omnia vota realia ipso jure sic mutantur in professione. S. *Thom., apud Salm., n.* 129.

616. Q. *An sacerdos delegatus commutare possit vota in minus?*

R. I. Qui solam commutandi habet facultatem, ea uti non potest, nisi in bonum moraliter æquale, non mathematice, ne anxietatibus detur locus; secus partim dispensaret, et tunc se excederet. *(Gury, Scavini, n.* 65, S. *Lig., n.* 246).

II. Ad commutandum in opus æquale requiritur causa, licet minor, quam ad dispensandum; nam commutatio aliud opus subrogat; unde sufficit major propensio voventis, aut minus transgressionis periculum: consulit S. *Alphonsus*, ut interrogetur vovens ad quæ opera majorem habeat propensionem; et securior commutatio in omni votorum genere semper erit sacramentorum frequentia: etsi curandum sit, licet non necesse, commutare personale, saltem partim in personale, reale in reale, mixtum item in mixtum, perpetuum in perpetuum; sed semper majus voventis bonum est curandum. S. *Lig., n.* 247.

III. Pro commutatione in bonum notabiliter minus requiritur gravis causa; secus commutans non solum prodige, ac illicite ageret, sed etiam invalide ex *D. Thoma;* nam prælatus in re non sua nequit valide facultatem excedere sine justa causa. Ita *Scavini, n.* 65, *Salm., n.* 148, *Pal., Trull., et alii* contra *Sanch., n.* 8, *Dian., Tamb., aliosque* illud admittentes, dummodo suppleatur defectus. S. *Lig., n.* 245 ait: utraque sententia est probabilis.—In dubio an causa commutationis fuerit sufficiens, docet S. *Thom.*, 2. 2, *q.* 88, *art.* 12, *ad* 2, posse voventem judicio commutantis acquiescere.

Si vero commutatio fiat in opus aliquantulum minus, tunc satis probabile est, ait *S. Lig.*, cum *Salm., c.* 3, *n.* 138, *et aliis plurimis,* modo excessus non sit notabilis, id licere; quippe aliter hæc potestas esset pluribus anxietatibus obnoxia, ideoque fere inutilis. — Qui facultatem vota

commutandi habet, secum eam exercere valet. *Sanch., Salm., S. Lig., n.* 249, *cum communi.*

617. Q. *An votum principaliter in honorem Dei emissum, secundario autem in favorem alicuius tertii determinati, sive ecclesiæ, postquam ab iis acceptatum sit, commutari queat sine eorum consensu?*

R. Affirmant satis probabiliter *Spor., n.* 113., *Viva, Fagund., Trull., Leand., aliique;* siquidem hæc vota, ut ait S. *Lig., n.* 254, principaliter ad Deum diriguntur in finem *cujus*, et pauper etc. est solum finis *cui*, sive accessorius, qui finem principalem sequi debet; ideoque tertius dependenter a Deo jus acquisivit. Alii vero cum *Less., Salm., n.* 156 contrarium tenent; nam tunc acquiritur jus tertio acceptanti, cujus simul in voto ratio est habita. (V. n. 614). Sed hic agitur de sola promissione gratuita. Secus dicendum, si intercedat contractus onerosus, sine partis consensu.

Resolves. 1.° Facta commutatione in minus, vel in æquale vovens ad primam redire potest materiam; porro majus opus Deo gratius videtur. Imo etsi facta sit in majus; in favorem siquidem voventis est facta; nisi cum novo voto ad hoc melius se devinxerit vovens. Ita *Gury, Scavini, Salm.*, S. *Lig., n.* 248 *cum communi.*—2.° Facta commutatione superioris auctoritate, non reviviscit primum votum, licet materia secunda fiat impossibilis, etsi voventis culpa; nam prior obligatio per commutationem legitime soluta est.—Secus si propria auctoritate; hæc profecto extinguere non valet obligationem semel contractam, nisi per hujusmodi adimplementum, vel per majorem, aut saltem æqualem subrogationem. *Salm., n.* 166, S. *Lig., n,* 249 *cum communi.*

618. Q. *An commutato voto reservato, materia subrogata etiam sit reservata?*

R. Nega probabilius, ac communius cum *Suar., Gury, Scavini,* S. *Ligor., n.* 260; nam licet subrogata materia idem habeat vinculum voti, non habet vinculum reservatum; cum hoc non ferat materia subrogata.—Cæterum sedulo adhortandi sunt fideles, ut recte ait *Gury*, ut nunquam vota emittant nisi de consilio confessarii, præsertim si de voto castitatis agatur. Confessarius tale votum perpetuum difficillime permittat, nisi personis diu probatis, ac ætate maturis; et ut plurimum omnia vota temporanea sint, v. gr., ad mensem, vel ut summun ad annum, et de re facili; secus suis laqueis voventes cadent.

DE TERTIO DECALOGI PRÆCEPTO.

MEMENTO UT DIEM SABBATI SANCTIFICES. (*Exod.* XX).

CAPUT I.

De sanctificatione festorum.

619. **Præceptum festorum** est partim *naturale*, partim *cæremoniale*, seu *positivum*. 1.° Naturale quidem est quantum ad hoc, ut homo deputet aliquod tempus vitæ suæ ad vacandum Divinis.—2.° Sed in quantum hoc præcepto determinatur speciale tempus in signum creationis mundi, est præceptum cæremoniale.

II. Quoad cæremoniale est in nova lege abrogatum; siquidem pro die sabbati Ecclesia diem dominicam in memoriam resurrectionis D. N. J. C. substituit; quam substitutionem ab Apostolis fuisse factam probant antiquissima documenta, et SS. Patrum testimonia; quæ jure prosequuntur (*Suarez, de Relig., t.* 1, *l.* 2, *c.* 4, *aliique*); quippe hoc Ecclesiæ fuit commissum a Fundatore. Ideo probabilius, et communius diei dominicæ observantia est tantum de jure ecclesiastico. Ita S. *Thom.* 2. 2, *q.* 122, *art.* 4. *ad* 4. Hinc observantia dominicæ ab Ecclesia mutari, et dispensari potest; quamvis dispensare non possit, quod nullus sit dies festus divino cultui specialiter deputatus; nam quoad exhibitionem cultus est quidem præceptum divinum; sed quoad cultus, et temporis determinationem est ecclesiasticum. S. *Lig., n.* 265. Nos igitur festa colendo naturali, ac divino, et ecclesiastico præcepto rite satisfacimus.

III. Substitutionis causam nobis suppeditat S. Leo Magnus: *In hoc* (die dominico) *per resurrectionem Christi et mors interitum, et vita sumpsit initium; in hoc mandatum accipiunt Apostoli prædicandi Evangelium in universo mundo; in hoc potestatem dimittendi peccata; in hoc promissus a Domino Spiritus Sanctus advenit, et Evangelica lex in die Pentecostes promulgata est.* (Epist. ad Diosc.).

Hinc merito Pius IX Encycl. *Quanta cura* damnavit eorum doctrinam, qui impie pronuntiant: *Esse de medio tollendam legem, qua, certis aliquibus diebus opera servilia, propter Dei cultum prohibentur, fallacissime prætexentes commemoratam... legem optimæ publicæ œconomiæ principiis obstare.*—Sane nulla reperitur gens barbara, quæ suam divinitatem festis non excolat.—Hoc præceptum juxta S. *Ligor., l.* 3, *n.* 264, et *D. Thom. cum communi* est *affirmativum*, et non præcipit cultum Dei interiorem, sed exteriorem; siquidem finis præcepti non cadit sub præcepto.

Objecta festorum. Non tantum Deus, sed etiam B. Virgo Maria, Angeli, et Sancti, in quibus ipse Deus mirabilis, et sanctus exhibetur, sunt festorum objecta. Universali, ac perpetua consuetudine sancitum est, ut quævis ecclesia in honorem alicujus Mysterii, vel Sancti, aut Sanctæ eri-

gatur; et ut plurimum dicitur Titulus, aut Titularis; secus, Patronus, vel Patrona ecclesiæ vocatur.

620. Q. *Quinam festa instituere possunt?*

R. I. Commune est principes sæculares festa instituere non posse, neque in iis dispensare, ea imminuere, transferre, aut impedire; cum nulla sit eis in spiritualibus potestas. Ita communius S. *Lig. n.* 266 contra *Suar., Trull., etc.*

II. Totum potest Papa et pro tota Ecclesia; cum ipsi dominici totius gregis cura sit demandata.—Item Episcopi pro festis particularibus suæ diœcesis, accedente cleri, populique consensu, vel saltem non contradicente, si de festo perpetuo alicujus *Sancti* agatur, non *Beati*, ut verius dicunt cum *Scavini*, et S. *Lig., n.* 266, *DD.*: et eruitur ex *C. Conquæsitus de fer.*: illis equidem consignatur etiam grex.—Monet tamen Urbanus VIII, ut abstineat Episcopus a novis festis ob multa incommoda, quæ inde oriri solent.—Pro festis generalibus totius Ecclesiæ nihil potest Episcopus. Contrarium est damnatum sub n. 64 Synodi Pistoriensis a Pio VII.

Q. *An communitas indicere possit festum de præcepto, quod nec de consuetudine servatur, nec ab Ecclesia romana præscribitur, exigendo mulctam ab inobedientibus?*

R. S. R. C. 3 jun. 1630 respondit: *Non posse.* — *Festum* (una cum indulgentiis) *fit die, quo cadit, licet Officium transferatur. (S. R. C. 15 sept.* 1668 *in Januen.)*, excipe festum Annuntiat. B. V. M. in feria sexta Parasceves, vel in Sabbato Sancto recurrens, quod ex decreto S. R. C. 11 mart. 1690 ad feriam 2.ᵐ post dominicam in Albis transfertur. Si autem venerit hoc festum, vel S. Joseph in feria 5.ª Majoris hebdomadæ, Ordinarii locorum accurate providere debent, ut eo die aliquæ Missæ privatæ ante celebrationem solitæ conventualis non desint pro adimplemento præcepti; ex decreto S. R. C. 13 sept. 1692.

621. Q. *Quomodo est colendum festum Patroni uniuscujusque oppidi, vel civitatis?*

R. 1.° Ex S. R. C., annuente Urbano VIII, die 23 mart. 1630, eligi possunt in Patronos ii solum, qui ab Ecclesia universali titulo Sanctorum coluntur, non autem Beatorum dumtaxat.—2.° Talis electio fieri debet mediante consilio generali illius civitatis, vel loci, accedente Episcopi, ac cleri ejusdem loci consensu.—3.° Causæ electionis novi Patroni in S. Congregationem deduci debent, ab ea examinari, approbari, et confirmari cum inscriptione, ac publicatione hujusmodi decreti. Non sufficit ergo solum devotionis populi motivum, ac ejusdem electio.—4.° Sub præcepto Missam audiendi, et a servilibus vacandi unum est tantummodo festum S. Patroni ex principalioribus Patronis in unoquoque regno, sive provincia, et alterius pariter principalioris in quacumque civitate, oppido, vel pago, ubi hos Patronos habere, et venerari contigerit, ut expresse statuit Urbanus VIII, Const. *Universa*, § 2.

Excipiuntur electiones Sanctorum Patronorum factæ ante emanationem præfati decreti Urbani VIII. Ita *Ferraris*.—Nomine *loci* non intelligitur pagus, vel parœcia, sed multitudo populi, et clerici, sive multi clerici, et populi, seu parœciæ in uno loco, puta civitate. Ita *Gavant.* Ex S. *R. C.* 3 *jun.* 1682 regulares celebrare tenentur festum, et Officium de Patrono principali loci conventus, ac de Patrono principali civitatis, regni, aut provinciæ, sub ritu duplici primæ classis sine octava.

622. Q. 1.° *Utrum vi Brevis diei* 6 *sept.* 1853 *super reductione festorum* (in Italia) *servandum sit festum Patroni diœcesis juxta morem, vel potius Patroni uniuscujusque civitatis, vel oppidi juxta morem pariter ibi servatum?* R. S. Rit. Cong. 12 aug. 1854 ad Episcopum *Ventimilien.* respondit: *Festum præcipui Patroni diœcesis servandum de præcepto in locis, quibus non habetur specialis Patronus a Sancta Sede confirmatus; de quo in casu agendum est de præcepto, loco Patroni diœcesis.*

Q. 2.° *An uterque dies festus servandus sit?*

R. *Sub data ad proximum distinctione de uno tantum agendo de præcepto, ex ipsis Apostolicarum Litterarum verbis...*

Q. 3.° *An retinenda sit ut legitima consuetudo civitatis, vel oppidi de servando die festo Patroni, licet destituatur titulo ab Apostolica Sede impetrato, et de cujus impetratione neque traditionalis extat memoria?* R. *Negative, et provisum in primo.* Ita S. Congreg.

Si Patronus solius parochiæ sit, non vero civitatis, vel loci, ubi plures existunt parochiæ, non erit festum de præcepto servandum, et Officium primæ classis cum octava recitandum solum erit a sacerdotibus servitio parochiæ addictis. *(S. R. C.* 15 *sept.* 1742).—Unde eo die nulla est obligatio Missam pro populo applicandi; quia si festum servatur, est ex devotione; secus in die Patroni loci, vel civitatis. *(Scavini, l.* 4, *n.* 69).—De Patrono, seu Titulari Ecclesiæ fieri debet Officium ritu duplici primæ classis cum octava a clero ipsi adscripto, etsi Ecclesia non fuerit consecrata. *(S. R. C.* 21 *mart.* 1711).—Secus de Titularibus capellarum, oratoriorum, ac etiam de regularium domibus; neque in iis *Credo* in Missa, et octava fieri potest in omni officio divino. *(S. R. C.* 12 *nov.* 1831, *et* 26 *mart.* 1859). Excipe, si ad munia parochialia sit ibi sacerdos deputatus; tunc ibi de Titulari fit.

623. Q. *Quosnam obligat præceptum festorum?*

R. Omnes fideles usum rationis habentes, saltem septennio expleto, tenentur sub gravi singulis dominicis, et festis de præcepto abstinere ab operibus servilibus, et sacro interesse. Probatur 1.° ex jure canonico, præsertim *ex C. Missas* 64, et *ex C. omnes* 63 *de Cons. Dist.* 1;—2.° ex ritualibus, et catechismis, in quibus citra dubium hoc præceptum publicatur;—3.° ex Ecclesiæ declaratione. Hinc Innocent. XI damnavit hanc sub n. 52 prop.: *Præceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus.* Et Benedict. XIV, anno 1744, Cons. *Paterna cura,* ait: *Omnes Christi fideles ab operibus servilibus, ad quæ peragenda nulla necessitas cogit, omnino abstineant; sed ab omni terrena cura, et temporali sollicitudine liberi... ad ecclesiam pergant: ibi sacrosancto Missæ sacrificio pia animi attentione ingentia Dei beneficia recolentes intersint;*—4.° ex ratione; nam omnes sub gravi ad cultum divinum tenemur; Ecclesia tempus impletionis hujus oneris maxime in festis colendis affixit; ergo...—Adde communem fidelium æstimationem, et unanimem sensum theologorum. Et ex ipsa Scriptura deducitur, ut n. 625.

624. Q. *Quænam sit obligatio assistendi Missæ parochiali, catechismo, concioni, aliisque Ecclesiæ officiis?*

R. *Per se* nulla adest stricta obligatio iis assistendi; porro nullibi illa probatur.—*Per accidens* tenetur quis sub levi, vel sub gravi, maxime ad concionem, et catechismum, ratione necessitatis instructionis, morumque compositionis; aut etiam ratione scandali, ut in parentibus erga filios

evenire poterit; qui enim tenetur ad finem, tenetur etiam ad media necessaria. (*Ita Billuart, Gury, n.* 339, *cum communi*).

Concludamus ergo cum Bouvier: 1.° *Vi præcepti divini, aut ecclesiastici fideles non teneri prædictis diebus interiores actus fidei, spei, charitatis, aut contritionis elicere; quia nullibi legimus tales actus his diebus esse præceptos; nec sacram concionem audire ob eamdem rationem;* — 2.° *eos qui diebus dominicis, et festis ab operibus servilibus abstinent, et Missam debito modo audiunt, præcepto de sanctificandis præfatis diebus satisfacere quoad substantiam, ita ut mortaliter non peccent.* In praxi sedulo sunt urgendi fideles omnes ad conciones, catechismos, aliaque divina officia; nam *fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.* (Ad Rom. x).

CAPUT V.

De operibus diebus festis prohibitis.

625. Quadruplicis generis sunt opera quoad festa; nempe *corporis, animi, media, forensia.*

I. **Opera corporis**, seu *servilia*, ea sunt, quæ *potius corpore quam animo exercentur, et immediate corporis utilitati deserviunt,* uti arare, fodere, metere, nere, suere, conflare, imprimere, ligna, et fructus colligere, vecturas laboriosas exercere, aliaque similia tam ruralia, quam mechanica, et artistica, quæ ut plurimum a servis præstari solent.

Hæc, *per se,* sive ob solatium, sive ob charitatem, sive ob stipendium, aut ob otium vitandum fiant, sub gravi prohibentur diebus festis a media nocte usque ad aliam mediam noctem. Nec refert quod levem, aut gravem laborem exigant; vel parum, aut multum defatigent; intentio quippe operantis, et operis effectus naturam ejusdem non mutant. (*Scavini, n.* 92, *Suar., Ballerini, S. Ligor, n.* 273).

Unde prohibetur etiam 1.° rosaria, scapularia, imagines cereas, flores artificiales conficere;—2.° chartas, aut telas conglutinare; volucrum retia texere; vel caveas conficere; —3.° libros arte libraria consuere, aut colligare; ligna secare, sculpere, et similia; hæc quidem omnia usu communi inter servilia numerantur, et ex universali piorum consuetudine in festis prohibentur. Hac enim in re plurimum valet consuetudo, qua etiam fit, ut quæ alicubi licite aguntur, alibi peccato, ac nota non carent. (*Ballerini, n.* 354, *S. Ligor., n.* 281, *etc.* Excusat *Elbel* distillationem, et cum *P. Michaël, Bon., Fill.,* permittit ad vitandum otium leves labores, ut decerpere rosas, decorticare poma, et similia etiam seclusa necessitate. Sed in his potius dicendum puto, merito ait *S. Ligor., n.* 282, quod requiritur majus temporis spatium ad materiam gravem.

— Prædicta prohibitio probatur: 1.° ex consuetudine; — 2.° ex perpetua Ecclesiæ praxi;—3.° ex jure canonico *C.* 3 *de Feriis,* etc.; — 4.° ex Scriptura: *Memento, ut diem sabbati sanctifices.* (Exod. c. xx). *Qui polluerit ilud* (sabbatum), *morte morietur.* (Exod. xxxi). *Qui fecerit opus in eo* (sabbato), *occidetur.* (xxxv). *Septimo die cessabis, ut requiescat bos et asinus tuus.* (xxiii);—5.° ex ratione: dies festus tendit

in debitum cultum, ex virtute religionis Deo exhibendum, quæ est res ex genere suo gravis, tum ratione rei, tum ratine finis.

Q. *Quænam erit materia gravis in hisce operibus?*

R. Communior, et probabilior est hodie opinio, quæ duas horas requirit ad mortale constituendum. *(Ita Varceno, Scavini, Gury, S. Ligor., n.* 305). *Alii multi* cum *Croix,* et *Viva,* qui asserit hanc esse communiorem, duas horas cum dimidio exigunt. Et si adsit aliqua necessitas, vel labor sit nimis levis, excusare usque ad tres horas tenent *Viva, Mazz., March., Got.,* et non contradicit *S.* |*Ligor., ibid.*—Et *n.* 307 addit: in forensibus autem, et judicialibus materiæ quantitatem non ex quantitate temporis desumendam, sed ex qualitate operis monet *Escob., n.* 14 ex *Palao. n.* 4.

Q. *An graviter peccet, qui die festo imperat sex famulis, ut per unam horam laborent?*

R. Nega communius, ac probabilius, tam si successive, quam si eodem tempore laborent; quia opera illa non coalescunt; nam si famuli leviter peccant, non amplius peccat dominus hoc mandans. Secus si uno famulo pluries per horam in uno die id juberet. *(Ita Scavini, Gury, S. Ligor., l.* 3, *n.* 306, *cum communi).*

626. II. **Opera animi,** seu **liberalia** quæ a liberis exercentur, sunt ea, *quæ ab anima præsertim procedunt*, *atque ad ejusdem cultum potius diriguntur,* uti *studere cuilibet scientiæ, legere, docere, scribere, transcribere, domus lineare, monumenta, instrumenta musica pulsare. concionari, canere,* et similia; quæ omnia, etsi ob lucrum fiant, licent in festis, ac etiam omnia ad hæc necessaria; sane in his magis mens, quam corpus exercetur; et nil refert, an cum defatigatione, aut lucro exerceantur, vel non; cum hoc naturam operum non mutet; uti patet in saltationibus, choreis, et itinerantibus. Id probat consuetudo, et praxis universalis. (*Gury, S. Lig., l.* 3, *n.* 278, *et* 279 *cum communi).*

—Item plures ob eamdem rationem admittunt notas musicales efformare, delineationes fabrorum, pictorum, sculptorum, etc. in charta exarare.—Item satis probabiliter pingere, ut dicunt *Lop., Med., Silv., Russell, Scavini, aliique,* contra *alios. Probabilius,* ait S. *Ligor., n.* 280, videtur esse actio, saltem media, et communis, dum sæpe communiter observamus nobiles viros non erubescere hanc operationem pingendi addiscere, et exercere. Saltem, ut dicit *Roncagl.,* non sunt dimittendi sine absolutione, qui hanc opinionem ut probabilem sequuntur. Excipiunt tamen pannos tingere, parietes dealbare, colorare asseres, laborem notabilem in præparandis coloribus, et tabulis dolandis; siquidem in communi æstimatione hæc inter servilia recensentur. *Scavini, n.* 93, S. *Lig., n.* 278, *aliique).* Sed in praxi ita etiam de pingendo dicatur, ut fert mos inter pictores ab hoc labore sese in festis abstinendi.

—Item communiter admittunt *Spor., Pot., Fil., Mazzot., aliique,* non esse opus servile delineare, retrahere imagines, vel exemplaria acu, ut solent fœminæ; hæc enim magis exercentur ad ingenium, quam ad corpus excolendum. Excusant etiam *Azor., Fil., Silv., aliique,* communiter puellas acu pingentes, ut addiscant. *(V.* S. *Ligor., n.* 281).

Item plures *cum* Laym., *Mazz., Bus., n.* 282 licere admittunt caracteres ordinare, cum sit quædam quasi scriptio ordinata ad mentem instruendam, nisi aliter, ut apud nos; se habeat consuetudo, ait *Scavini.*—

Item apud nos hispanos: at vetita est impressio; ars quippe omnino mechanica est. *(Scavini cum communi).*

Sed circa hæc omnia magis est videndus usus regionum, et si scandalum oriatur, ut recte notat Scavini.

627. III. **Opera media, seu communia**, sunt ea, quæ *a servis, et a liberis promiscue exercentur;* ut *iter agere pedibus, vel equo, militare, venari, piscari, ludere, navigare, uti lectica ab hominibus portata,* ubi talis adest consuetudo, et similia, etsi ob lucrum fiant; nam illa servis non sunt propria, et saltem consuetudine excusantur. (*Sanch.*, *Scavini*, S. *Ligor.*, *cum communi*). Sed loquens de venatione, et piscatione, ait S. *Ligor.*, *n.* 283, si *hæc fiant sine magno labore; alias frustra videretur Pontificem dispensasse in piscatione halecum.*

—Licita etiam sunt, quæ requiruntur ad quotidianum usum, victum, necessitatem, et dispositionem corporis, vestium, domus, ut cibos coquere, lectos sternere, verrere domum, animalia curare, alere, et alia, quæ commode differri, vel anticipari nequeunt, vel non solent: hoc sine anxietate est curandum. Ita *ex praxi communi*, ait *Gury*, *n.* 355.

Q. *An liceat ducere currum, et jumenta onusta?*

R. Affirma probabilius, et non solum ad continuandum iter inceptum, sed etiam ad illud inchoandum; quia in tali labore muliones tempus notabile non insumunt; et si aliquando notabile sit, excusantur, vel ob timorem gravis damni, vel ob publicum bonum, vel ob universalem consuetudinem, et non reprobatam, ut asserit *Mazzota, l.* 1, *p.* 405. Ita plurimi hodie cum *Viva, Salm., Gury*, S. *Ligor.*, *n.* 276. Ergo suadendi, non de gravi damnandi sunt muliones ita agentes.

Q. *An liceat molere in festis?*

R. Affirma, si mola aqua, aut vento volvatur; cum fere nullus hominis labor requiratur. —Nega vero si mola jumentis moveatur, saltem sub levi, et etiam sub gravi, si volvatur cum magno hominis labore, aut cooperatione. (Ita *Sanch., Gury, Croix., Tamb.*, et S. *Ligor.*, *n.* 277, ait, *satis probabiliter*). Benedictus XIV permittit ex necessitate, vel consuetudine. (*Notificat.* 55, § 37).

628. Q. *An liceat tonsoribus barbam radere, et ferrariis equos iter agentium, vel laborantium calceare?*

R. Ad I.^m Affirma, tum ex generali consuetudine, tum ex necessitate; nam opifices plerumque solum in festis id petunt, aliter sine suo damno id facere nequeunt; et si petentibus operam non præberent, magnum sentirent barbitonsores detrimentum. (*Ita Bouvier*, *Gury*, *Gousset*, S. *Lig.*, *n.* 300, *et alii*).

R. ad 2.^m Affirma quoad equos, qui summo mane iter sunt acturi, aut in agrum egressuri ad laborandum; nam alias grave damnum paterentur domini. (Ita *Salm.*, *Sanch. Est sententia communis*, ait S. *Ligor.*, *n.* 300. Item pariter possunt refici vomeres eorum, qui aliter die sequenti laborare non valerent. (S. *Ligor.*, *ibid.*)

629. IV. **Opera forensia** ea sunt, *quæ ad judiciale forum, et ad mercatum spectant.*—Hæc jure canonico, 1, 2, *et ult. de feriis*, prohibentur. Imo *C. conquæsitus* 5 *de feriis*, actus judiciales habiti die festo declarantur irriti. Excipe necessitatis, vel pietatis causam, ut infra. Actus judiciales prohibiti in festis sunt tam civiles, quam criminales, qui strepitum requirunt; uti partes interrogare, testes, et advocatos audire,

sententiam ferre, ipsam exequi; non vero emancipare, appellare, dispensare, privatim informare, eligere, excommunicare, aliique plurimi, qui sine strepitu fiunt. (*Scavini*, S. *Lig.*, *n.* 284).

—Mercatus item prohibiti sunt, ac etiam nundinæ, venditiones strepitosæ publicæ, et similia, quæ cum strepitu aguntur; quia hæc omnia multum animum distrahunt, et a festorum sanctificatione avertunt. Hinc mercium venditionem Ecclesia prohibuit in publicis tantum officinis ratione scandali. (*Scavini*). Unde, ut usus fert, vendi merces possunt, januis clausis, exclusis tamen semper horis divinorum officiorum; maxime cum emptores pro tunc valde indigeant, et si a vendendo se abstinerent venditores, damno afficerentur tum emptores, qui aliter emere fere non possent, tum venditores; nam ad alios venditores se conferrent emptores. Hæc probat Benedict. XIV, *Notificatione* 43. (*Scavini*, *n.* 95). (V. n. 634).

—Nomine mercatus non veniunt locationes, conductiones, et similia, calceamenta, esculenta, poculenta, candelas, pannos ad vestes reficiendas, vel conficiendas, domus, equos, boves, aliasque merces, sive præsentes, sive absentes emere, sive in parva, sive in magna quantitate, etsi in hoc notabile tempus impendatur, modo inter privatos hæc fiant. (*Salm.*, *n.* 280, S. *Lig.*, *n.* 286, *Gury*, *n.* 356). Tolerantur etiam alicubi publicæ venditiones subhasta, peractis divinis officiis; eo quia aliis diebus pauciores essent concurrentes. Item ut mercatores parvi momenti de uno in alium locum merces deferant, ostendant, ac vendant (*Bouvier*, *Gury*, *ibid.*); sic enim fert consuetudo, ac communis sententia, quibus derogatum fuisse videtur decretis tum S. Pii V, tum S. R. C. Hinc plures docent licere contractus omnes, qui sine instrumento, ac judicis auctoritate fiunt, eadem fere ubique probante consuetudine.—Imo *Viva* asserit *ex communi cum Palao*, quod permittitur conficere testamenta, contractus celebrare, et similia, quæ strepitum judicialem non requirunt. *Et revera, ubique inter nos in festis adstipulantur instrumenta; quamvis notarii alicubi soleant petere ab Ordinario generalem licentiam, quæ cæterum communiter conceditur*, ait S. *Ligor.*, *n.* 286.

CAPUT III.

De causis ob quas opera servilia die festo permitti possunt.

630. *Quinque numerantur* hæ causæ, nempe: *dispensatio*, *pietas*, *charitas*, *necessitas*, *consuetudo*, et *utilitas*.

I. **Dispensatio**; quam elargiri possunt: 1.° Papa semper etiam sine causa, pro tota Ecclesia; cum in re propria agat.—2.° Episcopus, et Vicarius capitularis pro sua diœcesi: sed in festis communibus ad validitatem opus habent justa causa; in lege quidem superioris agunt; secus in festis synodalibus, seu peculiaribus suæ diœcesis.—3.° Prælati regulares, ex communi sententia, cum suis subditis.—4.° Parochus non ex officio, sed ex consuetudine pro aliquo casu particulari, et ad tempus; poterit tamen, sicut et confessarius semper declarare pro omnibus casibus, an obtineat lex, vel necessitas. S. *Lig.*, *n.* 287, *et* 288, *cum com-*

muni. (V. n. 175).—Vicarius Generalis Episcopi solum ex speciali delegatione potest. (*Ita Viva*, *Barb.*, *Sanch.*, S. *Lig.*, *l. c.*)

631. II. **Pietas in Deum** juxta illud: *Sacerdotes in templo sabbatum violant, et sine crimine sunt.* (Matth. XII). Hinc permittuntur opera, quæ proxime ad Dei cultum pertinent (non quæ remote); *uti campanas pulsare, altaria ornare, imagines, et cruces circumferre in supplicationibus, coquere hostias, verrere templum, sternere tapetia, erigere tabulata ad festivitatem,* etc. Talis est consuetudo, et sic adimpletur etiam ratio præcepti.

—Non autem licet templum ædificare, reparare, dealbare, ligna, et saxa ad hujusmodi fines vehere, ejusdem agros colere, ornamenta conficere, nisi adsit necessitas, vel magna utilitas ab Episcopo probata; siquidem hæc nonnisi remote ad Dei cultum pertinent. *Ita probabilius Salm.*, *n.* 259, *Scavini, Gury, S. Ligor., n.* 293, *aliique plurimi* contra *Tamb.*, *Fil.*, etc.; nam ex *cap. Conquæsitus de Feriis,* excusantur judicialia, *si necessitas urgeat, vel pietas suadeat;* ergo et servilia; in æquiperatis autem, ubi eadem currit ratio, eadem currit legis dispositio.

—*Cæterum, quia fere omnes ecclesiæ, et monasteria jam hisce temporibus egestate laborant; idcirco pro his, sive pro hospitalibus, confraternitatibus, et similibus possunt licite homines laborare, templa extruendo, segetes metendo, agros colendo, etc. (Ita Salm., n.* 260, *cum Suar., Sot., Pal., Bon., Trull., Cajet., Sanch.)*—Sic pariter *Mazzota* permittit laborare ad conficienda ornamenta necessaria pro ecclesia indigenti: sed tunc cum licentia Ordinarii ad vitandum scandalum, melius erit, ut advertit *Ballerini.*

-Non abs re inserere putamus hoc monitum: *Aliquis novus parochus, cum invenit ecclesiam, vel utensilia indecentia, licentiam postulat, ut laborent fideles, et dein lucrum ad reficiendam ecclesiam applicent,* ait Frassinetti; *ego nescio approbare practicam licentiam dantis, unde colligere magnam summam possint, et splendidam ecclesiam reddere, ac magnas functiones peragere. Non tam pro defectu necessitatis, quam pro scandalo inde orituro, cum viderint fideles parochum tam faciliter... laborare die festo permittere, usum capient, timorem,... salutarem amittent, et assuefacti pro ecclesia laborare, postea indifferenter pro sua domo laborabunt.*

632. III. **Charitas erga proximum**: hæc porro est finis præceptorum. Hinc gratis facere licet quod est necessarium ad orphanos, viduas, pauperes, ac indigentes sublevandos; v. gr. vestes conficere, suos agros colere, sepulturam fodere, infirmis subvenire, eorum causas expendere, si ita necessarium sit, ut nisi in festo pro iis laboretur, suæ necessitati non subveniatur; et alias ipsi pauperes stipendium operariis solvere non valent. Ita *Viva*, *Spor.*, *Salm.*, *n.* 357, S. *Ligor.*, *l.* 3, *n.* 293.

Hic non de communi necessitate, neque de pauperibus in genere agitur, vel de lucranda pecunia pro ipsis; sed tantum cum ratione gravis necessitatis ipsi pauperi laborare liceret; secus festa corruerent; cum illa necessitas quotidiana sit. Excipiunt *Gury*, *n.* 360, *Ballerini*, *aliique*, si agatur de conficiendis vestibus, aut aliis ejusmodi, quæ usui pauperum deservire debent; non vero ad lucrandam pecuniam, quæ pauperibus erogetur.

—Item hac ratione *necessitatis* causas judiciales in festis expendere licet; 1.° si res, vel actio, tempore interposito, sit peritura; uti si debitor est suspectus de fuga, dilapidatione, vel deterioratione rei, super qua

est conveniendus;—2.° si contra latrones sit procedendum, et periculum sit in mora; *ex L. Provin.*, 10, *C. de Feriis;*—3.° si partes litigantes aliis diebus sine notabili incommodo comparere, aut in judicium vocari nequeant, prout sæpe deferunt pauperes, et rusticani homines;—4.° si delinquentem propter atrocitatem criminis, ad exemplum, et terrorem aliorum, in magno populi concursu plecti publice interesset;—5.° cum adest periculum damni publici, aut privati, sive spiritualis, sive temporalis; hujusmodi enim damnum imponit necessitatem moralem; necessitas autem legem non habet...

—Ratione autem *pietatis, et misericordiæ* expediri possunt diebus festis:—1.° Causæ pupillorum, viduarum, carceratorum, pauperum, et miserabilium; in operibus quippe misericordiæ dierum distinctio non est habenda, ut habet *Glossa ad cap. fin.*—2.° Quando si causæ cognitio differretur, pia causa pateretur incommodum; siquidem summa ratio est, quæ pro religione facit.—3.° Cum hoc exigit pietas, et observantia erga patriam.—4.° Si causæ sint matrimoniales, et adsit periculum incontinentiæ, nisi diebus festis de valore matrimonii, et impedimenti judicetur.—5.° Quolibet die feriato expediri queunt, quæ pertinent ad pacem, et concordiam; unde eodem tempore transactiones, et pacta fieri possunt. *Ita Schmalzgr., l. 2, t.* 9, *n.* 52-53. *Et ex jure canonico ex cap. Conquestus de Feriis.*

633. IV. **Necessitas gravis** (agitur enim de gravi præcepto substituendo), sive propria, sive aliena, tum animæ, tum corporis a servilibus excusat die festo; nam festa propter homines; et lex humana non obligat cum gravi incommodo. *(S. Ligor., n.* 295). Hinc communiter excusantur:

1.° Qui præstant opera ad quotidianum usum necessaria, ut sternere lectos, purgare domum, aut vestes, utensilia culinaria lavare, et similia. *S. Lig., n.* 298.—Item pauperes, qui se, suosque aliter alere, vestesque reficere nequeunt, maxime privatim, et scandalo secluso; ita excusantur matres illæ, quæ, tota hebdomada mercede conductæ, nonnisi in festis vestes consuere, et lavare valent, licet non facile sint audiendæ; item rusticani illi, qui pondere onusti ad populum mane diei festi revertuntur, ac deinde sero iterum ad montes onusti se conferunt. *(Scavini, n.* 96).

2.° *Coqui*, et *culinarii*, qui cibos præparant, coquunt, animalia occidunt, et excoriant, si pridie commode id fieri non potuerit, vel in tempore æstivo, aut si concurrant plura festa. *S. Thom., Salm., n.* 333. Et satis probabile est, quod conficere valent cibos superfluos, et ad delectationem ex consuetudine. *Pal., S. Lig., n.* 298.

3.° *Qui opera incepta sine magno detrimento interrumpere nequeunt*, uti coquentes lateres, calcem, saponem, vitrum, ferrum fundentes, gas ad illuminationem parantes; et licet ad grave damnum vitandum inchoare die festo, ut *Sanch., Salm., n* 348, *S. Lig., n.* 300, *aliique* docent.

4.° *Agricolæ*, qui ob præteritam, aut imminentem pluviam segetes, fœnum, granum, vertunt, ligant, colligunt, vehunt. S. *Lig., n.* 303.

5.° *Sartores*, qui vestes nuptiales, aut funebres conficiunt, quas neque per se, neque per alios ante festum perficere valent; vel si advena careat vestibus decentibus, ut dicunt *Salm., n.* 344, *aliique.* Etsi graviter increpandus eorum abusus, qui majoris lucri causa per noctem,

vel diem festi laborant, prætextu vestes promissas perficiendi, nisi rationabiliter aliter graves rixas, blasphemias, vel aliud grave damnum timeant; nam si aliter grave damnum passuri essent sartores, etiam vestes ad usum promissas perficere possent. (*Croix*, S. *Ligor.*, *n.* 303). Idem dic de sutoribus cum *Mazzota, et Viva*, *n.* 12.

6.° *Pistores*, si interveniat concursus festorum, multitudo emptorum, vel populi utilitas, aut consuetudo, ob quam panem recentem habere debeant, ut ementibus satisfaciant, nisi velint officinam ab omnibus derelinqui. (*Bon.*, *Sanch.*, *Gury*, *Scavini*, *n.* 96).

7.° *Fabri ferrarii*, qui equos in via, vel itinerantium, vel a rusticanis adductos calceant, aut vomeres die sequenti necessarios reficiunt.

8.° *Reficientes* pontes, vias publicas, cursus aquarum, machinas, fossas, currus casu fractos, etc., si opus sine notabili jactura differri nequeat, vel necessarium sit pro die sequenti, vel consuetudo legitimet. (*Scavini*, *n.* 96, *Gury*, *n.* 361).

9.° Item *famuli coacti* a dominis, (nisi sit in festi, vel religionis contemptum) si timeant gravem indignationem, vel detrimentum; ut si alium dominum facile, et cito invenire nequeant. (*Ita Croix*, *Gury*, *Scavini*, *Salm.*, *c.* 1, *n.* 346, *cum communi*).—Secus teneri illico eos deserere verius docent *Sanch.*, *Bon.*, *Salm.*, S. *Ligor.*, *n.* 296, nisi sint addiscentes, vel obligati ad famulandum usque ad præfixum tempus, si hi vere grave damnum ex discessu paterentur. Excusantur iidem suas vestes reficientes, cum in aliis diebus non valent. *Spor.*, *n.* 50, *Laym. etc.* Idem dic de filiis, fratribus, et uxoribus coactis a superioribus, si renuere nequeant sine timore gravis damni, vel indignationis. (*Ita Viva*, S. *Lig.*, *n.* 296, *cum communi*).

10.° Licet *olera irrigare*, si aliter fieri nequeat, et urgeat necessitas; item fructus colligere ante pluviam, ut integri serventur, vel ne diripiantur. (S. *Lig.*, *n.* 298, *Scavini*).

634. V. **Consuetudo.** *De operibus servilibus non exercendis diebus... festivis*, *plus... determinat consuetudo loci... a prælatis tolerata*, *quam alia lex scripta*, ait *Gerson*, *Reg. Mor. de præcep. Decal.* Hinc excusari possunt: 1.° metentes, vindemiantes, uvas calcantes, ubi adsit consuetudo. Hinc ex consuetudine *Sanch.*, et *Salm.*, *n.* 348 eos excusant, qui in area vertunt, aut separant segetes, et hortulanos olera rigantes. Sed apud nos dici nequit in genere talem ubicumque adesse consuetudinem; et ut advertit S. *Lig.*, *n.* 290, cum *Mazz.* in dubio de consuetudine possidet præceptum; - 2.° barbitonsores;—3.° nundinæ publicæ, ac mercatus, et contractus emptionis, et venditionis; nam præceptum non celebrandi contractus derogatum est consuetudine, ait *Schmalzagr.*. *l.* 2, *t.* 9, *t.* 2, *n.* 23.—Item nundinæ ad certum diem constitutæ, si in festum incidant, permittuntur; et id probat Benedict. XIV, *Notificat.* 43, et Const. *Ab eo tempore.*— Item ex consuetudine permittuntur nundinæ universales, ac alicubi peculiares in qualibet hebdomada, si non transferantur in diem sequentem; et ex consuetudine nunc videtur omnino licitos esse mercatus die festo. (S. *Ligor.*, *n.* 186, *aliique*). Consequenter licet eo deferre die festo onera, seu merces; nam si licet mercatus, etiam licere debet merces vehere, ac vendere. (*Sanch.*, *t.* 1, *n.* 566, quid. 18, n. 27, cum *aliis* hoc extendit ad recitandam comœdiam, vel ad taurorum agitationes; talia quippe signa lætitiæ sunt moraliter necessaria, et ideo ex con-

suetudine permittuntur. Sed minime hæc hodierna, quæ nullum amplius admittit discrimen inter dies festos, et feriales, legitima consuetudo dicenda est, sed potius pessima corruptela fortiter ab Episcopis, parochis, concionatoribus, et confessariis reprobanda. *(Scavini, l. 2, n.* 239).

635. VI. **Utilitas** publica, uti celebratio ortus, aut victoriæ principis, vel receptio Episcopi, aut regis; tunc cum solemni pompa, ac labore festum parare licet, conficere vestes, disponere theatra, taurorum agitationes, comœdiam, etc., dummodo talia præveniri non potuerint: quamquam *monet recte Suarez,* ait *S. Lig. n.* 304, præstare in hoc casu petere veniam a pastoribus.

—Item probabilius utilitas privata, ubi agatur de magno, ac extraordinario lucro transitorio, v. g., piscatione lignorum in alluvione improvisa, halecum, thynnorum, etc., (non autem diurnæ mercedis); nam illi, qui laboribus se sustentant, raras habent occasiones talis magni lucri acquirendi, et existimant magnum damnum sustinere, *quando magnum lucrum amittunt; in idem enim revera coincidunt, aliquid amittere, et prohiberi acquirere quod amplius acquiri non potest*, ait *S. Ligor., l.* 3, *n.* 301, *cum Spor., Billuart, Pontas, Scavini, n.* 96, et *communi.*

Ratio otii vitandi probabilius, et communius non excusat, nisi raro; v. gr. quando urget tentatio, quæ aliter vinci non posset, nisi laborando. Ita *S. Lig., n.* 302. Rarissime id continget. Tamen cum adest evidens necessitas laborandi, non est necesse ad dispensationem confugere, nisi aliter scandalum oriatur, attenta regionis consuetudine, ait *Gousset, n.* 571.

CAPUT IV.

De Missæ auditione.

636. **Præceptum Missam in die festo audiendi obstringit omnes baptizatos usum rationis habentes,** etiam sacerdotes non celebrantes, surdos, mutos, cæcos, qui sacrificio moraliter præsentes esse possunt; non autem simul cæci et surdi; nam horum præsentia non esset nisi materialis; nec infantes ante septennium, neque amentes. (V. n. 102.) Id probat universalis Ecclesiæ praxis, et sensus: hoc præceptum antiquissimum est, ac illius meminit sæculo II. S. Justinus martyr. *(Apol., n.* 67). Id ipsum confirmat juris præscriptio. (*Can* 62, *et* 64 *de cons. dist.* 1).—Obligat sub gravi; agitur enim de re valde gravi præcepta. *(Ita omnes*).

637. **Locus Missam audiendi**: *Integrum hodie*, recte ait Benedict. XIV, *omnibus esse in qualibet ecclesia, modo non sit capella, seu oratorium privatum, sacris mysteriis interesse; quia contraria consuetudine in toto orbe recepta derogatum esse præcepto audiendi Missam parochialem, docent Sylvester, Navar., Trull., Bar.; addentes insuper, non posse hodie Episcopum præcipere suis subditis, ut se sistant Missæ parochiali; quia non potest delere consuetudinem, quæ cum vigeat in toto orbe, jam induit naturam juris communis... Enimvero, non præcepto adigendam, sed hortationibus ad id alliciendam plebem statuit Trident., sess.* 22, *in decreto* de observandis, et evitandis in celebratione Missæ. Potest adhuc Episco-

pus disponere, ut diebus festis Missæ celebrari non possint in aliis ecclesiis, nisi celebrata Missa parochiali. *(S. Congreg.*, 29 *maji* 1842).

Hinc satisfaciunt Missam audientes in oratoriis, seu capellis erectis in hospitalibus, in domibus religiosis, carceribus, conservatoriis, in palatiis Episcoporum (non *in partibus*), et Cardinalium, et quibuslibet aliis capellis publicis, nempe, habentibus januam in via, seu publicam; cum Ecclesia Missæ auditionem præcipiat, non locum. *(Ita Salmant., Lugo, S. Ligor., n.* 318, *cum communi).* Et probabiliter etiam in littore, et in castris, ut dicit *Croix, n.* 629, *cum Bonac., aliisque.*

638. Q. *Quinam præcepto satisfaciunt Missam audientes in privatis oratoriis?*

R. I. Ex Bulla *Apostolici muneris* Innocent. XIII, confirmata a Benedic. XIII, cum indulto satisfaciunt domini, et eorum legitime conjuncti, et affines usque ad 4.m gradum, qui in eadem domo degunt, et de domini familia sunt, ut communius, et verius docent *Pignat., Pasq., Roncag., Croix, P. a Brixia*, S. *Lig.*, *n.* 318, *clausula IX.*

II. Item hospites unius diei; vel invitati ad prandium, modo sint nobiles juxta verba indulti, privilegio frui possunt, ut dicunt *P. a Brixia, Pelliz., et Gatticus.* Non autem hospites famulorum, cum non sint de privilegiata familia.

III. Item privilegio gaudent familiares, qui vivunt expensis domini, ac ejus servitio incumbunt, et actu ipsi sunt necessarii, non solum aliquando intra diem, sed tempore, quo Missa celebratur: ita *recte P. a Brixia, pag.* 96, *cum Gattico,* ait S. *Lig., claus. XI.* Idque patet ex verbis indulti.—Familiares utiles servitio habendi sunt pro necessariis, uti censent *Pignatell., et P. Gatticus*; saltem casu, quo famuli sint necessarii convenienti decori domini, contra *P. a Brixia*, qui rigide unicum admittit, qui reputetur moraliter necessarius, ut assistat domino in iis, quæ tempore Missæ ei occurrere possint.—Disputatur an famuli viventes quidem expensis domini, sed habitantes extra ejus domum, privilegio gaudeant: sed si necessarii non sint domino tempore Missæ, nulla ratione solidari potest hujusmodi opinio.

Quoad extraneos, res videtur satis definita ex verbis ipsius indulti: *Volumus autem, ut qui non sunt de familia, non censeantur liberi ab obligatione audiendi Missam in ecclesia. Ita Tamb., Sporer., Mazzot.*, aliique contra *Bus., Azor., aliosque* dicentes, quod extranei illi jam Missam audiunt, et de loco non adest præceptum. Ad quod respondet *Tamb.*, quod Pontifex dicendo, *Volumus*, etc., imponit præceptum de loco. (*V.* S. *Ligor., l.* 3, *n.* 319).

639. Q. *An privilegiatus teneatur privilegio uti, si non possit ecclesiam adire?*

R. Commune est sacerdotem conducere alium non teneri, ut Missam audiat. *Bon.*, S. *Lig.*, *n.* 324. — Si vero Missa gratis dicatur, vel facile gratis haberi possit, etiam negant *Suar., Meroll., Escob., Salm., n.* 61, *aliique non pauci;* quippe tunc privilegium esset onerosum. — Affirmant probabilius *Tour., Croix,* Lugo, *Scavini, p.* 193, S. *Ligor., n.* 319, *aliique plurimi,* saltem si facile privilegiatus sacerdotem habere possit; et hoc non esset ex vi privilegii, sed ex vi præcepti generalis, quod quisque adimplere tenetur sub gravi, dum sine notabili incommodo potest. Quod non solum sibi, sed etiam aliis de familia curare tenetur privilegiatus, si

quis eorum ad ecclesiam accedere nequeat, docent *P. a Brixia*, *Nugnez*, *Pasqual.*, *Gattico*, S. *Lig.*, *l.* 3, *n.* 319.

640. Q. *An familiares privilegio frui possint, quin assistat privilegiatus?*

R. Nega; hodie sancitum habemus contra *Bon.*, *Barb.*, etc., a Benedicto XIV in decreto incipient.: *Cum duo nobiles*, non posse celebrari in oratorio privato, nisi actu intersit aliqua persona ex iis, quibus indultum principaliter concessum est. Ita S. *Ligor.*, *n.* 318, *claus. IX.* Et salvis semper juribus parochialibus. (S. *R. C.*, 28 *jun.* 1774, 8 *maj.* 1745, 14 *jun.* 1845, *et* 3 *mart...* 1866. Deinde unicam Missam pro unoquoque die celebrare tantum licet, quidquid alii dicant, nisi aliud exprimat indultum, ut declaravit. Benedict. XIV in Bulla *Magno*. Ita *D. Ligor.*, *ibi claus. V.*

—Episcopus licentiam indeterminatam concedere nequit ad celebrandum in domibus, seu oratoriis privatis, ut constat *ex can. Sicut* II, *dist.* 1, *de Consecr.* Felicis Papæ, et *ex can. Missarum dist.* 1, *de Consecr.* Tamen oratorium debet quidem ab Ordinario visitari, et approbari per se, vel per alium, ut aptetur in loco decenti; id vero non nisi semel, et gratis. Ipsi non competit jus visitandi oratoria privata, nisi ut videat, an bene tractentur. Ita *Fagnanus*, *Pignatelli*, *t.* 1, *con.* 92, *n.* 24, *aliique.* Approbato autem oratorio, nequit deinde Ordinarius impedire, ne in eo celebretur, prout decisum habetur in *Trident.*, *sess.* 22, *Decr. de Observ.* Ita *S. Ligor.*, *ibid.*

Excipe si in indulto adsit clausula: *Ac de ipsius Ordinarii licentia, ejus arbitrio duratura.* Tunc semper ac adsit justa causa, bene poterit celebrationem impedire; non solum vi præfatæ clausulæ, sed etiam vi dicti *Decreti Trid.*, quo universis Episcopis, tanquam delegatis Apostolicis, data est potestas statuendi, aut prohibendi quæ ipsis visa fuerint circa celebrationem Missarum. (*Tamb.*, *n.* 14, 15, 16).

Excipiuntur tamen festa principaliora, nempe *Paschæ Resurrectionis*, *Pentecostes*, *Nativitatis*, *Ascensionis*, *Epiphaniæ*, *Feriæ V in cœna Domini*, *Corporis Christi*, *Annuntiationis*, *et Assumptionis B. Virginis*, item *festum Apostolorum Petri et Pauli*, *omnium Sanctorum*, *et Patroni principalis loci*, in quibus diebus est interdicta in privatis oratoriis Missæ celebratio. Ita S. R. C., 17 nov. 1607, et 29 jun. 1621. Vide Breve Clementis XIII, *Tibi.*

Sed in praxi est attendendum ad indulti particularis verba. In oratoriis privatis, in quibus pro infirmo conceditur unica Missæ celebratio, in die Nativitatis fas est ab eodem sacerdote tres Missas legere. (*Benedict. XIV de Syn.*, *l.* 3, *c.* 4). *S. Rit. Cong.* 12 *sept.* 1840 declaravit non licere celebrare in capellis sub cubiculis; nisi super altare habeatur baldachinum, aut duplex concameratio. Imo licet adsit baldachinum, removeatur, si fieri potest, custodia SS. Sacramenti. *S. Rit. Cong.* 12 *mart.* 1836 pro seminario *Arborensi.* Attamen non pauci supra oratoria privata permittunt cubicula ad dormiendum; nam in Brevibus concessionis nihil circa hoc disponitur. (*Scavini. l.* 4, *n.* 15).

641. Q. *An liceat celebranti in oratorio privato in communione Missæ Eucharistiam deferre infirmo devotionis causa in ipsa domo, cum ascendere debeat in partem superiorem, vel transgredi in alteram pergulam?*

R. S. R. C. respondit: *Non licere juxta decretum* 19 *dec.* 1829: *Sed*

si necessitas urgeat, fiat absoluta Missa, 17 *dec.* 1844. Idem licet parocho, si necessitas urgeat, etiam absente indultario, ut Viaticum infirmo morti proximo porrigat. (*S. R. Cong.*, 27 *aug.* 1836).

Q. *An privilegiatus transferens domicilium in aliam diœcesim, possit ibi privilegio uti?*

Affirmant communissime *Barb.*, *Salas*, *Pasc.*, *Tamb.*, *Croix*, *cum plurimis aliis;* nam hoc privilegium est personale. Sed negant *alii* cum *S. Lig.*, *l.* 3, *n.* 318; quia nomen diœcesis, vel civitatis in indulto taxative est positum, scilicet *diœcesis, et solitæ habitationis;* et hoc privilegium est stricte interpretandum; cum sit odiosa dispensatio.

642. **Præsentia ad Missæ auditionem requisita** est *moralis*, et *continua*. I. *Moralis*, nempe, ut quis sit ita præsens in loco ubi fit Sacrum, ut dici possit unus e numero assistentium, et illud offerentium. Ad hoc sufficit, ut sequi possit præcipuas Missæ partes, sive videndo, sive audiendo, scilicet per sonitum campanulæ, cantum chori, motus assistentium, cum qua turba jungitur, etsi sit post parietem, columnam, altare, vel extra ecclesiam, si junctus sit multitudini protensæ usque ad altare; et probabilius licet in cubiculo, in domo proxima, dummodo dictam præsentiam teneat, et parvum sit spatium (v. g. usque ad 30 passus, ut tenent *Lugo*, et *Escobar*, quod non admittunt *Tamb.*, et *Gobat.*) inter locum, et ecclesiam, ut via intermedia; secus si magnum spatium intercedat, v. gr, platea, vel murus, aut alia res impediens audire, videre, vel notare quid fiat. (*Gury*, *Varceno*, *Sporer*, *Lugo*, *Elbel.*, *S. Lig. n.* 312, *cum communi*).—Satisfacit qui in magna Basilica Sacrum audit in distantissima capella, si celebrantem, et quod hic agit bene videre possit; præstat quidem moralem assistentiam. (*Sporer*, *S. Lig. n.* 312).

643. II. *Continua*, id est perseverans ab initio ad finem; ita ut graviter peccet, qui gravem ejus partem omittit; venialiter qui levem... nisi justa causa excuset.

Gravis reputatur omissio: 1.° Consecrationis, et Communionis. Ita *omnes*.—2.° Solius Consecrationis; cum in hac consistat sacrificii ratio. Ita *communius*.—3.° Consecrationis unius speciei; est quidem pars præcipua, saltem integralis sacrificii. Ita *probabilius*.—4.° Item probabilius solam Communionem præterire, eadem ratione. *Scavini*, *S. Lig. n.* 300, et *alii plurimi*. -Item omittere omnia ante Evangelium, et simul omnia post Communionem. *Laym.*, *Gury. n.* 342 *aliique*.—5.° Alii non pauci grave esse dicunt omnia omittere usque ad Epistolam inclusive, *Salm.*, *n.* 2, et probabilius ait *S. Lig. n.* 310.—Tamen alii plurimi tenent grave non esse usque ad Evangelium inclusive. *Dic.*, *Pal.*, *Lugo*, *Tamb.*, etc., probabilemque hanc censent *Salm.*, et *D. Lig. ibid.*, etiamsi omittatur Credo, ut dicunt *Lugo*, *Henr.*, *Burgh.;* cum olim, teste *Isidoro*, ab Offertorio incipiebat Missa; et probabilem censent etiam *Salm.*, *S. Lig. l. cit.*—6.° Gravis habenda est omissio Canonis a Consecratione usque ad *Pater exclusive;* est equidem pars notabilis diuturnitate, et dignitate. (*Gury*, *Varceno*, *S. Lig.*, *n.* 310, *et alii*).

—*Leve reputatur* omnia omittere usque ad Epistolam, et juxta alios usque ad Evangelium; vel omittere solum Offertorium, aut Symbolum, et Præfationem, etsi decantentur; vel omittere omnia post Communionem, licet quælibet alia exigua omissio voluntaria leve peccatum constituat, ut merito ait *Ballerini*, *n.* 342.—Tamen commune est inservientes Missæ

satisfacere, qui ad breve tempus recedunt ab ecclesia, ut sumant vinum, hostiam, thus, vel ut pulsent campanas; cum talis recessus ordinetur ad sacrificium. (*Scavini, Lugo, n.* 24, *S. Lig. n.* 309).

Q. *An præcepto satisfaciat audiens duas dimidias Missas a diversis sacerdotibus, tum simultanee, tum successive?*

R. I. Nega, si audiat *simultanee*, ex communi interpretatione legis, quæ confirmari videtur, prop. 53 ab Innocent. XI damnata: *Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, imo quatuor, simul a diversis celebrantibus audit.*

II. Si vero *successive*, probabiliter satisfacit qui audiat ab uno usque ad Consecrationem exclusive, et ab alio usque ad finem; quia saltem satisfacit quoad unitatem obsequii; secus probabilius non satisfacit. (*S. Lig.*, *n.* 310, *Scavini, Gury, aliique plurimi* contra *alios*). Ratio, quia Ecclesia præscribit audire unum integrum, et perfectum sacrificium; duæ dimidiæ partes scilicet, usque ad consecrationem inclusive in una, et usque ad finem in alia non sunt unum integrum, et perfectum. Ergo.,.

644. *An qui venerit ante Consecrationem, nec possit aliam audire, ad illam partem teneatur?*

R. *Omnino affirmandum,* ait *S. Ligor,* l. 3, *n.* 310, cum *Sanch., Salmant., Lug., Suar., Scavini*, *Varceno,* et *communi*; quia remanent ea, in quibus consistit sacrificium. Est *sententia valde probabilis,* ait S. Ligor. ibid., cum *Tour., Scavini, Varceno,* et aliis, et *in praxi tenenda est,* ut ait *P. Zachar., l.* 3, *p.* 1, *n.* 668, contra *Henr.,* et *P. Gury,* quod ille qui venerit post Consecrationem, adhuc ad partem tenetur; nam partem integralem Sacri, et notabilem cæremoniam ab Ecclesia præscriptam audire potest. Nonne sub gravi supplendæ sunt cæremoniæ baptismi ob necessitatem omissæ? Ergo a pari quoad Sacrum.—Qui vero partem levem Sacri omiserit, probabilius, cum potest, sub levi Missam integram audire tenetur. (*Salm., Gury, S. Ligor, ibid.,* contra *Fil.).*

645. Intentio requiritur in Missæ auditione. Sufficit intentio *implicita,* quæ consistit in auditione Missæ tamquam actio sacra ad divinum cultum pertinens, quin de præcepto aliquo cogitet; cum nihil aliud præcipiatur. Hinc qui ex mera curiositate interesset, non faceret actum religiosum, nec præceptum impleret. *(Scavini, l.* 1, *n.* 253). (V. n. 122.)

646. Attentio requisita in Missæ auditione. Attentio est *applicatio mentis ad aliquid.* Duplex est: *interna,* et *externa.* —1.ª hic est, *qua quis advertit, et animum applicat ex fine bono ad verba, et actiones celebrantis; vel ad sensum, et mysteria, quæ per actiones, et verba significantur; vel ad Deum precibus, aut meditatione colendum.*—2.ª vero est, *qua quis Sacrum audit, non ponens, vel removens actionem externam impedientem mentis suæ applicationem,* uti scribere, legere profana, pingere, studere etiam sacræ lectioni ob eruditionem. *(Scavini, n.* 254). His positis, dicimus:

I. Nulla oratio vocalis absolute requiritur; etenim assistentia religiosa Deum honorat, et nihil aliud præscribitur. In praxi tamen, præsertim rudibus, suadendum est, ut orationes recitent, vel rosarium B. Virginis, aut passionem Jesu-Christi meditentur, vel piam habeant lectionem, ne nimium distractionibus exponantur.

II. Certum est, 1.° necessariam esse attentionem externam; cum illius defectus impediat Missam audire humano modo; alias potius Deus, et

Ecclesia irridentur. *(Ita omnes)*.—2.° Item certum est sufficere quamlibet ex tribus modo expositis attentionibus; nam satis mens ita ad Deum applicatur. Cæterum in rudibus perfecta applicatio requiri nequit, utpote de ea incapaces. (*Gury*, *n.* 344).

III. *Alii cum Lugo* tantum externam attentionem moralem exigunt, ita ut testari possimus quæ fiunt; nam Ecclesia internos actus non præcipit.—*Alii* communius, et probabilius cum *D. Thom.*, *in* 4, *D.* 15, *q.* 4, *a.* 2, *q.* 4, *S. Lig.*, *n.* 313, internam attentionem virtualem requirunt; quia Ecclesia saltem indirecte actus internos præcipere potest.—Unde bene conciliari possunt hæ duæ sententiæ, si dicamus quod juxta sententiam probabiliorem, communiorem, et consulendam cum *D. Thoma, Scavini, S. Ligor, n.* 313, *aliisque plurimis*, sub gravi requiritur attentio moralis, et virtualis confusa cum intentione generali Deum colendi, ita ut aliquo saltem modo advertantur quæ fiunt, quin expresse requiratur oratio. In hoc conveniunt fere omnes. Hinc:

1.° Ut dici possit, quod quis præcepto Missæ non satisfecerit, requiritur non solum, ut per notabile tempus se distrahat, sed ut advertat se a Missa distrahi, et tamen in illa distractione libere moretur. (*Scavini, S. Ligor., ibid., cum communi*).—2.° Qui nunc attendit, nunc fabulatur, modo tamen semper advertere possit quid in altari fit, licet peccet, non est damnandus de mortali. (*S. Ligor., n.* 313).—Neque de mortali damnandus est qui voluntarie toto Sacro est distractus; dummodo sibi sit præsens, et cum reverentia externa assistat. (*Silv., Concina,* 3 *part., q.* 83, *Rosel, Med.*, contra *Suar., Bon., et alios*).—3.° Satisfaciunt musici, ministrantes, collectores eleemosynarum, si aliquo modo attendere studeant; nam sacrificio inserviunt, et ad Deum referuntur actibus suis. *Croix, n.* 652, S. *Ligor, n.* 317.—Item qui pravam voluntatem adjunctam voluntati Missam audiendi habent, v. g. celebrantem postea spoliandi, modo sufficientem attentionem non excludant. (*Varceno, Suar., de Euch., disp.* 88, *sect.* 3).

647. Q. *An satisfaciat qui tempore Missæ peccata sua discutit, vel illa confitetur?*

R. ad 1.^m Affirma; hoc enim attentionem virtualem, et moralem ad Missam non impedit. (*Ita Scavini, l.* 1, *n.* 254, *Varceno*, *pag.* 94, *cum communi*, ait *S. Ligor., n.* 314).

R. ad 2.^m Nega, si per notabile intervallum confessioni incumbat; nam etsi sit res sacra, et ordinetur ad Deum, tamen ex natura sua est incompatibilis cum Missæ attentione, ut docet experientia. Aliunde confitens adest ut reus, et non ut sacrificium Deo offerens. Ita *S. Ligor, n.* 314, *cum Salm., Lugo, Scavini, Varceno, aliisque* contra *plures alios* dicentes, quod per confessionem honoratur Deus.—Idem dicatur de confessario; quippe adest, non ut auditor, sed ut judex.—Unde videtur in praxi, modo aliqua ad Missam attentio habeatur, maxime si aliter quis confiteri por longum tempus non valeret, ut consulit *Croix, n.* 656, *cum Lessio*, vel si in mortali esset: ut ait *Scavini,* de mortali damnari non posse. Maxime quando, ut tenent *Ills., Croix cum Lessio n.* 665, iste *per se* confitendo, a Missa excusatur, si alias confiteri aliquandiu nequeat, v. g. famulus aliud tempus non habens.

I. Resolves. Probabilius cum *S. Ligor, n.* 315, satisfacit, qui dum Sacrum audit, extasim patitur, cum hæc sit attentio ad Deum perfectior præ aliis, ut communiter docent cum *D. Thoma,* 2. 2, *q.* 83, *n.* 13, in

qua non amittitur libertas; secus nihil mereretur homo in extasi; et tunc non esset gratia raptus, ut argumentatur *Tournely.*

II. Satisfacit Missæ præcepto recitans breviarium, pœnitentiam implens, et alia similia peragens; sicut etiam probabilius celebrans potest simul aliam Missam audire, juxta *Croix, Zachar., Spor.;* porro dum celebrat, jam orat. Sed in praxi forsan utilius erit omnem attentionem, et spiritus fervorem in unum colligere.

III. Satisfacit, vel saltem non graviter peccat dormitans in Missa, vel in recitatione Officii, si saltem advertat non omittere ullum audire verbum, vel dicere, licet vexatus a somno non attendat ad significationem. (*S. Ligor., n.* 316, *cum Sanch,, Navar., Salm.*)

IV. Verius non satisfacit Missæ præcepto qui de re seria confabulatur per magnam ejus partem, ut dicunt *cum communi Salm. n.* 50, *Suar., Bon., S. Ligor., n.* 317, etsi confabulatio sit de re levi, vel discontinua; quæ etiam attentionem externam impedire potest, ut ait *S. D.* contra *Elbel.*

V. Item non satisfaciunt qui per notabilem Missæ partem dormiunt, apparatus templi, inscriptiones, imagines, picturas, scientias, et alia profana considerant, pingunt, historias sacras animo discendi legunt, aut alia similia peragunt, nisi hæc fiant interrupte, ita ut attentionem non impediant. *Gury, n.* 347, *S. Ligor., n.* 314.

CAPUT V.

De causis a Missa excusantibus.

648. A Missæ auditione in festis, præter dispensationem, excusant *impotentia, charitas*, et *officium.*

Impotentia, tum *physica,* tum *spiritualis,* tum *moralis;* nam pia mater Ecclesia filios suos obligare non vult cum gravi incommodo. Unde excusat quævis causa mediocriter gravis, quæ involvit aliquod notabile incommodum, aut damnum in bonis animæ, vel corporis proprii, vel alieni. Ita *communiter S. Lig., n.* 324. Constat ex communi interpretatione, et consuetudine. Hinc :

Ex impotentia physica excusantur: 1.° Navigantes, vel carcerati, si ibi non celebretur Missa;

2.° Gravi morbo laborantes, aut ab eo convalescentes, et quibus foras egredi graviter noceret, vel prudenter timeatur notabilis mora ad convalescendum, aut gravis dolor capitis, virium lassitudo, cruditas, etc. (Ita *Sanch., Scavini, p.* 186, *S. Lig. n.* 325, *et alii).*—Si dubitetur an tale damnum sit satis grave, standum est judicio medici, vel superioris, vel parochi, aut confessarii, vel alterius viri prudentis, et etiam proprio, si quis prudenter valeat judicare, maxime si non habet quem consulat. Quod si, petito judicio, dubium adhuc perdurat, tunc valde probabile est non teneri ad Missam; prævalet enim jus naturale conservationis; aliunde possidet morbus, et etiam præsumi potest non obligare piam matrem Ecclesiam in tali casu. (Ita *Lugo, Salm., n.* 59, *S. Ligor., n* 325.)

3.° Excusantur sæpe qui ab ecclesia longe distant, ratione magnæ

difficultatis. Communiter dicunt excusare distantiam trium milliarium, aut iter pedestre unius horæ cum quadrante, et minus si plueret, aut ningeret, vel persona esset senex, nobilis, tenera. (Ita *Suar.*, *Sanch.*, *Croix*, *Diana*, *Salm.*, *n.* 65, *Scavini*, *p.* 187, *aliique*).

Habenda est ratio personarum, loci, temporis, et consuetudinis; spatium unius milliarii esse potest nimis molestum respectu nobilis puellæ, et pro nihilo reputatur a forti rusticana. Iter duorum milliarium non est grave pro plerisque ad id assuetis; sed erit valde grave pro sene, vel debili; aut si pluat, vel sit de nocte.—Sæpe causæ non absolute sufficiunt, et personæ bona fide uti tales eas credunt; tunc si non a toto, saltem a gravi peccato excusant. Ita *Bouvier*, qui etiam ait: Certum est, impeditos ad nullum alium religionis actum teneri vi præcepti ecclesiastici, ut notat *Billuart*; ratione præcepti naturalis aliquando vacare divinis tenemur, ideoque aliquam compensationem Deo præstare debemus in aliqua die; quia hoc præceptum diem non determinat. Qui ergo preces matutinas, et serotinas recitat, Missam infra hebdomadam audit loco dominicæ, hic naturali præcepto plane satisfacit.

649. **Ex impotentia morali excusantur** qui notabile damnum timent, tam in bonis *honoris*, quam *vitæ*, et *fortunæ*; lex enim humana non obligat cum gravi damno. Hinc excusantur:

I. *Ob honoris damnum:* 1.° Mulieres non habentes vestes decentes juxta suum statum; vel famulam, aut sociam, sine quibus magno infunduntur rubore: *Mazzota:* item inhoneste occultæ prægnantes, nisi valde mane, aut in remota ecclesia Sacrum audire valeant prædictæ omnes. (*S. Ligor.*, *n.* 330, *cum communi*).

2.° Viduæ ratione luctus, ubi talis adsit consuetudo, (quæ apud nos non viget), quod ultra mensem non est extendendum, ajunt *Gil.*, *S. Carol. Borr.*, *et alii*; nisi aliter se ferat alicubi consuetudo.—Item excusantur puerperæ ex communi usu per sex hebdomadas post partum. (*Spor.*, *Elbel*, *Salm.*, *c.* 6, *n.* 79, *et alii*). Illæ tamen omnes prædictæ, quæ e domo jam egrediuntur ad alia, non sunt excusandæ. (*Salm.*, S. *Ligor.*, *ibid.*, *Scavini*, *aliique*). Neque subinde laude, sed reprehensione dignum videtur, quod feria 2.ª, die dominica prætermissa, ad ecclesiam se conferant.—Ratione vero proclamationum pro earum matrimonio, raro puto admitti posse, ait S. *Alph.*, ut excusentur, nisi adsit unicum Sacrum, et exinde puella tantum ruborem pateretur, ut magnum subiret incommodum.

II. *Ob damnum vitæ* probabiliter excusantur qui carcerari timent. *S. Lig.*, *n.* 329. Etiam excommunicati, et interdicti; etsi negligant absolutionem, modo non ex proposito, ne ad Missam teneantur, ut advertunt *Elbel*, et *Sporer*, *t.* 3, *c.* 4, *n.* 26; quia remota impedimenta auferre non obligantur, nisi de facili possint. Si facile absolutionem, aut libertatem obtinere queunt, probabilius tenentur sub gravi; nam qui tenetur ad finem, tenetur etiam ad media, maxime faciliora. (*Ita Scavini, S. Ligor.*, *n.* 325, *cum communi*).

III. *Ob fortunæ damnum* excusantur: 1.° Muliones, rhedarii, itinerantes, quibus non occurrit ecclesia, in qua Sacrum audiant, qui pridie festi iter aggrediuntur, et iter interrumpere sine gravi damno nequeunt. Ita *communiter*, ait *Tamburini*.—Item si quis amitteret viæ socios, sine quibus iter periculis, et incommodis notabilibus non caret; vel quia viam ignorat; aut pericula metuit, vel si alias penderet viator expensas itineris, quas

faceret socius. S. *Ligor.*, *n.* 328, vel si graviores expensas subire deberet. *Elbel n.* 383.

2.° Item vectores mercium, et aurigæ, si Sacrum audire nequeant, quin vecturam relinquant cum notabili jactura, vel periculo. (*Gob.*, *Dic.*). —Item tabellarii, et custodes gabellarum, qui notabilem timent jacturam. (*Mazz.*, dict. 2).—Item valde probabiliter qui ob Sacrum omittere deberet negotium cum gravi damno; vel amittere lucrum notabile, et transitorium, præfata ratione. (S. *Ligor.*, *n.* 332, *cum communi*). *Gobat* excusat pauperem ob lucrum unius ducati, et duorum alium tenuis fortunæ. —Et *Salm.*, *n.* 69, *cum Suar.*, *Pal,*, *Bon.*, *etc.* non negant, excusari viatorem, qui ne amittat solas expensas, quas a socio sperat, Sacrum omittit.

3.° Item qui die jovis, vel non prope festum venatum eat, si die festo in nemore longinquo versetur, ubi Sacrum audire nequeat. (*Viva*, *Sanch.*, *etc.*). Et probabile id putant *Tamb.*, *Viva*, licet in sabbato eat; quia utitur jure suo (v. n. 120). —Non vero excusatur qui Sacrum omittit ob aliud bonum spirituale, etsi majus; sane præceptum devotioni prævalet. (S. *Ligor.*, *ibid.*).

650. Charitas: siquidem præceptum naturale præferendum est ecclesiastico. Hinc excusatur: 1.° Qui Missam audire nequit, quin deserat infirmum in urgenti necessitate; vel si ab eo relictus, etsi alius assistens adesset, gravem pateretur tristitiam, vel turbationem. Ita *communiter Mazz.*, *Suar.*, *Salm.*, *c.* 6, *n.* 76. – 2.° Qui aliter blasphemias, rixas, furta, res inhonestas, etc., impedire non valent, ut aiunt *Elbel*, *n.* 391, *S. Ligor.*, *ibid.*, et *alii.*—3.° Idem, proportione servata, de uxore quæ timet gravem indignationem sui viri iracundi, vel zelotypi; sed hoc raro admittendum, ait *S. Ligor.*, *ibid.*—4.° Qui in hostium vastatione, exundatione, incendio, messis deperditione alios adjuvant. *(Scavini, p.* 187). Item pater ex justa causa detinere potest filium domi clausum in pœnam, etsi Missam non audiat. *Croix*, *n.* 688, *S. Lig.*, *n.* 327. (V. n. 534).

651. Officium: sic excusantur: 1.° Milites in custodiis positi, vel toto tempore matutino militaribus exercitiis, etsi sine causa, a ducibus occupati.

2.° Qui custodiunt gregem, aut domum, vel infantulum, si absque periculo eum domi relinquere nequeunt; nec aliis commendare; nec successive cum viro, aut alia persona Sacrum audire; neque ad ecclesiam ipsum ducere, sine magna aliorum perturbatione (nisi hoc providere possint, sistendo ad ipsius ecclesiæ januam, ut aliqui dicunt). Ita communiter *Scavini*, *n.* 188, *et S. Ligor.*, *n.* 326. At si plures sint custodes, et una dicatur Missa, alternatim eam audire debent. Ita *Salm.*, *n.* 68, *S. Lig.*, *n.* 329 *cum communi.* Idem dicendum de conjugibus. *S. Lig.*, *ibid.*

3.° Laborantes in fusoriis, quando labor ante festum incœptus, interrumpi nequit.—Item famuli quando eorum ministerium est tempore Missæ necessarium; vel Sacro assistere nequeunt absque gravi dominorum incommodo, vel indignatione. Debent tamen mediocrem adhibere diligentiam, ut Sacrum audiant. *(Ita Suar.*, *Salm.*, *n.* 74, *cum communi).* Sed non tenentur Sacrum audire cum notabili somni diminutione, ut notant *Pal.*, *Croix*, *n.* 685.—Si vero hæc non timeantur, ad Sacrum tenentur, etsi contra domini jussum, ratione superioris obligationis, nisi statim essent dimittendi sine spe de facili alium dominum meliorem inveniendi. *(Ita Pal.*, *Croix*, *S. Ligor.*, *ibid.)* Semper autem ratione propriæ salutis spiritualis pium dominum exquirere debent.

DE QUARTO DECALOGI PRÆCEPTO,

SEU DE OBLIGATIONIBUS SUPERIORUM, AC SUBDITORUM.

PARS PRIMA.

DE OBLIGATIONIBUS IN SOCIETATE RELIGIOSA.

CAPUT I.

De obligationibus generalibus clericorum.

652. **Generales clericorum obligationes oriuntur**: 1.° *Ex status excellentia;* nam ex jure naturali quisque ea peragere tenetur, quæ propria sunt status, cui se mancipavit; at natura status clericorum perfectionis est, ut infra videbimus; 2.° *ratione boni exempli,* juxta illud: *In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum.* (Tit. II).

Clericorum obligationes implicite continentur in jure publico, et naturæ, quatenus omnia jura præcipiunt, ut omnes fideliter status sui officia impleant. *Explicite* continentur in Scriptura, et Traditione, in jure canonico, in Bullis Pontificiis, in Conciliis generalibus, præcipue in Tridentino, in provincialibus, et diœcesanis, in statutis superiorum, et in consuetudine legitima præscripta. *Obligationes* aliæ sunt omnibus *communes,* et aliæ *particulares* gradui, et officiis; aliæ *præceptivæ,* et aliæ *prohibitivæ.* Primæ sunt 1.° *vitæ sanctitas;* 2.° *habitus ecclesiasticus,* et *tonsura;* 3.° *cœlibatus;* 4.° *Horarum canonicarum recitatio.* Parum de singulis.

CAPUT II.

De vitæ sanctitate.

653. **Clericos omnes ad vitæ sanctitatem teneri** constat:

1.° Ex S. Scriptura: *Sancti erunt Deo suo, et non polluent nomen ejus: incensum enim Domini, et panes Dei sui offerunt, et ideo sancti erunt.* (Lev. XXI).—*Si tanta vitæ sanctitas requirebatur in illis, qui sacrificabant boves et oves, quid requiretur in iis, qui sacrificant divinum Agnum?* ait Bellarminus. Et Apostolus sic se habet: *Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis.* (I ad Timot., c. V).

Id est, non ante exercitium virtutis, et experimentum sanctitatis, ut exponunt Patres, et interpretes, et suadet ipsa ratio.

2.° *Ex conciliis,* inter cætera ait Trident. (Sess. 22, c. 1, de R.): *Sic decet omnino clericos, in sortem Domini vocatos, vitam, moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus nihil, nisi grave, moderatum, ac religione plenum, præseferant. Levia etiam delicta, quæ in ipsis maxima essent, effugiant; ut eorum actiones cunctis afferant venerationem.* Utinam ita essemus omnes: quam facile, et præsto mundus restauraretur!

3.° *Ex sanctis Patribus, et Ecclesiæ doctoribus,* inter quos ait Angelicus apud *Scavini* de cler. obligat.: *Ad idoneam executionem Ordinum non sufficit bonitas qualiscumque, sed requiritur bonitas excellens; ut sicut illi, qui Ordinem suscipiunt, super plebem constituuntur gradu Ordinis, ita et superiores sint merito sanctitatis.* At quot fideles utriusque sexus clericos non paucos in sanctitate antecellunt! Quæ, et quanta confusio in die iræ!

4.° *Ex ratione.* Nonne ministri Ecclesiæ sunt *sal terræ,* et *lux mundi,* teste Evangelio? Et quomodo saliet corruptum sal, et quomodo illuminabit lux perobscura, vel jam extincta? Deinde sacerdotes sunt *doctores pietatis, salvatores mundi, janua civitatis æternæ,* ut dicunt aliqui SS. Patres. Unde concludit S. Hieronymus: *Clamat vestis, clamat status, clamat professio animi sanctitatem.* (Ep. 58). *Sic vive in monasterio, ut clericus esse merearis.* Unde major requiritur sanctitas in clerico, quam in cænobita.

Clericorum sanctitas sita est: 1.° In peccatorum etiam venialium fuga. Secus quomodo dici poterit clericum perfecte Patrem cœlestem diligere?—2.° In virtutum exercitio, et præcipue castitatis, obedientiæ, mansuetudinis, patientiæ, et charitatis; aliter quid boni consequetur in sacris ministeriis, et quomodo vocari poterit filius, ac minister illius Agni immaculati, qui *pascitur inter lilia,* et qui *fuit obediens usque ad mortem, mortem autem crucis;* qui *cum malediceretur non maledicebat,* et qui *posuit vitam pro omnibus,* uti de Christo J. in S. Scriptura legitur?

650. **Media ad hanc sanctitatem acquirendam, conservandamque** sunt: I. *Quotidiana rerum spiritualium lectio, ac meditatio. In meditatione mea exardescet ignis,* ait Psaltes. (Ps. XXXVIII). Unde S. Bernardus dicit: *Hæc regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus.* (De Conc., l. 1, c. 17). Sine hac nullus perficitur: est conditio *sine qua non,* maxime clericis tum ratione status perfectionis, tum ministeriorum, tum ratione vitæ mollis, ac fere independentis ad frenandas concupiscentias omnes, atque ad divinum fervorem alendum. Expellatur ergo omnis segnities, et de mane vigilent, et orent omnes sacerdotes Dei. Confessarii omnes de hac re interrogent suos pœnitentes, ac clericos minime absolvant, quin meditationis quotidianæ praxim in se colant. (V. n. 380, et 381).

II. *Quotidianum conscientiæ examen* tum generale, tum particulare. Hujus exercitii utilitatem ipse Seneca agnoscebat, quando dixit: *Hoc nos pessimos facit, quod nemo iram suam respicit, nemo se avarum esse intelligit, nemo cupidum, nemo elatum;* cum hæc fere omnes habeamus.

III. *Jugis, et fervida ad Deum, et Virginem oratio,* a quibus omnis sanctitas venit; nam scriptum est: *Invocavi, et venit in me spiritus sapientiæ.* (Sap. VII.)

IV. *Sacramenti pœnitentiæ frequentia* ad pravos habitus eradicandos, et ad impediendum novos contrahendos; nam arbor, quæ sæpe movetur, non radicatur. Unaquaque hebdomada confiteatur clericus; alias in virtutibus, et spiritus fervore rarissime proficiet.

V. *Custodia cordis*, *ac sensuum,* et præ animæ oculis habere Dei præsentiam; nam *ascendit mors per fenestras nostras.* (Jerem. IX, 21). *Ambula coram me*, *et esto perfectus.* (Genes. XVII).

VI. *Exercitia spiritualia quotannis,* vel saltem singulo triennio, quibus, ut ait Papa Clemens IX, *quidquid sordidum de mundano pulvere contractum est, commode detegitur, ecclesiasticus spiritus reparatur, mentis acies ad divinarum rerum contemplationem extollitur, recte sancteque vivendi norma, vel instituitur, vel comprobatur.* Sed proh dolor! qui iis plus indigent, ab ipsis magis aufugiunt, et abhorrent!

655. **Clericorum obligationes, quoad ministerii clericalis exercitium**, et **ecclesiæ cultum** sunt sequentes. I. Ut singuli Ordinis propria munia rite sciant, et exerceant, ne dicantur inaniter ordinati: ideo rubricas omnes compertas habeant.

II. Ut ecclesiæ, cui sint addicti, operam præstent assiduam, etsi honorarium non recipiant, tum in doctrina christiana explicanda, tum in verbo Dei prædicando, tum in confessionibus audiendis, tum in cæteris denique functionibus celebrandis, aut ipsis assistendo, præsertim die festo; nam turpe esset clericum egredi, cum convocatur populus ad ecclesiam, ac tempus terere in deambulatione, vel in ludo, vel etiam lucrosa officia libenter obire, et cætera prætermittere. Nemo autem potest, ex Constitutione Benedict. XIV, *Ex quo*, sine licentia ecclesiam illam derelinquere; *quod si locum*, *inconsulto Episcopo*, *deseruerit*, *ei sacrorum exercitium interdicatur*, ait Trident., sess. 23, c. 6 de R.

III. Ut sacros ritus ediscant, et adamussim observent, in ecclesiæ cantu se exerceant; secus non devotionem, sed risum movent; et in sacris functionibus, præter talarem vestem, superpelliceum mundum induant, ac birreto præditi sint, in mysteriorum reverentiam, et fidelium ædificationem: præsertim modestiam, silentium, reverentiam erga SS. Sacramentum genuflectendo, edoceant. Si clericus in ecclesia, vel choro confabuletur, quisnam audebit postea laicos circa hoc monere, prædicare? Quot inde scandala, et mala!

IV. Ut studiis sibi, et populo magis necessariis vacent; nam omnes clerici super cæteros constituuntur, ut eos viam salutis doceant. *Non vos me elegistis*: ait Christus, *sed ego elegi vos,... ut eatis*, *et fructum afferatis.* (Joan. XV). Et quomodo fructum afferent, qui nec ire, nec seminare, neque colligere volunt, aut sciunt? Dei abominationem colligent, juxta illud: *Quia tu scientiam repulisti*, *repellam te*, *ne sacerdotio fungaris mihi.* (Oseæ, IV). Hinc Concilium Toletanum IV: *Nullus ad sacra mysteria veniat indoctus*, *sed solum accedat quem morum innocentia*, *et litterarum splendor reddant illustrem. Aliter ordinaturis*, *et ordinandis imminet in posterum Dei*, *et Ecclesiæ vindicta.* Quid de illis qui otio, et commodis, et animi evagationibus, et carnis voluptatibus torpescunt? Illa pauca amittunt, quæ in scholis didicerunt, non sine maxima sui, et animarum pernicie. Et quid de illis, qui præpropere munus suum obeuntes, tempus vanis historiis, ac inutilibus nugis terunt? Aptandum est istis illud Tullii: *Etiamsi longa hominis vita suppeteret, tempus parce dis-*

pensandum esset, ut sufficeret necessariis ; nunc autem quæ dementia est, supervacanea discere in tanta egestate temporis? Indefessi studii necessitas hodie maxime urget nos, ut valeamus occurrere tot malis, quæ ob scientiæ abusum ubique exundant, ac ignorantiæ notam, qua nos impii insectantur, a nobis avertamus.

656. Q. *Quænam clericorum obligationes relate ad modum sese exterius gerendi?*

R. I. Interiorem animi pietatem in omni agendi ratione exprimere debent. *Nam amictus corporis, risus dentium, et ingressus hominis enuntiant de illo.* (Eccli. XIX). Unde Trident. sess. 22, c. 1, de R., ait: *Nihil est, quod alios magis ad pietatem, et Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita, et exemplum, qui se divino ministerio dedicarunt... In eos, tanquam in speculum, reliqui oculos conjiciunt.* Hinc clericus modestus, et minime mundanus esse debet quoad vestes, capillos, modum loquendi, deambulandi, caput et manus vertendi; secus liber laicis niger erit; nam *ex visu cognoscitur vir, et ab occursu faciei cognoscitur sensatus.* (Eccli., XIX, 26.)

Quis non irrideat, quos interdum videre est, *cincinnatulos, calamistratos, et amasiunculos clericos*, contra quos concinebat D. Bernardus: *Cernitur in nonnullis sacerdotibus vestium cultus plurimus, virtutum, aut nullus, aut exiguus... muliebria potius noscuntur insignia, quæ utique curiosius, et sumptuosius illæ sibi præparare consueverunt, cogitantes nimirum quæ sunt mundi, quomodo placeant viris. Verum tu, sacerdos Dei Altissimi, cui ex his placere gestis, mundo an Deo? Si mundo, cur sacerdos? Si Deo, cur qualis populus, talis et sacerdos? Nam si placere vis mundo, quid tibi prodest sacerdotium?* (De vita et mor. Episcop.). *Ex cordis thesauro sine dubio procedit quidquid foris apparet vitiorum, vanum cor vanitatis notam ingerit corpori,... mollia indumenta animi mollitiem indicant; non tanto curaretur corporis cultus, nisi prius neglecta fuisset mens inculta virtutibus.* (S. Bernard., Apolog. ad Guill., Ab., c. 10). Circa hæc invigilent seminariorum rectores, parochi, Ordinarii, et etiam confessarii, præcipue quoad juvenes; alias ferme sterile videre erit horum ministerium ; mundi namque amator Evangelium prædicare aut erubescet, aut eum dedecet, quamvis dives, vel regularis vocetur.

II. Ut se abstineat clericus ab iis, quæ non tantum malum, sed etiam mali speciem habent : *Nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum.* (II Cor. VI). Hic facit illud S. Bernardi: *Sicut non omne quod libet, licet; sic non omne quod licet, expedit* (Epist. 25); v. gr. ludere, præsertim cum laicis, et maxime cum parochianis, in loco publico, vel per totam noctem alicujus festi; ridere cum mulieribus, et similia, animum, mores, ac mundanum hominem indicant, vel ita saltem a mundanis accipitur. Sacerdos ita hilaris parum in confessionario, et suggesto prodest.

CAPUT III.

De habitu clericali, et tonsura.

657. I. Verius a sæculo VI cœpit distinctio specialis vestium inter laicos, et clericos.—Proprius clericorum habitus, excepta itinerum causa, aut cum quis ruri versatur, in Hispania, Italia, et Gallia talaris nigri coloris est; addito superpelliceo in sacris functionibus peragendis.—Decens collare tenui linea obductum, minime vero artificiose elaboratum, cum jampridem ab invictissimo ecclesiasticæ disciplinæ restauratore *S. Carolo Borromeo* reprobatum fuerit.—Pileum juxta regionis consuetudinem præscribitur. Vetantur femoralia genu prætergredientia laicis, vel militaribus propria.—Item prohibetur annulus, nisi ratione officii, vel dignitatis; illumque deponant in Missæ sacrificio; etsi protonotarii honorarii, canonici, aut dignitates cathedralis sint. Ita *S. Rituum Cong.* 27 april. 1818, confirmante *Pio VII*, *et Benedict. XIV, Notif.* 34, *Del-Vecchio*, *t.* 1, *n.* 415.

II. Certum est clericos in sacris, aut beneficiatos graviter peccare, si per notabile tempus clericalem habitum non deferunt. Deducitur ex Trident., sess. 14, c. 6, de R.: «Tanta autem hodie aliquorum inolevit temeritas, religionisque contemptus, ut propriam dignitatem, et honorem clericalem parvipendentes, vestes etiam publice deferant laicales, pedes in diversis ponentes, unum in divinis, alterum in carnalibus: propterea omnes ecclesiasticæ personæ, quantumcumque exemptæ, quæ aut in sacris fuerint, aut dignitates, personatus, officia, aut beneficia qualiacumque ecclesiastica obtinuerint, si, posteaquam ab Episcopo suo, etiam per edictum publicum, moniti fuerint, honestum habitum clericalem, illorum ordini, ac dignitati congruentem, et juxta ipsius Episcopi ordinationem, et mandatum non detulerint; per suspensionem ab Ordinibus, ac officio, et beneficio, ac fructibus, redditibus, et proventibus ipsorum beneficiorum; nec non, si semel correpti, denuo in hoc deliquerint, etiam per privationem officiorum, et beneficiorum hujusmodi coërceri debeant.» Quæ sane loquendi ratio peccatum grave arguit, ait *Scavini, p.* 242. Revera ipsi temeritatis arguuntur; et aliunde gravitas pœnarum magnam culpam in genere supponit. *(Ita S. Lig., l.* 6, *n.* 825, *Gurg, n.* 46, *cum communi).*

III. Si tamen clerici pergant in regiones, in quibus clerici vestibus clericalibus induti prodire publice non solent, excusantur, si tali usui se conforment, maxime si aliter gravibus probris se exponant.—Neque graviter peccant habitum non deferentes per breve tempus, nisi quis ad decipiendum, vel ad aliquod malum committendum, aut in bacchanalibus ad urbem larvatus excurrendam id ageret. *(Ita communiter AA.).*

IV. Si vero agitur de aliis clericis minoribus, communius dicunt *AA.* eos non peccare; cum nulla lex eos obligans citari possit. *(Ita Silv., Const. Sixti V, edita* 31 *jan.* 1588, *S. Lig., ibidem, cum communi.*—Excipe nisi id statuat Episcopus pro clericis minoribus, prout hodie passim fit: congruum enim est, ut omnes proprio statui se conforment, ac superiori subdantur. Qui ab habitu sui status abhorret, aversionem ad ea quæ

status illius sunt ostendit, amoremque ad mundana, ac fere vocationis defectum, vel hanc incultam relinquere. Habitus clericalis est Angelus tutelaris castitatis, ac modestiæ.

658. Q. *An peccent clerici tonsuram non deferentes?*

R. Alii cum *Sanch.*, *Lay.*, *Vazq.*, *Hurt.*, dicunt clericos in sacris, aut beneficiatos graviter peccare, si coronam non deferant; quia Conc. Later. sub Leone X, sess. 9, statuit, quod *Clerici in sacris constituti, nec barbam nec comam nutriant, sed tonsuram deferant; si quis contra fecerit excommunicationem incurrat;* quæ excommunicatio temperata videtur Const. *Apost. Sedis* Pii IX. Alii cum *Soto*, *Panorm.*, *Silvest.*, affirmant de omnibus clericis, ex *c. Clericis* 15 *de vita et honest. Cleric.*, ubi dicitur: *Coronam, et tonsuram habeant congruentem.* Alii, secluso contemptu, de omnibus negant esse mortale coronam non deferre; ex nullo quidem textu id arguitur; nam Concilium præcipiendo tonsuram, non est locutum de corona, sed potius de abrasione comæ, quæ tunc temporis in usu erat. *(Ita Tamb.*, *Renzi*, *Marchen.*, *Pal.*, *Henriq.*, *Croix*, qui lib. 4, num. 1372, ait: *facilius mortaliter peccare non deferentes habitum quam coronam; quis enim* (dicit) *arguet sacerdotem de mortali, si per* 6, *aut* 8 *hebdomadas coronam non deferat?* In hoc conveniunt *S. Ligor.*, *n.* 846, *Scavini*, *p.* 242, *Del-Vecchio*, *n.* 417, etc. — Hæc igitur gravis obligatio non clare probatur. (*Gury*, *n.* 40). Hisce præjactis:

1.° Clericus habitum clericalem, et tonsuram non deferens, si tertio admonitus ab Episcopo non emendetur, illico amittit privilegium *fori*, et *canonis,* si in sacris sit, aut beneficiatus *(ex c. contigit* 45, *de sent. excom.*). *S. Lig*, *l.* 6, *n.* 827. Si vero sit in minoribus, nec alicui ecclesiæ de mandato Episcopi inserviat, vel si in seminario, aut alia schola de ejus licentia non versetur, privilegium *fori* amittit absque ulla monitione. *(Trident.*, *sess.* 23, *c.* 6). Sed requiritur sententia saltem declaratoria, cum agitur de juris acquisiti amissione; nisi clericus habitum ita dimittat, ut satis appareat animum clericandi dimisisse. — 2.° Clericus quando amittit juxta Ecclesiæ leges privilegium *fori,* ipso facto amittit omnia alia clericalia privilegia, ita ut considerari debeat velut persona laica. *(Ita declaravit S. Congr. Immunitatis* 20 *sept.* 1860.

—*Quoad barbam* operæ pretium esse hic putamus, S. C. Concilii dedeclarationem an. 1863 *Neocesar.* Nuntio datam in medium adducere: «Ad aures B. Patris pervenit in nonnullis Bavariæ diœcesibus adesse ecclesiasticos viros, qui, novitatis, vel potius levitatis spiritu perducti, usum jamdiu insoletum barbam gestandi iterum introducere, et exemplo suo alios ad imitandum allicere conantur.—In confesso est modernam, et vigentem Ecclesiæ latinæ disciplinam huic usui prorsus obstare, novamque consuetudinem, ut legitime introducatur, necessario requirere assensum saltem tacitum Supremi Ecclesiæ Pastoris. Hic autem hujusmodi novitatem omnino se reprobare declarat... Quæ cum ita sint, placuit Sanctitati Suæ mihi in mandatis dare, ut omnibus Bavariæ Antistitibus suo nomine significarem, ab ipsis omnimode curandum esse, non solum ut prædictus usus expresse prohibeatur, sed etiam ut disciplinæ unitas, et cum Ecclesia Romana, omnium magistra, conformitas in omnibus, ac proinde etiam in habitu, et tonsura clericorum servetur.»

CAPUT IV.

De cœlibatu ecclesiastico.

659. I. **Cœlibatus** hic sumitur per continentiam, quam servare tenentur omnes clerici a subdiaconatu inclusive usque ad Episcopatum, ita ut nec licite matrimonio contracto uti, nec licite, nec valide postea illud contrahere valeant.

II. *Cœlibatum* non a jure divino esse ortum, sed ecclesiastico, docent communiter AA. *cum Gury, n.* 40; nam nil tale in Scriptura legitur præceptum, et probat Ecclesiæ praxis. Sic Benedict. XIV. indulsit subdiaconis, diaconis, et presbyteris græcis Albanensibus in Italia, et Cophtis, cæterisque orientalibus, ut uxores retinerent, quas antea duxerant, si virgines duxerint. Ita passim alii Pontifices. Sed matrimonium inire nequeunt presbyteri, et diaconi græci post ordinationem; et clericis non conjugatis in ordinatione diaconatus præceptum castitatis imponitur; nam apud græcos subdiaconatus inter sacros Ordines non adnumeratur. At Episcopi ubique votum castitatis emittere debent.

III. Cœlibatum jure ecclesiastico obligare aperte constat: 1.° Ex Trident., sess. 24, c. 9: *Siquis dixerit, clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel regulares castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege ecclesiastica, vel voto... anathema sit.*– Probabilius, et communius dicunt AA., eam obligationem esse ex vi voti de Ecclesiæ præcepto emittendi. *(Scavini, Ballerini, n.* 41).—2.° Ex Ecclesiæ ipsius praxi; nam Episcopus promovendis ad subdiaconatum ait: *Hactenus enim liberi estis... quod si nunc Ordinem susceperitis, amplius non licebit a proposito resilire, sed Deo, cui servire regnare est, perpetuo famulari; et castitatem, illo adjuvante, servare oportebit.*—3.° Constat demum ex pluribus Conciliis, ac juris canonici capitibus, signanter ex *c.* 1, *dist.* 28.

Unde 1.° si quis ad ordines sacros promoveatur, invincibiliter hanc castitatis obligationem ignorans, ad ipsam adhuc tenetur, sive ex vi voti impliciti, sive ex præcepto Ecclesiæ, maxime si intenderet, ut supponi debet, Ordinem suscipere velle eadem obligatione ac alii suscipiunt. *(S. Thom., Scavini cum communi).* –2.° Si quis Ordinem susciperet, expresse obligationem illam vovere, et accipere nolens, probabilius etiam ad castitatem teneretur ex præcepto Ecclesiæ, quæ religionis motivo continentiam omnibus præfatis adnexam esse statuit: communius contra castitatem peccans, sacrilegium etiam committeret. — 3.° Si quis esset metu gravi ad Ordinem perductus, v. g., si Episcopus divinitus vocatum, maxime si ob ministrorum inopiam, quempiam ita adstringeret, probabilius sic ordinatus castitatis obligatione ligaretur; tunc enim esset irrationabiliter invitus.—Secus in praxi consultius foret dispensationem petere a S. C. Concilii, quæ alias eam elargita est.—Si vero quis sit in ætate infantili ordinatus, neque ad castitatem tenetur, neque ad alia onera, nisi post 16 ætatis annos ordinationem ratam habeat. Ita Benedict. XIV Const. *Eo quamvis.*

660. **Maxima est cœlibatus ecclesiastici præstantia**; nam præ–

fert specialem vitæ sanctitatem; impedimenta removet, quæ cum vitæ clericalis instituto consociari nequeunt; et maxime conducit officiis divinis rite obeundis.

I. *Præfert specialem vitæ sanctitatem,* dicente Apostolo: *Qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit: et qui non jungit, melius facit... Beatior erit si sic permanserit, secundum meum consilium.* (I Cor. VII. Unde Trident., sess. 24, c. 10, ait: *Siquis dixerit, statum conjugalem anteponendum esse statui virginitatis, vel cœlibatus; et non esse melius, ac beatius manere in virginitate, aut cœlibatu, quam jungi matrimonio; anathema sit.* Nec deest ratio; nam conjugatus est secundum inferiorem partem brutis similis; virgines autem secundum partem superiorem Angelis consimiles. *Nuptiæ terram replent, virginitas paradisum,* ait D. Bernardus.

II. *Impedimenta removet, quæ cum vitæ clericalis instituto consociari nequeunt:* hoc compertum fiet, si conjugatorum partes, et munia cum muniis, et partibus clericorum conferantur. Domesticis curis intentos inveniemus primos; Dei cultui, ac propriæ sanctitati secundos.—Filiorum procreationi, et compartium sustentationi illos mancipatos; educationi, et æternæ salvationi omnium istos.- Orationi, ac studio occupatos hos; œconomicis negotiis, ac deliciis temporalibus illos.— In asseverationis confirmationem veniant, si placet, anglicani pastores, simul et catholici. Nonne veritas elucescit? Quid si illi parœciæ præsint, quæ parocho vix necessaria victui præbeat? Ad eos confugient pauperes? Et quid si morbo contagioso laborent propriæ oves? Eas forsan inviset pastor? Nonne obstabunt certo uxor, ac liberi? Et quomodo ad sylvestres, et barbaras gentes fidei lucem afferre poterit hic una cum uxore, ac liberis, cæterisque familiæ curis? Hisce omnibus obicibus liberare cœlibatum religiosum inter catholicos, sua sponte descendit.—Videant ergo cœlibatus ecclesiastici hostes ejusdem præstantiam apud Deum, et erga homines.

III. *Maxime conducit ad officia divina rite obeunda:* facile evincitur; nam hæc sunt præcipua militiæ clericalis officia; *orare, sacrificium offerre, docere, præesse, sacramenta ministrare, pauperum, ac infirmorum curam gerere.* Nonne hæc postulant virum ab alienis curis liberum, ut facile esse possit omnium pater, consiliarius, judex, ac omnium quasi famulus, et minister? Et quis non videt ad hæc omnia præstanda melius conducere cœlibatum, quam conjugium? Id plane innuit Apostolus: *Qui autem cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est.* (I Cor. VII).

—Deinde cælibes ecclesiastici mirifice bonum societatis promovent: 1.° vitam moralem, ac religiosam hominibus communicant;—2.° litteras, et artes excolunt, ac suadent;—3.° publicam charitatem, et pia instituta fovent;—4.° pacem in cordibus, familiis, civitatibus, ac regnis deferunt. Et sic suorum concivium utilitatis mancipia facti, verum progressum socialem ita promovent, ac sanctificant, ut ministri Salvatoris omnium revera nominentur, et sint; et solum libertatis carnis cultores aliter sentire, ac effutire valent.

CAPUT V.

De Horis canonicis.

661. **Horæ canonicæ** dicuntur *collectio orationum, et lectionum ab Ecclesia statuta a personis ad id deputatis, singulis diebus, ac certis horis recitandarum. Horæ* etiam dicuntur *officium divinum*, quod in honorem Dei recitatur.—*Ecclesiasticum;* quia nomine Ecclesiæ persolvitur.—*Canonicum;* quippe juxta Ecclesiæ canones recitandum est.— *Breviarium;* nam S. Scripturæ oracula, Patrum sententias, et vitas Sanctorum breviter exhibet. Horarum recitatio alia dicitur *publica*, et ea est, quæ fit ab obligatis in choro; alia *privata*, quæ ab aliis sive choraliter, sive non, ubicumque fit.

Divini officii origo. Vel accipitur quoad substantiam, vel quoad methodum hodie usitatam.—Si 1.ᵐ, ab Apostolis videtur repetenda ejus origo, ut colligitur ex illis verbis: *Petrus autem, et Joannes ascendebant in templum, ad horam orationis nonam*, quem hebræorum morem ipsos retinuisse creditur. Et de descensu Spiritus S. dicitur: *Hora diei tertia* (Act. II). Ita etiam ex Patrum testimoniis, et ex variis documentis.

Si 2.ᵐ, in hoc conficiendo manum primo habuisse legitur S. Damasum, sæculo IV, S. Hieronymi opera.—Gelasium in Concilio romano, sæculo V.—S. Gregorium M., sæculo VI.—Gregorium IX, sæculo XIII. Postea S. Pius V, sæculo XVI, illud reformavit, et auxit; legitima 200 annorum consuetudine carentia breviaria prohibuit, seu Bulla *Quod a nobis*, 7 jul. 1568, omnia alia breviaria reprobavit a Romano distincta.—Dein Clemens, et Urbanus VIII, sæculo XVII, ut videtur in Bullis initio breviarii appositis, opus perfecerunt. (V. n. 675).

662. **Divisio Breviarii.** In septem Horas dividitur, et sunt *Matutinum cum Laudibus*, *Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperæ*, et *Completorium*, juxta illud Psaltes: *Septies in die laudem dixi tibi.* (Ps. CXVIII). Septem diei horis totidem exhibentur Passionis Christi mysteria hisce versiculis expressa:

Hæc sunt, septennis, propter quæ psallimus, horis:
Matutina ligat Christum, qui crimina solvit;
Prima replet sputis; causam dat Tertia mortis;
Sexta Cruci nectit; latus ejus Nona bipartit;
Vespera deponit; tumulo Completa reponit.

CAPUT VI.

De Horarum obligatione.

663. **Obligatio Horas recitandi non oritur** ex jure divino, neque ex divina traditione, sed ex consuetudine, quæ vim legis obtinuit, ut ait Benedict. XIV in Instruct. *cophtorum.*—Hanc inter cætera Concilium

Romanum anno 1216 expresse decernit prælatis, et clericis hisce verbis: *Districte præcipientes in virtute obedientiæ, ut divinum officium nocturnum pariter, ac diurnum quantum eis dederit Deus, studiose celebrent, ac devote.* (*C.* 9, *dolentes referimus, t. de celeb. Missæ*). Legislator rem gravem præcipiens in virtute obedientiæ profecto sub gravi obligat. Unde mortaliter peccat, qui Officium, vel notabilem ejusdem partem sine gravi causa omittit. Ita *omnes.*

664. Q. *Quænam sit materia gravis in hac omissione?*

R. Communissime docent theologi: 1.° Unum mortale committere, qui totum omiserit Officium; unum equidem adest præceptum septem partibus constans. *Qui omittit omnes Horas unius diei, non propterea comittit septem peccata mortalia, sed unum, et tanto gravius, quanto plus de Officio omittit; quia totum Officium unius diei cadit sub uno præcepto.* Ita *D. Antonin.*, 3.ª *p.*, *tit.* 13, *c.* 4, *S. Ligor.*, *n.* 148, *cum aliis.*

2.° Si plures Horæ omittantur cum intentione moraliter interrupta, tunc plura habentur mortalia peccata; omnes quippe omissiones in se graves fiunt totales, seu ab aliis independentes. (*S. Ligor.*, *l.* 4, *n.* 148).

3.° Omissio unius parvæ Horæ, vel unius Nocturni, vel materiæ uni parvæ saltem Horæ æquivalentis mortale peccatum est; nam hæc omissio, etiam respectu totius Officii, gravis reputatur. Ita probabilius, et communissime *Gury*, *n.* 51, *Scavini*, *l.* 2, *n.* 29, *S. Ligor.*, *n.* 147, *aliique* contra *Nav.*, et *Azor.*, qui gravem esse dicunt omissionem dimidiæ, vel etiam tertiæ partis alicujus Horæ. Omissio minoris partis unius parvæ Horæ leve erit; porro quantitas materiæ respectu totius Officii respicienda est. Unde probabilius grave non est Vesperas in Sabbato Sancto omittere: levissima quidem materia est respectu totius Officii. (*Ita Gury, Scavini, S. Ligor., ibid., cum communi*).—Ad integritatem Officii, pertinet *Pater*, *Ave*, *Credo;* non vero *Aperi*, *et Sacrosanctæ.*

Quæritur: *utrum parochi, aliique sacerdotes exequiis mortuorum, officiisque quotidianis assistentes, ac propter eas functiones stipendium accipientes, teneantur per se officium defunctorum persolvere, an vero sufficiat, ut fructus faciant suos, solummodo assistere, aliis recitantibus, et interea alias preces fundere, v. g. Breviarium recitare?*—S. R. C., 9 maj. 1857, respondit: *Negative.*—Quæritur: *an preces feriales, et antiphona finalis B. Virginis flexis genibus sint etiam privatim recitandæ?*—S. Rit. Cong., 12 nov. 1851, respondit: *In choro tantum juxta Rubricas.* Laudabiliter ergo extra chorum.

Quæritur I. An *crucis signum* ad Magnificat, et Benedictus *fieri debeat a solis Episcopis speciatim commemoratis in Cæremoniali; an etiam ab omnibus recitantibus?*—II. *Quatenus affirmative ad secundam partem, an hoc signum crucis fieri debeat semper, id est in quocumque officio etiam defunctorum tam in choro, quam extra?*—S. R. C., 20 dec. 1864, respondit ad utrumque dubium: *In casu signum crucis ab omnibus faciendum tam in choro quam extra, juxta laudabilem communem praxim præsertim in alma urbe servatam.*

Q. *An qui Breviario Romano utitur, recitare adstringatur officium defunctorum, vel etiam B. V. Mariæ, psalmos pœnitentiales, et graduales?*

R. I. Affirma quoad officium defunctorum die 2.ª novembris. Item in choro tantum quoad alia præfata, ubi adest consuetudo, præscriptis diebus non omittatur. S. R. C. in *Alexandrina* 22 *sept.* 1827, et ita servari mandavit 20 *dec.* 1864. *De Luise*, *n.* 642. Extra chorum non viget hæc consuetudo, neque obligatio, neque afficit singulos privatos choro tamen

addictos, sed tantum communitatem. Ita *Conc., Holz., S. Lig., l.* 4, *n.* 143, *cum aliis,* ex S. Pii V, Const. *Quod a nobis,* idibus jul. 1568, et *Ex primo* 12 calendas octobris 1571, præcipientis servare consuetudinem hæc Officia recitandi in locis ubi viget. Ex eodem Pontifice ad Officium B. V. Mariæ quotidie tenetur clericus qui pensionem obtinet, si ideo sit necessaria Tonsura; idque sub restitutionis onere pro rata, si illud omittat. *Scavini, pag.* 651, *Gury, n.* 70. (V. n. 720).

Insuper obligati ad Officium recitare, debent ex consuetudine, et rubricæ præscriptione litanias Sanctorum die S. Marci, et tribus Rogationum diebus; quæ pridie recitari nequeunt, cum in processione recitentur loco assistentiæ, et processio sit affixa diei, ut declaravit *S. R. C.* 15 *jun.* 1776. Probabilius et communius id sub gravi obstringit; nam in rubrica dicitur: *qui non intersunt processioni litaniarum, dicant illas privatim post Matutinum, cum suis precibus, et orationibus. Dicant,* en præceptum; grave, cum materia sit ex se gravis. *Scavini, n.* 161, *aliique plurimi* contra *Dian., Vazq., Graff.,* et *alios,* qui grave præceptum non agnoscunt in ly *dicant. S. Lig.* hanc sententiam non audet dicere improbabilem, sed prima ipsi magis arridet.

665. Q. *An dubitans si quid omiserit, vel aliquam recitaverit Horam, iterum recitare teneatur?*

R. Si agitur de scrupulosis, præsumptio pro recitatione stat; quia in iis generatim non adest dubium, sed inanis apprehensio: alias bene meminissent.—Secus, vel adest dubium *mere negativum*, vel *positivum;* si 1.^m, ad recitationem tenetur; nam possidet lex, et nulla ratio ejusdem adimplementi;—si 2.^m, ut si meminit aliquid dixisse, incepisse, et de more perficere soleat; vel si in finem psalmi, lectionis, aut Horæ distractus devenisset, non obstringitur; de adimplemento siquidem moraliter certus est; tunc enim resolvi potest ex communiter contingentibus, et favet præsumptio. *(Ita communiter Gury, Scavini, S. Lig., n.* 150).

Horas cononicas quotidie recitare tenentur alii vi *Ordinis,* alii vi *beneficii,* et alii vi *professionis religiosæ.*

666. **Ratione Ordinis** quotidie sub gravi Horas recitare tenentur omnes, qui in sacris sunt, ut constat 1.° ex variis juris textibus;—2.° ex Conc. Basileensi;—3.° ex antiquissima consuetudine, quæ vim legis habet.—Tenentur licet sint excommunicati, suspensi, interdicti, carcerati; *nemo* enim *debet commodum reportare ex propria iniquitate.*—Excipiunt plures 1.° ad triremes damnatos; sane tunc in Ordinis dedecus esset recitatio, et simul onus nimis grave, ac fere importabile.—2.° impuberes ordinatos, vel infantes, ex Benedicto XIV, si sponte dein non consenserint; habentur enim ut ordinati per vim, aut metum, vel per inconsiderationem ipsorum; indeque non censetur velle Ecclesiam eos obligare ad onus grave, et perpetuum sine plena deliberatione. *(Scavini, l.* 2, *n.* 31).

Q. *An subdiaconus die, quo ordinatur, Horas recitare debeat?*

R. Affirma; recitare debet Horam, quæ respondeat tempori, quo Ordinem suscepit: igitur si ante horam nonam matutinam fiat ordinatio, ad Tertiam tenetur; et probabilius nequit recitationem anteponere; nam adimplementum legis impositionem ejusdem sequi debet. Excipe beneficiatum; quippe tunc nomine, et ex præcepto Ecclesiæ recitavit, atque eodem religionis motivo. (*Gury, n.* 62, *Scavini, S. Ligor., l.* 4, *n.* 140).

667. **Ratione beneficii** sub gravi, et ex justitia quotidie ad Horas semel tenentur beneficiati, etsi nondum in Sacris; imo etiamsi quis plura habeat beneficia; quia, ut ait *S. Thom., quodl.* 1, *a.* 13, *talis laudes Deo*

debet quasi unus homo, sufficit quod semel Officium dicat. Ideo Horas omittens unum peccatum committit, quamvis in Sacris sit; nam ex uno religionis motivo oritur obligatio. Ita *communiter.* Unde beneficiarii fructus beneficii restituere devinciuntur pro omissionis, ac temporis rata, elapsis sex mensibus a die possessionis, et ante judicis sententiam. Hinc:

I. *Restituere devinciuntur:* constat ex Lateranensi V, sub Leone X, sect. 9, ubi legitur: *Statuimus quoque, ut quilibet habens beneficium, si post sex menses, obtento beneficio, Officium Divinum non dixerit, legitimo impedimento cessante; fructus non faciat suos pro rata omissionis, recitationis, et temporis.* Unde Officium omittens infra primos sex menses, quamvis graviter peccet, ut *tenent omnes;* tamen ad restitutionem non adstringitur; nam hæc restitutio nonnisi ex lege Ecclesiæ debetur, talem imponentis pœnam solummodo post sex possessionis menses. *Less., n.* 167, *S. Lig., n.* 666, *cum communi.*

II. *Pro rata:* S. Pius V, Const. *Ex primo*, an. 1571, id decrevit: *Statuimus, ut qui Horas omnes canonicas uno, vel pluribus diebus intermiserit, omnes beneficii fructus, qui illi, vel illis diebus responderent; qui vero Matutinum, tantum dimidiam; qui cæteras alias Horas, aliam dimidiam; qui Horam singulam, sextam partem fructuum ejus diei amittant; tametsi aliquis choro addictus, non recitans, omnibus Horis canonicis cum aliis præsens adsit, fructusque et distributiones forte aliter assignatas sola præsentia juxta statuta, consuetudinem, vel alias sibi lucrari fecisse prætendat: is etiam præter fructuum, et distributionum amissionem, grave peccatum intelligat se admisisse. Item ille qui primis sex mensibus Officium non dixerit, nisi legitimum impedimentum ipsum excusaverit, grave peccatum intelligat admisisse.*

III. *Ante judicis sententiam:* Hæc pœna est ab Ecclesia imposita ad puniendos non recitantes, velut pœna conditionalis, quæ quidem statim incurritur, conditione non impleta. Hinc Alexander VII hanc sub n. 20 damnavit propositionem: *Restitutio a Pio V imposita beneficiariis Officium non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam judicis.* Scavini, n. 32.

668. **Resolves:** I. Restitutionem esse faciendam pro rata omissionis recitationis, et temporis: qui in uno die Officium culpabiliter omittit, *omnes fructus illi respondentes* restituere debet, ut habet *Pius V*, et tenet *S. Lig., n.* 667 *cum sententia communissima*, etiamsi in altero suppleat; nam onus Officii est addictum diei.

II. Qui Horæ partem omittit, dummodo per plures leves omissiones in uno Officio ad gravem materiam non pertingat, nihil restituere tenetur, neque sub levi; etsi fructus illi, vel illis respondentes ad magnam quantitatem perveniant; sic quippe fert chorus: et S. Pius V tantum aliquam omittentibus Horam restitutionem imposuit. Aliunde fundamentum leve *ex se* grave onus parere nequit. *Suar., Salm., n.* 13 *et* 36, *S. Ligor., n.* 668.

III. Canonici, et omnes beneficiarii ad chorum adstricti verius graviter peccant, si notabiliter absunt, ultra tempus a Trid. permissum; tum quia *ex cap. Si quis presbyter, Dist.* 193, depositioni subjicitur clericus non recitans in sua ecclesia; tum quia obligatio assistendi ex distributionibus non oritur, sed ex primaria ipsius beneficii institutione. Et Trid. *sess.* 24. *c.* 12, loquens de canonicis, præcepit: *Omnes compellantur in*

choro ad psallendum instituto, hymnis, et canticis Dei nomen reverenter, distincte, devoteque laudare. Ita *Suar.*, *Bon.*, *Conc.*, *Viva*, *Tour.*, *Vazq.*, *Pal.*, *Salm.*, *n.* 3, *S. Lig.*, *n.* 675 contra *aliquos antiquos.*

Et S. Pius V idipsum statuit, dicens: *Tametsi aliquis choro addictus, non recitans*, etc., ut supra. Est communis sententia canonicum per tres, vel quatuor dies absentiæ non graviter peccare. *S. Lig.*, *l. c.* cum *Suar.*, *Croix*, *Salm.* Quoad distributiones, et præbendæ fructus, *v. n.* 720, *et seq.*

IV. Certum hodie est non psallentes minime distributiones, et præbendæ fructus lucrari, etsi choro intersint, uti aperte patet ex Bulla Benedicti XIV, *Cum semper oblatas*, et ex Brevi ejusdem, 19 jan. 1748, *Dilecte fili*, ubi Pontifex consuetudinem canonicorum tantum interessendi choro extirpandam esse declarat. Unde *communiter, et merito* (ait *S. Lig.*, *l.* 3, *n.* 675), negant satisfacere choro, et lucrari distributiones canonicos, qui submisse recitant, *Less.*, *Fill.*, *Con.*, *Tour.*, *Bon.*, *Suar...*, siquidem distributiones debentur propter servitium; servitium autem, ut habetur *ex Clement. I de Celebr. Missæ*, in eo consistit, ut clerici in ecclesiam conveniant ad Officium psallendum; ergo... Benedict. XIV, Const. *Itaque a te* inter cætera id declarat, dicens: *Omnino canere, vel psallere cum cæteris studeant, ac contendant.*

V. Canonicus qui exterius se voluntarie distrahit, etiam peccat, et restituere tenetur; Officio quippe non satisfacit. Si vero interius tantum se distrahit, quamvis probabilius etiam sit, quod ad restitutionem adstringatur, juxta *D. Ligor.*, *aliosque*, præfata ratione; tamen quia *oppositam sententiam non possumus negare, adhuc esse probabilem, dicimus, non esse obligandum beneficiarium ad restitutionem fructuum, semper ac in bona fide eos perceperit... nisi sit certus de obligatione restituendi.* Ita *S. Lig.*, *n.* 669.

VI. Attamen nisi simplices beneficiarii sint, qui alia non habeant opera, probabiliter omnes fructus ex dicta omissione restituere non devinciuntur; aliquid profecto merentur alia onera adnexa rite adimplentes. Ita Episcopi, parochi, canonici bene aliquid sibi retinere poterunt, cum alia onera impleant. Ita *Sanch.*, *Less.*, *Viva*, *Salm.*, 59, *aliique plurimi* apud *D. Alph.*, *n.* 673. Unde *Henr.*, *et Viva*, *n.* 8 dicunt Episcopos, et parochos teneri tantum ad quintam partem; canonicos ad 4.^{m}, habentes capellaniam dimidiam, vel tertiam partem. *Salm.*, *Less.*, *n.* 133, *aliique.*— Tamen capellania non erecta Episcopi auctoritate, non est vera capellania. *S. Lig.*, *n.* 673.

Item necesse est 1.° ut sit proprie beneficium ecclesiasticum, id est, ab Episcopi auctoritate erectum; 2.° ut sit tonsuratus, et possessionem obtinuerit beneficiatus, si requiratur tonsura, vel possessio ad illud habendum.—Unde nullum erit officii onus pro capellania mere laicali, aut regia, vel mercenaria; neque ad illud tenentur, qui laicalem pensionem obtinent, aut coadjutores sunt beneficiatorum, cum vera beneficia non habeant. *(Scavini*, *n.* 31).

669. Q. *Quid si beneficium sit tenue?*

R. Communiter tenue æstimatur beneficium, quod ad tertiam sustentationis partem non pertingit; quæ sustentatio mensurari rationabiliter debet juxta patrimonium, quod in diversis locis clericis assignatur. *(Ita Salm.*, *Scavini*, *Croix*, *S. Ligor.*, *l.*, 3, *n.* 674, *cum communi).* Quo posito, viget Officii onus:

1.° Si percipiatur tertia sustentationis pars, et etiam in dubio de tenuitate; nam possidet Officii onus.—2.° Si tenuitas ex beneficiati culpa proveniat; cum *nemo commodum reportare debeat ex propria iniquitate*; vel quia non facit fructus suos defectu residentiæ.—3.° Si uberiores sperentur fructus; tunc enim unus annus cum aliis compensatur.—4.° Si percipiantur fructus, etsi Missarum onere gravati; ad sustentationem enim deserviunt. *(Ita communiter, cum Scavini, et S. Ligor., ibid)*.

Hisce casibus præteritis, non conveniunt auctores.—Alii cum *Roncag.* etiam obligatos esse volunt; quia S. Pius V nullum excludit beneficiatum. —Alii cum *Sanch., Dian., Quintan., Rodr., Vega, Led.* etc., omnes tunc a recitatione liberos esse docent; nam beneficium quod non præbet ne tertiam quidem sustentationis partem, in jure canonico pro vero beneficio non reputatur; aliud enim accipere permittit. —Alii cum *Lessio* dicunt tale onus saltem pro diebus festivis vigere. (V. *S. Lig., n.* 674).

670. Q. *An beneficiatus fructus non percipiens ad Horas, ceteraque onera teneatur?*

R. Nega, si spe careat fructus recuperandi, et negligenter non se gerat in illis exigendis; æquum sane non est, ut aliquis officii onus absque honorario subeat sine sua culpa. Secus 1.° si juste fructibus privetur in alicujus criminis pœnam;—2.° si ab ipsius beneficiarii culpa pendeat; nemo quidem commodum reportare debet ex propria iniquitate; — 3.° si spem certam exigendi fructus, sequentibus annis, habeat. Ita *S. Lig., n.* 664, *et seq. cum communi.*

671. Q. *Quid si vertatur lis super beneficio?*

R. I. Si beneficiarius nondum beneficii possessionem acceperit, *communis et vera sententia*, (ait *D. Lig. n.* 664) *docet, hunc non teneri ad Officium;* nam beneficiarius ad Officium non tenetur nisi ex perceptione fructuum; collatio quidem dat jus in beneficio, sed ante possessionem beneficiarius non habet jus ad fructus: usquedum lis finiatur, beneficium habetur pro vacante. Excipit tamen si stet per beneficiarium, quin possessionem adipiscatur; nam ex *reg.* 25, *in* 6, *mora sua cuilibet est nociva.*

II. Si autem beneficiarius possessionem jam fuerit adeptus, et habet spem moraliter certam vincendi litem, utique ad Officium tenetur; nam idem est ac si deesset lis. *Less. n.* 173, *Suar., Lugo, n.* 9, *S. Lig., n.* 664, *cum communi.* Secus si dubium sit, cui adjudicandi erunt fructus; nemo quidem obstringendus est ad onus certum ob incertam mercedem. Et hoc etiamsi beneficiarius emolumentum ex fructibus beneficii jam perceperit, sed ob aliquod manuale servitium, rationem stipendii habens. *Lugo, n.* 5, *Salm., n.* 38, *S. Lig., l. c.* Et qui litem vincat, etiam fructus sequestratos obtinere potest, sicuti et maturatos a tempore vacationis beneficii, etiamsi Officium non dixerit; nam fructus vacantis beneficii sæpe reservantur futuro beneficiario, quin ad Officium præteritum devinciatur; et vacans reapse erat beneficium ante litis victoriam. Ita *probabilius, et communius, Lugo, n.* 5, *Salm. n.* 39, *L. Sig., n.* 664.

III. Omittens Officium sine sua culpa ad restitutionem non tenetur; nam, cessante culpa, cessat restitutionis pœna. *Qui Officium non dixerit, legitimo impedimento cessante, fructus suos non faciat,* ait Lateranense Conc. Ita *probabilius Less. n.* 180, *S. Lig., n.* 665.

672. Q. *An excommunicatus restituere teneatur fructus beneficii?*

R. Affirma, si ita erat tempore collationis, quæ nulla fuit. Secus, si post collationem in illam incidat; cum nemo subire teneatur pœnas actionem requirentes, nisi post sententiam. Ita *probabilius S. Lig. n.* 670.— Si vero excommunicatio sit justa, et reus choro non assistat, quia per ipsum non stat, ne absolvatur, *communius, et multo probabilius* (ait *D. Lig. ibid.)*, negant *Viva, cum Suar., etc.*, contra *Sa., Henr., et Ugolin.*, huic distributiones.—Imo culpabiliter Horas omittens, ultra restitutionem incurrit pœnam privationis beneficii, si admonitus saltem bis, post sex menses Officium omittat intra 15 dies. *Suar., S. Lig., n.* 671 *ex Conc. Lateran.*

673. Q. *Quibusnam est facienda restitutio ob Officii omissionem?*

R. Ait Lateranense: *Sed eos tanquam injuste perceptos, in fabricam ipsorum beneficiorum, vel pauperum eleemosynas erogare tenetur.* —Idem constat ex decretis S. Pii V: nempe, sive ecclesiæ, sive domui beneficii, sive in augendis agris, ut dicunt *Suar., et Vazq.*, non autem alterius ecclesiæ, ait *Viva;* nisi ecclesia propria restauratione non indigeret, et aliæ eleemosynis opus haberent, ut reficerentur. *Concina, t.* 2, *n.* 24. Nomine pauperum veniunt pauperes cujuscumque loci.—Unde ipse beneficiatus eos sibi applicare potest, si vere pauper sit, adeo ut neque ex suis bonis habeat, unde sibi provideat. Excipiunt, si ille in fraudem Officium omittat, sciens retinere posse beneficii fructus ob paupertatem. (*Scavini, S. Ligor., n.* 672, *et alii communiter.)* Hæc vero restitutio suppleri minime *potest per quascumque eleemosynas, quas antea beneficiatus de fructibus sui beneficii fecerit;* et contrarium est damnatum ab Alexandro VII, prop. 33.

674. **Ratione professionis religiosæ**: commune est, adeo ut temerarium sit aliter asserere, omnes regulares utriusque sexus professos, et choro addictos, etsi in sacris non sint, sub gravi quotidie teneri ad divinum Officium, saltem private. Patet ex universali consuetudine, quam agnovit Gregorius IX, præcipiens monachis, ut etiam *itinerantes*, *Horas dicant* in via. *(Gury, S. Ligor., n.* 142, *cum communi).*

Non tenentur ad hoc novitii, et conversi, licet professi, qui ad corporales labores sunt ordinati; neque moniales in Gallia, et Belgio, cum hodie non habeantur, uti tales. Alia tamen est praxis. Sed utique tenentur religiosi profugi, suspensi, excommunicati; cum statum non amittant, et sint in culpa.—Excipe probabiliter, qua religiosi sunt, si per sententiam sint ejecti; quippe tunc extincta habetur status religiosi essentia. *Del-Vecchio, n.* 481; et ex *S. Pœnit.*, 28 *nov.* 1852. (V. n. 785). Tamen non graviter peccat regularis, qui private Officium recitat, etsi facile choro interesse possit; nam licet hæc obligatio gravis sit pro communitate, est levis pro singulis privatis, modo quatuor expediti ad chorum sustinendum adsint. Si pauciores sunt, ad Officium in choro recitandum nullatenus obligantur, sed utique private. *(Gurg, n.* 55, *S. Ligor., n.* 143, *cum communi).* Ordines qui recitant tantum Officium B. Virginis, non obligantur sub gravi, licet vota solemnia emittant, ut pluries decisum est ex *Gury.* Item dic de aliis precibus.

675. Q. *Quonam Breviario utendum sit?*

R. Ex jure communi solo Breviario romano a S. Pio V reformato est utendum, uti constat ex ejusdem Bulla *Quod a nobis*, 7 jul. 1568, § 7, ubi statuit eum, qui aliud a præscripto Breviarium recitat, non satisfacere,

ac si nullo modo recitaret; et a Clemente VIII, Bulla *Cum in Ecclesia* 1602, ipsum recognoscente, et ab Urbano VIII, Bulla *Divinam psalmodiam* 1631, expurgante, idem expressum est; imo beneficiatus fructus non faceret suos, ut constat ex Const. Pii V *Ex proximo*. Insuper huic Breviario omnia exemplaria latina conformari debent; neque Episcopus auctoritate propria alia officia calendario addere potest, ex decreto *S. R.C.* ab Urbano VIII approbato. —Laudatus S. Pius V sustulit omnia alia Breviaria, quæ ex legitima consuetudine non superarent 200 annos. Permittit tamen, ut etiam 200 annis antiquiora immutari in Breviarium Romanum possint, consentiente Episcopo, et universo Capitulo.—Qui aliter agat, nisi ex consuetudine expressa, vel tacita a S. Sede approbata, vel de regularibus sermo sit, qui sui Ordinis peculiare Breviarium habent, certo contra legem agit. *S. Ligor.*, *n.* 160. Ex his colligitur:

1.° In ecclesiis quæ proprium habent Breviarium, et Missale legitimum, utpote a 200 annis ante Bullam *Pianam*, potest Episcopus prohibere etiam privatum usum Breviarii, et Missalis Romani suis ecclesiasticis, cui est obtemperandum, ex *S. R. Cong.*, 22 *maj.* 1841.—Id dicunt *Pal.*, et *Bon.* fecisse S. Carolum in Provinciali II pro iis, qui *Ambrosiano* utebantur ritu. Si vero nulla est Episcopi præscriptio, *plurimi*, cum *Sanch.*, et *Salm.*, docent quemlibet (etiam regularem, ut ait *Less. cum aliis*) privatim conformare se posse Ecclesiæ Romanæ, quæ mater omnium est. Declaratio, quæ in contrarium habetur, non est authentica. (*Ita Del-Vecchio, l.* 2, *n.* 197, *Gury, n.* 60).

Diximus *private;* nam publice in choro, seu in propriis ecclesiis mutari nequit; ad hanc quippe mutationem Pius V requirit Capituli, et Prælati consensum.—2.° Posse privatos sacerdotes in Gallia, ubi Breviarium diœcesis non sit Romanum, interim recitare juxta illud ob difficultates aliter agendi. (*Gousset, n.* 698).—3.° Ecclesiæ, quæ Breviarium proprium semel in gratiam Breviarii Romani abjecerunt, redire amplius ad illud non possunt. Itidem illud exceptionis privilegium ecclesiæ amiserunt, si in suam liturgiam, quæcumque demum additamenta, aut mutationes induxerint, ut constat ex pluribus declarationibus *S. Cong. Rit.*, 12 mart. 1608, et ex responso S. Sedis ad Archiep. *Bisuntinum*, 28 aug. 1856. (*Bouix.*)

Q. *An qui Breviario Romano caret, ad quod tenetur, sed casu aliud v. g. Ambrosianum habet, teneatur cum isto recitare?*

R. Affirmat *Concina;* nam adest duplex præceptum; unum generale Horas recitandi, et aliud de servanda forma; unde qui unum non potest, servet aliud.—Negant vero *Salmant.*, quia præceptum Officii indivisibile est, seu, illud sub data forma recitandi. Prima ut magis pia, et rationabilis erit consulenda.—Tamen regularis factus Episcopus uti potest Breviario suæ diœcesis; item, et capellani commensales Cardinalium, et Episcoporum possunt se eis conformare in Officio, ex S. R. C. *S. Lig. n.* 158.

CAPUT VII.

De tempore, loco, ac situ in recitatione.

676. **Tempus.** I. In primæva ætate *Matutinum* circa mediam noctem dicebatur; *Laudes* sub auroram; *Prima* ad ortum solis; *Tertia* tempore medio inter ortum solis, et meridiem; *Sexta* circa meridiem; *Nona* tempore medio inter meridiem, et solis occasum; *Vesperæ* ad solis occasum; *Completorium* sub nocturnum crepusculum.

II. Tempus hodie Horas recitandi ad mortale vitandum est dies naturalis a media nocte usque ad sequentem mediam noctem, *ex cap. Dolentes de cel. Missæ.* – Ut vitetur etiam veniale, sufficit recitare tempore ab Ecclesia assignato; nempe extra chorum, *Vesperæ*, et *Completorium* a meridie usque ad mediam noctem, nisi quadragesimæ tempore, exceptis tribus primis diebus et dominicis, in quo *Vesperæ*, ante meridiem dici possunt; non debent, nisi qui choro sint adscripti, ex Concilio Cabillon. *de consecr., dist.* 1, *c. Solent.*—Illud ante meridiem intelligitur paulo ante: *Concina, et Salm., t.* 16, *c.* 3, *n.* 15, latitudinem unius horæ admittunt; hodie tamen etiam in choro amplius extenditur. Hoc provenit ex antiqua disciplina, juxta quam jejunium ante Vesperarum tempus non frangebatur.

III. Cæteræ Horæ minores ab aurora ad meridiem, et probabilius etiam antea, seu a media nocte ad meridiem; sublata enim antiqua consuetudine, nulla alia lex, neque nova consuetudo onus imposuit eas ab aurora incipiendi. *(Ita Saett., Gury, n.* 63, *S. Ligor., Hom. Apost., t.* 3, *append.* 3, *n.* 74). Imo duæ posteriores etiam vespertino tempore dici possunt. —*Matutinum* vero, et *Laudes* a media nocte ad meridiem; imo hodie ex privilegio, et consuetudine pridie sub vespere, tempore, scilicet, quo proprior est sol ad occasum, quam ad meridiem recitare licet, prout in kalendario notari solet. *(Ita communiter cum S. Ligorio, l.* 4, *n.* 164).

IV. Quoad tempus, et horologia en responsio: Quæritur: 1.° *An fideles Neapoli in servando naturali jejunio, aliisque Ecclesiæ obligationibus, sequi debeant horologia horas indicantia juxta tempus medium romanum?* —2.° *An potius ea horologia sequi debeant, quæ verum tempus Neapolitanum signant?* —S. Pœnitentiaria, mature perpensis expositis, die 18 jun. 1873 respondit: *ad primam partem affirmative*,—*negative ad secundam.*

677. Q. *An iterari debeat Matutini recitatio, si ante prædictum tempus habita fuerit?*

R. Forsan hæc quæstio, nimium agitata, ab his D. Thom. verbis incrementum duxit: *Quantum ad ecclesiasticum Officium, et solemnitatum celebritates, incipit dies a Vesperis; unde si aliquis post dictas Vesperas, et Completorium dicat Matutinum, jam hoc pertinet ad diem sequentem.* (Quodlib. 5, art. 28 ad 1). (Intellige, si Vesperæ dicantur *hora propria*, ait *Del-Vecchio, n.* 34. Alias nec congruenter esset locutus D. Thomas; cum agatur de universali consuetudine, ac privilegio, circa quæ tantum conferre valet Ecclesiæ auctoritas). Ex allatis D. Thomæ verbis plures colligere volunt, hora 2.ª post meridiem, qua solent Vesperæ hodie recitari, posse etiam privatim Matutinum. Ita *Salm., t.* 16, *c.* 3, *n.* 15.

Ast retorqueri posset: 1.° quod antiquitus non hora 2.ª, sed sub occasu solis dicebantur Vesperæ; et tunc, supposita consuetudine, bene dici po-

terat: *Si aliquis post dictas Vesperas, et Completorium dicat Matutinum;* — 2.°, quod etiam juxta hodiernam consuetudinem, non potest recitari, nisi hora Vesperarum, quæ ut communiter traditur, est illa quæ subsequitur horam nonam, quæ est media inter meridiem et occasum; estque diversa pro diversis temporibus. *Ita S. Lig., n.* 174. Si autem anticipantur Vesperæ, non ideo posset valide anticipari Matutinum in veriori sententia, addit *Del-Vecc.* — 3.°, quoad consuetudinem ad legem derogandam sufficientem a pluribus allegatam, forsan non ita legitima erit; nam major, et sanior sacerdotum pars, ut in pluribus diœcesibus videre fas est, horis in tabella diœcesana se conformat; et quod aliqui, aliter se gerant, nihil consuetudini officit; tum quia constanti Ordinariorum præscriptioni, ac piorum sacerdotum praxi opponuntur; tum quia plures legis transgressores ipsam non abrogant, ut in non jejunantibus evenit;—4.°, quod si valet post dictas Vesperas Matutinum recitare, etiam in choro decantatas, omni tempore statim post meridiem recitare liceret, vel hora 12 cum quadrante, quo Vesperæ dici possunt; nam prætermissa lege, ac consuetudine universali, eadem est ratio, ac pro hora secunda post meridiem; — 5.°, quod dicitur de aliquibus regularibus, nempe privilegium habuisse, et hodie etiam postulare ad talem Matutini anticipationem, contrarium producit; nam eo ipso quod sit speciale privilegium, ob suas peculiares causas concessum, dicit id esse contra legem, ac communem regulam; et particularia privilegia ad communitatem, vel universalitatem non spectant. Unde recte ait Del-Vecchio, l. 2, n. 34: *In sententia autem veriori non esset tutus in conscientia qui illud pridie recitaret hora secunda post meridiem; neque enim certe probari potest talem adesse consuetudinem; ideo usquedum non probetur, possidet lex opposita,* quæ vetat recitare Matutinum priusquam incipiat dies ecclesiasticus; alias non habetur præscripta oratio. Ita *S. Lig., n.* 174, *cum plurimis aliis.* Et ad quid, vel qua ratione tanta præcipitatio, aut anticipatio?

678. Q. *An Matutinum, et Laudes ante Missam recitari debeant?*

R. Probabilius tantum sub levi; nulla quidem est connexio inter Officium, et Missam; nec videtur necessaria ad Missam dispositio. cum aliter se præparare possit sacerdos; nec gravis apparet hæc rubricæ obligatio; nam in rubrica Missalis, *l.* 1, *de præp. Sac.,* legitur: *Sacerdos celebraturus Missam,... saltem Matutino cum Laudibus absoluto, orationi aliquantulum vacet, et orationes inferius positas pro temporis opportunitate dicat.* Idem de Const. Innocent. IV, an. 1254. Unde concludit *S. Ligor., l.* 6, *n.* 347, ad controversiam definiendam... *Adsunt tres sententiæ. Prima dicit esse mortale... Secunda autem nullam in hoc culpam agnoscit... Tertia vero... communior, et probabilior... docet contra primam, id nequaquam esse mortale... contra secundam vero non excusari a culpa veniali.*

Quælibet ergo rationabilis causa ab omni labe excusare potest; v. gr., si populus, vel persona gravis spectat; vel quis a sacerdote postulans, ut Missam pro se celebret, exoptat, ut illico celebretur; vel si tempus celebrandi advenerit, nec differri possit, sine aliquo incommodo; vel major studii commoditas; aut ratione itineris, concionis, confessionis audiendæ, negotii, et similium. *(Gury, n.* 64, *S. Ligor., l.* 3, *n.* 13, *et l.* 6, *n.* 347, *cum communi).*

Q. *An quis impedimentum recitandi Officium ipsa obligationis die prævidens, recitare teneatur Matutinum, et Laudes vespere vigiliæ?*

R. Nega; quod enim vespere recitare omnes possint, est privilegium, non obligatio; et nemo *ex se* privilegio uti tenetur; secus jam esset onus. *(Gury, Ballerini, n.* 67).

679. Q. *Quænam causa ad Officii tempus invertendum requiritur?*

R. Cum de re levi humanæ legis agatur, saltem extra chorum, quælibet honesta, et rationabilis causa ab omni peccato talem inversionem excusat, modo tempore habili recitetur. Ita concio paranda, vel audienda, major devotio, quies, iter, studium, honesta visitatio, et similia sufficiunt. *Quando Officium dici non potest propter occupationes, melius est prævenire, quam tardare,* ait S. Antonin., *quia prævenire est providentiæ, tardare vero est negligentiæ. (Gury, Scavini, S. Ligor., l.* 4, *n.* 173). Imo probabilius neque in choro gravis est hæc inversio, eo quod non constat de gravi præcepto super hac re imposito.—Tamen obligatio saltem levis adest, ut Officium recitetur ordine debito, et statis horis a jure, vel consuetudine præfixis. *(Scavini, n.* 34).

680. Locus recitandi choro addictorum est ipse chorus, vel alius locus ad id designatus in ecclesia, ut fert ipsa institutio : ita quoad clericos ecclesiarum cathedralium, et collegiatarum constat ex *c.* 1 *de Celebr. Miss., cap. fin., Dist.* 92, *et ex Trident., sess.* 24, *c.* 12.

Qui privatim recitant, ubique recitare eis licet, etiam in curru, vel equo, itinere, modo locus attentioni requisitæ sit congruus, qui sæpe in curru, et in via ferrea non invenitur ob aliorum loquacitatem, ut merito dicit *Gury, n.* 69. - Seclusa rationabili causa, leve erit Horas recitare in lecto, vel in alio ejusmodi situ, ratione irreverentiæ. *Gury, n.* 70. Quævis tamen mediocris causa, v. g., morbus, defatigatio ab omni culpa excusat. Quoad loca immunda, *Sanch., Bon., Salmant., aliique,* contra *alios* nullam inveniunt culpam; cum enim Deus ubique sit, in nullo loco erit irreverentia illum orare. *Volo ergo viros orare in omni loco,* ait Apost. ad Tim. II.

681. Situs: quo nomine veniunt etiam rubricæ præscriptæ, velut signare, genuflectere, stare, et sedere, quæ in conscientia non obligant, si de recitatione extra chorum agatur; ex praxi siquidem, ac communi interpretatione rubricæ chorum tantum respiciunt, etsi laudabiliter ab omnibus serventur. *(Salm., Croix, Gury, S. Ligor., n.* 179).—Si de choro agatur, etiam controvertitur; quamvis probabilius obligare sub levi doceant *Viva, Scavini, Tour., S. Ligor., n.* 179; nam id præscriptum est in rubrica; sed quia, ut dicunt *Nav., et Viva, q.* 3, *a.* 5, *n.* 7, hæc rubrica tantum directiva est, non facile de peccato quis argui poterit.—Vana est quæstio, an quis in mortali existens onus recitandi adimpleat; nam eo ipso, quod oret juxta præscriptum ab Ecclesia, bene adimplere dicendus est.

CAPUT VIII.

De ordine Horas recitandi.

682. Horæ canonicæ sunt recitandæ ordine præscripto, *cum debita pronuntiatione, et devotione.—Duplex ordo* est servandus in Horarum recitatione, scilicet, *ordo Officiorum, et ordo Horarum.*

I. *Ordo Officiorum.* Officium recitatur currentis diei ad præscriptum

kalendarii propriæ diœcesis, juxta rubricas exaratum; neque quidem Episcopi propria auctoritate alia Officia kalendario addere valent, ex decreto *S. R. C.* ab Urbano VIII approbato, ad præcavendos abusus: qua in re a S. R. C., 23 maj. 1835, fuit postulatum: *An in casibus dubiis adhærendum sit kalendario diœcesis, sive quoad Officium publicum, et privatum, sive quoad Missam, sive quoad vestium colorem, etiamsi quibusdam probabilior videatur regula opposita kalendario? et quatenus affirmative, an idem dicendum de casu, quo certum alicui videretur errare kalendarium?* Responsum fuit: *Standum kalendario;* et merito, secus enim ordo perturbaretur.—Excipe, *nisi error evidens contra rubricas, vel decreta esset. (Ita S. R. C.,* 27 *aug.* 1836, *et* 23 *sept.* 1839).

II. *Ordo Horarum* est descriptus in ipso Breviario; scilicet, *Matutinum, Laudes, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperæ,* et *Completorium.*

683. Q. *An peccet qui Officium diei in aliud sponte mutat?*

R. I. Vel advertenter id agit, vel non. Si 1.^m^ *per se* utique leviter saltem peccat, vel etiam mortaliter, si in aliud notabiliter brevius mutet; in hoc quippe casu præceptum non implet, neque in sua forma, neque in æquivalenti. Unde Alexander VII hanc sub n. 34 damnavit prop.: *In die Palmarum recitans Officium Paschale satisfacit præcepto.*—Et tunc adest obligatio omissum compensandi, v. g. recitando etiam novem Psalmos ex 1.° Nocturno. *(S. Ligor., Scavini, Gury, n.* 76).

Si 2.^m^, modo in æquale, vel fere æquale mutatio fiat, ab omni culpa excusatur. (*Scavini, Gury, S. Ligor., n.* 161).—Idem si cum rationabili causa; v. g., quia proprium facile haberi nequit; non enim præsumitur velle Ecclesiam aliquem bis uno die obligare, cum jam implevit quoad substantiam.—Tamen si Officium recitatum sit notabiliter brevius, uti de Sancto, dominicæ loco, aliqua fiat compensatio, v. g. recitando novem psalmos ex primo nocturno: saltem id rationi consentaneum est. *(Scavini).*

II. Qui vero libere, et frequenter Officium mutat, graviter peccare docent *Spor., Viva, Ronc., aliique:* venialiter autem qui mutat raro, puta ter, vel quater in anno, modo mutatio non fiat in Officium notabiliter brevius; si autem fiat causa studii, itineris, infirmæ valetudinis, magnæ defatigationis, vel specialis devotionis erga aliquem Sanctum, nec veniale erit. Ita *Viva, Nav., Carden., Tamb.,* apud *Croix, l.* 4, *n.* 1251. Hanc sententiam *æquiorem puto*, ait *S. Ligor., n.* 161. Ratio, *quia ipsa libera, ac frequens Officii mutatio*, ut ait Layman., *evaderet gravis perversio ordinis.* Ita etiam *Scavini, Gury, n.* 76.

III. Item probabilius, et communius ab omni culpa excusantur: 1.° Qui alio pergit; Officium sane illius loci recitare potest, nisi sit religiosus.—2.° Capellanus Episcopi potest illi se conformare in Officio.—3.° Idem dicitur de capellano monialium circa Officium de Sancto ordinis.—4.° Recitans cum socio, ejus quidem ritui se conformare potest, sola societatis causa; saltem si mutetur in æquale, ut communiter dicunt *Ronc., Holz., Dian., Tamb., S. Lig., n.* 161.—5.° Beneficiarius potest recitare sub ritu primæ classis cum octava Officium sui tituli; et si duo habet beneficia, debet recitare Officium loci, ubi residet. *(Concina, S. Ligor., l.* 4, *n.* 161).

684. Q. *Quid agere debet, qui advertit se in Officio errasse?*

R. Vel in Officio diei *præteritæ*, vel diei *futuræ*, aut diei *currentis*

erravit.—Si 1.m, ad nihil amplius tenetur; translatio etenim festorum juxta rubricas fieri debet, et non ob alicujus errorem, uti declaravit *S. R. C.* 17 *jun.* 1673, referente *Bona.*—Si 2.m, illud repetere tenetur die, quo juxta kalendarium diœcesis occurrat, præfata ratione; nam per anticipationem adimplere nequibat futuram obligationem.—Si 3.m, et errorem advertat postquam multum processerit, ut si dixerit Matutinum, melius erit *recitare de proprio*, *ne errorem prosequatur*, ait *S. Ligor.*, *l.* 4, *n.* 161, *cum Croix, et Tamb.*, etsi prosequi valet juxta *Less.*, *Bonc.*, *Salm.*, *Vill.*, *Trull.*, etc.—Si vero oblitus est aliquam partem Horæ, sufficit illam partem recitare, ut dicunt *Croix*, *Nav.*, *Sanch.*, *cum communi.*—Secus probabilius si ex culpa partem notabilem omiserit, tunc totam horam repetere tenetur, ut oratio continuata sit juxta ritum. *(S. Ligor., ibid.)*

685. Q. *Quale peccatum sit ordinem invertere in Horarum recitatione?*

R. Vel agitur de *privata*, vel de *publica* recitatione.—Si 1.m, non excedit veniale, ordinem sine causa invertere; v. g. minores Horas recitare ante Matutinum, aut Vesperas ante Horas minores: talis quippe inversio nec substantialem, neque gravem deformitatem importat.—Et si ex aliqua causa fiat, v. g. ad complacendum amico, vel ob Breviarii carentiam, aut si Canonicus tarde ad chorum accedens, dicat Horas minores ante Matutinum, vel post Vesperas, nulla erit culpa. *(Scavini, Gury, n.* 17, *S. Ligor.*, *n.* 170, *cum communi).*—Si 2.m, probabilius grave non erit; nam de gravi præcepto non constat. *Ita S. Ligor.*, *n.* 171, contra *alios,* qui gravem inordinationem in hoc vident.

686. Q. *An sit peccatum Matutinum diei sequentis dicere ante absolutum Officium diei currentis?*

R. Nega probabilius; quia Officium unius diei nullam habet relationem cum Officio alterius. *Ita Gury*, *n.* 79, contra *Croix*, qui culpam levem esse dicit, etsi quælibet rationabilis causa excuset.

Q. *An peccet ille, qui commemorationes juxta ordinem per rubricam assignatum non dicit?*

R. Negant plures; nam rubrica illa mere directiva videtur, sicut eæ, quæ situm corporis, vel signa crucis respiciunt, ait *Gury*, *ibid.*

687. **Matutinum a Laudibus separari communius** potest, etiam sine causa, ut ait *S. Ligor.*, *n.* 167; imo melius est, addit *Concina*, si vespera præcedenti recitetur, et Laudes remittantur ad diem sequentem; quia conformius est hoc antiquæ consuetudini; sed tunc in fine adjici debet *Pater noster*, ut præscribit rubrica.—Disputatur de *oratione.* Præstat ut, cum separantur, initio Laudum præmittatur *Pater noster.*

Insuper etiam tres ipsi Nocturni probabiliter separari queunt, etiam sine causa; nulla enim lex in contrarium citari potest, saltem si inter hos non intercedant plus quam duæ, vel tres horæ, (sed quoad hoc intervallum statuendum deest solida ratio), juxta ritum antiquum, ut refert S. Thomas. Ita *Buss.*, *Bon.*, *Salm.*, *S. Lig.*, *n.* 167, *aliique.* Neque tunc *Pater noster* dici debet. *(Scavini*, *n.* 36).

Q. *An, si in eadem Hora, vel Psalmo magna fiat interruptio, tota Hora, vel Psalmus sit repetendus?*

R. Nega probabilius, et communius cum *Salm.*, *Bill.*, *Croix*, *S. Lig.*, *n.* 168; singuli equidem psalmi, et singuli versus completam habent significationem, et satis uniuntur per intentionem continuandi, vel per

ipsam recitationem adjunctam: licet venialiter peccet ille, qui ita sine ratione præscriptam ab Ecclesia unitatem rumpit. *Layman.*—Hinc qui hodie incepit Matutinum, illud complere in crastino sine peccato gravi valet, etsi differat sine causa; cum ad mortale vitandum sufficiat, ut in die naturali recitetur. *(S. Ligor., n.* 168, *cum communi).*

688. Justa separationis causa est quælibet utilitas propria, vel aliena, uti fatigatio, somnus, urbanitas, devotio, Missa, obedientia, confessio, vel Communio administranda, aliquid agere, vel notare, ut tollatur distractio, vel sollicitudo, ne obliviscaris, modo id frequenter non fiat.—Licet etiam interponere aliquam brevem orationem, vel affectum inter ipsam Breviarii recitationem. (Ita *Anacl., Gobat., etc.*—Tamen nihil addendum est ut Officii pars: ita declaravit *S. Rit., Cong.*, 10 *jan.* 1690, et consultius, nec uti privata devotio, ne confusio introducatur.

CAPUT IX.

De modo Horas recitandi.

689. Q. *Quomodo recitandæ sunt Horæ?*

R. Ex Lateran., sub Innocent. III, ex antiquissima consuetudine, et ex lege scripta juxta illud Concilii Romani: *Districte præcipientes in virtute obedientiæ, ut divinum Officium nocturnum, pariter ac diurnum, quantum eis dederit Deus, studiose celebrent, ac devote;* constat quidem *ore,* ac *mente* orare deberi. Unde: 1.° Certum est quod oratio proprie vocalis præcipitur, et talis proprie non erit, nisi distincte fiat: onus ergo non adimplet, qui sola mente, vel oculis percurrit, vel gutture, vel intra dentes, aut syncopando, linguave titubante, abbreviando, legit. (Ita *Gury, n.* 81, *cum communi).*—Tamen sufficit, ut revera formetur aliquis verborum sonitus, etsi modicus, et vix sensibilis.—2.° Probabilius, et communius recitans non tenetur se ipsum audire, ut satisfaciat; siquidem non præcipitur auditio, sed tantum recitatio; et per accidens se habet, quod non se audiat; sufficit ergo, ut recitans conscius sibi sit, se verba pronuntiare. *Lay., Spor., Salm., Gury, n.* 92, *aliique*, et hoc *sat probabile* dicit *S. Ligor., n.* 163, contra *Suarez*, etc.

690. Q. *An recitans cum sociis repetere teneatur, quæ non satis auribus perceperit?*

R. 1.° Necesse non est in choro omnes audire; sed sufficit audire unum, et in confuso saltem partem alterius chori. Ita *Salmant, n.* 24, qui testantur hoc doceri fere ab omnibus, et certum id vocat *D. Lig., n.* 165.—2.° Docet Innocent. IV, *c.* 9 *de celeb. Miss.*, quod, *si in choro omittas aliquod dicere verbum, non peccas; chorus enim supplet.*—3.° Excusatur a repetendo quod non bene perceptum fuit, si id propter alienum strepitum, vel chori, aut socii culpam contingat; per illam quippe societatem, ac suam applicationem quisque moraliter cum aliis communicat, ac omnes simul Deo laudes offerunt. Aliunde ex Ecclesiæ benignitate ita est interpretandum. Secus anxietatibus locus fieret. *Siquis Lectionem, vel aliud, quod in choro legitur, non intelligat propter legentis ineptitudinem, non peccat, dummodo conetur intelligere saltem verba,* ait

S. Anton., 2 *part.*, *tit.* 9, *cap.* 12. *Hæc opinio videtur satis probabilis*, addit *S. Lig.*, *n.* 165, cum *Salm.*, *Scavini*, *et communi.*

691. Q. *An satisfaciat surdus, qui ex obligatione choro assistit, et suam tantum partem recitat?*

R. Negant probabilius *Pal.*, *Sanch.*, *Elb.*, *Salmant.*, *aliique*, contra *Suarez*, *Escob.*, *Ronc.*, *et Sa.*; nam ille communicare, neque in confuso, cum choro potest; excipe si inaudita submissa voce repetat; tunc etiam distributiones lucratur; quia sic revera facit quantum est in se, et præsentiam habet. (Ita *S. Ligor.*, *l.* 4, *n.* 165). Satisfacere dicunt surdastrum, qui possit aliquoties audire, et præstet attentionem, quam potest. *Salm.*, *Elb.*, *Tamb. Et hoc probabile est,* ait S. Ligor., n. 165, *saltem si advertat in Breviario, quæ in confuso audit, ita ut bene percipiat quæ dicuntur.*

692. Q. *An liceat in Officio recitando socium suscipere syllabas mutilantem?*

R. I. Nega, si in notabili parte certo mutilet; nam tunc sponte suscipiens in omissionem mutilatam consentit, quod saltem veniale videtur: secus si de mutilatione dubitetur: præsumptio enim stat in sui favorem. —Si vero a superiore, vel persona gravi ad id invitetur, excusari poterit, modo repetat quod certo scit esse mutilatum, si in notabili parte sensus sit mutatus.

II. Certo non satisfaciunt, qui alternatim recitantes, non spectant versus absolvi, si hoc in magna parte fiat; tunc non adest quidem successio, nec auditio, nec unio moralis, neque materialis, sed pugna verborum, quod non benedictionem, sed divinam maledictionem meretur, juxta illud: *Maledictus, qui facit opus Domini fraudulenter.* (Jerem. XLVIII).

Et non parum peccant qui, natura balbutientes, præcipitanter recitant, verborum sensum notabiliter syncopando; sane tunc vitium libere recitationis substantiam afficit. Secus si *studiose* recitent, vel quando servatur aliqua significatio verborum, vel malum habitum emendare serio student. (*Gury, n.* 89, *Scavini, S. Lig., n.* 166, *cum communi.*)

693. Q. *Qui cum sociis recitat, tenetur in omnibus alternare?*

R. Commune est satisfacere: 1.° Qui a socio audit *lectiones, responsoria, capitula, antiphonas*, et *orationes*. — 2.° Tenent probabiliter *Scavini*, *Pell.*, *S. Lig.*, *n.* 162, *et alii* satisfacere et illos, qui soli *psalmos* dicunt, et audiunt *lectiones;*—vel soli psalmorum partem dicunt, et partem cum socio; quia satis communicant ex usu recepto, in eo quod audiunt.

Q. *An satisfacias, si recites cum laico, vel cum non attento, aut distracto?*

R. Affirma; hæc siquidem non obstant, quominus tu Horas recites cum tua attentione, et juxta Ecclesiæ morem. Socius, si esset obligatus, ipse peccaret ex communicationis defectu; sed tuam communicationem cum eo non impedit, modo recte dicat, et bene audias. *(Gury, n.* 88).

694. Q. *An qui cum aliis choraliter Officium recitant, supplere teneantur omissa, si dum alii cantant, ipsi se ad celebrandum præparent, aut libros transferant, requirant psalmos, thurificent, campanas, vel organa pulsent, vel alia in choro necessaria agant?*

R. Negant communiter, et probabiliter *Azor.*, *Croix, Laym.*, *Gury*, *S. Lig.*, *n.* 143, contra *alios;* tunc enim totus chorus pro eo supplet; nam omnes in unum conveniunt, et ad eam solemnitatem cooperantur.— Item probabiliter dic de eo, qui dum alii recitant, tussit, vel excreat, etsi

integer interim dicatur psalmus; etsi privatim cum socio recitet, addit *Ballerini.*— Secus dic de eo, qui alternatim choro tantum respondet, organum pulsando, quin versus suæ partis proferat; vel qui tantum musicos, dum canunt Horas, audit; organa equidem verba non proferunt, et musicos audiens, oraliter non recitat: excipe, si hi etiam canerent, et devote cum ipsis alternaret. (*Scavini, p.* 557).

695. **Intentio** requiritur etiam in Officii recitatione, cum sit oratio a ministro publico ab Ecclesia deputato; nam elevatio mentis ad Deum sine intentione, ac attentione convenienter fieri nequit.

Q. *Quid, et quotuplex est intentio?*

R. I. Intentio est *volitio aliquid faciendi.* — II. Alia est *explicita,* alia *implicita;* 1.ª est, qua quis ab initio in mente dicit: *Volo recitare;* — 2.ª vero ea est, qua id non cogitat nisi virtualiter, v. g., dum recitare volens juxta præscriptum, sumit Breviarium, vel incipit. Hæc porro sufficit; nam alia non semper in nostra potestate est.

696. **Attentio** est *mentis applicatio ad aliquid,* seu *ad id quod agitur.*—Duplex est, alia *interna,* et alia *externa:* 1.ª consistit *in interiori mentis advertentia ad aliquid.*— 2.ª vero ea est, *quæ excludit omnem externam actionem physice incompatibilem cum eo, quod agitur;* uti confabulari, scribere, ridere, aurem aliis sermonibus præbere, magna animi attentione aliquid diversum agere, et similia.

Attentio dividitur: 1.º in actualem, *quæ est;*—2.º in virtualem, *quæ fuit, et in aliquo moraliter perseverat;*— 3.º in habitualem, *quæ fuit, sed in nullo effectu permanet;*—4.º in interpretativam, *quæ esset.*

Rursus *tripliciter* distinguitur attentio, nempe *spiritualis, litteralis,* et *materialis:* 1.ª est ad Deum ipsum, ut orationis terminum, v. g., meditando ejus attributa, vel passionis mysteria; — 2.ª est ad verborum significationem; — 3.ª tantum est ad verba rite proferenda. His positis:

I. Non requiritur attentio interna *actualis*, neque *spiritualis,* neque *litteralis*, etsi optimæ, et desiderabiles; nam de facili haberi nequeunt. Nec sufficit attentio *interpretativa,* neque *habitualis;* non sunt quidem hominis humano modo agentis.

II. Requiritur utique sub gravi, et sufficit attentio *materialis,* simul ac *interna superficialis;* seu moralis, et generalis conjuncta cum intentione saltem implicita orandi, et Deum colendi; non vero ad singula omnino verba, quod impossibile sæpe foret; nec requiritur attentio explicita oneri satisfaciendi; nam operam humano modo ponere sufficit. Ratio: quia Breviarium est oratio vocalis; animi oratio est elevatio mentis ad Deum; ideoque oralis vocis sonus, conjunctus cum aliquali attentione interna, et verbali, erit vera oratio, seu elevatio mentis ad Deum.

—Ex his patet optimam esse hanc orationem, etsi a monialibus fiat, quæ verborum sensum plerumque non intelligunt; nam ut ait Angelicus, *Primo est attentio ad verba, quibus petimus, deinde ad petitionem ipsam... et quæcumque harum...* adsit, *non est reputanda inattenta oratio.* In 4, dist. 15, q. 4. — (*Ita Gury, n.* 91, *et* 92, *Scavini, n.* 42, *Croix-S. Ligor., n.* 176).—Sic habetur 1.º quod exigit Trident., dicendo, Officium esse recitandum *reverenter, distincte,* et *devote.*—2.º Quod sit oratio juxta humanum præscriptum, nempe, facilis communitati.—3.º Quod excludat externos, ac incompatibiles actus.—4.º Demum quod non vitietur a voluntariis distractionibus.

—Tamen omittendum non est quod de *interna*, ac *externa* attentione, ac de diversis sententiis ait D. Ligorius: *Prima sententia* (quæ stat pro interna) *probabilior videtur, saltem ob auctoritatem extrinsecam, et omnino ut tutior consulenda est: sed secunda* (quæ pro externa stat) *tum ob Doctorum auctoritatem, tum ob rationes non levibus fundamentis innixas, satis probabilis apparet.* (S. Ligor., n. 177).

697. Remedia ad depellendas distractiones alia sunt *negativa*, alia *positiva*. —I. Negativa sunt *subtractio eorum, quæ distractiones pariunt,* uti oculorum, aut aurium libertas, hominum concursus, præsertim quando eorum verba distincte percipiuntur, quæ necessario distrahunt; diversa negotia præparare; de negotiis, vel confabulationibus illico ad recitationem inconsiderate transire, et similia; alias voluntariæ erunt distractiones; nam recollectio sensuum devotionem excitat, nutrit, ac conservat.

II. Positiva vero sunt *procuratio eorum, quæ ex se attentionem excitant;* ut ab initio intentionem laudandi Deum efformare, eam in fine psalmorum renovare; Dei præsentiam sæpe in mentem reducere, et cum Jesu-Christo in horto orare, ac confabulari, vel cum V. Maria juxta crucem Jesu condolere, sibi hæc in mentem referre. Ad id nos excitant illa tam repetita verba : *Tibi, te, tuos, tuas, tua*, nempe *mandata, justificationes, vias, judicia, etc.*, nam Deum, et cum Deo fere semper alloquimur. Item animo concipere ex una parte adstare nobis Angelum custodem, qui merita notat; ex altera dæmonem, qui demerita scribit. *(S. Ligor., n.* 177).

III. Unde commune est, quod si quis, advertens se distractionibus teneri, adhibeat contra illas mediocrem diligentiam, nullo modo peccat.—Imo ut dicatur ob distractiones minime aliquem satisfecisse, requiritur non solum ut se distrahat, sed insuper ut plene advertat se in notabili materia distrahi ab Officio, nisi agatur de babituato in hisce admittendis distractionibus, qui nunquam satisfaceret ad habitum vincendum; nam intentio prius deliberate concepta Horas bene recitandi, perseverat quousque non retractetur per contrariam advertentiam plenam circa ipsas. *(Ita Sanch., Salm., Suar., Scavini, n.* 199, *S. Lig. n.* 175, *cum communi).*

—Hic præterire non expedit sequens monitum; quod sæpe nimia in verbis proferendis anxietas, et hæsitatio non parum devotionem impedit; unde melius erit absque ulla hæsitatione, et sollicitudine accurate tamen decurrere, neque examinare quomodo processerit; quod maxime scrupulosis interest, certi quod Deus magis honoratur cura moderata, quam agitata; nam Deum uti benignum Patrem honorare tenemur omnes. Item ne quid repetant, nisi certo constet male dixisse; tum quia libertas in possessione est; tum quia Ecclesia pia Mater filios anxios, et meticulosos non vult, sed quietos, hilares, ac devotos. *(Scavini, p.* 561).

CAPUT X.

De causis a recitatione excusantibus.

698. Causæ ab Officio excusantes sunt *impossibilitas*, *charitas*, *dispensatio*. – Impossibilitas alia est *physica*, et alia *moralis*.

Impossibilitas physica est *infirmitas*, *cæcitas*, ac *Breviarii inculpata carentia*.—I. *Infirmitas*: Hac excusantur ab Officio, non solum qui actu morbo gravi laborant, sed etiam qui absque ejusdem gravi periculo, vel incommodo recitare nequeunt; v. gr. gravis febris, doloris capitis, intestinorum, etc., vel qui juste timet, ne ob Officii recitationem ei notabilis capitis gravedo, vel stomachi cruditas, aut lassitudo virium obveniat; vel si credat febrim tardius esse remittendam. In *cap. Clericus*, 2 *Dist.*, 91, dicitur, quod excusat ab Officio *inæqualitas corporis*, quod non significat morbum gravem, *ut bene advertit Croix*, *l.* 4, *n.* 1224, addit *S. Lig.*, *n.* 154.—Idque probabiliter tenent, etsi infirmus per magnam diei partem libros ad animum solandum legat; nam hi attentionem non ita gravant, ut devota recitatio *(Ita Sanch.*, *Salm.*, *S. Lig.*, *ibid.*, *aliique non pauci.)*

Convalescens per aliquot dies ad viri prudentis arbitrium, donec vires reficiantur, excusari poterit, etsi Missam jam celebret; hæc enim non ita aggravare solet.—In dubio medici, vel superioris, aut viri prudentis judicio, acquiescere valet; imo probabiliter proprio judicio stare, si tale judicium ipsemet ferre queat. *S. Lig.*, *ibid.* Levis infirmitas, ut dolor stomachi, aut pectoris, vel etiam aliquando febris tertiana, vel quartana non excusat, cum toto die non affligat, vel majore diei parte. Ita *Sanch.*, *Tamb.*, *Trull.*, *Salm.*, *n.* 35, *et alii.* Sed quid si, hisce præmissis, adhuc dubium perseveret? *Si dubium sit quod recitatio graviter lædat*, *tunc certe non tenetur*, *imo nequit recitare; quia præferendum est jus naturale servandæ valetudinis præcepto Ecclesiæ*, ait *D. Lig.*, *l.* 4, *n.* 154, *cum communi.* Si vero dubium tantum sit, an indispositio pertingat ad excusandum, *tunc*, *cum lex recitationis possideat*, *et dubium sit de exemptione*, *utique lex est implenda*, ait *S. Lig.*, *n.* 154, addens: *Hoc tamen currit quando* sit *purum dubium; secus*, *si sit probabile judicium.* Ita *cum communi.*

II. *Cæcitas;* hæc veram constituit impotentiam; idem de oculorum morbo dicatur, si visum impediat.—Tamen si quis Officii notabilem partem memoria teneat, uti parvam Horam, illam recitare debet; nam est illi bene possibilis; sed non adstringitur ad cæteras Horas memoriter addiscendas; esset quidem onus extraordinarium. *S. Lig.*, *n.* 158.

III. *Inculpata Breviarii carentia*, si nec illud possit quis sibi comparare sine gravi incommodo. Si quis culpa sua Breviario careat, quia oblitum, vel perditum, aut projectum habet, tot committit peccata, quot omissiones prævidit.—Interea sub gravi recitare tenetur quod memoria retinet, si recitare potest quantum est parva Hora, ut supra: secus ad nihil tenetur, neque sub levi; quia modicissima pars seorsum sumpta, æstimabilis non censetur ad finem legis.—Si habeat Officium commune, non vero diei, ad illud tenetur; satis enim substantiam implet. *Scavini*, *S. Lig.*, *n.* 155 et 158, *cum communi*, contra *Pal.*, *Fil.*, *Garc.*, *Tamb.*,

et alios excusantes eum, qui psalmos habet, non vero lectiones Matutini quia psalmi non sunt Hora canonica, ad quam teneatur clericus.

699. **Impotentia moralis** erit *quando ratione gravis damni, vel ejusdem periculi non possit quis recitare in toto, vel in parte;* ut siquis persecutionis tempore, vel inter hæreticos, aut infideles morans, ex Breviarii recitatione prudenter timeat, ne prodatur, et furores, odia, ac persecutiones in se excitet; nam lex humana non obligat cum gravi damno. Tamen si partem notabilem implere possit, quia memoria eam tenet, vel aliquod tempus securum habet, ad illam tenetur, ut supra. Unde damnata est ab Innocent. XI hæc sub n. 54 prop.: *Qui non potest recitare Matutinum cum Laudibus, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur; quia major pars trahit ad se minorem. (Gury, S. Ligor., n.* 158).

700. Q. *An sub gravi socium adhibere sibi teneatur qui non valet solus Horas recitare?*

R. Affirma, si facile invenire queat socium gratuitum, maxime si legere soleat cum socio; quodcumque enim grave præceptum implere debet mediis ordinariis, quale est sæpe socium adhibere.—Secus si illum invenire non possit sine stipendio, vel nisi cum anxietate, ac magna sollicitudine; esset enim extraordinarium medium, cum nihil debeat ob officium, qui nihil ab officio percipit. *(Scavini, n.* 202, *Suar., Salm., S. Ligor., n.* 158, et communiter contra *Dianam).*

Q. *An teneatur beneficiatus socium conducere ex fructibus beneficii*

R. 1.° Si fructus bona fide jam perceperit, potest eos retinere; in dubiis equidem melior est conditio possidentis. – 2.° Si adhuc fructus non percepit, et percipere velit, socium sibi adhibere ad recitandum debet, nam in dubio fructuum possessionem inchoare nequit. (Ita communius et probabilius cum *Less., Con., Sot., Tour., Scavini, ibid.)*

701. Q. *Quid de eo, qui certe non potest totum Officium recitare ob suam infirmitatem, et dubitat, an possit partem?*

R. 1.° Si absque anxietate notabilem partem recitare queat, ad eam probabiliter tenetur; quippe obligat tunc lex certa, ac possibilis.– 2.° Si vero anxie dubitet, an partem possit notabilem, probabiliter, et rationabiliter ad nihil tenetur, cum aliter scrupulis, et anxietatibus opprimeretur nesciens quousque possit, aut non possit recitare; quæ inquietudo magnum incommodum suæ saluti afferre facile posset, maxime si ex recitatione verisimiliter crederet capitis gravedinem contrahere, virium lassitudinem, aut tardiorem febris remissionem. Unde ait *Billuart: Si dum non possint totam legem implere, tenerentur ad partem, foret locus gravissimis scrupulis, et continuæ perplexitati in determinanda parte ad quam tenentur; et ideo jure præsumitur de mente æqui legislatoris, quod non velit in similibus casibus obligare ad partem.* (Ita etiam *Lugo, Nav., Sanch., Viva, S. Ligor., n.* 154, *cum communi*).

702. **Charitas** erga se, vel proximum: porro naturale charitatis præceptum legi ecclesiasticæ prævalet.—Intellige tamen, cum non potuit præveniri, aut differri, neque omitti sine gravi scandalo, vel damno proprio, aut alieno, Officii recitatio.—Hinc excusari poterit 1.° Parochus vel alius sacerdos, qui tota die in sedandis jurgiis, infirmis assistendo v. g. tempore contagii, audiendis confessionibus, quæ ob peculiares circumstantias differri non possint, puta in sacris missionibus.—2.° Si absque scandalo, vel infamia concionem omittere non posset, nec aliu

eam præparandi suppeteret tempus, si Officium esset recitandum.— 3.º Si Vesperas, v. gr., recitaturus, statim ad infirmum advocetur, neque ad Officium persolvendum tempus ei supersit. (Ita *Scavini*, *Gury*, *S. Ligor.*, *n.* 156).—Non autem excusantur qui studio vacant. Contraria prop. est damnata ab Alexandro VII, sub n. 21.

Qui vero occupationes, vel infirmitates prævidet, Officii recitationem prævenire tenetur, si manet sub vi præcepti, sicut, qui in die festo non potest circa meridiem audire Missam, anticipare debet, etsi mane Vesperas recitet. Ita *Concina, S. Ligor, n.* 155, *cum communi*. Secus valde probabiliter dicunt de Matutini recitatione in vigilia; cum adhuc non manet sub vi præcepti, sed tantum privilegio gaudet. Tamen rarissime prædicta evenient.

703. **Dispensatio** a legitimo superiore, quæ raro petenda, et rarissime consulenda erit. Hanc concedere absolute, etiam cum beneficiato, et valide in omni casu, potest Papa, cum agatur de lege tantum ecclesiastica; licite ex sola rationabili causa, v. gr. ob nimias occupationes, vel scrupulos, vel quasi impotentiam.

— Episcopus dispensare ab Horis potest cum aliquo particulari ad tempus, (sed non valide sine sufficienti causa), nempe, 1.º si dubitetur de morali impotentia, aut de gravitate damni metuendi; — 2.º quando est difficilis recursus ad Papam; — 3.º cum agitur de causa frequenter occurrenti; uti de morbo, vel petitur ad breve tempus. (*Gury*, *S. Ligor.*, n. 159). – Hanc facultatem etiam per Vicarium generalem exercere potest Episcopus, si ei ipsam committat. (V. n. 176).

Major Pœnitentiarius super recitatione Horarum propter aliquam impossibilitatem, seu moralem difficultatem, dispensandi cum commutatione in alias pias preces..., vel pia opera..., habet facultatem, ait Benedict. XIV, in Bulla *Pastor bonus*. – Quæ opera si omittantur, beneficiatus non faceret fructos suos, ac si Officium omitteret: commutatio quidem reddidit faciliorem, sed non abstulit conditionem faciendi fructus suos.

CAPUT XI.

De iis quæ clericis prohibentur.

704. I. **Arma offensiva, et defensiva extra necessitatis casum** gestare clericis prohibetur jure canonico; tum ob eorum characterem, et Christi exemplum, qui fuit *mitis et humilis corde;* tum ob eorum proprium officium, quod est arma spiritualia versare. *Clerici arma portantes, et usurarii excommunicentur.* (*Glossa in c.* 23, *q.* 5, *miles*, *etc.*) (*Decret. Greg.*, *l.* 3, *t.* 1, *de vita et honest.*). Ideoque unanimiter docent *AA.* cum Benedict. XIV (*Notif.* 101), clericos in sacris constitutos graviter peccare, si militiam extra necessitatem voluntarie amplectantur. *Extra necessitatis casum;* nam necessitas legem non habet. Unde licet arma gestare ad propulsandos hostes irruentes, vel ad se præcavendum in itinere. – Item clerici, ut ex variis juris canonici textibus constat, bellum justum suadere, arma præbere, exercitum conscribere, ad strenue pugnandum hortari, et si temporalem habent jurisdictionem, bellum indicere valent; non tamen

personaliter ducis officio fungi, et arma gestare. *(Gury, n.* 103).—Item in justo bello defensivo, si laici non sufficiant, partem sumere activam ad defendendam Ecclesiam, ac patriam, ratione boni communis; tunc cessat equidem jus canonicum, quando obligat jus naturale, et divinum. Et juri divino non repugnat; nam sacerdotes licite pugnabant in lege veteri. *(I Mach.* v*).* (V. n. 274).

705. II. **Negotiatio proprie dicta, seu lucrativa**, quæ habetur quando aliquid emitur animo illud idem non mutatum carius vendendi, (ut essent libri, vinum, triticum, cambium activum), sub gravi religiosis, et clericis in sacris vetatur a jure canonico. *(Decret. Greg., l.* 3, *t.* 1, *Ne cler., vel mon., c.* 6, *et Trident., sess.* 22, *c.* 1, *de R.)* Quod, 25 febr. 1741, Bulla *Apostolicæ* Benedict. XIV extendit etiam *ad clericos illicite sub alieno laici nomine quomodolibet negotiantes.* Ratio, quia talis negotiatio est *ordinata ad terrenum lucrum; cujus clerici debent contemptores esse;* ut ait *Angelicus,* 2. 2, *q.* 77, *a.* 4; tum quia ipsorum animum nimis sæcularibus curis implicat; tum propter frequentia negotiatorum vitia, scandala, vel pericula, et dedecus in clerico: unde venialiter peccare dicunt, qui bis, vel ter in levi, vel semel in gravi negotiatur; nam jura habitum indicare videntur, et non actum. (*Del-Vecchio, n.* 423*).* Id rursus prohibuit Clemens XIII Bulla *Cum primum,* addens quod si adsit familiæ necessitas, vel negotium obveniat titulo aliquo a laicis, adhuc clericus negotiari nequit sine Sedis Apostolicæ in Italia, vel Episcopi licentia extra ipsam.—Usus, et consuetudo (ex *Alasia*) ecclesiasticis negotiari permittunt, modo per se negotium non exerceant, si una cum fratribus in partis negotio succedunt.—Dicunt tamen probabilius, et communius licere clericis negotiari ratione gravis necessitatis conservandi decentem statum pro se, aut suis, et conducere etiam terras clericorum, non autem laicorum, si tamen amoveatur scandalum, omnisque indecentia; sane leges humanæ non obligant cum gravi incommodo; et id probant *ex l.* 3, *Decretal. de cler., vel mon. c. Multa, etc.* Sed ne facile fingatur ista necessitas, pro praxi recte dicunt recurrendum ad *S. C. C.* pro licentia, cujus quidem exempla plura referunt Analecta anno 1864. *(Del-Vecchio, n.* 426, *S. Ligor., l.* 3, *n.* 831).

Q. *Utrum sit licitum ecclesiasticis personis titulos super vias ferreas emere, lucrumque ex ipsis proveniens accipere?* R. S. Cong. Officii, 1 apr. 1857, *Sanctissimus concessit facultates Episcopis communicandas per S. C. Ep. permittendi ecclesiasticis, ut accipiant actiones hujusmodi de propria pecunia tantum.* Quæsitum fuit a S. C. Regul. an *permittatur clericis in sacris, vel beneficiatis sumere actiones a campsore?—Quatenus negative an sit petendum indultum a S. Apostolica?* S. C. Regul. 30 jan. 1846 respondit ad 1.m *non licere, ad* 2.m *provisum in primo.*

Q. *An moderator alicujus diarii religiosi tuta conscientia dare id possit sacerdotibus sub conditione Missas celebrandi pro respondenti pretio, quod ab aliis solvitur?*—S. Pœnitentiaria 6 oct. 1862 respondit: *Affirmative, dummodo Missæ celebrentur.* (V. T. 11, n. 639).

Negotiatio lucrativa distinguitur etiam in *œconomicam,* qua emuntur necessaria ad sustentationem, et venduntur superflua, et in *artificialem,* qua aliquid emitur, ut per industriam vendatur mutatum. *Prima* licita est; cum prudentia, ac necessitas eam suggerit; et si quid inde lucratur, per accidens evenit.—Item *secunda;* nam ut ait *Angelicus,* sic

agere non est proprie negotiari, sed *præmium sui laboris accipere* (2. 2, q. 77, a. 4, ad 1). Et Apostolus hoc modo victum sibi comparabat. (Act. XVIII). Unde licet clerico *per se* 1.° colores, aut lanas emere, et picturas, postea pannum vendere; modo operarios ad hoc efficiendum non conducat, sed ipse suis manibus illa conficiat;—2.° animalia in suis prædiis alere, et vendere lac, lanam, fœtus, aut ipsa animalia saginata; imo pro se, et sua familia sustentanda operam dare arti sericæ, arborum foliis utendo, dummodo in artificio hujusmodi personas non suspectas adhibeat, et etiam laico id concedere eo pacto, ut inter utrumque dividatur lucrum; item posse retinere, et locare boves, et alia animalia, quæ habet ex successione, vel decimis, et similia;—3.° proprios agros colere, et fructus vendere; sed agros, vel prædia aliena in hunc finem conducere, vel animalia emere, eaque locationis, aut societatis titulo conductori, aut socio tradere, ac lucrum inde percipere, a sæculo V prohibuit Concilium *Chalced.*, et *S. C. C.*, 7 *oct.* 1662, censuit non licere, etsi vera negotiatio non sit. (*Decr.* 2.ª *pars, Dist.* 86, *c. ult.*, *Scavini*, *p.* 243). Videant ergo clerici, ne alienis negotiis se immisceant, aut per nundinas, vel mercatus discurrant sine rationabili causa; nam hæc non sine gravi decoris sui detrimento sæpe fient. Ite *Syl.*, *Navar.* Pœnæ in negotiatores sunt lucri confiscatio, excommunicatio, suspensio ab officio, ac depositio a gradu, et ordine, omnes tamen ferendæ sententiæ.

706. III. **Officia tutoris, curatoris, aut procuratoris minorum,** et quodcumque aliud publicum ministerium, quod eos ad reddendam rationem de bonis administratis obliget, clericis beneficiatis, vel in sacris passim prohibetur jure canonico, nisi pupilli, vel minores essent proxime conjuncti. Et ob hanc causam clericus quoadusque, deposita administratione, idoneam fidejussionem de suis gestis præbeat, fit irregularis *(ex C. unic. de Obl. ad ration.)*. At si clericus administrationem suscipiat post ordinationem, etsi peccet, non tamen irregularitatem incurrit, sed suspensionem *ferendæ sententiæ* ab officio, a qua excusat ignorantia *(ex citato C. sed nec* 4 *de Cler. vel Mon.)*. Hodie tamen minoris tutela suscipitur ab ecclesiasticis sine ullo discrimine. Libere item suscipitur executoris testamentarii officium, etsi rationes reddendæ sint. *(Del-Vecchio, l.* 1., *n.* 577).

Administrare bona laici privati miserabilis, cum obligatione reddendi rationem, item clericis prohibetur. Cæterum non auderem de mortali damnare clericum, si ministeria sua ob hoc non negligeret, maxime si id fiat ad decentius statum suum, et familiæ conservandum; quia jus loquitur de eo, qui in hujusmodi procurationibus ita se immergit, ut sua ministeria negligere cogatur. *Scavini*, *n.* 427. *(C. sed nec* 4 *ne Cler. vel Mon.*).

707. IV. **Judicis officium in causa sanguinis; item militis, advocati, procuratoris, notarii in curiis sæcularibus,** nisi clericus suam agat causam, vel Ecclesiæ, egeni, vel personæ sibi ad 4.^m usque gradum conjunctæ. Tamen, justa interveniente causa, aliquod publicum etsi politicum officium obire possunt clerici, v. gr. senatoris, vel deputati ad consilia gubernii: sane ex historia constat, rem civilem, ac religiosam sæpius prudentia, scientia. ac tutela clericorum, qui erant in publicis consiliis stetisse. Revera facilius est obstare, ut condantur injustæ leges, quam jam conditis mederi. Hinc Trident., *sess.* 23, *c.* 1, *de R.*, dum vult

prælatos residere, addit, *nisi cum absentia inciderit propter aliquod munus, et reipublicæ officium.* Sed quoad hæc videatur semper superioris voluntas, ac venia.

708. V. **Medicorum, et chirurgorum** ars clericis in sacris prohibetur. Eodem jure prohibetur eis ars quælibet, quæ honestatem sui status dedeceat, uti ars tabernaria, jaculatoria, macellaria. *(Scavini, Gury, n.* 98). (V. n. 294).

709. VI. **Alearum ludus** clericis, saltem beneficiatis, et in sacris constitutis, expresse prohibetur in Lat. IV (Can. x), dicenti: *Clerici ad aleas, et taxillos non ludant, nec hujusmodi ludis intersint.* Ratio, quia totus in pura sorte stat, unde illius exitus a simplici casu pendet, non ab industria ludentis; et indignum est quod manus, quæ Sacramentum contrectant, aleas tractent, ut probat *S. Cyprianus. (C. de aleatoribus).* Alea inventa est, juxta Isidorum, in otio Trojani belli a quodam milite, nomine *Alea.* Si vero agatur de aleatore publico, consentiunt omnes eum graviter peccare, si in magna quantitate ludat, aut in modica, sed frequenter; nam id graviter statum clericalem dedecet, ac nimium animus avocatur a divinis; secus venialiter tantum, ut dicunt *Gury, n.* 101, S. *Ligor., l.* 3, *n.* 836, *Scavini, p.* 247.—Imo nec venialiter, si ludus fiat moderatæ recreationis causa; non enim videtur inordinatio aliqua. *(Gury, ibid., cum communi).* — Excipiunt aliqui regularem, et Episcopos; quia difficulter a gravi scandalo excusari possunt. Item dicunt de aliis ludis, si frequenter in iis versentur, cum hoc ipsis nimis indecens videatur. (*Scavini, ibid.*).—Tamen clericos tantum assistentes illis ludis aleatorii communiter admittitur non graviter peccare, cum ex se non videatur gravis inordinatio, nisi sint causa ludi graviter vetiti, vel illicite ludentes corrigere negligant, vel agatur de Episcopis, qui ex proposito frequenter assistant, ratione gravis scandali; vel de eo qui, veste exuta, sæculari libertate procax, bibens, perstrepens, etc., pila ludat; ratione scandali, incuriæ munerum suorum, lucri cupiditate, difficulter iste a gravi excusari potest. Propterea confessarius severissimus cum ipsis erit, sciens quod noceret indulgentia, merito ait cl. *Frassinetti.*

VII. **Chartarum ludus**, si sit puræ sortis, jam patet de eo esse dicendum quod de aleis.—Si sit mixtus partim a sorte, partim ab industria, non erit per se grave peccatum, nisi ratione specialis prohibitionis, vel gravis scandali, aut obligationum omissionis.—Nullum peccatum erit, si moderatæ recreationis causa, privatim sine scandalo, parvam exponendo summam, fiat. *(Scavini, p.* 247, *Gury, n* 102). Semper autem clericos dedecet cum laicis, maxime cum mulieribus, ludere.

710. VIII. **Venatio** *si clamorosa sit*, nempe cum magno clamore, et apparatu armorum, canum, accipitrum, ut majores feræ, v. g. cervi capiantur, clericis absolute prohibetur: de hac communiter accipiunt ea verba Conc. Lat. IV, can. 15: *Venationem et aucupationem universis clericis interdicimus, unde nec canes nec aves habere præsumant.* Sed si raro fiat, negat *S. Lig.* grave peccatum esse.—Quieta vero quæ, paucis adhibitis canibus, sine strepitu ad minores feras capiendas fit, et in usu hodie est, absolute permittitur. Idem dic de piscatione. Tamen caute perpendendum, ne mentem ab studio, oratione, lectione spirituali, charitatis operibus, concione præparanda, et a Deo distrahat. *(Scavini, p.* 248). Benedict. XIV, aut quod non posset nimiæ severitatis Eposcopus incusari, qui in

sua synodo omnem venationem, clericis suis prohiberet. Archi-episcopus Cusentinus sub pœna suspensionis ipso facto id prohibuit; et recursu præstito a nonnullis clericis ad S. C. *An et quomodo edictum sustineretur in casu:* S. C. C. 16 dec. 1854 respondit: *Affirmative et ad mentem.*

711. IX. **Choreis** tam publicis, quam privatis, et potius spectaculis interesse, præsertim in eis saltare, ecclesiasticis prohibent, sub obedientiæ præcepto, tum *Trid. sess.* 22, *c.* 1, *de R.*, tum synodi fere omnes, ut notat Benedict. XIV *(de Synod., l. XI, c.* 10), non solum ratione proprii damni, sed etiam status dedecoris, et populorum scandali. *Pœna suspensionis ipso facto* incurrenda a nonnullis Episcopis imposita fuit transgressoribus, qui in sacris constituti, comœdias agere, vel in choreis publicis saltare, vel si, deposito habitu clericali, per vias personati incedere præsumpserint, ut in Novariensi, p. 168. Non tamen vetantur exercitationes honestæ, vel repræsentationes recreationis causa, quæ in communitatibus habentur, servatis servandis. (*Scavini, p.* 246).

Sed quoad strepitus populares, etsi bono communi utiles, v. g. fontis, plateæ benedictionem, ac inaugurationem, et similia, quamvis clerici hæc laudare possint, et debeant, tamen non convenit, ut partem in illis clamoribus sumant, et multo minus hujusmodi manifestationes in Sanctuario orationi, et exercitiis spiritualibus destinato permittant. (Ita declaravit *S. Cong. Episcop. et Card.*, 15 *jan.* 1848).

711. X. **Popinas, et tabernas** extra necessitatem ingredi clericis omnino vetatur in Concilio Lat. IV statuenti: *Tabernas prorsus evitent, nisi forte causa necessitatis in itinere constituti; quia nimium opponitur clericali modestiæ, et gravitati.*—Item quoad fieri possit, clericus ab omnibus sæcularibus conventiculis, et conviviis abstineat, juxta illud S. Hieronymi ad Nepotianum: *Numquam petentes, raro accipiamus rogati: facile contemnitur clericus, qui sæpe vocatus ad prandium, non recusat:* fere semper minor redit clericus cum laicis familiaris.

712. XI. **De clericorum cum mulieribus cohabitatione.** Prætermissis Conciliorum statutis, quæ hodie fere ubique in desuetudinem venerunt, motiva quæ clericos a mulierum societate arcere debent, videamus oportet. Quam quidem societatem periculis esse plenam mille, et sexcentis rationibus probari potest. 1.° Ex S. Scriptura. *In medio mulierum noli commorari: de vestimentis enim procedit tinea, et a muliere iniquitas viri.* (Eccli. XLII). Id est, explicat A Lapide, *sicut tibi nihil tale volenti nascitur tinea; ita tibi nihil tale volenti nascitur a fœmina desiderium.*

2.° Ex Sanctis PP. *Cum fœmina semper esse, et non peccare cum fœmina, plus est quam mortuum suscitare.* (D. Bernard., Serm. 65 in Cant.). —*Prima tentamenta sunt clericorum fœminarum frequentes accessus*, scribit D. Hier. ad Oceanum.—Dices: *fœmina illa est vetula, ac deformis.* Sed time; *diabolus pingens*, ait divus Cyprianus, *speciosum efficit quidquid horridum fuerit: et omnia pulchra videntur amori.*—Dices: *mihi est consanguinitate conjuncta.* Sed adhuc time. *Diabolus enim*, ait S. Philip. Ner., *optimus logicus abstrahit a propinquitate, fœminam solam relinquens.*—Dices: *est sancta.* Sed iterum time; nam mulieres *quo sanctiores, eo magis alliciunt*, ait D. Augustinus; unde de facili spiritualis dilectio in carnalem convertitur. Cave ergo ne te illi familiarem exhibeas, vel per jocum ei manum, vel pedem contingas. *Periculose tibi ministrat, cujus vultum frequenter attendis*, ait D. Hier. ad Nepotianum.—*Cum fœ-*

mina sermo brevis, et rigidus, ait D. Augustinus in *Ps.* L. Hæc est optima sententia.

3.° Ratione. Caro sacerdotis labore, jejunio, et meditatione non aflicta contra spiritum rebellat; imaginatio ejus, plus æquo otiosa, arma tentatori suggerit; deinde mulier natura blandidica, amans humanæ consolationis, et superioris voluntatem sibi attrahere anhelans, experientia, et timore deficiens, in pericula se, et hominem sæpe conjicit, ex quo fit, ut veniens illico diabolus, victoriam facile consequatur.

4.° Experientia id lubrice testatur. *Magnos prælatos Ecclesiæ sub hac specie corruisse reperi,* ait D. August., *de quorum casu non magis præsumebam, quam Hieronymi, et Ambrosii.* (De modo constit., a. 2). Sint ergo clericorum famulæ graves, modestæ, honesto loco ortæ, pietatis æmulatrices, ætate provectæ, quoad fieri possit. Juniores mulieres clericus nunquam apud se detineat, vel eas visitet, cum eis familiariter loquatur, res parochiæ, et parochianorum eis confidat, et scire, vel audire in horum accessu permittat, in cubiculum nunquam suum illas introducat, neque plus æquo cum ipsis in culina immoretur. *Heu quot inde prodiere mala! quot religionis opprobria!* ait *Scavini, p.* 245.

PARS SECUNDA.

DE PARTICULARIBUS OBLIGATIONIBUS CLERICORUM.

CAPUT I.

De Episcopis, et Vicariis capitularibus.

713. I. Certum est, Episcopos semel regimini Ecclesiæ præpositos, non esse meros Vicarios Papæ, sed veros pastores jure ordinario pollentes in propria diœcesi. Id firmatur *Lit. Apostolicis Universalis Ecclesiæ* Pii IX, an. 1850, quibus episcopalem hierarchiam in Anglia restituit. Quamvis aliqui, uti *Vazquez*, dicant Episcopos jurisdictionem accipere immediate a Christo, cum ab ipso sit dignitas, et officium episcopale immediate institutum; alii tamen cum *D. Thoma* (2. 2, q. 39, a. 3) docent eam immediate recipere a Papa; et sic videtur ex P. Gregorio (*c. decr. caus.* 2, *q.* 6, *c.* II). Semper autem certum est potestatem suscipere cum subordinatione ad Papam, etsi leges ferre possint sine ejusdem licentia, modo illius legibus non opponantur. (*Benedict. XIV, de Syn., l.* 7, *c.* 8).

II. Electi autem ad sedem episcopalem ex jure communi neque licite, neque valide possunt in ejus administrationem sese ingerere ante obtentas, et ostensas confirmationis Litteras, neque titulo Vicarii capitularis mediante, nisi jam ante nominationem talis Vicarius electus fuerit,

absque prævio R. Pontificis consensu. Ex Clementis XI Const. *In supremo.* (V. n. 257, art. XIII, et nn. 268 et 269.)

III. Episcopus extra suam diœcesim gestare potest *crucem pectoralem;* nam signum dignitatis est, et non jurisdictionis; non vero publice benedicere valet sine licentia; cum in alienos subditos omni jurisdictione careat. (*Del-Vecchio, l.* 1, *n.* 580).

714. **Episcopi munia** plura sunt, ac gravissima. In sua diœcesi residere obstringitur; virtutum exempla præbere, gregem sibi commissum invigilare, ac regere, ad ministerium altaris dignos eligere, item bonos confessarios, et parochos, denique diœcesim visitare. Pauca de singulis.

I. **Episcopus in sua diœcesi formaliter residere debet:** id significat annulus in sua ordinatione, seu desponsatione consignatus; id ipsum postulat sui gregis cura. Quod adeo solemne est, ut neque pestis tempore discedere valeat. Fagnanus n. 46 refert, quod S. Pontifex, 18 dec. 1576, id declaravit hisce verbis: *Decretum factum in parochis multo magis procedere in Episcopis, qui magis obligati sunt; tamen posse Episcopos in locis tutioribus manere; et inde providere.* Nequeunt episcopatum deserere, et renuntiare sine Papæ dispensatione, nedum ad religionem ingrediendam. *S. Thom.* 2. 2, *q.* 185, *art.* 4, *Scavini, n.* 428. Ex causa tamen *æqua,* ut concedit Trid., sess. 22, cap. 1. de R., et absque ullo gregis detrimento, quolibet anno Episcopus a diœcesi abesse potest per tres menses. *Ergo animi levitas, oblectationum cupiditas, aliæque futiles causæ excluduntur,* ut declaravit Bened. XIV, Bulla *Ad Universæ,* 3 sept. 1746. Cæterum non incidunt in pœnas a Concilio sess. VI, et sess. 23 de R. Episcopis non residentibus inflictas, ex declaratione S. C. C., prout refert *Fagnan. l.* 3, *Decret. in. c. qualiter*, *q. de cler. non resid., n.* 39. Ita *Ferraris, Rosa,* etc.

Quod valet etsi senatores, vel deputati in guberniis parlamentariis eligantur; siquidem id non debent privilegio ecclesiarum, quibus præsunt, sed populi, aut gubernii civilis nominationi; neque hic casus invenitur inter exemptos a Trid., et ab Urbano VIII. Devinciuntur ergo præfati Præsules, si præter tres menses aliam facere velint absentiam, a S. Pontifice veniam petere, ac obtinere. Ita *Henry, Lovan., De Luise, n.* 475, *Del-Vecchio, l.* 1, *n.* 578.

Trid. tamen ultra tres menses abesse permittit, 1.° *ex charitate;* si agatur de componendis gravibus inimicitiis, præsertim potentum; — 2.° *ex urgenti necessitate,* ut si ipsi Episcopo immineat extrinsecum periculum, et illi particulare;—3.° *ex debita obedientia* erga S. Pontificem ad bonum aliquod curandum;—4.° *ex evidenti Ecclesiæ, vel reipublicæ utilitate;* ut si sermo sit de se, aut suos defendendo. Quæ causæ, ex Trid., erunt approbandæ in scriptis, vel a Pontifice, vel a Metropolitano, aut eo absente, ab antiquiore suffraganeo residente; sed nunc ex Bened. XIV semper ad Papam recurrendum. *Del-Vecchio, n.* 428.

II. **Virtutum exemplum ovibus præbere** debet Episcopus, ut in omnibus irreprehensibilis sit; ipse nullam rei externæ curam ad se revocet, sed lectioni, et orationi, nec non prædicationi verbi Dei vacet. Modestam supellectilem habeat, et frugali mensa contentus, caveat ne quid appareat, quod non simplicitatem in eo, et carnis mortificationem, et contemptum vanitatum, ac Dei zelum præseferat. *Concil. Carth.* IV,

cap. 15, *Concil. Antioch. cap.* 25, *Trid. sess.* 25, *cap.* 1.—Et Bened. XIV ait: «Postremo, ut multa paucis complectamur, fratres, in omni sacra, et ecclesiastica functione,... vos ipsos auctores, vos duces, vos magistros esse convenit, ut quasi de vestræ sanctitatis splendore tum clerus, tum grex universus lumen hauriat, et charitatis vestræ igne incalescat. Itaque... in pauperum amore, et ope eis ferenda, in ægrotis invisendis, et sublevandis, in peregrinis hospitio excipiendis, in omni denique christianæ virtutis opere, estote vos forma gregis vestri, ut omnes imitatores vestri sint, sicut et vos Christi.»

III. **Gregem sibi commissum invigilare, ac pascere** tenetur Episcopus. Continuo meminerit non pro se, sed pro bono diœcesis in episcopatum ascendisse. *Episcopatus nomen est oneris, non honoris*, ait *D. Augustinus*, *L.* 19, *de Civ. Dei*, *c.* 19. Hinc 1.° Videat quos sibi eligit, in negotiis expendendis consiliarios, vicarios, officiales, quos oportet esse probos, corrumpi nescios, secreta silentes, boni nominis, ac nulli dantes offensionem; doctos ac expertos, ut recte provideant, neque magis coarctent quos solvere debent; operosos ac promptos, non propriis commoditatibus, et honoribus, sed aliorum necessitatibus sedulo studentes. Caveant toto cœlo ab adulatoribus, qui optimos quosque decipiunt. Ita *Del-Vecchio, l. c.*—2.° «Summa cura, et studio ipsi est elaborandum, ut in clero morum gravitas, vitæ integritas, sanctitas, atque doctrina eluceat, et ecclesiastica disciplina ex sacrorum canonum præscripto diligentissime servetur, et ubi collapsa fuerit, in pristinum splendorem restituatur.» Ita Pius IX Encycl. *Qui pluribus*, an. 1846, ad omnes Episcopos. Ad hoc nihil magis confert quam Seminarium non quocumque modo rectum, sed accurata disciplina, et piis, optimisque professoribus, et rectore; alias ministros habebit cupiditatibus inhiantes, studio, meditatione, spiritus fervore, ac zelo carentes, exinde oppida vitiis dedita. Curet quam maxime, ut quotannis, vel frequenter exercitiis spiritualibus incumbant clerici omnes; et ad hoc aliquam domum religiosam obtinere. Hæc fundamenta sunt regenerationis diœceseon, et actualis societatis. —3.° *Illud etiam dico, quod Episcopi sacerdotes se esse noverint, non dominos: honorent clericos, ut et ipsis a clericis, quasi Episcopis, honor deferatur.* Ita D. Hieronymus ad Nepotianum. Et *S. Ligor.* sic se habet: *Accessum ad se petentem assidue tenere debet subditis, et præcipue parochis, et vicariis foraneis, quos statim ad suam præsentiam admittere tenetur,* et illis præsto esse, quibus etiam cito respondere per epistolas, si consilium, ac directionem petunt; illi enim difficiliores s. ministerii partes sustinent. (V. Trid. sess. 22, c. 1 de R.). Attamen criminosos, aut negligentes in muneribus suis admonere, ac punire non desinat: *Veritas cum minime defenditur, opprimitur,* ait S. Felix. *Tacere diffidentiæ signum est, non modestiæ ratio*, clamat S. Hilar. Pictav. Unde *insolentiæ clericorum mater est negligentia Episcoporum*, juxta *D. Bernard.* (Ep. 152.) Hinc licet regulariter plus agat charitas quam potestas, si tamen ob delicti gravitatem virga opus fuerit, cum mansuetudine severitas adhibeatur. *De Luise, n.* 484.

Illiterati, ac imperiti parochialium ecclesiarum rectores, aut scandalum fidelibus præbentes, curet Episcopus, ut coadjutorem habeant pro tempore deputatum. Eos vero qui turpiter, et scandalose vivunt, monitos coërceat, ac puniat; si autem incorrigibiles perseverant, eos beneficiis

privandi habet facultatem juxta canonum sanctiones. *Trid. sess.* 21, *cap.* 6, *De Luise*, *n.* 681.

Sint velut patres inter filios; adjuvent in omnibus, præsertim in rebus asperis: in quantum fieri possit, parochis victoriam concedant contra parochianos, ne vituperetur ministerium nostrum, parochorum animadversionem sibi prælati acquirant, et illis odium populi. Parochi sunt velut manûs prælati: et profecto dificilius est leges ad praxim reducere, quam ex tripode eas condere: aliunde parochus inter suos parochianos morari obstringitur, ac immediate eorum sanctificationem elaborare, quod consequi non valet absque bono nomine.

IV. **Dignos altaris ministros eligere adstringitur Episcopus**, qui sint positiva bonitate prædití, ac debita scientia instructi. Melius enim profecto est pauciores habere ministros, sed probos, idoneos, atque utiles, quam plures, qui in ædificationem corporis Christi, quod est Ecclesia, nequidquam sint valituri, ait Bened. XIV, Bulla *Ubi primum.*

715. Q. *Quænam media habent superiores ad hæc obtinenda?*

R. Tria media habet Ordinarius ad tanta mala præcavenda, quæ primum locum in ejus mente habere merentur, et sunt *Seminarium*, *directores*, et *consilium.*

I. **Seminarium** est primum remedium admodum necessarium; sane cum omni tempore «adolescentium ætas, nisi recte instituatur, ait Tridentinum, prona sit ad mundi voluptates sequendas, et nisi a teneris annis ad pietatem, et religionem informetur, antequam vitiorum habitus totos homines possideat, numquam perfecte, ac sine maximo, ac singulari propemodum Dei omnipotentis auxilio in disciplina ecclesiastica perserveret: Sancta Synodus statuit, ut singulæ cathedrales, metropolitanæ,... certum puerorum... numerum in collegio ad hoc prope ipsas ecclesias, vel alio in loco convenienti ab Episcopo eligendo, alere, ac religiose educare, et ecclesiasticis disciplinis instituere teneantur. In hoc vero collegio recipiantur, qui ad minimum duodecim annos, et ex legitimo matrimonio nati sint,... et quorum indoles, et voluntas spem afferat, eos ecclesiasticis ministeriis perpetuo inservituros. Pauperum autem filios præcipue eligi vult.» (Sess. 23, c. 18, de R.) Maxime hodie id præ oculis habere debent Ordinarii, si clericos exoptant. Curet prælatus, ut singulis diebus meditationem habeant; lectio spiritualis, conscientiæ examen non desint; Missam audiant; saltem singulis mensibus peccata confiteantur pio, experto, ac erudito confessario; scandalosi, et incorrigibiles cito ejiciantur; alias Seminarium juvenibus erit ruinæ locus. *Trid. sess.* 23, c. 18. Ibidem decernit Conc. quamplura media id facilius consequendi. *V. De Luise*, *n.* 480, *et seq.* Quid si juvenes clerici sibi ipsis relicti sint inter mundanos?

Merito ergo Pius IX Episcopos hortatur: *Pergite igitur*, V. F., *omnem impendere industriam atque operam, quo sacræ militiæ tyrones a teneris annis, quoad fieri poterit in ecclesiastica Seminaria recipiantur; atque inibi tamquam novellæ plantationes succrescentes in circuitu tabernaculi Domini, ad vitæ innocentiam, religionem, modestiam, et ecclesiasticum spiritum conformentur; simulque litteras, et minores, majoresque disciplinas, præsertim sacras, addiscant a selectissimis magistris, qui scilicet doctrinam sectentur ab omni cujusque erroris periculo alienam.* (Encycl. ad Ital. Archiep. 9 nov. 1846, et 8 dec. 1849). Hinc male de illis clericis

ominari cogimur, qui Seminarium habent, uti terram devorantem habitatores suos, regulas aspernantur, atque in terra Sanctorum iniqua agentes, infinitos prætextus congerunt, ut a moderatorum suorum oculis se subducant, merito ait *Scavini.*

II. **Optimos directores** in Seminario, et ad scholarium confessiones adiendas constituere debet Ordinarius ad prædictos effectus obtinendos; secus hæc societas erit majoris perniciei; qui enim illuc ingrediuntur, non omnes sunt Angeli, sed veluti Angeli ibi cuncti fieri debent; si ergo Seminarium incuriose rectum fuerit, nempe, sine regula, vel admodum ampla, vel pessime servata, sine constanti correctione, absque optima spiritualium exercitiorum praxi, etiam illi, qui velut Angeli ingrediuntur, paulo post quasi dæmones evadent, teste experientia. Ideoque impurum, tumultuantem, scandalosum, inemendabilem expellere a Seminario tenetur director. Circa ista non parum invigilare debet Ordinarius, et si deprehenderit laxum, nihil de pietate sollicitum, neque eximia virtute præditum esse Directorem, aut aliquem professorem, omni miseratione, ac contemplatione postposita, alterum protinus eligere tenetur: ex ipsis præstantioribus scholaribus pedetentim optimum professorum corpus confici potest. Nihil melius præstat ad scholares pios, ac fervidos efficiendos, quam suorum directorum, ac magistrorum exemplum, et spiritus fervor. Et *qualis rector est civitatis, tales et inhabitantes in ea.* (Eccl. x).

III. **Consilium petat Ordinarius**, et videat, an in unum magistri, Rector Seminarii, ac confesarii scholarium conveniant quoad disciplinam. Et si de ordinandis sermo sit, consilium petat, saltem a Rectore Seminarii; vel melius a præfatis circa mores juvenum, ac ordinatorum inquirat, et ut plurimum illorum criterio acquiescat, quamvis pluribus indigeat sacerdotibus, quam habeat ad populorum servitium; nisi velit animam suam in magnum periculum conjicere, ac diæcesi ruinam parare. Scholares non pii erunt plerumque elati, laxati, et luxuriosi sacerdotes a diabolo in populorum ruinam electi. Non enim per multos, sed per bonos sacerdotes populi salvandi sunt. Sic omnes monet Spiritus S.: *Ne innitaris prudentiæ tuæ.* (Prov. III).

Unde ait S. Alphonsus: *Parum tutus est ille Episcopus, qui attestationibus parochorum confidit; hæ plerumque fiunt ob humanos respectus. Propterea Episcopi zelantes non firmare solent supplices libellos, nisi prius secreto certi facti fuerint de eorum morum probitate a pluribus personis fide dignis, quæ noscunt subjectum... Ex his secretis cognitionibus Episcopus potest certus fieri non solum si clericus ludis, insolentiis, pravis consuetudinibus sit aliis scandalo; sed etiam si positive vitam spiritualem agit, ecclesias, orationem, sacramenta frequentando...*

Denique parochi, professores, confessarii, Seminariorum directores, et Ordinarii, non alacres, sed fervidos, et modestos scholares ad sacerdotium quærant: nam, experientia teste, laxati, qui numquam ita ad Ordines admittendi sunt, nugas, et hilares juvenes, exteriorem vitam colentes amant, ipsisque consociantur; e contra quotidianæ meditationi dediti, disciplinati, fervidi ab illis fugam arripiunt, modestiam amant, cum fervidis, ac modestis consociantur; et sic facillime cognoscuntur omnes.

Tepidi spiritum hujus mundi plaudentes, fervidos, ac bene collectos cachinnantur, ac veluti scrupulosos, et pusillanimes rejiciunt; tamen hi sanctitatis prodigia operantur in populis; illi autem laxitatis. Hodie fer-

me ubique in Seminariis carnis libertas, et spiritus hujus sæculi sedem habere cupiunt, ac interdum consequuntur; si ergo superiores omnes præfata floccifaciunt, non regenerabitur humana societas, sed in proprofundum a salvatoribus immittetur. Res maximi momenti hæc est, et non semper, et ubique ita in praxi habetur; dignitates, mammonam, et regnare plurimi gliscunt, ac quærunt, non mundum innovare: Epistolam *Tadd. Apost.* sæpe meditari oportet.

¡Oh si ita se gererent prælati omnes; certo non tot essent lugenda scandala, et onerum omissiones! «Vobis summopere cavendum, ne cuipiam, juxta Apostoli præceptum, cito manus imponatis; sed eos tantum sacris initietis Ordinibus... qui accurate, exquisiteque explorati, ac virtutum omnium ornatu, et sapientiæ laude spectati, vestris diœcesibus usui, et ornamento esse possint.» Ita Pius IX, Encycl. *Qui pluribus*, ad Episcopos.

V. **Bonos parochos, ac confessarios eligat Episcopus**, ac etiam concionatores, et missionarios, si diœcesim reformare peroptat: *Unus confessarius*, *qui sit ignarus*, *aut moribus pravis*, *potest totam regionem perditam facere*, ait *S. Ligorius*. Quod magis currit de parochis. Absque ulla contemplatione ad annos, amicos, et intercessores, vel divitias, eligere tenetur ad parœcias quos bene noverit digniores juxta eorum peculiares dotes, scilicet, scientiam, honestatem, mores, indolem, prudentiam, zelum, pietatem, etc., ac etiam parochiæ circumstantias. Secus mercenarios habebit, non pastores, quærentes quæ sua sunt, non quæ Jesu-Christi, sacris inhiantes, et honores ab hominibus expetentes. Ast boni, et *strenui operarii non nascuntur*, *sed fiunt; ut autem fiant*, *ad Episcoporum solertiam*, *industriamque maxime pertinet*, clamat Benedict. XIV: ad hoc Episcopos adhortatur, ut juvenes in Seminariis ad pietatem, morumque integritatem, et ad canonicam disciplinam informent.

VI. **Verbum Dei prædicare, catechizare, sacrificare, et oves corrigere**, en præcipuum Episcopi munus. Sed de hisce v. n. 740, et seq., quod etenim de parochis dicetur, maxime de prælatis tene.

VII. **Diœcesim saltem unoquoque biennio visitare debet Episcopus**, ut præcipit *Trid. sess.* 24, *cap.* 3, *de R.* «Patriarchæ, Primates, Metropolitani, et Episcopi propriam diœcesim per se ipsos, aut si legitime impediti fuerint, per suum generalem Vicarium, aut visitatorem, si quotannis totam propter latitudinem visitare non poterunt, saltem majorem ejus partem, ita tamen ut tota biennio per se, vel per visitatores suos compleatur, visitare non prætermittant... Visitationum omnium istarum præcipuus sit scopus sanam, orthodoxamque doctrinam, expulsis hæresibus, inducere; bonos mores tueri, pravos corrigere; populumque cohortationibus.., ad religionem, pacem, innocentiamque accendere... Quæ ut facilius, feliciusque succedant, monentur prædicti omnes... ad quos spectat, ut paterna charitate... omnes amplectantur: ideoque modesto contenti equitatu, famulatuque studeant quam celerrime, debita tamen cum diligentia, visitationem ipsam absolvere. Interimque caveant, ne inutilibus sumptibus cuique graves, onerosive sint.» ¡Quot paramenta immunda defæcantur, dissensiones finem attingunt, fideles in pietate firmantur! «Imo capitula cathedralium, et aliarum majorum ecclesiarum, illorumque personæ, nullis exemptionibus, consuetudinibus, concordiis, juramentis, quæ tantum auctores obligant, non etiam successores, tueri se possint, quominus a suis Episcopis, et aliis majoribus præ-

latis, sive per se, sive per alios juxta canonicas sanctiones, toties quoties opus fuerit visitari, corrigi, et emendari etiam auctoritate Apostolica possint.» *Trid. sess.* VI, *cap.* 4, *de R.*

Episcopus sit vigilans in petendo rationem ab administratoribus, tam ecclesiasticis, quam laicis, fabricæ cujusvis ecclesiæ, etiam cathedralis, hospitalis, confraternitatis, et quorumcumque locorum piorum, singulis annis. *Trid. sess.* 22, *cap.* 9, *de R.*

Communius, et probabilius, ait *D. Ligor.*, *l.* IV, *n.* 104, tenentur Episcopi jure divino in suis episcopatibus permanere; ideo nec licite, nec valide potest Papa cum eis dispensare sine valde gravi causa, ut transferantur, *ex cap. Inter corporalia*, *de Trans.*, ubi expresse Innocent. III id declaravit.

VIII. Neque Episcopus parochos impediat religionis ingressum; nam jure definitum est in hoc quemque per se sui juris esse. *(C. Duæ sunt leges. caus.* 19, *quæst.* 2). Ita fuse probat Benedict. XIV, Bulla *Ex quo* 14 jan. 1747. *Sane obligatio voti perpetui præfertur omni alii obligationi*, ait Angelicus (2. 2, q. 189, a. 7). Cæterum Episcopus ex ipso Benedict. XIV revocare potest suum clericum a religione, etiam post professionem, si sub conditione inserviendi suæ diœcesi fuerit educatus, ratione justitiæ, vel si inde grave detrimentum obveniat Ecclesiæ, cui erat addictus. Tamen beneficium illius, qui religionem ingreditur, non vacat nisi post professionem, et in Societate Jesu, post duos annos novitiatus. *Del-Vecchio*, *l.* 1, *n.* 583, *S. Lig. l.* IV, *n.* 75.

Constitutio Benedict. XIV extendi debet etiam ad eos, qui vota simplicia emittunt, prout declaravit S. Cong. 2 jul. 1837 in *Pinarolen.* Sed isti beneficium non amittunt per professionem; tamen si residentiam beneficia exigunt, Ordinarius professos adigere potest ad resignandum, ut post tempus ab illo eis statutum, aliis conferantur. Ita S. C. C. 23 nov. 1833. In Societate Jesu antequam ista vota emittantur, ecclesiastica beneficia sunt dimittenda ex statutis ejusdem.

Enimvero, spectata importantia sæculares Congregationes debite approbatas sustinendi, quarum socii ad exteras Missiones destinantur, ad Seminariorum directionem, vel ad juventutem erudiendam, Episcopus sese periculo divinæ Providentiæ contradicendi exponeret, impediens sacerdotis vocationem ad has Congregationes, si aliunde candidatus reputatur dignus, et capax. Episcopus omnium, quæ Ecclesiæ commodum afferunt, fidejussor est. (*Gousset*, *Theol. M.*, *n.* 538). — Sixtus V, Const. *Romanus Pontifex*, 20 dec. 1585, præcepit (sub pœna privationis fructus suarum ecclesiarum percipiendi, et in opus fabricæ ecclesiæ insumendi eos... *De Luise*, *n.* 496), omnibus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, atque Episcopis, et Const. *Quod sancta*, Benedict. XIV, an. 1740, etiam Abbatibus cum jurisdictione quasi episcopali, et territorio separato, ut antequam consecrentur, pallium assequantur, de una in aliam ecclesiam transferantur, licet Cardinales singuli jurent, se statis temporibus Limina SS. Apostolorum personaliter visitaturos; et si impediti fuerint, per aliquem de sui Capituli gremio hoc esse impleturos, vel per alium clericum dignitate, aut beneficio præditum, qui interim faciet fructus suos.—Sed ad id non tenentur Episcopi, qui habitualem tantum retinent cathedralem, seu Episcopi in *partibus infidelium.* Ita *Bouix, de Episcopo, p.* 4.ª *et* 5.ª, item *S. C. C., et Clemens VIII, Del Vecchio, l.* 1, *n.* 582.

Ad hoc debitum commode explendum *itali* tertio tantum ano; *hispani, galli, belgæ, angli, ungari, bohemi, scoti, hiberni,* quarto anno; *africani,* et *oceani,* quinto anno; *asiatici* decimo anno iter suscipiant; et quolibet tertio, quarto, quinto, et decimo anno repetant. *De Luise, n.* 493, *et* 494.

715. **Vicarius Generalis Episcopi** licet ex dispositione S. Caroli, et ex Benedict. XIII ex aliena diœcesi assumi debeat, ex hodierna tamen praxi undecumque assumi solet. In eo requiritur (ex jure communi) ætas 25 annorum inchoatorum, non autem ut sit canonici, aut civilis juris laurea donatus, dummodo de viri peritia manifesto constet; nam id nullibi statutum reperitur. Juxta vero Aguirre, Vicarius Generalis Episcopi debet esse in jure canonico Dr., vel Licentiatus, et in Hispania, civilibus decretis perurgentibus, tribunalium regni advocatus, quæ quidem qualitas dispensari potest iis, qui jurisdictionem ecclesiasticam exercuerint, vel postquam Doctoratus, vel Lic. gradum susceperint, pluribus annis perdurantibus negotiorum ecclesiasticorum praxi incubuerint. *Vid. adnotat. 7 legis XIV, tit.* 1, *l.* 2 *Novis. Recopil., et Regium decret.* 8 *jun.* 1834.

In his, quæ sunt ordinariæ jurisdictionis, censetur una persona cum Episcopo, et semel constitutus, *per se loquendo,* habet a jure ordinariam, et liberam potestatem gerendi, quæ potest ipse prælatus, et alios etiam delegandi. Hinc fert censuras, approbat ad confessiones audiendas, absolvit percussorem clerici, dispensat in proclamationibus matrimonii, nisi peculiare mandatum postulent, et quæ uni Episcopo jure servantur.

Nihil autem potest 1.° in ea quæ Ordinis sunt, neque sine speciali mandato cognoscere causas criminales, in quibus gravius in reum est animadvertendum (*Cap.* 2, *de offi. Vic. in* 6), nec beneficia conferre, neque in iis permutandis, uniendis, erigendis consensum præbere.—Sed judicat causas beneficiarias de jure patronatus, et de ejus quasi possessione, instituit præsentatos a patronis. (*Cap.* 3, *de Inst.*).—2.° Non visitat diœcesim, neque Synodum cogit. *S. C. C.* 4 *dec.* 1655. Hoc tamen potest Vicarius Romani Pontificis, ex Benedict. XIV (*De Syn. l.* 2, *c.* 3).—3.° Non indicit collegium canonicorum, non absolvit a casibus, quæ uni Episcopo reservantur (*Cap. De pœn. et rem. in* 6), neque tollit irregularitates ex delicto occulto (*Trident., sess.* 24, *c.* 6, *de R.):* non concedit litteras dimissorias, nisi Episcopus diu in longinquo versetur. (*Cap.* 3, *de temp. ordin. in* 6).—4.° Non dispensat in juramentis, in votis, in statutis episcopalibus, et synodalibus, nisi specialiter ei committatur facultas.

—Ipse Vicarius in casus reservatos a suo Episcopo cognoscere potest, et ab eo absolvi possunt, cui ipse Vicarius hanc potestatem subdelegaverit. Si deliquerit uti persona privata, a suo Episcopo judicari, et puniri potest; si vero deliquerit circa officium Vicarii, puniendus est ab Archiepiscopo: sane Episcopus judex sui Vicarii tunc esse nequit, cum sit idem tribunal. (*Laurenius, Del-Vecchio, n.* 587).

—In choro, et in habitu vicariali præcedit omnibus canonicis non paratis, excepto hebdomadario. Ita *S. C. R.* 27 *febr.* 1847. Secus si habitum canonicalem gerat, idque non obstante contraria consuetudine, et si præcedit ut Vicarius generalis, distributiones amittit; si vero assistat ut canonicus, sedeat in suo stallo canonicali. *S. Rit. C. apud Gardellini.*—Vicarius generalis Episcopi nequit esse simul parochus, præsertim si extra civitatem sit. Ita *Barbosa in summ. coll. decis., verb.* Vicarius, *n.* 3, et ita pluries declaravit *S. Episcop. Cong.*, inter quas 12 maji 1629.

716. **Expirat Vicarii Generalis jurisdictio**: 1.° per renuntiationem spontaneam.—2.° Per superioris remotionem.—3.° Per cessationem jurisdictionis Episcopi, ita ut ipse in negotiis jam cœptis non amplius progredi possit, in quo Vicarius a delegato differt. (*Vecchoitti, Del-Vecchio, l.* 1, *n.* 429).

717. **Vicarius Capitularis.** I. Constitui debet, Sede episcopali vacante, et etiam Sede episcopali impedita, cum Episcopus a paganis, schismaticis, vel hæreticis captus est (*C.* 3, *si Episcop. in* 6), nisi Episcopus adhuc possit per litteras diœcesim regere, vel Vicarium generalem reliquerit, qui interim suas vices agat. Cæterum in omni casu Sedes Apostolica est certioranda. Hinc:

1.° Vacante Sede episcopali, nativo, ac proprio jure ad Capitulum ecclesiæ cathedralis venit ordinaria Episcopi jurisdictio. Sed Capitulum tenetur intra octiduum Vicarium capitularem eligere (*Trident.*, *sess.* 24, *c.* 16 *de R.*), et recte extraneus eligitur, si ex canonicis aptus non habeatur: potest quisque sibi ipsi suffragium præbere. Ita *Bouix*, qui affert declarationem S. C.—Semel autem electus, dimoveri amplius nequit, nisi a Congregatione Episcoporum, probata causa; totamque Episcopi ordinariam jurisdictionem accipit, cujus nullam partem Capitulum sibi reservare potest, neque attenta consuetudine. (*Bened. XIV de Synod., l. II, c.* 9, *et S. Cong. Episcop., decembr. de* 1736). Hinc ipse solus judicat, condemnat, leges fert, cognoscit de hæresi, absolvit a censuris, concursus indicit, vota, ac juramenta dispensat, diœcesim visitat, elapso tamen anno ab ultima visitatione; Synodum celebrat, et dimissorias ad Ordines concedit, ast nonnisi post annum luctus.

2.° Per anteriora decreta non est sublata consuetudo duos, vel tres Vicarios capitulares eligendi, præsertim si immemorabilis: ita respondit *S. C.* anno 1863, in *Cadurcensi.* — Vicarius capitularis non potest in locum sui quempiam substituere, nisi in tribus casibus: 1.° ob *infirmitatem*, 2.° *ad modicum tempus*, 3.° in *delegatis*, scilicet, in casu particulari.—Nec visitare potest monasteria exempta (*Trident., sess.* 25 *de Regul., c.* 9); non confert beneficia, quæ uni Episcopo reservata sunt. (*Cap. Cum nullus,* 3, *de temp. ord.*).—Non tenetur Missam applicare pro populo, sicut tenetur Episcopus, ex *S. R.* C., 12 *nov.* 1831; nec dat indulgentias; neque facit ea, quæ sunt Ordinis Episcopalis, etsi ad ea facienda vocare possit extraneos Episcopos.

3.° Item prohibetur aliquid innovare; ideo non potest aliquid de juribus Ecclesiæ detrahere, bona ecclesiastica permutare, dividere, alienare. (*Innocent. III. c. Novit ille* 1, *ne Sede*).—Tandem tenetur Vicarius futuro Episcopo de sua administratione rationem reddere; et si deliquerit, puniri potest. (*Trident., sess.* 24, *c.* 16 *de R., Innocent. III, c. Novit ille*).

II. In Vicario capitulari requiritur ætas 25 annorum inchoatorum (*ex cap. Cum in cuncti de elect. in* 6); quia etiam requiritur in iis, quibus animarum cura imponitur.—Debet esse *saltem in jure Canonico* (et non sufficit ut talis sit in sacra Theologia, uti pluries declaravit S. Congr.) *doctor, vel licentiatus; vel alias quantum fieri poterit idoneus; si secus factum fuerit, ad Metropolitanum deputatio hujusmodi devolvatur.* (*Trident., sess.* 24, *c.* 16 *de R.*). Tamen circa hoc respondit *S. Conc.* C. 25 *jun.* 1862: *Providebitur in casibus, et ad mentem.* (Scavini, n. 430 et 589). —Sciendum est tamen in nostra Hispania, potestatis sæcularis ordinatio-

nibus præ oculis habitis, quasque in viridi observantia hisce temporibus videmus, easdem in Vicario capitulari, quæ in Vicario generali Episcopi, qualitates requiri. Videantur *Litteræ circulares* Regiæ Curiæ, 8 maji 1824: item *Aguirre*, et *Zúñiga* hujusmodi materiam pertractantes. Insuper juxta solemnem Conventionem cum Sancta Sede, anno 1851 celebratam, art. 20, unus Vicarius capitularis constitui debet, in quo tota Capituli jurisdictio refundatur.

718. **Episcopus titularis** nullibi pontificalia exercere potest, sine expressa licentia Sedis Apostolicæ, nisi in ea diœcesi, cui datus fuit suffraganeus, seu auxiliaris, ex *S. Pio V* penes *Benedict. XIV de Synod., l.* 13, *c.* 14, *n.* 5, *aliisque.* Cum Episcopus auxiliaris nulla potiatur jurisdictione, uti talis, sed tantum datus sit Ordinario, ut ad ejus nutum Pontificalia munia exerceat, mortuo principali, omnis illius delegatio extinguitur. (*Benedict. XIV, l.* 2, *c.* 10, de Vicario Apost.) (*Del-Vecchio, n.* 591).

719. **Capitulum cathedrale** est senatus Episcopi. Ex Trident., et Decretalibus, necessarius est ejus *consensus,* ut Episcopus res ecclesiæ immobiles, aut mobiles pretiosas alienare possit; item in unione ecclesiarum, aut suppressione; in numero canonicorum augendo, aut minuendo; in novis dignitatibus inducendis, in novis tributis, aut pensionibus ecclesiæ imponendis, et generatim quoties de Episcopatus, aut Capituli juribus, obligationibus, et detrimentis agatur.—Quoad alia plura, vide *Del- Vecchio, n.* 594.

CAPUT II.

De canonicorum residentia.

720. **Residentia** hic definitur: *Præsentia personæ apud ecclesiam beneficii ad effectum illi personaliter deserviendi.* Unde habet Trid. sess. 24, cap. 12: « Obtinentibus in... cathedralibus, aut collegiatis dignitates, canonicatus, præbendas, aut portiones, non licet vigore cujuslibet statuti, aut consuetudinis ultra tres menses ab iisdem ecclesiis quolibet anno abesse, salvis nihilominus earum ecclesiarum constitutionibus, quæ longius servitii tempus requirunt; alioquin primo anno privetur unusquisque dimidia parte fructuum, quos ratione etiam præbendæ, ac residentiæ fecit suos. Quod si iterum eadem usus fuerit negligentia, privetur omnibus fructibus, quos eodem anno lucratus fuerit. Crescente vero contumacia, contra eos juxta sacrorum canonum constitutiones procedatur;» scilicet, ipso beneficio spolietur.

Hinc resolves: I. Canonici in choro quotidie *ex se* ad psallendum adesse tenentur, ibique divina per se, et non per substitutos, distinctis horarum intervallis rite officia persolvere, voces, et mentes in unum idemque simul conspirare; nam hic est præscriptæ residentiæ scopus. *Omnes... compellantur in choro* ad psallendum *instituto*, *hymnis*, *et canticis Dei nomen reverenter, distincte, devoteque laudare,* ait Trid. l. c.

II. Non psallentes, licet submissa voce in choro recitent, nec distributiones, neque præbendæ fructus faciunt suos, eo quia munus suum, nempe, servitium chori non adimplent. Ita *Clem. l.* 3, *de cel. Miss., Trid. sess.* 22, *cap.* 3. *Qui vero præsentes in choro negligant psalmos*, *et hym-*

nos concinare suo eos muneri non satisfacere suadeantur, ait Bened. XIV, Encycl. 14 aug. 1744. *Dum ita se gerunt, præbendarum, ac distributionum fructus minime suos faciant*, addit: ita etiam, Bulla *Cum semper*, et Brevi 19 jan. 1748. *Canonicos in choro alta voce non psallentes, distributiones quotidianas non lucrari*, declaravit S. C. C., 7 jun. 1626. *Teneri omnino psallere*, ait 12 jan. 1619. Unde Officium divinum in choro persolvi debet cum cantu, nulla obstante consuetudine. Ita *S. Lig., l.* 3, *n.* 675, *De Luise, n.* 642, *et* 643. Neque Episcopus permittere potest, ut non omnes Horæ cantentur, ex S. C. nuperrime interrogata, ait *Gury, n.* 119. Si consuetudo adsit recitandi in choro officium parvum B. V. Mariæ, vel psalmos graduales, vel pœnitentiales, vel officium defunctorum, hæc recitatio, præscriptis diebus non omittatur. *S. R. C. in Alexandrina*, 22 *sept.* 1827, et ita servari mandavit, 20 *dec.* 1864. Ita *De Luise, n.* 642. Ast extra chorum non tenentur, ut declaravit S. Pius V.

III. Qui horis canonicis recitandis, vel Missis cantatis admiscent risus, jocos, cachinnos, confabulationes, rei sunt gravis culpæ ex se, et ad restitutionem tenentur. Ita *De Luise, n.* 643; et *S. C. R.* interrogata: 1.° *An confabulantes in choro tempore divinorum officiorum amittant quotidianas distributiones?* 2.° *An confabulationes istæ possint constitui a pluribus parvis collocutionibus?* 27 mart. 1847 respondit: *Ad* 1.^m^ *affirmative; ad* 2.^m^ *affirmative; si plures fiant in eadem Hora.*—Neque eo tempore, quo officia in choro persolvuntur, Capitulum congregari nequit, nisi urgens causa id exegerit; neque canonici chorum deserere possunt, ut Missam celebrent, vel confessiones audiant, nisi superior id jusserit. Monetur autem superior, ut ab iis jussionibus abstineat, ait *De Luise, n.* 644.

IV. In ecclesiis cathedralibus, et collegiatis canonici unam Missam quotidie sub gravi celebrare debent cum cantu pro fundatoribus, et ecclesiæ benefactoribus in genere, a qua quidem nec immemorabilis consuetudo excusat. Ita Bened. XIV Bulla *Cum semper*, Leo XII ad Capitulum Cenomanense, pluries Sacræ Congregationes, *Scavini, n.* 431, et *S. Lig., l.* 6, *n.* 314.—Imo quandoquidem ad duas cantatas tenentur canonici, ut in Rogationibus, vigiliis, necnon Quadragesimæ tempore, si officium fit de Sancto.—Ita *omnes.*—Is vero cui inest Missæ conventualis onus, die quo Episcopus pontificaliter celebrat, illam lectam ante, vel post Missam pontificalem applicet. Ita *C. C.* 12 *nov.* 1831.—Si autem Canonicatus fructus sint admodum tenues, hæc applicatio ab ipsa *S. Conc. Cong.* (recurrendo) reducitur ad festos dies tantummodo. (V. t. II, n. 649).

V. In veriori sententia graviter peccant, qui sine gravi causa notabiliter absunt ultra dies permissos, etsi distributiones libenter cedant; nam chori obligatio independens est a distributionibus. *Commune* est tres, vel quatuor dies gravem non constituere materiam. *Gury, S. Lig., n.* 675. Attamen distributiones lucrari nequit absens, quamvis consocii eas condonent. *Trid.* Quocirca si ultra tres menses sive continuos, sive intra annum interruptos, ex *S. C. C., et De Luise, n.* 667, debito chori non satisfaciat, nisi legitima absentiæ causa aperte demonstretur, pro rata absentiæ privari successive potest per judicis sententiam fructibus beneficii. Ita *De Luise, n.* 638, *Engel, l.* 3, *t.* 4, *n.* 43, *S. Lig., n.* 129, et pluries S. C. C. ita decrevit.

Distributiones absentiæ respondentes statim amittuntur; nam residentia est conditio sine *qua non.* Idem tenet *D. Lig., n.* 675, de fructibus

dimidiis, vel totalibus præbendæ; nam Bened. XIV, 19 jan. 1748, declaravit; *quod canonici, vel non interessentes, vel non canentes, aut psallentes in choro, nedum distributiones quotidianas amittunt, sed etiam non faciunt fructus suos ex præbendis, atque ad restitutionem sunt obnoxii,* ante omnem sententiam, *hodie tenendum.* Ita iterum *S. Lig., Hom. Apost. in app., n.* 61, ex *Lateran. V, sect.* 9, (V. n. 667, et seq.) contra *Salm., n.* 9, et *antiquos AA.* Et cum in dubio nemini possessionem inchoare, ac retinere liceat, videant non residentes quid sint facturi. Absentes alium substituere non coguntur; siquidem præsentes canonici sufficere censentur, et curam animarum non habentes die, noctuque moram trahere extra locum proprii beneficii queunt, dummodo horis congruis ad ecclesiam pro servitio accedant. *Zamboni* affert declarationem *S. C. C.* 28 *febr.* 1795.

VI. *Trident. sess.* 21, *cap.* 3, *et sess.* 24, vult absentium distributiones generatim accrescere assistentibus, nisi agatur de dignitatibus, quæ proventus habent secretos, separatos a mensa Capituli; nam isti fabricæ ecclesiæ, vel alteri loco pio, Ordinarii arbitrio, sunt applicandi. Ita Bened. XIV, *Inst.* 107, § 7, *cum Fag., Ferraris, aliisque.*

721. **Justæ causæ a choro excusantes,** quin præbendæ fructus amittantur sunt præter tres menses unicuique permissos, ex Bonifacio VIII, *cap. unic. de Cler. non resid. in* 6.

1.° *Infirmitas gravis,* vel quæ per accessum ad ecclesiam gravis fieri possit; etiamsi propria culpa quis infirmetur eo fine, licet graviter contra sui charitatem peccet; nam lex indistincte infirmos excusat. Ita *Conc., Scavini, n.* 432, *Gury, n.* 117, *cum communi.* Attamen ex Bened. XIV, *Instit.* 107, *n.* 41, Infirmitas ipsa coram judice ecclesiastico probanda est.— 2.° *Rationabilis corporis necessitas,* vel timor cujusvis damni gravis in vita, honore, aut bonis fortunæ. Unde distributionibus non privantur, qui balnea adeunt salutis causa; vel domi morantur ob venæ sectionem, senectutem, et similia; vel ab hostibus capiuntur, aut a Gubernio injustum carcerem, vel exilium patiuntur. Ita S. C. C. 8 *jul.* 1865. Idem probabilius currit de absente ob belli, aut pestis metum grassantis in loco beneficii.—3.° *Ecclesiæ propriæ utilitas gravis*, judicio Episcopi, vel Capituli, si munus pro ea sine stipendio accipiatur, ex *Bened. XIV.* Verius Ecclesiæ universalis utilitas etiam eximit, ut communiter *dicunt AA.* Sed in hoc casu, vel si pro diœcesis utilitate canonicus abest a choro, tunc ad recipiendas distributiones quotidianas oportet, ut Apostolico indulto muniatur, ex *decreto S. C. C.*, 4 *sept.* 1869. Ita *de Luise, n.* 636.—Episcopus ad quatuor menses, et amplius permittere canonici absentiam potest ob legitimam causam; non autem ob canonici commoditatem. *Ferraris, n.* 12 *ex S. C. C.*, 7 *oct.* 1580 *cum communi.*

Velut præsentes ex jure communi habentur: 1.° Vicarius capitularis in actuali exercitio sui officii, ex Honorio III, et canonici, qui ad exponendas rationes massæ capitularis absunt a choro per tempus ab Ordinario præfiniendum; —2.° Canonicus qui Capituli negotia pertractat pro diebus, et horis in quibus reapse incumbit in administrationem; item cancellarius Capituli in archivo pro urgentibus occupatus, ex decreto *S.* C. *R.* 16 *sept.* 1865.—3.° Pœnitentiarius, quoadusque audiendis confessionibus revera vacat, ex *S. C. C. in Romana* 13 *jul.* 1711.—4.° Theologus eo die, et illis horis, quibus S. Scripturæ habet lectionem, ex *declaratione Greg. XIII, de Luise n.* 637: etsi mane, vel sero tantum

legat; si vero Matutinum, et Laudes recitentur die præcedenti, non censetur pro iis præsens, ex *S. C. C.* Ita *Scavini, n.* 432;—5.° Cæremoniarius Episcopi, et huic assistentes, dum in propria cathedrali pontificalia exercet; item canonicus organa pulsans, vel in musicis psallens in propria ecclesia, modo salarium non recipiat;—6.° Canonicus ad Concilium provinciale missus, ut theologus, canonista, aut Capituli procurator; item canonicus curatus dum in parochiæ cura versatur, nisi extra civitatem eo tempore, quo in parochiali ecclesia administrat, residere teneatur. *Trid. sses* 22, *c.* 3, et *Pius V,* Bulla 65; item canonicus, qui in ejus locum in casu necessitatis ab Episcopo est positus actualiter ad confessiones audiendum, ex *S. C. C. in Spolet., 3 apr.* 1841;—7.° Canonicus, qui non ex pœna, sed sponte, per decem dies exercitiis spiritualibus vacat, cum Episcopi licentia, ex Const. *Alexand. VII,* et *Clement XI an.* 1710, extra Adventum, Quadragesimam, et festa solemnia, si chori servitio detrimentum non inferatur.—8.° Item canonicus ab Episcopo missus ad visitanda Limina Apostolorum; item duo canonici, qui Episcopum comitantur ad eadem Limina spatio trium mensium: item canonici Episcopo assistentes pontificaliter in qualibet urbis ecclesia, vel suburbii, modo in cathedrali servitium non deficiat; item jubilati. Secus dic de illis, qui divinorum officiorum tempore confessiones audiunt, Missam celebrant absque præfecti licentia, et in populi commodum concionem habent; aut Episcopo privatim celebranti inserviunt. *De Luise, n.* 637. Ast ii omnes non participant de emolumentis anniversariorum, quæ ex voluntate fundatorum distribui consueverunt solum inter præsentes. *De Luise, n.* 668, *et communiter.*

722. Q. *Quinam sunt casus, in quibus canonici absentes a choro amittunt distributiones, non vero præbendam?*

R. 1.° Canonici examinatores ordinandorum, et confessariorum, et judices synodales, et prosynodales, excepta contraria consuetudine, vel privilegio.—2.° Canonici ab Episcopo deputati ad visitanda hospitalia: item duo canonici, qui ex jure assumi solent ab Episcopo in diœcesis servitio, ut in visitatione; qui inserviunt tribunali S. Officii, et ministri Cameræ Apostolicæ.—3.° Canonici pro Seminario deputati; Procurator mensæ episcopalis; item Provicarii, vel Cancellarii, vel Actuarii, aut alia munia in episcopali curia exercentes. *S. C. C.* 20 *dec.* 1862. Item Vicarius capitularis habitu vicariali processionibus interveniens. *S. C. R.* 16 *sept.* 1865; item Cæremoniarius Episcopi extra proprii beneficii ecclesiam, et Protonotarii, quoties cum solemni prælatorum veste in sella mobili intersint separatim a stallis canonicorum.—Qui sacrum Ordinem suo adnexum canonicatui non susceperit intra annum, exinde medietate distributionum privatur. At vero eas non amittit, qui suos non facit fructus ob neglectam fidei professionem. *De Luise, n.* 640.—4.° Iis vero, qui vacare cupiunt exercitio sacrarum missionum, aliisque pietatis operibus, non modo denegantur distributiones, sed ne indultum quidem vacandi a choro ultra tres menses permissos, illis concedendum censuit *S. Congr. Conc.* 6 *maji* 1820, excepto casu necessitatis.—5.° Item canonici absentes, ut Scripturam sacram, et theologiam doceant in scholis publicis, ex *Trident., sess.* 3, *c.* 1 *et c. final. de magistris;* quod *Concina* cum canonistis extendit ad docentes philosophiam canonicam, imo grammaticam; nam hæc necessario præmittenda sunt. Item, in probabiliori sen-

tentia addiscentes, modo non sint parochi, theologiam, aut jus canonicum, aut S. Scripturam in publica schola, vel universitate, si studiis vacent per majorem anni partem, et habeant ab Ordinario licentiam. At Innocentius XII decrevit, ne privilegium illud ultra triennium duret, neque ut concedatur iis, qui annum 25 jam attigerunt. (*Scavini*, *l.* 1, *n.* 595). Pius IX Brevi *Multiplices*, 27 nov. 1869, declaravit omnes, *qui Conciliaribus actionibus (Concilii Vaticani) interesse tenentur, suorum beneficiorum fructus, redditus, proventus, distributiones quotidianas percipere posse, iis tantum distributionibus exceptis, quæ inter præsentes fieri dicuntur*, *idque concedimus Synodo perdurante*. Demum attendendæ sunt speciales Constitutiones, usus, privilegia Capituli, et sociorum.

723. I. **Vacationum indulto** canonici non valent uti solemnioribus anni temporibus; v. g. tempore lætitiæ, vel pœnitentiæ, ne populus in ecclesia cleri præsentia privetur. Quocirca festis Nativitatis, et Resurrectionis Domini N. J. C., Pentecostes, Ss. Corporis Christi, et per octavam ejusdem, ac tempore Adventus, et Quadragesimæ, aliisque Ordinario bene visis interesse, et jugiter servire tenentur. *S. C. C.* 18 *febr.* 1864, *De Luise, n.* 645, *et* 667, *Gury, n.* 116.

II. Neque diebus permissis omnes simul abesse queunt; licet hoc, si de canonicis cathedralis agatur, Episcopi, et Capituli arbitrio relinquitur. —Si vero de aliis, S. C. C. censuit eos uno tempore abesse non posse ultra tertiam partem. *De Luise* hoc idem indiscriminatim de omnibus *statuit n.* 667. *Ceccoperus* autem ad quartam partem restringit, et id ab eadem Congregatione decisum asserit. *Scavini*, *n.* 431.—Ast non indigent Capituli, vel Episcopi licentia ad discedendum intra diœcesim; alias Episcopi licentia opus habent ex *S. C. C.*, et *De Luise*, *n.* 667. Canonici in Episcopi consilium vocati non habent jus suffragii *deliberativi*, sed mere *consultivi. Ballerini*, *n.* 121.

III. In ecclesiis cathedralibus, vel collegiatis, in quibus nullæ sunt distributiones quotidianæ, vel ita tenues, ut negligantur, tertiam partem fructuum, quorumcumque proventuum, et obventionum tam dignitatum, quam canonicatuum, personatuum, portionum, et officiorum separari debere, et in quotidianas distributiones converti, quæ inter divinis assistentes proportionabiliter juxta divisionem ab Episcopo etiam tamquam Apostolicæ Sedis delegato in ipsa prima fructuum deductione faciendam, dividatur; salvis tamen consuetudinibus earum ecclesiarum, in quibus non servientes, nihil, vel minus tertia parte percipiunt. *De Luise, n.* 647.

IV. Capitula sive cathedralium, sive collegiatarum ecclesiarum de novo erigenda, intra sex menses suas Constitutiones conficiant, et Ordinario approbandas exhibeant. Pius VII, Const. *De Salute animarum,* 16 jun. 1821. Officia choralia sive præscripta lege, sive ex consuetudine præter legem obeunda, intuitu præbendarum, quas beneficiarii possideant, sub generalibus legibus pro sua ratione comprehendi debent, quibus canonicorum officia comprehenduntur; cum enim eadem viget ratio legis, eadem vigere debet legis dispositio. Ita ex decreto *S. C. C.* 16 *sept.* 1850.— Immemorabilis consuetudo a residentia non excusat canonicos cathedralium, et collegiatarum insignium, bene tamen in collegiatis non insignibus, et ruralibus in quibus adeo tenues sunt redditus, ut canonici aliunde non habentes unde vivant, abeant. *De Luise, n.* 667 ex *Bened. XIV.*

V. Canonici, qui abfuerint ultra trimestre, non sunt citandi, ut ad

servitium ecclesiæ veniant, sed vocandi, ut causam deducant, cur medietate, vel omnibus fructibus non debeant privari; qua in re differunt a curatis, qui citandi, vel admonendi sunt, ut contra illos procedatur. Expediendæ sunt tres citationes contra canonicum absentem, qui deinde per sex menses est expectandus, iisque elapsis, si non compareat, ad privationis sententiam procedatur. *De Luise*, *n.* 667. Capitulum, sede vacante, in proprios usus convertere non potest mulctas, et compositiones delinquentium. Benedict. XIV, *De Syn. Diœc.*, *l.* 10, §. 4.

724. **Indultum jubilationis** est privilegium ab Apostolica Sede largitum exemptionis a choro, et residentia iis, qui laudabile quadraginta annorum servitium in choro exhibuerunt, quin distributiones quotidianas amittant. *Bened.* XIV *De Syn. Diœc.*, *l.* 3, *cap.* 4. Est prœmium, quod non habetur ex se, sed conceditur, quando constat servitium fuisse assidue, diligenterque præstitum. Quinimo causæ absentiæ undequaque legitimæ *ex se* non se suffragantur hujus gratiæ impetrationi; cum tempus in chorale servitium insumptum non fuerit. Quare, elapso quadragenario tempore a die captæ possessionis, locus datur compensationi fallentiarum, quæ antea commissæ sint, ut capitularis jubilari possit. Ex decreto *Cong.*, *Conc.* 1 *febr.* 1868.—Imo licet abessendi indulto fuerint donati sive ratione munerum, sive causa studiorum, hoc tempus in quadragenario servitii spatio non computatur, excepta absentia ratione munerum pro diebus, et horis indulta. Ex decreto *S. C. C.*, 26 *maj.* 1867, *et* 21 *mart.* 1868.—Neque interest, an hoc tempus sit expletum duobus inserviendo successive ecclesiis. *De Luise*, *n.* 672.

725. Q. *An liceat canonicis collegiatæ, parochis, et presbyteris simplicibus incedere paratis in processionibus, præsertim in solemnitate Corporis Christi cum pluvialibus, et casulis, ut canonici cathedralis?*— S. R. Congr. 4 mart. 1686 respondit: *In concursu cum cathedrali non licere;* quia non debent extra proprium corpus servitium emendicare. (*Scavini*, *n.* 597). Canonici tenentur capitulariter assistere Episcopo ordinationes peragenti solemniter cum cantu inter divina officia. Si vero fiant privatim, tres tantum inserviant. (*Ita S. R. C.*, 7 *decemb.* 1658.—Canonicus cathedralis concionaturus in actu recipiendi benedictionem ab Episcopo, non tenetur genuflectere, sed tantum se profunde inclinare. (*S. R. C.*, 3 *aug.* 1737). *Canonicalium insignium usus extra propriam ecclesiam licitus est dumtaxat, quando capitulariter incedunt, assistunt, et peragunt sacras functiones; non autem si intersint ut singuli, nisi speciale privilegium... singulariter et distincte ad personas extendatur*, ex decreto generali 31 maj. 1817.—*Extra propriam ecclesiam cappam deponere debent, dum verbum Dei prædicant.* Ita pluries *S.* C. C., et 17 *sept.* 1822, confirmante Pio VII. Quando Episcopus in cathedralem pontificaliter accedit, aspersorium a prima Capituli dignitate est ei porrigendum cum osculo aspersorii. et manus. Sed si accedat ad aliam ecclesiam assistente cathedrali Capitulo, aspersorium est dandum a superiore illius ecclesiæ. (*S. R. C.*, 23 *mart.* 1592, confirmante *Clemente VIII*).—Canonici, et assistentes Episcopo parati possunt procedere per ecclesiam coopertis capitibus. (*S. R. C.*, 28 *apr.* 1708). *An pileolo uti possint canonici assistentes Episcopo in functionibus ecclesiasticis tam in altari, quam in cathedra episcopali? - Negative ad primam partem; affirmative quoad secundam, dummodo non ministrent.* (*S. R. C.*, 20 *apr.* 1822).

CAPUT II.

De Vicariis Foraneis, et de Parochi moribus.

726. **Vicarii Foranei** *dicuntur presbyteri illi,* (Arciprestes) *quos Episcopi constituere solent in diœcesis oppidis ad certas vices pro bono diœcesis regimine.—Ut Episcopus in urbe etiam externum gregem facilius quasi præsens intueri, et curare possit*, ait S. Carolus, *deleget aliquos probatos sacerdotes, quibus singulis, impositi Vicarii Foranei nomine, tribuat certas regiones diœcesis suæ.*

Munera horum Vicariorum sunt: I. Diligenter in omnes clericos vicariatus inquirere circa eorum vitam, et honestatem.—1.° An parochi muneri suo satisfaciant.—2.° An ecclesiæ, ac altaria decore nîteant.—3.ª An bona ecclesiastica, beneficia, et legata rite administrentur, et onera impleantur, etc., et quotannis Episcopum, omni posthabito humano respectu, de omnibus certiorem faciant.

II. Delinquentes admonere, ac corrigere: et si id non sufficiat, ac de re gravi agatur, Episcopo totam rem significent. Dissidia, maxime si inter clericos sint, componere studeant. Tamen a Vicario Foraneo ad Episcopum appellatio datur. *(C.* 3 *de appell. in* 6.°)

III. Suo tempore Congregationes indicent, iis præsint, omnia præscripta adimpleant, casus resolvant. Et cum ad octiduum a vicariatu abesse voluerint, si animarum curam gerunt, discessum Pro-Vicario, vel antiquiori vicariatus parocho id significent. *(Scavini, n.* 434). Ita ex variis conciliis, synodis, actibus, et ex natura ipsius rei.

727. **Parochi obligationes quoad proprios mores** ex ipsa sui officii natura colligi possunt. Unde I. Quotidie secum reputet, onus sustinere angelicis humeris formidandum; nam rationem reddere debet de anima propria, et de singulis parochianorum; et si ex sua parte in die iræ dicere nequit: *Pater, quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam;* nempe, mea incuria, vel culpabili segnitie horum nemo damnatur; nisi pœniteat, non erit sibi aditus ad regna cœlorum. Quotidie ergo præ oculis habere oportet illud Ezechielis: *Sanguinem ejus de manu tua requiram.*

II. Non ideo animo concidat, sed Deo, et animarum saluti totum se submittat, non difficultates ob oculos sibi proponens, sed Dei gloriam, auxilium, animarum salutem, et mercedem, quam Pastor pastorum laboriosis pollicetur, dicens: *Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus.* (Joan. XII). *Tollite jugum meum super vos,... et invenietis requiem animabus vestris.* (Matth. XI). Aliunde gloriam accidentalem a tot parochianis per eum a vitiis liberatis, et in æternum salvatis; imo propriæ salutis assecurationem juxta illud: *Animam salvasti, tuam prædestinasti.*

III. Scire debet se boni rectoris officium adimplere non posse, nisi ipse in se exprimat (factus *forma gregis ex animo)* pietatem, quam aliis inculcat. Nam homines magis oculis quam auribus credunt. *Et qualis rector est civitatis, tales et inhabitantes in ea.* (Eccli. X).

Constantem studiis operam impendere debet, ne errare etiam contin-

gat cum æterno ovium suarum damno. Et si in sua parœcia sint alii sacerdotes, teneat cum eis de rerum moralium, et spiritualium exercitationes, quæ mirifice inserviunt ad scientiam, pietatem, charitatem, laboriositatem fovendam, ad abusus tollendos, ad populo prælucendum...

V. Maximam prudentiam præseferre in omnibus expedit: — 1.° in abusibus tollendis, ne, eos evellere volens, augeat; — 2.° in propriis juribus defendendis, ne dum minimum curat, substantiale deserat, vel honorem amittat; — 3.° in re sua familiari, ne tenacitatis, vel prodigalitatis, aut incuriæ, vel avaritiæ nota accusari possit;—4.° in nimia sollicitudine circa temporalia, vel erga nepotes, et lucra diu noctuque quærendo, mercatus frequentando; nam in eum sunt omnium subditorum oculi; — 5.° sciat etiam parochianos ægre ferre petulantiam, et luxum domesticorum, qui sæpe curiosius inquirunt, audiunt, notant, scrutantur omnes ad parochum accedentes, secreta, contentiones familiarum scire cupientes: ab iis caveat parochus, ne talia audiant, vel de talibus cum ipsis sermonem habeat.

VI. De nullo sinistre loquatur, tam de clericis, quam de laicis, tam de antecessoribus, quam de vicinis; nemo enim magis contemnitur, quam qui alios contemnit.—Omnes sine ulla acceptione divites, et pauperes paterne audiat, patienter sustineat, leniter tractet, quoad res tulerit; honoret, et honorabitur. Charitas, et suavitas etiam duriora corda emolliunt; et si parochi non plus in parœcia fructificant, et fideles eos detestantur, ac execrantur, non raro indoli, superbiæ, iræ, laxitati, et incuriæ pastorum est tribuendum.—Neminem visitet sine aliqua causa; cum omnibus affabiliter loquatur, sed parum extra necessitatem, ne dignoscantur ejus naturales, vel morales defectus, et deperdatur auctoritas, fiducia, fructus, et popularis existimatio. In ecclesia, et in ægroti cubiculo tantum cognoscatur ob suum zelum.

VII. Continuo perpendat eorum, quæ agit consectaria; nam de parocho dici potest: *Defunctus adhuc loquitur.* (Hebr. xi). Opera ejus velut quædam semina bona, vel mala in novos semper multiplicantur fructus: ast non omnes apparebunt usque ad ultimam diem; quando coram omnibus aperientur cordium secreta. Nullam aliam utilius materiam leget parochus octonis diebus, quam hæc sui muneris capitula.

CAPUT III.

De Parochorum residentia.

728. Episcopi, parochi, aliique omnes, quibus animarum cura commissa est, divino jure, et sub gravi residere obstringuntur personaliter, formaliterque in loco sui beneficii: constat ex Trid. sess. 23, cap. 1, de R. «Cum præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere; pro his sacrificium offerre; verbique divini prædicatione, sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere; pauperum aliarumque miserabilium personarum curam gerere, et in cætera pastoralia munia incumbere; quæ omnia ab iis nequaquam præstari, et impleri pos-

sunt, qui gregi suo non invigilant, neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt, sacrosancta Synodus eos admonet, et hortatur, ut divinorum præceptorum memores, *factique forma gregis*, in judicio, et veritate pascant, et regant.» Hinc:

I. Residere debent *ubi injuncto sibi officio fungi teneantur*, ut ait Trid. l. c.; alias neque invigilare, neque assistere gregi valerent. Habitare devinciuntur in domo parochiali; quæ si non adsit, ædificetur, et interim habitent in aliqua domo sita in ecclesia digniori parochiæ, et in dubio circa dignitatem, frequentiori, in quantum fieri possit, ad omnium commodum. Ita *ex S. C. Conc.*, 11 *mart.* 1579, *et* 15 *aug.* 1607, *De Luise, n.* 688, *S. Lig., n.* 124. Et hoc etiamsi tres, vel quatuor tantum incolæ ibi remaneant; vel tenuis sit parœcia, et retributio; licet ei datus sit coadjutor ob infirmitatem; ex *S.* C. *Conc.*, 15 *aug.* 1607.—Neque tempore pestis, (aut hostium incursionis, ut ait *Sporer*), discedere fas est; secus contra parochum procedendum est, servata Trid. forma, ut declaravit *Greg. XIII*, 6 *dec.* 1576, et docet *S. Lig., n.* 360. *V. S. Thom* 2. 2, *q.* 185, *a.* 5. Potest tamen per alios idoneos baptismi, et pœnitentiæ sacramenta ministrare. *S. Lig., l.* 6. *n.* 233.

II. *Parochi, et similes ad residentiam personalem, et formalem adstringuntur*, tum vi quasi contractus, et stipendii, tum vi juris divini; a Christo siquidem sunt positi animarum pastores, et in hodierna disciplina etiam parochi, velut Episcoporum *vicegerentes*, ut oves pascant *doctrina, sacrificio, sacramentis, et exemplo*, sicut docet Trid. l. c.; tum vi juris ecclesiastici, ex eodem Concilio, et ex Bened. XIV, qui, Bulla *Grave*, aperte declarat, non esse veram, et propriam residentiam, nisi *formalis* sit, et *utilis*. Ita *S. Lig., n.* 126.—Unde parochus, licet coadjutores habeat, et numerosum gregem, per se ipsum, quoad fieri poterit, munia saltem principalia, ut catechizare, verbum Dei prædicare, administrare sacramenta, præsertim pœnitentiam, tenetur. *Qui plures habeat substitutos, non censetur liber ab onere residentiæ, et administrandi sacramenta*, ex declaratione *S.* C. *Episcop.* 5 *dec.* 1614, et ex *communi cum S. Lig., n.* 127. Id suadet ratio; nam ideo experto parocho magnus offertur populus, ut per clericum non communem, seu coadjutores regatur: alias magna urbs pejoris erit conditionis parvis oppidis. Meminerint parochi illud D. Bernardi: *Qui per vicarium servit, per vicarium remunerabitur.* (Epist. 4). Poterit utique parochus laboriosa, et secundaria opera coadjutori committere, cum nominatim ille non vocetur, prout baptismata, extremas-unctiones, sepulturas, Missam ordinarie in sacellis celebrare, inscriptiones, et similia; minime vero Missam pro populo offerre, catechismum absque ulla opera sui ipsius docere. *S. Lig., n.* 127.

729. **Causæ a residentia parochum excusantes** triplicis generis sunt: ad *breve tempus;* ad *bimestre*, et ad *longius tempus*. I. Ad *breve tempus* abesse potest parochus absque licentia. 1.° si gravis occurrat causa, quæ dilationem non patiatur, relicto semper idoneo vicario; necessitas enim legem non habet. Ast quamprimum fieri poterit, totius rei certiorem faciat Episcopum, nisi brevi sit reversurus, ex *S. C. C.*, et *S. Ligor., n.* 123, *cum communi.*—2.° Ex *S. C. C.*, ut referunt *Salm., n.* 113, parochus abesse non potest per hebdomadam absque Episcopi licentia, vel Vicarii foranei, etiam relicto idoneo vicario ab Ordinario approbato. Verumtamen communiter admittunt *Holz., Ronc., Spor., Barb., S. Lig.*,

n. 123, *at alii* non graviter saltem peccare parochum, qui sine licentia abest per 6, vel 7 dies, relicto tamen idoneo vicario. Aliqui cum *Tour.*, *Cabas.*, *Sanch.*, *n.* 11, *Val.*, *Reg.*, id extendunt usque ad 15, vel 20 dies. —3.° Item ex parvitate materiæ saltem a mortali excusari poterit parochus, si discedat per modicum tempus, modo non relinquat infirmos in articulo mortis. *S. Lig.*, *l. c. cum communi.* Q. *An parochus villæ, in qua non est alius sacerdos, etiamsi nullus infirmetur, sine Episcopi licentia... abesse possit a parochia per duos, vel tres dies, nullo idoneo relicto vicario?* S. R. C. 8 febr. 1747 Resp. *Negative.—An saltem abesse possit a mane usque ad vesperam, et quid si id semel in hebdomada evenerit?* R. *Affirmative, dummodo non sit in die festo, et nullus sit infirmus, et raro id in anno contingat.—An parochi viciniores, actu exercentes curam animarum, possint invicem se substituere?* R. *Negative, si id fiat sine licentia Ordinarii.—An parochi, qui nocturno cœteroquin tempore resident apud suas ecclesias, possint, celebrata summo mane Missa in dictis ecclesiis, se conferre ad civitatem, et in ea diuturno tempore totius, vel majoris anni partis commorari, licet apud dictas ecclesias adsint substituti?* S. R. C., 1 maj. 1687, et 1850, respondit: *Negative.* Idem declaravit de nocturno tempore.

Audiatur nunc *E. Gousset.* Non sufficit in parœcia esse dominicis, et festis diebus, et abesse ab ea reliquis diebus, moraliter loquendo; quia semper aliquid faciendum in parochianorum gratiam adest; et quolibet die sacerdotis ministerium necessarium esse potest. Neque sufficit in parœcia permanere noctis tempore, et parte aliqua mane: neque in conscientia securus esse potest qui sine legitima causa abest tota hebdomada, aut fere omnibus diebus, vel ter, aut quatuor, egrediens mane, et non rediens usque ad noctem. Præter periculum permittendi mori infirmos sine sacramentis, tempus inutiliter terit, se immittit in statum non adimplendi munia sua, et populis scandalum præbendi. Vita tam dissipata incompatibilis est cum ecclesiastico spiritu, solitudinis amore, oratione, studio tam necessario omnibus sacerdotibus, et maxime iis, qui deputati sunt ad animarum salutem. *Theol., moral. de Ordine*, *n.* 725. Hæc meminerint etiam clerici venatores.

II. *Ad bimestre* parochis, et similibus abesse conceditur *singulis annis, sive continuum, sive interruptum.* Trid. l. c., *et* (vult) *haberi rationem, ut æqua ex causa fiat, et absque ullo gregis detrimento.* Unde 1.° quælibet honesta causa sufficit, ut parochus, duorum mensium spatio, (in quibus partes coalescunt, ut ait Concilium, *sive continuum, sive interruptum*), discedere valeat, dummodo grex nullum patiatur detrimentum catechismi, prædicationis, sacramentorum, etc., relicto semper idoneo vicario; non quivis beatus vir.—Controvertitur, an parochus abesse possit hoc bimestri absque Episcopi licentia. Affirmant *Nav., Bon., Cab., Lop., Rodrig., Croix, n.* 745, *etc.*, cum ex Trid. ad hanc absentiam sufficit quælibet æqua causa; ergo licentia tantum requiritur pro absentia ultra bimestre, pro qua debet Ordinarius causæ gravitatem approbare, dicens Concilium: *Discedendi autem licentiam in scriptis..... ultra bimestre tempus, nisi ex gravi causa non obtineant.* Immo *Nav., Garc., Bon., et alii* saltem a mortali excusant parochum, qui per bimestre abest sine causa, et sine licentia; talem absentiam *per se* modicam judicantes ob Trid. concessionem. Idipsum concedit *Croix, n.* 741, causa interve-

niente. Negant tamen *S. Lig., n.* 123, *et alii;* nam Trid. etiam decernit: *ut quandocumque eos*, (pastores) *causa prius per Episcopum cognita, et probata, abesse contigerit.....* Ergo causa semper ab Episcopo cognosci, et probari debet. Imo in dubio fructus acquiri non possunt. Si autem Episcopus causam, et vicarium approbaverit, nulla alia licentia requiritur ad discedendum, ait. *S. Lig., n.* 123, et patet ex Concilii verbis. Cæterum nescirem condemnare parochum, qui ex causa evidenter justa discederet, et œconomum idoneum, alias jam approbatum ab Episcopo, et qui actu jam reperiretur in parœciæ servitio relinqueret, ait *S. Alphon., Hom. Ap., t.* 7., *n.* 21.—2.º Si parochus inculpabiliter abest, putans sufficientem esse causam, cum reapse talis non sit, a restitutione eum excusant *Viva, n.* 9, *Garcia, et Frassinetti;* nam ob violationem juris positivi requiritur sententia, ut incurratur pœna; immo ex benignitate Ecclesiæ præsumitur ipsum damnare non velle absque culpa. Tamen contrarium tenet *S. Lig., n.* 126, cum de jure naturali, et divino pastores residere teneantur, et sub conditione residentiæ ipsis tantum dentur fructus, ut supra diximus: exinde concludit *S. Lig.* quod inutiliter residentes etiam restituere debent; evincitur etiam ex Trid. ad personalem residentiam devincienti *ubi injuncto sibi officio fungi teneantur:* confirmatur a Bened. XIV, qui, Bulla *Grave*, declarat veram non esse residentiam, nisi sit formalis. Quod dictum est de parochis tenendum etiam est de œconomis, regentibus parœciarum, ac similibus.—3.º Restitutio hæc non in suffragium pro animabus purgatorii est facienda, sed fabricæ ecclesiæ, vel loci pauperibus, si de parochis agatur. Secus si de aliis beneficiatis; ut admittunt *Concina, Del Vecchio, t.* 1, *n.* 612, *et* 439, *cum communi.*—4.º Præfata restitutio relativa esse videtur juxta munia proprii officii omissa, et tempus, ut dicunt *Barb., Bon., Viva, et communiter.* Ita qui Missam pro populo, et Horas recitat, partem fructuum meretur, licet alia prætermittat onera: hoc ordini rationis congruum est, nec lex aliqua in contrarium adduci potest.

III. *Ad longius tempus* abesse potest parochus a sua parochia ob quadruplicem causam, ex. Trid. l. c.: et sunt *christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, et evidens Ecclesiæ, vel reipublicæ utilitas;* quæ causæ quoad Episcopos nunc approbari semper debent a Papa; quoad parochos á suis Ordinariis, *S. Lig., n.* 124, 1.ª *Christiana charitas:* scilicet si abesse debent pastores ad componendas lites, vel inimicitias; præsertim inter potentes; vel ad opitulandum alteri ecclesiæ, quæ indiget eorum prædicatione, ut liberetur ab hæresi, vel aliis gravibus flagitiis; modo id non fiat cum notabili propriæ ecclesiæ detrimento. *S. Lig., n.* 124.—2.ª *Urgens necessitas:* v. g. si ipsi pastori immineat extrinsecum mortis periculum peculiare ab inimicis, vel gravis damni in bonis absque parochi culpa, et dummodo præsentia ejusdem non sit necessaria ad subditorum salutem, et alias sufficienter per vicarios ipsis provideatur. Ex *S. C.,* ut dicunt *Ronc., Fagn,* etc., eo in casu parochus discedere potest per sex menses, licentia obtenta, idoneoque vicario relicto; quæ prorogari potest, si inimicitia perdurat: sed transacto anno, debet parochus omnino induci ad resignandam, vel permutandam ecclesiam. Ita parochus punitur sine culpa, sed non sine causa, ut notat *Glosa* in *cap. Tua nos de cler. ægrot. De Luise n.* 688, *S. Lig. n.* 124 *cum communi.* Minime abesse permittunt in periculo communi totius populi; v. g. tempore pestis,

vel incursionis hostium, ut supra.—Commmuniter excusantur pastores a residentia ob intrinsecum infirmitatis periculum, v. g. ob aëris insalubritatem, vel si quis infirmetur, et eo in loco parochiali curari nequeat defectu medicorum, vel medicinarum; tunc dari potest ab Ordinario trium, aut quatuor mensium dilatio, ut in vicinioribus remaneat, sanitatis gratia, relicto idoneo vicario, ex *S. C. C.* 1573, *et* 7 *jul.* 1646.; sed qui titularem vicarium jam habet, si non sufficiat, alium relinquere videtur obstringi, et a se solvendum; alias nemo parochum absentem supplet, qui tamen integram accipit assignationem suam cum fidelium detrimento; modo infirmitas non sit perpetua, et absentia graviter nociva ovibus; hoc enim in casu, vel residere, vel resignare deberet pastor. *S. Lig., ibid., Salm., Bellarm., cum communi.*—3.ª *Debita obedientia;* Episcopi ut Papæ obediant; parochi ut pareant Ordinariis ob bonum Ecclesiæ, vel reipublicæ, vel ob quamcumque aliam gravem causam; dummodo absentia sit ad modicum tempus; alias requiritur absoluta necessitas boni communis. *S. Lig., n.* 125, *Salm., n.* 103, *cum communi.* Minime vero abesse ad visitationem potest, vel ad aliud servitium diœcesis, sive secretarii, fiscalis, sive prædicatoris, et similium, nisi pro tempore illi permisso duorum mensium, prout declaravit. *S. C. C.* apud *Vivam, n.* 8, et tenent *Salm., n.* 122, *S. Lig., ibid. cum communi.* Quadrimestre concedit *De Luise*, *n.* 688, absentiæ parocho quoad visitationem diœcesis ab Episcopo ordinatam. Neque assumi potest parochus ad Vicarium generalem, parocho remanente, præsertim si parochia extra civitatem sit. *Del-Vecchio*, *n.* 441.—4.ª *Evidens Ecclesiæ, vel reipublicæ utilitas;* v. gr. ut synodo intersit Episcopus, vel parochus; vel ut defendat se, aut suos, aut Ecclesiam apud regiam curiam in gravi negotio; minime vero ad fungendum officio consiliarii, deputati, nisi id exigat bonum commune; si desint alii, qui æqualiter, vel fideliter talia officia exercere valeant. *Barb., Garc., S. Ligor., n.* 125. Ad familiam propriam defendendam, ex Bened. XIV, non concedantur nisi menses conciliares, Bulla *Ad universæ* 1746. Item probabiliter abesse possunt, ut S. Scripturam, theologiam, aut jus canonicum doceant, ut tenent *Barb., Ronc., Gonzalez;* non autem ut ipsi præfatis studeant; nec suffragatur Episcopi licentia, ex *S.* C. 1 *jun.* 1595, *De Luise, n.* 688: nec ut grammaticam doceant.—*Discedendi autem licentiam in scriptis, gratisque concedendam, ultra bimestre tempus, nisi ex gravi causa, non obtineant.* Trid. ibid. Unde non sufficit, ut licentia sit petita, nisi etiam fuerit obtenta. Episcopo eam negante, ad superiorem fiat recursus, vel teneatur residentia. Ita *Ferraris, Reiffenst., aliique.* Tamen *Viva, Less*, *n.* 158, *et alii,* quorum opinionem non putat improbabilem *S. Lig., n.* 123, tenent sufficere licentiam oretenus, dicentes, scripturam pro externo foro tantum requiri. Ex S. C. Cong. satis est, et necesse, ut de Episcopi licentia constet; ita invaluit usus. Hoc deduci videtur, ex Trid. verbis. *Interea meminerint discessuri, ita ovibus suis providendum, ut quantum fieri poterit, ex ipsorum absentia nullum damnum accipiant... Ita tamen, ut quandocumque eos, causa prius per Episcopum cognita, et probata, abesse contigerit, vicarium idoneum, ab ipso Ordinario approbandum, cum debita mercedis assignatione relinquant,* scilicet cum congrua portione fructuum dictæ parochiæ arbitrio ipsius Episcopi, ut habet *De Luise, n.* 688.—*Coninch., et Reg.* dicunt sufficere tacitam licentiam, saltem si talia concurrant signa, ut constet Episcopum consentire.

530. **Pœnæ contra non residentes statutæ** sunt sequentes. *Si quis autem... contra hujus decreti dispositionem abfuerit, statuit S. Synodus, præter alias pœnas,... ac mortalis peccati reatum, quem incurrit; eum pro rata temporis absentiæ, fructus suos non facere, nec tuta conscientia, alia etiam declaratione non secuta, illos sibi detinere posse; sed teneri... fabricæ ecclesiarum, aut pauperibus loci erogare, prohibita quacumque compositione.*(Trid. sess. 23, cap. 1). Hinc: 1.° Si Episcopus absit cum justa causa, ast sine licentia, ex Benedict. XIV, Bulla *Ad universæ,* ultra menses conciliares, ad restitutionem tenetur, et uti transgressor habetur. Parochus vero, juxta *Vivam, n.* 7, non obstringitur restituere nisi post sententiam, modo per alios suis ovibus sufficienter provideat; siquidem non læditur nisi jus positivum. (V. n. 720).

731. **Parochi remotio.** *Quod si... contumaces fuerint, liberum esse vult Ordinariis, per censuras ecclesiasticas, et sequestrationem, et subtractionem fructuum, aliaque juris remedia, etiam usque ad privationem, compellere.* Trid. ibid. Et juxta *Garc. de benef. p.* 3, potest Episcopus pro arbitrio procedere, etiam posthabitis censuris, ad sequestrationem, et subtractionem fructuum, servato tamen juris ordine; indignus equidem est munere suo: in contractibus nullum servari debet jus illi, qui suum alii parti non servat. Aliunde consultius est, ut aliquod patiatur detrimentum pastor incuriosus, quam ut pereat tota populi gens. Ast pœna privationis post Trid. fieri debet per sententiam; ut reus de contumacia convincatur, sive citetur personaliter, quod congruum est, sive per edictum januæ parochialis ecclesiæ affixum, arbitrio Episcopi. Non sunt expectandi sex menses, ut tenet *Garcia,* sed sufficit, ut elabatur assignatum tempus, ut eruitur ex Concilio. Et ita procedendum etiam videtur contra parochum canonicum, dummodo canonicatus non distinguatur ab ipsa parochiali præbenda; nam Trid. indistincte loquitur de omnibus parochis, et de illis, *qui beneficium aliquod ecclesiasticum, curam animarum habens, obtinent.* Nec jus divinum, et naturale attendit ad subtilitates, ait *Garcia,* sed ad effectum, et substantiam. *Scavini, p.* 261.

Parochum inhabilem removeri expedit, et aliquo modo fieri potest per coadjutorem eidem constituendum, qui congruam habeat portionem ex redditibus parœciæ, vel aliunde profectis, ex *Inn. III, Alexand. III,* et *S.* C. C. 27 *jul.* 1867. Tamen parœciæ privatio, si parochus sit perpetuus, fieri tantum potest, cum de culpis gravibus constat, judiciali ordine servato. Canonica vero remotio ex imperitia, et incapacitate ad regendum, uti par est, parœciam, vel ex gravi odio, et aversione plebis, quibus extantibus parochus consulere parœciæ amplius non valeat, fieri potest ex judicis sententia. *S. R.* C. 22 *dec.* 1860, *de Luise, n,* 691. In hisce circumstantiis opus omnino est, ut parochus, vel resignet, vel coadjutorem assumat, congruam agendi libertatem ei concedendo: alias Ecclesiæ sacramenta, mores, fides, et pudor deperdita videntur.—Demum præstat, ut parochus suis indicet, quo circiter pergit, dum exit a domo, ut in necessitate citius inveniri queat. Alicubi uno, vel altero campanæ ictu vocatur.

CAPUT IV.

De Parochi obligationibus quoad ecclesiam, et sacras functiones.

732. **Parochi curare debent**: I. Ut omnes ecclesiæ parœciæ, earum altaria, vasa sacra, suppellectilia, et cætera ad sacrum usum destinata decore niteant, juxta illud: *Domum tuam decet sanctitudo Domine in longitudinem dierum.* (Ps. XCII).—Qui suæ conscientiæ decorem amat, et curat, suæ ecclesiæ, et domus Dei nitorem non omittit; e converso... Id meminerint parochi, præsertim senes. Sed quid de illis suspicari licet, qui pingues custodientes ecclesiæ redditus, paucis, miserrimis, immundis paramentis tantum gaudent, etiam in solemnioribus festis?

Reparentur ergo res reparatione indigentes, et ad divinum cultum pertinentes. Qui avarus est Deo, quid erit sibi, et pauperibus? *Nos decentiam, et munditiem desideramus, quas nemini detrectare licet; quia etiam cum paupertate bene convenire, et componi possunt*, ait Benedict. XIV, Const. *Annus*, 9 febr. 1749.

733. Sine Ordinarii licentia de novo ecclesias, vel oratoria, aut altaria extrui non permittat parochus; nam id curam dividit, et sæpe decoris defectum in posterum introducit. Item videant pastores, ut decenter pingantur imagines; et si aliquæ deformes sint, et non ad devotionem, sed ad risum moveant, curent eas cum magna prudentia tollere; forsan quin populus aliquid de ipsis sciat, neque quis id ordinavit, ac fecit, ad conflictus vitandos.

734. II. Eligere studeant, in quantum possint, ecclesiæ, et altarium administratores probos, ac providos; vigilent, ne aliquid detrahant, sed fideliter redditus notent, ac custodiant, ne illi rapiantur, aut in profanos, vel minus utiles usus ipsos impendant, ac lites cum eis vitent: ad omnem suspicionem avertendam, ne faciles sint parochi apud se ecclesiæ proventus custodire; imitentur Paulum, qui collectas eleemosynas ab aliis retineri voluit. Sed hodie in praxi oppositum plerumque est tenendum. *Memorare debent æditui bona, quæ ad divinum cultum, nec non ad Ecclesiæ, ejusque ministrorum sustentationem oblata sunt, in Ecclesiæ potestatem transire. Sicut autem Episcopi ex ordinatione divina sunt qui præsunt Ecclesiæ, ita ipsi non possunt ab eorum bonorum cura, dispositione, ac vigilantia excludi,* ait Pius VII, Bulla ad Arch. *Baltimora*, 24 aug. 1822.

Tamen si adesset contraria legitima consuetudo, bene permitti posset ea bona a laicis administrari, cum libertate moderandi, et expendendi ab Episcopo, vel ecclesiæ rectore, juxta usum. Hinc Rota, 22 apr. 1678. *Bona patrimonialia fabricæ ecclesiarum parochialium, maxime stante consuetudine, possunt per communitatem seu laicos administrari.* Quod supponit etiam Tridentinum. (Sess. 22, c. 9, de R.)

735. III. Ut inventarium bonorum ad parochiam pertinentium conficiant, libros, instrumenta omnia, sacras Reliquias, indulgentiarum litteras, superiorum decreta, et similia in apposito tablino, clave munito,

conservent. Interest honori proprio, Ecclesiæ, ac communi bono. (Vide *Laurenium, Forum beneficiale*, part. 1, q. 446).

IV. Ut bona, jura Ecclesiæ, et suæ parochiæ tueantur: hac de causa in beneficii consecutione juramentum emittunt. Et si aliquas expensas agere debeant, vel incommoda sustinere, de natura rerum humanarum esse sciant. Sed probrosum etiam est parochum videre diligentem in temporalibus defendendis, ac negligentem in spiritualibus. Unde si expensæ prudenti judicio extraordinariæ non sint, non ideo videtur onerum parochiæ postulanda imminutio, sicuti neque onera augeri solent, etsi augeantur proventus.—Quoad restaurationem ecclesiæ, et domus parochialis, ait Tridentinum, *sess.* 21, *c.* 7, *de R.: Parochiales vero ecclesias, etiam si juris patronatus sint, ita collapsas refici, et instaurari procurent* (Episcopi) *ex fructibus, et proventibus quibuscumque, ad easdem ecclesias... pertinentibus. Qui si non fuerint sufficientes, omnes patronos, et alios, qui fructus aliquos, ex dictis ecclesiis provenientes, percipiunt, aut, in illorum defectum, parochianos omnibus remediis opportunis ad prædicta cogant, quacumque appellatione, exemptione, et contradictione remota.*—Quod de ecclesia parochiali decernitur, eodem fere modo de domo parochiali intelligitur.—Nomine parochianorum veniunt etiam, qui bona possident in parochiæ territorio, ex decisione *Consilii Status Italiani* 1861.—Patronus non tenetur, nisi aliquam fructus partem percipiat, pro rata; vel aliter beneficium sustineri non possit, et ipse velit patronatum servare. Tamen si parochia est de jure patronatus, ad id tenetur, ait *Ferraris, Del-Vecchio*, *t.* 1, *n.* 617.

736. Q. *Quid dicendum de ecclesiæ scamnis?*

R. I. Invito Episcopo, laicus non potest locum specialem sedendi in ecclesia sibi vindicare, cum sit quædam species servitutis ecclesiæ imposita.—Tamen ex Episcopi, vel rectoris ecclesiæ licentia, si talis sit consuetudo, pluries declaravit *S. Congr.*, quod fideles possunt jus illud acquirere, ad hæredes transmittere, ac publico instrumento vendere, cum solus honor vendatur. *(Del-Vecchio*, *t.* 1, *n.* 624).

Si antiqua ecclesiæ forma immutetur, sedilia laicorum reponi debent eodem ordine, vel in loco æque digno, quo antea. *(Rota R. in Pampilonensi, dec. rec.* 358, *p.* 2.ª). Sed semper collocari debent, ita ut non obstent sacris functionibus, ac fidelium commoditati. *(Vide Ferraris, Ecclesia, art.* 5).

737. **Quoad sacras functiones**: parochus curare debet, si vult, ut populus in virtutibus proficiat, eum ad ipsas allicere. Hinc: 1.° Sordes, ac defectus in sacris minime toleret, quæ etiam in profanis conventiculis indecentes forent.—2.° Religiosam observantiam in cantu curet; nam *cantus in ecclesia mentes hominum lætificat, fastidiosos oblectat, pigros sollicitat, peccatores ad lamenta invitat*, ait S. Bernardus *(ad Soror., de modo vivendi, c.* 25, *n.* 122). — 3.° In omnibus cæremoniis diligentiam adhibeat; cum magno enim apparatu, his rite peractis, *excitatur animus ad rerum sacrarum venerationem, mens ad superna elevatur, nutritur pietas, fovetur charitas, crescit fides, devotio roboratur, instruuntur simpliciores:* ita *Bona*.—4.° Parochi cordi esse debent sodalitates, earum zelum prudenter excitando, concordiam ardenter fovendo, illasque patienter sustinendo; nam per eas mirifice cultus propagatur. Ibi æmulantur charismata meliora; accipiuntur probitatis exempla; confessionis, et Communionis sacramenta frequentantur; opportunæ instructiones statui peculiari

dirigi queunt. Utinam omnes parochi erigerent, vel foverent sodalitates juvenum, sub nomine S. Aloysii; mulierum, ac hominum separatim sub titulo SS. Cordis Jesu, et Mariæ, S. Vicentii a Paülo, charitatis christianæ ad docendum pueros, infirmis succurrendum, etc.! Hodie omnia pietatis media sunt exercenda.

Parochus ratione parochialis officii jurisdictionem non habet super publicis oratoriis intra fines suæ parœciæ existentibus. Quare ad alios, quorum interest, celebrare independenter a parocho spectat ecclesiasticas functiones, servatis servandis, dummodo parochiales non sint. *De Luise, n.* 690. In erectione confraternitatum, vel novarum ecclesiarum debet semper apponi clausula: *sine præjudicio jurium parochialium. (S. C. Episcop., in Cajetana* 12 *decembris* 1631). Tamen Missas in festivitatibus canere, festivitates, et vigilias populo annuntiare possunt in suis oratoriis sodalitates sine parochi dependentia *(S. R. C., mart.* 1711), nisi ecclesiæ parochiali illa oratoria sint adnexa.—Neque se ingerere potest parochus in administratione oblationum, et eleemosynarum in dictis ecclesiis collectarum.—Neque ferre potest jure ordinario suffragium decisivum, etsi in suis congregationibus intersit de Episcopi mandato. *(S. R. C., confirmante Pontifice* 12 *jan.* 1704, *Del-Vecehio, t.* 1, *n.* 625.)—Clemens VIII, Bulla *Quæcumque*, 7 *dec.* 1604, statuit, ut una tantum erigatur in uno loco confraternitas ejusdem generis, ac erectio fiat ab Ordinario, cujus est constitutiones approbare.

Non licet parocho in templum inducere vexilla profana, ibique celebrare solemnitates clamosas ad solum finem agitandi festa sæcularia, atque in rebus mere politicis. Ita *S. C. Episcop. et Regular.*, 15 jan. 1848, respondit ad Vicar. Capit. *Januensem.*—Quoad nocturnas functiones, quæ in ecclesia fieri prohibentur, sciri debet, ex hodierno, et communi usu id intelligi, si sacra protrahantur ad multam noctis partem; secus fideles in diebus ferialibus convenire non possent.

738. Q. *Quid de processionibus?*

R. 1.° Eas indicere, et moderari ecclesiasticæ auctoritatis est.—2.° In hisce devotio mirifice fovetur, catholica fides roboratur, iisque nos Deum fatemur supremum dominum rerum omnium, ac bonorum largitorem.—3.° Prohibetur parochis processiones extraordinarias indicere sine Episcopi licentia. *(S. C. Episcop.*, 1636.)—Processiones duci nequeunt extra limites parochiæ sine licentia alterius parochi, nisi agatur de processionibus Corporis Christi, et per octavam. *(S. R. C.,* 1 *dec.* 1830).—4.° In processionibus, in quibus defertur SS. Sacramentum, vel lignum S. Crucis, tum clerici, tum sæculares detecto capite incedere debent; in aliis, in quibus Reliquia, vel statua Sanctorum defertur, qui eas deferunt, detecto capite, alii vero clerici incedere possunt tecto capite cum birreto. *(S. R. C.,* 1 *dec.* 1657, *et* 1688).—5.° Assistentes celebranti, et clerici, qui processiones dirigunt, non deferant birretum. (*S. R. C.*, 23 *sept.* 1837)—6.° Processio in festo S. Marci, et in feriis Rogationum, quoties ex temporis inclementia fieri nequit extra, congruentius fit intra ecclesiam, si hæc capax sit. *(S. R. C.*, 14 *aug.* 1858).—7.° In Majori hebdomada prohibentur processiones lætitiæ, v. gr. patroni occurrentis, sicut et Missa solemnis. (*S. R. C.*, 4 *aug.* 1663).—Parochum, ne jure, vel injuria discrimini se committat, scire oportet, quæ localis potestas hac de re præscribit, et consultius erit ipsi obtemperare, quam sese exponere.

CAPUT V.

De Parochi obligationibus quoad populum.

Præcipuas parochi obligationes quoad populum sequens exhibet versus: *Corripe, nosce, doce, solare, precare, ministra.*

739. I. **Oves suas cognoscere** *ex præcepto divino parochus debet.* Patet ex Tridentino (Sess. 23, c. 1, de R.). *Cum præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere,* nempe indolem, statum, ac necessitates earum, hoc præstet si velit illud sibi sumere: *Ego sum Pastor bonus; et cognosco* (oves) *meas.* (Joan., x, 14). —Parochus prudenter curet interrogare parentes, ac dominos circa liberos, servos, operarios, ac videre utrum præcepta Dei, et Ecclesiæ observent, quin loquacitates fœminarum audiat, ac curiositatis, vel temeritatis notam incurrat.

740. II. **Verbum Dei prædicare** *tenetur* hodie *parochus* jure *ecclesiastico, divino,* ac *naturali.* 1.° *Jure ecclesiastico:* Patet ex Trident., sess. v, cap. 2, dicente: «Quia vero christianæ reipublicæ non minus necessaria est prædicatio Evangelii, quam lectio, et hoc est præcipuum Episcoporum munus; statuit, et decrevit eadem sancta Synodus, omnes Episcopos, Archiepiscopos, Primates, et omnes alios ecclesiarum prælatos teneri per se ipsos, si legitime impediti non fuerint, ad prædicandum sanctum J. C. Evangelium. Si vero contigerit Episcopos, et alios prædictos, legitimo detineri impedimento; juxta formam generalis Concilii, viros idoneos assumere teneantur ad hujusmodi prædicationis officium salubriter exequendum. Si quis autem hoc adimplere contempserit, districtæ subjaceat ultioni.

Archipresbyteri quoque, plebani, et quicumque parochiales, vel alias curam animarum habentes, ecclesias quocumque modo obtinent, per se, vel alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem Dominicis, et festis solemnibus, plebes sibi commissas pro sua, et earum capacitate pascant salutaribus verbis, docendo ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, annuntiandoque eis cum brevitate, et facilitate sermonis vitia, quæ eos declinare, et virtutes, quas sectari oporteat; ut pœnam æternam evadere, et cœlestem gloriam consequi valeant. Id vero si quis eorum præstare negligat, etiam si ab Episcopi jurisdictione quavis ratione exemptum se esse prætenderet... ubi ab Episcopo moniti trium mensium spatio muneri suo defuerint, per censuras ecclesiasticas, seu alias ad ipsius Episcopi arbitrium cogantur, ita ut etiam, si ei sic expedire visum fuerit, ex beneficiorum fructibus alteri, qui id præstet, honesta aliqua merces persolvatur, donec principalis ipse resipiscens officium suum impleat... Neque hujus decreti executionem consuetudo, vel exemptio, aut appellatio, aut reclamatio, sive recursus impedire valeat.» Id ipsum mandat Conc., sess. 24, cap. 4.—2.° Jure divino: ait enim Apostolus (II Tim. IV): *Prædica verbum, insta opportune, importune.* Et Rom. x. *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.* Et Christus dixit: *Euntes ergo docete omnes gentes.* (Matth. XXVIII). Unde Trident. ait: *Cum præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas*

agnoscere... Verbique divini prædicatione... pascere. (Sess. 23, cap. 1.)— 3.° *Jure naturali;* nam merces sub tali conditione oves doctrina sana pascendi ei datur: et addi potest sola ratione, et natura sui ministerii, et officii ad illud teneri. Et quæso: *Quis ab hoc onere dispensare potest?* Neque Episcopi, neque Summi Pontifices aliquid possunt in lege naturali, et divina, et maxime cum agatur de jure, et damno tertii, uti in hoc hodie evenit. Unde sequitur:

Primum. Commune, ac receptum inter theologos est, a mortali non excusari qui per tres menses, etiam discontinuos in anno, vel per se, vel per alios idoneos non prædicant.—Imo rationabiliter dicunt *Barb., Bon., Salm., n.* 145, *Scavini, Del-Vecchio, n.* 448, *S. Lig., l.* 3, *n.* 269, *cum communi,* eum quoque graviter peccare, qui per integrum mensem non concionatur. Minus quidem temporis spatium ad mortale sufficit, si populus prædicatione graviter indigeat. Habenda siquidem est ratio majoris, vel minoris necessitatis. Ast ubi non reperiuntur hodie vitia, ignorantiæ, errores, et urgentes morales necessitates? Quomodo tranquille vivere, et Sacrum facere audebit parochus, qui ob leves causas hanc doctrinam irridet futilibus ratiunculis, aut impedimentis, vel majorum suorum exemplo innixus, vel de ea implenda parum curat? Hinc absurda est, ac ss. canonibus, et rationi contraria, praxis eorum, qui ratione frigoris, vel caloris, festivitatis, vel confessionum, et similium a prædicatione in festis vacant; et nescio quomodo in confessione absolvi possint, quin se emendare statuant.

Qui pias lectiones habet, ait *Gury*, non obit munus suum; quia lectio non est prædicatio, nisi aliter facere non possit; tunc vero identidem per alium adimpleat, vel Episcopum de impedimento moneat; secus applicare sibi poterit illud: *Vocatis me Domine, Domine: et non facitis quæ dico?* (Luc. VI). Si vero parochus transitorie infirmatur, excusari potest. Si autem infirmitas, aut inhabilitas quævis perpetua, vel diuturna videatur, officio cedere, vel coadjutorem ab Episcopo petere tenetur, sicut ipse facit cum sua ancilla, quando ei servire jam amplius non valet. Imo Episcopus, eo casu, parochi impensis, alium deputare tenetur, prout expedire censebit, saltem omnibus dominicis, et solemnibus diebus festis; nam ipse est pastor pastorum. *De Luise, n.* 694, *Trid. sess.* 24, *cap.* 4, *de R., et sess.* 23, *c.* 1. Est de justitia commutativa, ut qui mercedem, et officium accipit, munus rite adimpleat; secus præter peccatum ad restitutionem tenetur.

Secundum: qui *prædicationem audientium capacitati, ac necessitati accommodatam non agit,* ob nimium ornatum, vel ad voluntates captandas, vel ob studii defectum, a gravi peccato non excusatur; nam tunc idem est ac non prædicare; et Trid. parochos expresse jubet, ut plebes pascant pro *earum capacitate;* et ipsa ratio id præscribit. Hos P. Avila *proditores animarum* vocat, qui se ipsos prædicant, et quorum prædicatio fidem non pascit. Hac de re *quot damnabuntur parochi!* exclamat *Scavini, p.* 269.

Tertium: Minime munus suum adimplent, qui sine ulla, vel modica præparatione sermocinant, ut in oppidulis sæpe auditur; ita ut sine ordine, cum fastidiosis repetitionibus, ac vulgaritatibus chorum faciunt cum illo parocho Acquensi, de quo ajebat suus Episcopus: *Curatus noster dum super ambonem ascendit, nescit quid erit dicturus; dum dicit, nescit quid dicat; et finita oratione, ignorat quid dixerit.* — Prædicatio nostra, vult *D. Bernardus,* ut sit *deliciosa ad saporem, solida ad nutrimentum, efficax*

ad medicinam. (Serm. 67 *in Cantica*). Laborem exigit fructuosa prædicatio. *Quod parum constat, parum valet.* Unde recte ait *Frassinetti:* Sacerdos qui capacem se non sentit prædicationi, numquam aspirare potest ad parochi officium. (V. *Del Vecchio, l.* 1, *n.* 638).

Utilissimum erit, ut parochus Missionarios aliquoties in suam parœciam vocet. Sumptus expendet certo; at omnes satis superque compensabuntur tot animarum conversionibus ob oculos positis, tot sacrilegiis remedio adhibito, tot dissentionibus, odiisque inveteratis per charitatem interfectis, tot famæ, bonorumque temporalium restitutionibus subsecutis. Parochus ille, qui Missionem, data opportunitate, non curat, suorum morum suspicionem profecto ingerit, ait *S. Alphonsus.* Hoc urget Benedict. XIV Encyclica *Gravissimum* 1745, et Pius IX Encyclica *Nostis* 1849. Hic recordari licet, quod pastor tenetur etiam cum magno suo damno temporali magnam utilitatem subditis procurare. Ita *Suarez.*

Quando Missionem integram consequi nequeat, saltem quotannis aliquis zelo plenus prædicator vocetur in unaquaque parœcia, et melius bis in anno ad prædictos effectus consequendos, v. gr. in Quadragesima, et dein post æstivum tempus. Ex Trid. sess. 4, cap. 2, regulares in alienis ecclesiis prædicare non possunt sine Ordinarii licentia, nisi id esset pro duobus, aut tribus vicibus, ut ajunt *Barb., Dian., Nav., Salm. aliique;* aut dummodo Ordinarius non maneret inibi, et religiosus transeunter ibi esset: tunc potest parochus illi licentiam concedere, ut concessit Greg. XIII. Ita *Salm. n.* 184, *S. Lig. n.* 125. Cum Ordinarii venia concionari valet, contradicente parocho.

Si parochus fructum Missionis perdurare velit, curet ut post eam populus assidue oret, sacramenta frequentet, ludos, et occasiones fugiat, confraternitates foveat, omni modo ad vomitum redire impediat.—*Et Episcopi viros idoneos, ad sanctæ prædicationis officium salubriter exequendum, assumant, potentes in opere, et sermone, qui plebes verbo ædificent et exemplo,* ait Conc. *Lateran. IV.* Non potest parochus solitam eleemosynam exigere, neque titulo paupertatis, quando per se ipsum in sua ecclesia, in qua prædicare solet, vellet conciones habere; quia proprium munus adimplet; nisi in casu, quo universitas, vel nominator parochum deputasset, aut sponte solvere vellet. (*S. C. Episcop.,* 30 *jun.* 1615).—Si communitas consuevit eligere, et solvere, talis consuetudo observanda est. (*S. C. Episcop.,* 7 *febr.* 1615 *et* 1696).

741. Q. *Quid in prædicatione cavendum est?*

R. 1.° *A vanitate:* qua de re D. Bernardus in Cant... *Illius doctoris libenter audio vocem, qui non sibi plausum, sed mihi planctum moveat.*— 2.° *A prolixitate: Sermonis satietas non minus auribus inimica est* (ait Nazian., orat. 40) *quam immodicus cibus corpori.* Et D. Thom. in illa Apostoli verba: *Perpaucis scripsi vobis,* ait: *Sermones breves valde accepti sunt; quia si sunt boni, avidius audiuntur; si vero mali, parum gravant.* Una hora satis erit in Missionibus, et forsan melius aget dimidia tantum; at in parochiali Missa sufficiet unus quadrans horæ, et ad summum in Adventu, et Quadragesima ad dimidiam horam extendi poterit. Imo in diebus anni difficilioribus ratione caloris, pluviæ, frigoris, etc., etsi ad quadrantem non pertingat, abs dubio prudentius, ac fructuosius erit verbum Dei.—3.° *Ab omni abjectione,* etsi pauci adsint auditores. Lætabatur Salesius, quando ascendens ad suggestum, paucos auditores videbat; ali-

ter se habere, signum amoris proprii est; tunc habentur placidæ conversiones; optimum sermonem dici oportet; erit saltem hæc melior invitatio, quam dura quælibet increpatio; et sic altera die plures ad audiendum venient. — 4.° *Ab intempestivo zelo;* curandum valde est, ne incautis verbis populus offendatur, vel ne aspere objurgetur; nemo malum se credit; nemo ergo expresse redarguatur. Prædicator est animarum venator, vel piscator, ac istos industria, et sancta solertia, ac suavitate imitari oportet; secus munus suum materialiter obibit, sed non formaliter. Quanto quis criminosior est, tanto majori suavitate, ac amore attrahendus veluti superbus infirmus; charitas omnia sustinet, et omnia vincit. — Recte vero advertit *Elbel* cum *Henno*, ait *D. Ligor.*, *l.* 3, *n.* 451, parochum peccantem cum pœnitente (suo), peccare etiam contra justitiam, cum ex justitia teneatur suas oves pascere verbo, et exemplo, ex Tridentino.

742. III. **Parochi sub gravi catechizare tenentur.** Hoc munere parochi nihil sanctius, nil inviolabilius esse potest; semel enim hoc despecto, nulli in parœcia mores, nulla religio, nulla fides; cum sine tali instructione neque ipsa christiana vita institui possit. *Opus sanctissimum* appellat illud S. Pius V, Const. *Ex debito.* — *Opus maximi momenti, maxime necessarium, requirens omnem curam, et diligentiam,* ait Benedict. XIV, Const. *Etsi minime.*—Tandem Pius IX Encycl. *Nostis*, 9 decem. 1849, ut impiorum fraudes, quibus vel ipsam catholicam fidem funditus evertere conantur, in irritum cadant, hoc præcipue inter cætera commendat, et præcipit, ut omnes ecclesiastici, præsertim qui sunt in cura animarum, *majori usque alacritate, prout temporum ratio postulat, in christianæ plebis instructionem incumbant.* Audiatur Trident.: postquam Episcopis, parochis, aliisque hujusmodi obligationem Evangelium prædicandi decreverit, de Episcopis, sess, 24, cap. 4, ait: *Iidem etiam saltem dominicis, et aliis festivis diebus pueros in singulis parochiis fidei rudimenta, et obedientiam erga Deum, et parentes diligenter ab iis, ad quos spectabit, doceri curabunt; et, si opus sit, etiam per censuras ecclesiasticas compellent: non obstantibus privilegiis, et consuetudinibus. In reliquis ea, quæ de prædicationis munere sub eodem Paulo III decreta fuerunt, suum robur obtineant.*

Unde nec instructionis locum tenet concio matutina, aut vespertina; sunt enim diversa munera. Hinc Benedict XIV, Const. *Etsi minime* 1742: *Duo potissimum onera a Trident. Synodo curatoribus animarum sunt imposita: alterum ut festis diebus de rebus divinis sermonem ad populum habeant; alterum ut pueros, et rudiores quoque divinæ legis fideique rudimentis informent.* Et merito aliud esse debet puerorum alimentum, et aliud adultorum.—Una est instructio incipientium, altera vero proficientium; et parochi, juxta Trident., pascere plebes debent pro earum capacitate; nam *fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.* (Rom. X). *S. Lig.*, *n.* 360.

Quilibet ergo parochus illud D. Pauli sibi aptare debet: *Necessitas enim mihi incumbit: væ enim mihi est, si non evangelizavero.* (I Cor. IX). —Neque ab hoc gravissimo munere excusatur parochus, quia alii religiosi, vel vicarii supplent; nam et ipse ex justitia tenetur, cum sit principalis pastor, et hoc præcipuum suum munus, valdeque difficile: ad hoc mercedem accipit, et non præcise ad instrumenta scribenda, aut

suam auctoritatem ostentandam.—Neque excusatur ob immemorabilem consuetudinem contrariam, vel consensum Ordinarii, aut sui directoris, vel ipsius Papæ, juxta hodiernam Ecclesiæ constitutionem, et ipsa perdurante; sicut dispensare non potest Papa, ut quis religiosus manens, substantialibus votis non teneatur; nam ad essentiam status illa spectant: homines nihil contra legem divinam, et naturalem possunt; et quæ de necessitate salutis sunt, non præscribuntur ob non usum. Numquid præscribi potest in patre obligatio non pascendi filios, eo quod plures sint incuriosi?—Neque excusatur ob exiguum audientium numerum; tum quia aliquando ex rectorum incuria dimanat; tum quia etsi unus tantum assistat, jus habet ad spiritualem pastum: parochus tunc imitetur Christum, qui pro una Samaritana sermonem habuit. (*Joan.* IV).—Unde *S. C. jussu Clementis X, anno* 1713, *confirmante Benedict. XIV*, *an.* 1744, declaravit, catechismum interrumpi non posse uno solo festivo die, neque vindemiarum tempore, etsi una tantum persona assistat. Qua ergo ratione tranquille vivere queunt illi, qui per vernum tempus, et alteri, qui præter Quadragesimam catechizare omittunt?

Resolves: 1.° Graviter peccare parochum notabiliter negligentem, vel imparatum in pueris catechizandis, scholis visitandis, rudibus instruendis; aut si justa causa hoc munus aliis commiserit, non vigilat, ut omnia convenienti modo fiant. (*Scavini, l.* 1, *n.* 640). Et si parochus advertat, dominos, aut parentes non curare, ut subditi catechismis intersint, tenetur cum Episcopo ex ipso Trident. (*Sess.* 24, *c.* 4 *de R.)* de opportuno remedio consilium capere.—Et si aliqui ob loci distantiam ad parochiam venire nequeant in festis, sacerdos in illorum oratoriis celebraturus tradere tenetur illis doctrinæ christianæ summam, ex Benedict. XIV, Const. *Etsi.* —Quæsitum fuit a *S.* C*ongr.* C*on.* an Episcopus cogere possit tum clericos, tum laicos ad officium ludimagistri conductos; tum laicos, tum clericos a nemine conductos, ut pueros, rudesque scholares doctrinam christianam edoceant. S. C., 17 jul. 1688, respondit: *Posse prius hortando, postea præcipiendo.*—2.° Idem dici potest de omnibus aliis clericis simplicibus, qui hac in re operam suam parochis commodare tenentur, ratione charitatis, si necessitas urgeat, et clerici parochiales non possint, vel nolint hoc munus adimplere. (*Scavini, p.* 271).—3.° Si aliqui rudes ecclesiam adire nequeant, quia greges custodiunt, vel laborant, curet parochus eos simul sero convocare, et ante primam Communionem, seu a 10 ad 12 annos apprime eos instruere, et idem perficere ante matrimonium.—4.° Si *surdo-mutos* habeat in parœcia, tenetur ipsis providere, ut idoneum magistrum adeant, vel ipse parochus, si sciat modum eos edocendi, doceat; secus videat, an addiscere possint saltem principaliora fidei dogmata; nam illi in absoluta versantur necessitate. Si stupidi non sunt, faciliter veritates capient: illi enim ex praxi christianorum plura cognoscunt ad salutem necessaria, experientia teste.—5.° Curet parochus pueros adnotare, ac separatim sexus collocare, ut omnes videre possit, et eos allicere ad ecclesiam libris, coronis precatoriis, imaginibus Sanctorum. Ibi enim populi plantarium habet, ac dirigit; et ipse etiam ejus bonos, vel malos fructus colliget, illud præ oculis pariter habens: *Qui ad justitiam erudiunt multos*, fulgebunt *quasi stellæ in perpetuas æternitates.* (Dan. XII). Protestantes liberaliter errores in scriptis profundunt; et parochi, ac sacerdotes indifferenter id aspicient; ita pecunia avidi, ut optimos libros

dare non valeant, quin famem pati pertimescant? Opponatur ergo ubique propaganda catholica hæreticæ.

743. IV. **Parochi sub gravi corrigere tenentur oves suas in** peccato mortali, vel in ejus proximo periculo existentes, etiam cum vitæ propriæ discrimine, non solum in extrema, sed etiam in gravi earum necessitate pirituali, si adsit spes emendationis, juxta illud: *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis.* (Joan., x). Qui in hoc deficiat, illam Dei exprobrationem expectet: *Si... non fueris locutus, ut se custodiat impius a via sua; ipse impius in iniquitate sua morietur; sanguinem autem ejus de manu tua requiram.* (Ezech., XXXIII). *S. Lig.*, *n.* 360 *cum communi.*

—Hæc parochorum gravissima obligatio oritur tum ex universali charitate, tum ex officio sacerdotali, tum maxime ex onere speciali, et ex stipendio, quod recipiunt ad parochianos a peccatis liberandos; nam ipsis commissa est salus uniuscujusque ovis, ideoque probabilius ex justitia sub restitutionis onere, si negligentes extiterint. *(Ita communissime cum Angelico*, *S. Lig.*, *n.* 360, *Scavini*, *t.* 1, *n.* 452). Et etiam inquirere tenentur an aliquis parochianus necessitatibus in iis versetur; nam *qui habet specialiter curam alicujus, debet eum quærere, ad hoc quod eum corrigat de peccato,* ait *Angelicus cum communi* (2. 2, *q.* 33, *a.* 2). Secus dic de aliis, qui generalem tantum obligationem erga proximos habent; istis enim sufficit corrigere, cum animadvertunt lapsum, vel proximum periculum. *S. Lig.*, *n.* 360, *S. Thom.*, *ibid.*—Hæc correctio, si fieri nequit per parochum, fiat per alios, v. gr., per delinquentium matrem, sororem, amitam, etc., si casus hoc permittat; si non directe, fiat indirecte; si non præcepto, fiat precibus: cum charitate, suavitate, et discretione facile obtinetur quod ait S. Chrysostomus: *Dixisti semel, et non audivit? dic bis, et ter, et toties, donec persuaseris.* (Homil. 21 in Matth.)—Ante omnia corrigendum honoret; deinde suaviter ei ostendat proprii officii munus, et simul ejusdem bonum cor, forsan rectam intentionem supponat; demum ob bonum ipsius nomen, ac populi exemplum humiliter emendationem petat. Aliquando forsan per epistolam obsequentissimam; et etiam aliquando serio salutando, visitationem consuetam negando, etc.

—*Secreto corrigantur oves;* secus superbia earum fructum impediet, ac in iram eam vertet pastor.—Si ita fieri nequeat, vel quia nimius est delinquentium numerus, vel quia privatim loqui cum illis est difficile, parochus prudenter in publicis concionibus, ac catechismis illa reprehendat mala, quin suspicari possit de quibus loquitur.—Si vero nullo modo fieri possit, pro eis oret; et *ubi non fuerit auditus, non effundat sermonem,* nisi ratione scandali aliud sit præcavendum.

—Hæc parochi obligatio tum vigilandi, tum corripiendi, præsertim ad parœciæ sacerdotes extenditur; quod si monitiones cum lenitate factæ non prosint, casum Episcopo deferat parochus, ne communicet peccatis alienis, et sic scandalum a parœcia avertat. Idem dicendum de alio quovis scandalo, si effulgeat emendationis spes. *S. Lig.*, *n.* 360. Nemo Ecclesiæ Dei ita nocet, sicut mali sacerdotes. *Quidquid feceris,* ait S. Hier. ad Heliod. ecclesiasticum, *id sibi omnes faciendum putant.*—Debet præcipue parochus apud Ordinarium impedire, ne habitus clericalis conferatur adolescentibus, qui suis moribus non sunt aliis exemplo; aut indolem ecclesiasticam non præseferunt, aut inhoneste vivunt, aut a sacramentis, ac ecclesiæ functionibus alieni sunt; et omnino resistere, quantumvis

ordinari nitantur; secus religioni magnæ erunt perniciei; nam si lupi sunt, mutabunt pilum, non mentem. *(S. Ligor., Hom. Apost., tr. 7, n. 33).* —*Maximo quo possumus studio*, ait Benedict. XIV, *Vicarios foraneos, aut parochos hortamur, ne testimonia ordinandis temere impertiant, ut Deum solum, non hominum... benevolentiam sibi ante oculos ponant, cum de virtute illorum testantur.* (*Notif.* 82). Rei magnitudo, sacerdotis dignitas... munus quo funguntur parochi id omnino postulant.

744. V. **Quoad Sacramenta.** *Parochi sub gravi, et ex justitia ea administrare tenentur* ratione officii, et stipendii: 1.° Quoties urget præceptum commune, vel particulare illa suscipiendi.—2.° Quando ea exigit alicujus necessitas, vel utilitas, et opportune postulantur, sive ad lucrandam indulgentiam, sive ad robur suscipiendum, etc., ideo constituti sunt pastores, ut oves spiritualiter, et accurate pascant, quod melius assequi non valent, quam Ecclesiæ sacramentorum frequentia, *per quæ omnis vera justitia, vel incipit, vel augetur, vel amissa reparatur.* Trid. sess. 17.

Resolves. 1.° Graviter peccant pastores *per se loquendo*, qui ministerium suum denegant, et etiam se morosos, et difficiles sæpe præbentes, ut merito ait *Gury;* vel qui ob suam segnitiem confessiones subditorum audire renuunt, Communionem eis distribuere, nisi statutis diebus; vel si ægre ferant, si quis mane, vel intra hebdomadam sacramenta petat, et diu eos spectare faciunt; tum quia fideles fere semper aliqua premuntur necessitate sive spirituali, sive temporali; tum quia sic fideles sensim sine sensu a sacramentis arcentur; tum quia sæpe redeundi adest impossibilitas, et plurimum spectare notabile affert incommodum domesticæ curæ, etc.; tum quia pastores contra justitiæ, et religionis munus aperte agunt. Unde ex decreto S. C. an. 1679, ab Innocent. XI appobato, pastores præscribere nequeunt dies Communionis pro omnibus generatim; non enim omnes illis diebus liberi erunt.

2.° Si parochus per se non sufficiat ad fidelium confessiones audiendum, sibi alium coadjutorem adjungere debet; et si redditus tenues sint, et populus frequens, hic necessaria ad sustentationem subministrare tenetur ex Bened. XIV, *Inst.* 94, *n.* 7; etenim sine sacramentorum frequentia nullibi eradicantur vitia, nec crescit fides, augetur pietas, meliorantur mores, experientia teste : at ubi fideles confessarios petere, ac expectare coguntur; ubi confessarii valde mane in confessionario non se sistunt, et fideles expectant, eosque instant *opportune*, et *importune*, nunquam talem frequentiam consquentur, neque conscientia tuti vivere queunt curati: parochi, coadjutores, et confessarii omnes valde mane in suo confessionario sedeant, orent, expectent, aliique non confessarii, si adsint, Communionem frequenter distribuant, et absdubio ibi orietur morum restauratio. E lecto non mane surgere forsan est præcipua causa sacramentorum recessus: et sacerdos qui in hoc vincere nequeat, numquam erit bonus pastor, sed mercenarius.

3.° Non censentur graviter peccare, si denegatio raro fiat, secluso scandalo, vel gravi petentis necessitate, aut contristatione; vel si pœnitens sit scrupulosus, qui tempus quotidie terere faciat; non enim adest necessitas, nec strictum jus ad tam frequentem absolutionem; quamvis confessarius benigne accipere, ac benevole consolari debeat fideles, quacumque turbatione laborantes. Ita ostendent se piscatores hominum, ac ministros Christi esse pastores, ac sacerdotes omnes.

745. Q. *An parochus omnia sacramenta administrare teneatur tempore pestis?*

R. Qui curam animarum habent, honorem, ac stipendium recipiunt; ideoque etiam cum periculo vitæ in gravi, et maxime in extrema spirituali subditorum necessitate, administrare devinciuntur saltem baptismum, et pœnitentiam; cum hæc duo sacramenta majoris sint necessitatis. *Scavini, l.* 2, *n.* 867, *Gury*, *n.* 213, *S. Lig.*, *l.* 2, *n.* 27. Imo valde probabiliter etiam Viaticum, et extremam-unctionem, quando saltem pœnitens nullo modo confiteri queat; nam ob corporis periculum non videtur tanto bono privandus, etiam pestis tempore. *Gury*, *n.* 214, *S. Lig.*, *n.* 233, *Croix*, *et alii.* Adde scandalum oriturum, si renueret pastor; tunc sane magis urget ejus ministerium, ad quod accipit stipendium. *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis.* Neque potest tunc officium suum renuntiare. *Salm.*, *S. Lig.*, *n.* 27, *S. Thom.*, *Croix*, *n.* 174, *etc.*—Attamen valde probabilis est sententia contraria quoad Eucharistiam, ait *S. Lig.*, *l.* 6, *n.* 233, ex declaratione *Gregor. XIII*, et ex approbatione *S.* C. C., 12 *oct.* 1576 dicentis, teneri dumtaxat administrare baptismum, et pœnitentiam. Sed responsum hoc *S.* C. frustra ab adversariis citatur, ait *Scavini*, *p.* 275, cum nullibi de sua transmissione indicium extet.—Excipe si parochus esset solus, et sani baptismo, et pœnitentia omnino indigerent ratione majoris necessitatis. In hoc quidem sensu ajunt rescriptum fuisse Vicario Apostolico *Algerino.*—Poterit tamen parochus alii sacerdoti præfata sacramenta committere, ut ipse confessiones benevalentium sine timore audire possit; cum alias sani eum reformidarent.

746. VI. **Parochus pro ovibus suis orare tenetur,** ut supernæ benedictionis effusio in illas descendat.—Imo expedit, ut cum suis parochianis, et aliis ministris simul publice in ecclesia oret, etiam ratione boni exempli, et ut in medio eorum Christum habeant. *(Matth.* XVIII). Tamen vi præcepti divini, ut Trident. docet., *sess.* 23, *c.* 1. *de R.,* tenetur pro populo suo *Sacrificium offerre,* juxta illud: *Omnis namque Pontifex... constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, et sacrificia pro peccatis.* (Hebr. v). Ad quos spectet talis obligatio, et in quibus diebus, definivit Benedict. XIV, Bulla *Cum semper,* 19 aug. 1744, statuens omnes parochos sive sæculares, sive regulares, vicarios, curatos, vel vice-parochos, aut œconomos ad tempus deputatos, (non autem Vicarios Apostolicos, et Missionarios, qui quovis modo curam animarum suscipiunt in aliquo determinato loco, nisi sedes episcopales, et parœciæ canonice erectæ jam sint, ex S. C. *de propag. fide*, 23 mart. 1863), teneri Missam pro populo applicare omnibus dominicis, ac festis tunc de præcepto, licet congruis redditibus destituantur; licet adsit immemorabilis consuetudo contraria; imo licet ipsis diebus permissum sit opera servilia excercere, ut aperte liquet ex responso S. C. C., 25 sept. 1847, et ex S. C., 7 dec. 1849. Si habeant diebus illis alias obligationes applicandi Missam, curare debent, ut illis per alios satisfaciant. *De Luise*, *n.* 690.

Verum tunc temporis præter eos, qui nunc celebrantur dies, alii festi erant, qui postea a Pio VI, 1786, et Pio VII, 1814, suppressi fuerunt. Pluries interrogata *S. C. C.*, ac *S. C. R.*, et *S. Pœnitentiaria*, responsum fuit, præfatam obligationem urgere. Nunc vero dubium omnino sustulit Pius IX, Encycl. *Amantissimi*, 3 maj. 1858, statuendo: *Parochos, aliosque omnes animarum curam actu gerentes, sacrosanctum Missæ sacrificium*

pro populo sibi commisso celebrare, et applicare debere, tum omnibus dominicis, aliisque diebus, qui ex præcepto adhuc servantur, tum aliis etiam, qui ex hujus Apostolicæ Sedis indulgentia ex dierum de præcepto festorum numero sublati, ac translati sunt, quemadmodum... memorata Urbani VIII Constitutio in pleno suo vigore vigebat, antequam festivi de præcepto dies imminuerentur, et transferrentur. Quod vero attinet ad festos translatos dies, id unum excipimus, ut scilicet, quando una cum solemnitate divinum officium translatum fuerit in dominicam diem, una tantum Missa pro populo sit a parochis applicanda.— Sane præceptum *applicandi* est a Deo, qui illud reliquit determinandum ab Ecclesia; præceptum autem *audiendi* est tantum ab Ecclesia, ut melius diem festum fideles sanctificent; nihil ergo mirum si nunc non hæc duo correspondeant.

477. **Resolves** : I. Obligatio hæc personalis est, et nulla valet in contrarium consuetudo, ex *S. C.* 25 *sept.* 1847 in *Mechlin.*, et parochus die festo a sua parœcia legitime, vel cum honesta causa absens, potest suæ obligationi satisfacere Missam applicando pro populo in illo loco, ubi est, ad quod non videtur requiri causa gravis, si cæteris obligationibus satisfacit (Act. S. Sedis, t. VII); et valet etiam committere sacerdoti substituto ad ejus vices gerendas in parœcia, ut Missam pro populo applicet, si nolit ipse eam applicare in loco ubi degit. (S. C. in *Comen.*, 11 maj. 1729). Et parochus, qui impeditus non potuit alium substituere ad celebrandum pro populo, uno vel altero die infra tempus secessus, tenetur postea totidem Missas pro populo applicare, ex *S. R. C.*, 14 *dec.* 1859.

II. *Posse quemlibet parochum, accedente justa, et legitima causa, adimplementum Missæ pro populo applicandæ alii sacerdoti committere.* (S. C. R. 22 jul. 1848). — Sed parochus utcumque legitime impeditus, etiam ob infirmitatem, tenetur Missam die festo per alium celebrari, et applicari facere pro populo in ecclesia parochiali. Quod si ita factum non fuerit, quamprimum poterit Missam pro populo applicare debet. *(S. C. C.*, 14 *dec.* 1872, *Scavini*, *l.* 1, *n.* 454). Si parochus sit simul canonicus, atque ad eum spectet Missam conventualem celebrare, tenetur alium suis sumptibus substituere, qui Missam applicet pro populo in parochiali ecclesia, die festo, ex *S. R. C.*, *Bouix*, *de Parocho*, *par. V*, *c.* 6.—Sufficit igitur Missa lecta. *(S. R. C.*, 20 *dec.* 1864).

III. Sed non omnes causæ habendæ sunt ut justæ, ac legitimæ. Hinc quæsitum fuit : 1.° *An parochi in dominicis, aliisque festis diebus, præsente cadavere, possint celebrare Missam pro defuncto, et ad aliam diem transferre Missam pro populo applicandam.* Respon. : *Negative.*— 2.° *An saltem applicationi Missæ pro populo supplere possint per alium sacerdotem.* Respondit : *Negative.* (S. Congr. C. in *Fessulana*, 26 jan. 1771). Hoc tamen non est accipiendum absolute; nam S. C. responsio videtur intelligenda de casu, quo parochus Missam pro defuncto non possit per alium celebrare; si enim possit, parochus Missam pro populo applicet, et alii Missam pro defuncto committat, cui tribuat elemosynam, quæ pro manualibus solet, et aliquid amplius pro incommodo, ut de Missa suo loco dicetur. *(Scavini, p.* 357). Si Parochus sit pauper, et congruos ad sustentationem fructus non habeat, potest cum Episcopi consensu in festis pro Missæ applicatione elemosynam accipere, celebrando pro populo intra eamdem hebdomadam (et anticipare), cum jam sit dispensata dies. *(Scavi-*

ni, ex citata Encycl. *Benedic. XIV*, et ex *S. Concil. C.*, 28 *nov.* 1761.)

Episcopus Novariensis quæsivit: *Cum plura beneficia a fundatione onus habeant Missæ in omnibus festis diebus applicandæ, dubium emergit, utrum singuli beneficiati ad id obligentur, etiam in festis hucusque ab Apost. Sede suppressis?*—S. C. Congr., 15 dec. 1856, respondit: *Juxta resolutiones alias in similibus editas teneri.* Nam festa reducta semper habentur in Ecclesia uti festa de præcepto; ideo capellani, parochi, canonici, qui in communitatibus, vel capitulis Missam cantare solebant in festis, ad id etiam tenentur. Res autem pro omnibus suppressionibus resoluta est.— Aliter dicendum quod Missæ celebrentur in tali ecclesia, vel altari a fundatore designatis, hodie cessat quidem finis ordinationis, qui erat ut commodius Missam fideles audire possent; ideo quoad festa suppressa celebrari ubique possunt; maxime si, Episcopo testante, illa ecclesia Missis abundet. (*Ita S. C. Episcop., et Reg.*, 1 *mart.* 1872, *penes Acta S. Sedis, t.* 7.) In Brevibus reductionis expresse cautum est, ut omnia peragantur uti prius in Liturgia, *tum quoad chori servitium, et Missarum celebrationes, tum quoad alias functiones ecclesiasticas*, ut ait Pius IX, 6 sept. 1853, pro regno Sabaudiæ.—Quæsitum 1.^m^ *An parochus qui duas parochias regit, et habet facultatem bis in die celebrandi, utrique parochiæ suam Missam applicare teneatur, etsi redditus exigui sint?* S. C. C., 25 sept. 1858, respondit: *Affirmative.*—2.^m^ *An parochus, qui in eadem parœcia ex facultate bis eadem die celebrat, utramque Missam gratis applicare debeat?* R. *Negative, firma prohibitione recipiendi eleemosynam pro secunda Missa.*— 3.^m^ *An Vicarii, et alii sacerdotes curam animarum non habentes, si quando ex facultate bis in die celebrant in parœcia, hospitalibus, etc., gratis debeant applicare?* R. *Negative, firma semper prohibitione recipiendi eleemosynam pro secunda Missa.* Unde videtur dicto parocho licere in festis diebus unam applicare Missam pro alio parocho defuncto juxta morem, ac societatem parochorum sic in aliquibus diœcesibus consulte erectam; nihil siquidem recipit temporale; sed tantum recipiet defunctus sacrificium spirituale, non stipendium.

748. **Parochus quoad pauperes.** Ex Trid. C. (sess. 23, c. 1. de R.) debet pauperum, et miserabilium *curam paternam* gerere, præcipue illorum, qui mendicare rubore impediuntur; secus non erit pater pauperum. Videat ne in eo illud Gregorii M. verificetur: *Mirandum sane, si is, qui vestes habet, cellaria habet, quod pauperibus debeat dare, non habet.* (L. 4, ep. 30). Vix autem dici potest, quam parocho noceat nota tenacitatis, et avaritiæ.—Necesse ergo est, monet S. Carolus, ut *inquirat studiose de pauperibus suæ parœciæ, præsertim puellis, ægrotis, senio confectis, aliisque personis temporali, vel etiam spirituali misericordia indigentibus, quibus ipse pro viribus opitulari, et alios suo exemplo, et hortatu ad id officium incitare studeat.* (In Act. Eccl. Mediol., p. 1).

749. **Parochus quoad infirmos.** Dicit Rituale hanc esse præcipuam ejus munerum partem; quare expedit, ut hortetur parochianos suos, ut ipsum moneant, cum aliquem ægrotare contingat: itemque etiam non vocatus, infirmum adeat, maxime si sit pauper, vel suæ animæ negligens. Neque semel, sed crebro infirmum invisere, ac consolari debet, et si aliqua necessitas adsit, tempestive sacramentis munire; ac tempore mortis, a qua salus æterna pendet, infirmi vires debiliores sunt, inferni vero fortiores, tunc eum non deserat, alia necessitate non urgente; plures libenter in

illo tunc verbum bonum audiunt, quod ante odio habebant; ac cum dolore cordis confitentur, quod nunquam confessi fuere; saltem meritum sui ipsius augere potest, circumstantes compungere, pluries repetendo: *Ab occultis meis munda me Domine.—Delicta juventutis meæ, et ignorantias meas ne memineris Domine;* et similia. Hæc est præcipua sacerdotis pars ad populi existimationem etiam acquirendam, et ad gravem obligationem probe adimplendam. Quid suspicari licet de illis, qui, præpropere collatis sacramentis, infirmum non amplius, vel nonnisi rarissime invisunt, segnitie ducti? profecto munere suo non rite funguntur.

—Gravissimis de causis inductum est, ut hospitalia a parochorum jurisdictione eximerentur, et capellanus quoad infirmos, ac ipsis inservientes proprius, veluti parochus constitueretur, tum quoad sacramenta, tum quoad funera. Excipe alicujus parvi oppidi hospitale, in quo nonnisi pauci unius parœciæ infirmi admittuntur, et parochus facile potest per se, vel per vicarium ægrotis præsto adesse. Tamen non pigeat parochum crebrius infirmos visitare, qui in eo morantur; forte qui illis subveniunt, non ex christiana charitate ducti, sed ex mercedis amore perperam id faciunt.

750. **Parochus quoad sepulturam, et funus ecclesiasticum.** *An religiosi dispersi quoad funera subesse debeant parocho loci, prout cœteri parochiani?* S. C. Episcop. et Reg., 25 feb. 1865 respondit: *Affirmative.* Jus agendi exequias super cadaveribus monialium spectat ad harum confessarios. *(S. R. C.,* 16 *mart.* 1808). Item associatio illarum cadaveris; sed fit sine pompa, et recto tramite cum stola, et Cruce. *(S. C.,* 24 *febr.* 1872).

Quando regularis fortuito decedit in aliqua parœcia, parochus non potest sibi vindicare jura funerum, sed est transferendum cadaver, si commode fieri potest, ad aliquam suorum regularium Ecclesiam. *(S. C. Episcop. et Reg.,* 21 *aug.* 1869).

Cum regularis defunctus sepeliri nequit in conventu, obstante, v. g. lege civili, ad cœmeterium commune deferre possunt religiosi cadaver cum stola, et Cruce conventus sine parochi interventu, modo sit absque solemni pompa, et recto tramite deferatur. *(S. R. C.,* 24 *jan.* 1846).

Ad denegandam ecclesiasticam sepulturam caute procedat parochus. Consulat prius Ordinarium, si tempus id permittat, vel alias Vicarium foraneum. En forma processus: primum ponatur in processu parochi communicatio: deinde Ordinarii litteræ testium examen præcipientis, prævia obitus attestatione a medico exhibita. Si vero Archipresbyter, vel alius fuerit delegatus ad conficiendum processum, hujus initium sumat a litteris Ordinarii: deinde obitus attestatio ut supra apponatur; cito notarium vocet, et in defectu illius aliam personam ad hoc accersat, sicque ad testium examen procedatur; et omnia cum decreto Ordinarii concedendi, vel denegandi sepulturam finiantur. *La Fuente.* (V. n. 280 et sequentes).

Por real órden de 3 de enero de 1879, explicando la de 30 de mayo de 1878, se manda que los gobernadores civiles y demás autoridades á quienes corresponda... procedan de acuerdo con los reverendos Prelados, *dejando libre* el derecho de la Iglesia, (pues no fué, ni pudo ser el objeto de dicha soberana disposicion despojar á la Iglesia), *para declarar quiénes mueren dentro de su comunion, y quiénes fuera de ella, y por consecuencia de conceder á los unos, y negar á los otros la sepultura eclesiás-*

tica, con arreglo á los sagrados Cánones, evitando toda profanacion bajo la mas estrecha responsabilidad de las autoridades que dejen de cumplir este precepto. Cuando muera alguno fuera de la Religion católica, entiérrense los restos en lugar decoroso inmediato, pero separado del cementerio católico, segun está prevenido.

CAPUT VI.

De parochi coadjutoribus, et fidelium obligationibus erga suum parochum.

751. **Coadjutores duplicis generis sunt**; alii *titulares*, et alii *fundationis*.

I. *Titulares sunt qui etiam curam animarum habent, licet tota in uno parocho sit ministerii principalitas*, ideoque et tota ratio reddenda in casibus occurrentibus. Ii generatim iisdem obligationibus, quibus parochi tenentur, ac insuper reverentiam, et obedientiam principali præstare. *(Del-Vecchio, n.* 459).—Quoad animarum curam in solidum obligantur cum parocho. —Eadem residentiæ lege tenentur, imo neque una die abesse possunt sine parochi licentia; nisi ex institutione possint per alium servire, vel nulla ipsis expressa residentiæ personalis obligatio injuncta sit. *De Luise, n.* 688, *S. C. C.* 13 *sept.* 1596, *etc.* In parochi absentia jure proprio omnia munia valide, et licite exercere possunt, et debent, Missæ pro populo, ac matrimonii celebratione exceptis, sine delegatione universali, vel speciali.—Potest parochus alium vocare sacerdotem, sed absque læsione jurium coadjutoris. Si parochus moritur, non ideo in ipsam ordinariam parochi jurisdictionem coadjutor succedit, sed Episcopi delegatione opus est.

II. *Coadjutores fundationis sunt qui ex beneficii fundatione habent, ut parochos coadjuvent, quin curam animarum habeant*, et dicuntur *capellani.*—Hi præter ea, quæ sacerdotibus sunt communia, residentiæ lege obstringuntur, ut sic coadjutoris munere fungi valeant.—Si capitale pro Missis infructiferum remaneat absque Ecclesiæ, vel capellani culpa, ad illas non tenentur.—Item pereunte capitali capellaniæ. (Ita *S. Conc. Congr.,* 7 *jan.* 1687).—Capellanus non devincitur per se ipsum celebrare, nisi id in fundatione cautum sit; neque obstrictus manet, si in ipsa tantum dicatur: *Ut Missæ celebrentur ab eo capellano, qui fuerit electus, vel hæres teneatur eligere capellanum, qui in qualibet hebdomada celebret Missas, v. gr., quatuor. (S. Conc. Congr.,* 18 *mart.* 1684*).*—Obligatus ratione capellaniæ, beneficii, legati, aut stipendii ad celebrandum quotidie *per se ipsum*, æquitate suadente, potest aliquando vacare, occurrente aliqua rationabili causa, uti infirmitas, spiritualia exercitia: excipe si in fundatione dispositum sit, ut quando *per se* non possit, celebret per alium. *(Scavini, n.* 459). (V. T. II, n. 647 et seq.)

752. **Vice-parochi** alii sunt *mercenarii*, et alii *titulares*. I. *Mercenarii sunt qui parochorum vices in parœciis gerunt, stipendio ab ipsis parochis convento*, ut illos in ministerio coadjuvent: parochus eos sibi sub gravi adjungere tenetur, si per se non valeat omnia implere. *(Trident.,*

sess. 21, *c.* 4, *de R.*). —Isti sub gravi, et ex justitia parochum juvare tenentur, in iis, in quibus conventum est, ratione stipendii.

II. *Titulares* sunt *qui ab Episcopo vocantur ob parochi obitum, vel impedimentum parœciam gubernandi,* ratione infirmitatis, ætatis, dementiæ, censuræ, scandali, etc., ut de parochialis præbendæ redditibus vivant. (*Trident., ibidem, et sess.* 24, *c.* 6, *de R.*) – Si ratione parochi impotentiæ electi sint, vulgo appellantur *regentes;* excepta Missæ pro populo applicatione, omnia parochialia munia adimplere tenentur. *Œconomi* ad omnia parochi munia tenentur.

Caveant ne de parocho vivente, vel antecessore, aut venturo male loquantur; nam inde divisiones, et scandala orirentur; deinde ne, ut sibi benevolum populum faciant, cum eo indecore consocientur, eique nimium indulgeant, aut cum larva pietatis ad superioris benevolentiam captandam nova, ac populo placentia promoveant, quæ magnam difficultatem creant. Ordinarii invigilent, an zelus juvenum *vice-parochorum* sit secundum scientiam, prudentiam, et an verus, vel falsus; nam sæpe videre est magnum zelum, magnam activitatem in iis, qui postea cum ad parœciam optatam pervenerint, aliter omnino se gerunt. Maxime curare debent coadjutores, vice-parochi, et simplices presbyteri præsto esse Ordinario suo quoad munus exercendum: alias siquis superbia inflatus ei renuat, obmurmurat, præter piaculum, quomodo certus remanebit de divina voluntate adimplenda, animas quærere, et non semetipsum?

753. **Obligationes parochianorum erga pastorem quatuor præcipue sunt,** nempe: *amare, obedire, revereri, et alere.* 1.° *Amare;* sunt enim spirituales ipsorum patres. *Per hos Christum induimus, et cum Filio Dei sepelimur, et membra beati illius capitis efficimur* (ait D. Chrysost., l. III de Sacerd.). 2.°—*Obedire*, juxta illud Apostoli: *Obedite præpositis vestris, et subjacete eis. Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* (Hebr. XIII).—3.° *Revereri,* cum sit maxima pastorum dignitas, ac sublimitas ministerii, maxima debet esse erga eos reverentia.—4.° *Alere;* nempe subsidia strenue præstare; nam *Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere.* (I Cor. IX). *Dignus est operarius mercede sua* (I Tim. V): *cibo suo* (Matth. X). Insuper Episcopus visitationis tempore cogere potest parochianos ad necessaria parocho subministranda. *Trid. sess.* 21, *cap.* 4.

Sciant parochiani honorem sacerdotis, maxime superioris, et parochi delicatissimum esse, et faciliter lædi posse. Peccant ergo graviter per se, qui irrisionibus, mendaciis, contumeliis, calumniis pastorem inhonorant, et inhabilem sic reddunt ad bonum, quod erat faciendum. Dominus adhuc obedire jubet iis, qui spiritum Dei non habent, modo contra Evangelium, ac Ecclesiam non decernant: *Super cathedram Moysi sederunt scribæ, et pharisæi. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, servate, et facite; secundum opera vero eorum nolite facere: dicunt enim, et non faciunt.* (Matth. XXIII).

CAPUT VII.

De presbyteris, et clericis inferioribus.

754. **Simplices presbyteri** tenentur ecclesiæ, cui addicti sunt, inservire, atque ad fidelium salutem incumbere. Sic evincitur. I. *Ex sacra Scriptura.* Christus de omnibus indiscriminatim ait: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.* (Joan. xx).—*Non vos me eligistis; sed ego elegi vos,... ut eatis, et fructum afferatis.* (Joan. xv). Ergo a Christo missi sunt, ut succedant in ejus officium.—*Vos estis presbyteri in populo Dei, et ex vobis pendet anima illorum.* (Judith, VIII, 21).—*Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, et annuntia populo meo scelera eorum.* (Isai. LVIII). Et Apostolus promiscue etiam vocat omnes presbyteros dispensatores mysteriorum Dei. *(I Cor.* IV). Hæc est omnis ratio sacerdotalis ministerii.

II. *Ex Tridentino (ac statutis peculiaribus):* nam declarant, ut clerici non ordinentur, nisi propter Ecclesiæ necessitatem, et utilitatem *(Sess. 23 de sacram. ordin.)*, nempe ad gloriam Dei, ac animarum salutem promovendam modo sibi convenienti, prædicando, catechizando, sacramenta administrando, confessiones excipiendo, fideles corrigendo, functiones in ecclesia fovendo, etc. Et Benedict. XIV aperte docet: *Non esse immunem a gravi culpa eum sacerdotem, qui semel probatus ad sacramentum pœnitentiæ, deinde recusat confessarii munus exercere, ne cogatur ad novum examen accedere.* (Notific. 94).

III. *Ex lege charitatis;* nam populi fere omnes ignorantia spiritualium, recessu a sacramentis, et ab ecclesia, vitiisque omnibus laborant: et Deus *mandavit illis unicuique de proximo suo.* (Eccl. XVII). Quanto magis illis, qui ad salutem proximorum a Deo eliguntur? *In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit: et nos debemus pro fratribus animas ponere. Qui... viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo: quomodo charitas Dei manet in eo...? Non diligamus verbo, neque lingua, sed opere, et veritate.* (I Joan. III).—Adde scandalum in fidelibus, si sacerdotes desides viderint, aut parum curantes quæ Dei sunt, sed de iis esse, de quibus ait D. Bernardus: *magis placet quies propria, quam utilitas aliena*, in Epistola ad Ogerium, cujus improbat abdicationem curæ pastoralis, etsi piæ quietis amore factam. Hæc quolibet mense meditari deberent omnes sacerdotes.

IV. *Ex Sanctis Patribus, ac ratione.* De presbyteris, qui, festinanter Breviario recitato, et Missa celebrata, otiose vitam agunt, dici potest cum Taddæo Apostolo: 12. *Nubes sine aqua, quæ a ventis circumferuntur, arbores autumnales, infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ, fluctus feri maris..., sidera errantia, quibus procella tenebrarum servata est in æternum.* Id ipsum firmat ratio sacerdotis, et ipsa ratio naturalis; nam sacerdos non sibi, sed Deo consecratur in sua ordinatione, seu iis, quæ ad Dei honorem, et animarum salutem pertinent; et deinde, ut merito ait D. Thomas: unusquisque uti tenetur gratia sibi data, cum fuerit opportunum, juxta illud Apostoli (II Cor. VI): *Exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* (3. p. q., 82 a. 10).—Loquens *A Lapide,* de illo, qui talentum abscondit, et exprobrationem, suppliciumque a Domino accepit,

inquit: *Notent hoc qui ingenio, doctrina aliisque dotibus sibi a Deo datis, non utuntur ad suam, aliorumque salutem ob desidiam, vel metum peccandi; ab iis enim rationem exposcet Christus in die judicii.*

Unde non est dubium quin et simplex sacerdos teneatur se aptum reddere ad confessiones audiendas, pueros catechizandos, verbum Dei prædicandum, Missam opportune celebrandam, aliaque ministeria sibi propria ministranda, ne in vacuum gratiam Dei recepisse dicatur, populum in sua necessitate reliquisse, servum nequam fuisse, ficulneæ infructuosæ vices gessisse. Quid expectare in fine poterit? Ficulneæ infructuosæ finem, nempe ignem æternum. In quot oppidis, et civitatibus parochus non sufficit, neque etiam coadjutores ad pueros catechizandos ut par esset, et urget necessitas, ad Communionem fidelibus difficulter confessis assidue distribuendam, et sic de aliis tum sanis, tum infirmis adjuvandis: attamen si simplex sacerdos ab iis ministeriis abhorret, vel ea aufugit cum populi detrimento, et scandalo, quomodo tranquille vivere poterit?

Dices: parœcia careo, laborent ergo qui stipendium recipiunt. Mementote nunc illam Domini comminationem: *Quis est in vobis, qui claudat ostia, et incendat altare meum gratuito? Non est mihi voluntas in vobis..., et munus non suscipiam de manu vestra.* (Malach. I). Qui mercedem recipit, ex justitia tenetur; qui vero non, ex charitate; sed quinam in inferno feliciores erunt? damnati ob peccata contra justitiam, vel contra charitatem tantum? — Aliunde solus Jesu Christi amor, voluntas, et propria charitas sufficiens ratio nobis esse debet ad hunc laborem suscipiendum. *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte, et operiet multitudinem peccatorum.* (Jacob. V). Si vera charitas in omnibus adesset, omnis excusatio certo abesset; sed si vitæ commoda primum appetantur, ac quærantur, tunc non erit ipsis convincens ratio, sed omnibus, et quoad omnia stulta excusatio.

755. Q. *Quoties tenetur sacerdos Missam celebrare?*

R. *Mortaliter peccare, et ab Episcopo posse puniri, qui saltem ter, vel quater in toto anno non celebraverit*, decrevit S. C. Congr. 1696.—Et 1717 dicit: *Episcopum non posse obligare sacerdotem ad celebrandum omnibus diebus dominicis, et festis solemnioribus, alia ratione præclusa.* Ast Benedictus XIV ait, dari obligationem sub peccato singulis dominicis ac festis celebrandi, sed non definit peccatum. *(De Sacr. Miss.. 16, c. 1, n.* 9). Unde S. Alphonsus ait: «Probabilius sacerdos, *per se loquendo*, graviter non peccat celebrando tantum ter, aut quater in anno, id est, in solemnioribus festis; at nescirem a levi excusare eum, qui ob desidiam quotidie non celebraret ratione propriæ charitatis, boni populorum, et communis.»

756. **Clericorum discordiæ.** Hostem generis humani clericorum discordiæ armant contra se ipsos, contra Dei gloriam, contra Ecclesiæ honorem, ac dignitatem, contra populi profectum, et salutem. Nam *omne regnum in se ipsum divisum desolabitur.* (Luc. XI). Summa ergo concordia inter sacerdotes extare debet, *eamdem charitatem habentes, unanimes, id ipsum sentientes, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam.* (Philip. II). Nam *frater, qui adjuvatur a fratre, quasi civitas firma.* (Prov. XVIII). Inde notum est *veteres illos catholicæ fidei propugnatores de pertinacissimis hæresibus retulisse victoriam, cum scilicet una secum, et cum Apostolica Sede tanquam cum duce suo conjuncti milites,*

firmo animo erectoque in certamen descendissent, ait Pius IX, Consist. 9 dec. 1854.—Hæc concordia sine humilitate, patientia, ac charitate diu vivere nequit. *Humiliamini igitur sub potenti manu Dei, ut vos exaltet.* (I Petr. v). Operentur digniores, ac simul aptiores; audiant, addiscant, in infimis locum teneant minus apti: alius erit aptior ad prædicationem; alius ad novennarium legendum; alius ad grandiores pueros catechizandos, alius ad parvulos; etc. Dei gloriam, animæ propriæ, aliarumque profectum quærant omnes, et habebitur terra nova.

757. **Clerici inferiores.** Duo præcipue curare tenentur clerici inferiores, *scientiam*, nempe, ac *bonitatem*.—I. *Scientiam. Nam zelus absque scientia dum prodesse festinat, invenitur obesse,* ait D. Bernardus. *(De conc. ad cler., n.* 38). Et revera ignorantia in ecclesiasticis sibi, et aliis nocet. Accepto presbyteratu, difficulter aliqui cogi possunt addiscere, experientia teste; unde ait Salesius: *Nullum remedium si ignorantes clerici fiant sacerdotes.*—Præcipue addiscere debent theologiam dogmaticam, ac moralem, liturgiam, vel rubricas Ecclesiæ, et non aliquam ephemeridem tantum legere.

II. *Bonitatem vitæ.* Recte ait Tridentinum *(sess.* 23, *c.* 12) eos tantum assumi debere ad sacros ordines, *quorum probata vita senectus sit*: nempe, qui senes sint in virtute. Id ipsum ratio theologica suadet: si requiritur vitæ bonitas, et bonitas excellens, habitualis, absdubio arcendus est uti indignus male habituatus, ut prius sufficienti probetur experimento.—Hæc bonitas sita est in sacramentorum frequentia, in fervore devotionis, in zelo religionis, in praxi quotidianæ meditationis, in cordis munditia, juxta illud D. Bernardi: *Nullus ad ministerium altaris accedere debet, nisi cujus castitas ante susceptum ordinem fuerit approbata.* (De Conc. ad cler., c. 21). Et melius ait D. Gregorius: *Ne unquam ii, qui ordinati sunt, pereant, prius aspiciatur, si vita eorum continens ab annis plurimis fuit.* (Epist. XLII). *Ordines sacri præexigunt sanctitatem: unde pondus Ordinum imponendum parietibus jam per sanctitatem desiccatis, id est ab humore vitiorum.* S. Thom., *aliique* SS. PP. et DD. — Et S. Ligor., in *praxi* n. 78, ait: *Ordinandus habituatus, si vult ad sacrum ascendere Ordinem, non sufficit quod sit dispositus ad sacramentum pœnitentiæ, sed opportet quod etiam dispositus sit ad recipiendum sacramentum Ordinis; alioquin ad neutrum dispositus erit; cum enim sit indignus ascendendi ad altare, qui vix egreditur e statu peccati, nec habet probitatem positivam, necessariam respectu ad sublimitatem status ad quem immitti inhiat, ipse graviter peccat, si absque illa vult sacrum Ordinem suscipere, etiamsi ponatur in statu gratiæ. Quapropter tunc confessarius nequit eum absolvere, nisi promittat abstinere ab Ordine suscipiendo, ad quem ascendere non poterit, nisi post longi temporis, saltem plurium mensium probationem.* Circa hoc plurimum vigilare, et fortiter operari tenentur præcipue confessarii, ac directores scholarium.—Attendant aliud esse gratiam possidere, et aliud possidere magnam bonitatem; et non obliviscantur vulgare proverbium: *Nemo repente fit summus,* neque in bonis, neque in malis.

758. Q. *Quanto temporis spatio extra casum extraordinarium probandi sunt recidivi?*

R. Extra miraculum gratiæ, quod rarissime accidit, posthabitis controversiis, candidati indolem rimetur confessarius, inclinationes, relapsuum frequentiam, conatus ad resistendum, media adhibita, nempe quotidianam

meditationem, etc., et usquedum, non solum relapsus cessaverint, sed etiam facilitatem vincendi, ac caste vivendi consecuti fuerint, eorum ordinationi sub gravi resistat, absolutionem denegans ordinari persistenti; nam infausta experientia docet, juvenes incontinentiæ valde proclives, maxime in ea olim habituatos, in illam facillime sæpe relabi.—Cum vero hujusmodi habitualem facilitatem caste vivendi obtinuerint, bene permitti poterit, ut ad Ordines promoveantur, dummodo promittant, se media opportuna non derelicturos.

Ita intelligi potest quod ait *B. Leonardus* circa *unius*, vel *duorum annorum* probationem; et quod ait *Gousset* de *unius anni probatione*, saltem si antea cum facilitate relapsus sit; aut *sex mensium*, si semel, aut iterum ob fragilitatem; et quod docet S. Alphonsus *de longi temporis spatio, saltem plurium mensium.*—Tandem dicimus cum *Scavini:* qui inveteratam habuit consuetudinem relabendi, et maxime si cum aliis peccata luxuriæ consummavit, vel omnino excludatur, vel saltem non admittatur nisi post longissimam probationem; nam aliqui horum vim per aliquot temporis spatium sibi inferunt ad sacros Ordines ascendendos, et postea libertatem carni concedunt, atque Ecclesiæ, ac status dedecus fiunt, et fidelium scandalum.

De his scribit D. Bernardus: *Utinam qui contineri non valent, perfectionem temerarie profiteri, aut cœlibatui dare nomina vererentur; sumptuosa siquidem turris est, et verbum grande, quod non omnes capere possunt. Esset autem sine dubio melius nubere, quam uri, et salvari in humili gradu fidelis populi, quam in cleri sublimitate, et deterius vivere, et districtius judicari.* (De conv. ad cler., cap. 20).

Sed pro dolor! Clerici hujusmodi quærunt, et nanciscuntur confessarios loquentes sibi placentia, qui ad sacros ipsos ordines admittunt sub spe futuræ emendationis; at nonne dixerim cum certitudine pejoris depravationis? recte exclamat *Scavini*, *l.* 1, *p.* 285.

Q. *Quid si clericus affirmet se ab Ordine sacro abstinere non posse sine gravi scandalo, ac infamia, quia est jam probatus, domo receptus ad spiritualia exercitia, et instat dies ordinationis, et parata jam sunt omnia ad solemnitatem familiæ?*

R. Nisi extraordinaria conversio in eo videatur, minime sufficient hæc omnia ad lupum in gregem, ac sanctuarium Domini introducendum; agitur enim de bono communi. Aliunde nulla infamia, aut scandalum inde sequeretur; sufficiet si dicat se melius disponere velle, vel maturius rem examinare, ut vel ipsi optimi faciunt aliquando tanta celsitudine territi. *(Del-Vecchio, l.* 1, *n.* 658). Secus si in hisce adjunctis pœnitens extraordinaria compunctione donaretur a Deo. *S. Lig.*, *in praxi*, *n.* 79.

759. Q. *An idem dicendum sit de aliis vitiis?*

R. *Affirma*, servata proportione; nam et per alia vitia semper illa positiva bonitas excluditur. Unde juvenes ebriosi, superbi, iracundi, leves, rebus externis dediti, circa pietatem indifferentes, in studiis negligentes, scientias ecclesiasticas fastidientes, ac profanas amantes, sæpe moniti, et nunquam emendati, nullum divinæ vocationis signum afferunt, et nunquam sancti erunt sacerdotes; ab ordinibus ergo maneant exclusi, recte ait *Scavini, ibid.;* non ob paucitatem, sed ob perversitatem ministrorum deperditur mundus.

CAPUT VIII.

De beneficiis ecclesiasticis.

760. **Beneficium ecclesiasticum** definitur: *Jus perpetuum clerico competens legitime ab Ecclesia instituto percipiendi fructus ex bonis Ecclesiæ, propter officium spirituale.* Unde dicitur 1.° *jus;* tum munera spiritualia exercendi, tum fructus ecclesiasticos percipiendi;—2.° *perpetuum,* sive ex parte sui, sive ex parte clerici, usque ad ejusdem mortem; —3.° *Clerico competens,* cum nonnisi clericus ad ecclesiastica ministeria deputari valeat, Cap. *Ex litteris* VI *de transact.;*—4.° *legitime ab Ecclesia instituto;* solius enim Ecclesiæ est tum beneficia hæc instituere, tum illa conferre;—5.° *percipiendi fructus;* beneficiarii namque domini non sunt, sed administratores, et velut usufructuarii;—6.° *propter officium;* siquidem non aluntur clerici, ut otientur.

Divisio. Beneficia alia dicuntur *majora,* alia *minora.* 1.ª sunt quibus maximus hæret in Ecclesia gradus, ut Patriarchatus, Archiepiscopatus, Episcopatus, Cardinalatus, addunt Abbatias cum quasi episcopali jurisdictone: hæc *consistorialia* etiam appellari solent ratione Pontificiæ collationis in Cardinalium Consistorio.— 2.ª Reliqua *minora* vocantur, quorum quidem 1.° alia *sæcularia* sunt, alia *regularia,* prout sæcularibus, vel regularibus clericis conferuntur. In dubio beneficium præsumitur sæculare; quia status hic est antiquior.—2.° Alia sunt *duplicia,* alia *simplicia. Prima* appellantur quæ duplici gravantur onere; v. g. recitationis, præeminentiæ, et jurisdictionis in foro interno; ut sunt *curata* beneficia; vel solum præeminentiæ, ut sunt *personatus;* vel alicujus administrationis, et dicuntur *officia;* vel præeminentiæ, et jurisdictionis in foro externo, et sunt *dignitates. Secunda* vero, quæ ad solas preces sunt instituta, et ad servitium altaris, ut canonicatus, etsi ex *Devoti* ii ad dignitates accedunt: ideo in odiosis inter simplices beneficiarios non continentur. *Del-Vecchio, l.* 1, *n.* 609. Item capellaniæ ecclesiasticæ; aliæ sunt *sacerdotales,* quæ sacerdotium exigunt, saltem intra collationis annum; aliæ vero id non requirunt.—Alia sunt *residentiaria,* alia non, prout illis inhæret obligatio personaliter residendi in loco beneficii, et ejus onera ibi adimplendi, vel non.—Alia dicuntur *compatibilia,* alia *incompatibilia,* prout possideri queunt simul ab eodem clerico, vel non; vel prout excludunt aliud officium simile, vel non: et ita sunt *titulo,* uti duæ parœciæ; vel *retentione,* uti duo canonicatus in diversis ecclesiis; et etiam *uniformia sub eodem tecto;* quæ nempe concurrunt ad easdem functiones in eodem loco, et tempore, ut essent duæ ecclesiasticæ capellaniæ in una ecclesia.

—Ratione modi, quo conferuntur beneficia dicuntur *electiva, patronata, collativa,* et per *concursum.* 1.ª Si clericus per simplicem *electionem* assumatur; v. g. a Capitulo, accedente superioris confirmatione;—2.ª si conferantur per patroni *præsentationem* a superiore acceptatam;—3.ª si per *collationem* libere factam ab habente potestatem; nempe a prælato;—4.ª si per *concursum* digniori ex aspirantibus conferantur. (V. *S. Lig., l.* IV, *n.* 85). Tandem alia sunt *reservata,* et *affecta,* cum eorum collatio ad Romanum Pontificem spectat. In qualibet diœcesi Episcopus est pro-

prius beneficiorum collator, nisi ex præscriptione tale jus alteri competat. Papa vero est supremus, ac universalis omnium beneficiorum collator, non patronatorum. *Gury, n.* 128, *S. Lig., n.* 86.

761. **Beneficia impropria** sunt ea, quæ veram non habent beneficiorum ecclesiasticorum naturam, et qualitates; talia sunt 1.° *clericalia patrimonia* quoad Ordines;—2.° *coadjutoriæ beneficii*, quæ nudam important alterius onera supplendi facultatem;—3.° *beneficia manualia* ad nutum patroni amobilia; —4.° *legata pia*, ut Missarum celebratio; quæ omnia perpetuitate, vel ecclesiastica institutione carent.—5.° Huc veniunt etiam *laicales cappellaniæ*, seu non collativæ, licet perpetuæ, cum nihil aliud sint quam piæ fundationes sub onere aliqua obeundi ministeria in certa cappella, vel altari. In dubio cappellania potius ecclesiastica habenda est, v. g. si fundator dubiis verbis usus sit, vel documenta desint; ex *S. C. C.* 19 *jun.* 1863; vel si spatio 40 saltem annorum constat illam ab Ordinario esse collatam per canonicam institutionem. Ita *S. C. Ep., et Reg.* 19 *sept.* 1862, *et* 19 *jan.* 1866.—Capellania laicalis etiam laico, imo etiam pueris, et fœminis tradi potest, onera per alios implendo, nisi ex fundatione actu exigat qualitatem clericalem; et si sacerdotalem, possideri non potest a simplici clerico, sine S. Sedis dispensatione, ex *S. C. C.* 7 *sept.* 1866. In iis cappellaniis titulus, et administratio penes ipsum fundatorem, et successores ejusdem manent. Secus in ecclesiasticis beneficiis, in quibus tum erectio, et collatio, tum titulus, et administratio manent penes auctoritatem, vel interventionem prælati ecclesiastici. *Laurenius*, *De Luca*. (V. T. II, n. 158).

—Ad beneficia impropria revocatur 1.° *præstimonium;* quod est stipendium *laicale*, si a laicali beneficio; *ecclesiasticum* vero si ab ecclesiasticis redditibus abstrahatur, et in hoc casu induit naturam beneficii proprie dicti, si talis ecclesiastica portio sit perpetua. *Ferraris.*—2.° *Pensiones ecclesiasticæ, vicariæ, coadjutoriæ*, item beneficia *manualia*, quæ etsi statum clerici requirunt, et postulant ministerium spirituale, naturam beneficii non induunt; tamen esse possunt materia simoniæ, si temporali pretio æstimentur; quia ratione ministerii spiritualis redditus jure sunt debiti; ideo hoc jus est quid spirituale: idem dic de *ecclesiastica præstimonia*. Secus vero quoad *patrimonia ecclesiastica, legata pia, præstimonia laicalia, et laicales cappellanias;* nam hoc jus remanet temporale, cum a superiore ecclesiastico spirituali officio non fuit adnexum jus percipiendi fructus. *Scavini, n.* 677.—Insuper advertendum est fundos capellaniæ alienari non posse sine Apostolico beneplacito; et, pereunte fundo, extinguitur etiam cappellania. E contrario, alienare possunt hæredes fundos assignatos pro aliis piis fundationibus sine ulla solemnitate, nisi aliud ex fundatione constet, manente semper personali onere apud hæredes, aut novum possessorem, translata hypotecaria obligatione. Cappellania semper individua est, nec fundi inter hæredes dividi possunt; at patronus se ipsum vocare ad illam valet; secus quoad ecclesiasticam cappellaniam, ex *c.* 7 *de inst.* Bona tamen *cappellaniæ laicalis,* seu *mercenariæ* sunt inalienabilia, sine beneplacito S. Sedis; quia testator illa fecit pia. *Acta S. Sedis, l.* IV, *Del-Veccio, l.* 3, *n.* 610.

762. **Modi beneficia conferendi.** 1.° Ut rite beneficia conferantur, vacantia esse debent; alias, nisi fiat a Papa, collatio, et promissio etiam nulla est. Beneficia sine diminutione vacantia, dignioribus, gratis, solli-

cite conferantur. — 2.° Beneficia communiter acquiruntur per *electionem*, si a toto Capitulo, vel Congregatione eligatur beneficiarius, et a superiore comfirmetur; vel per *præsentationem*, si a patrono offeratur superiori, a quo acceptatur, si idoneus reperiatur; vel per *collationem*, si solo prælati jure alicui conferatur; vel per *concursum*, quando omnes per edictum vocantur ad beneficium aspirantes, et dignior præfertur. Collatio tribuenda est ab ecclesiastico superiore: si tribuitur præsentato, dicitur *canonica institutio;* si electo, vel nominato, *confirmatio* appellatur: institutio, seu immissio in possessionem dicitur *possessio*, quæ est *corporalis investitio*, et fit per ingressum in ecclesiam beneficii, per aditionem altaris, stalli occupationem, præfationis cantum, etc. Ab hac possessione jura, et onera hodie incipiunt; qui vero alias agit, intrusus dicitur, et est. *Del-Vecchio*, *n.* 611, *et* 682.—Coadjutoriam cum futura successione conferre ex se ad solum Papam pertinet; temporalis vero coadjutoria sine tali successione in beneficiis episcopatu inferioribus a proprio prælato concedi potest. *Ferraris*, *Del-Vecchio*, *n.* 665.

763. **Electio ad beneficium** cadit in quem sanior pars, et hodie major numerus præsentium consentit. Absentes canonice vocati per procuratorem intervenire queunt, si talis adsit consuetudo. — Si 13 fuerint vocales, septem vota jam sufficiunt; si autem vota sint paria, electio est renovanda. *Reiffenst.*, *De Luca*, *Del-Vecchio*, *n.* 612. — Electio ex Later. IV fieri potest per *scrutinium*, per *compromissum*, et per *inspirationem*, prout fiat per suffragia, vel per designationem unius, vel plurium ex aliorum consensu, vel quodam subito motu omnium.

Si electus non acceptat, aut post consensum renuntiat, vel moriatur, vel electio sit cassata, eligentes adhuc eligere valent intra terminum a canonibus constitutum, quod incipit a tempore mortis illius, qui primo electus fuit, non autem hujus ultimi. *Cap.* 26 *de elect. in* 6.

764. **Juspatronatus** est *jus præsentandi indoneum clericum, ut ei conferatur ecclesiasticum beneficium vacans.* Est jus *honorificum*, *onerosum*, et *utile*. — Juspatronatus est 1.° *hæreditarium*, quod transit ad quoscumque vocatos hæredes, etiam extraneos; — 2.° *familiare*, et ad talem familiam, gentem pertinet; 3.° *Mixtum* ex hæreditario, et familiari;— 4.° *activum*, et est ipsum jus præsentandi; - 5.° *passivum*, et est jus aliquibus competens de tali familia, vel loco, ut præsententur, si idonei sint; — 6.° *personale*, et *reale*, prout competit personæ, vel alicui rei, vel loco; v. gr. prædio, et hoc transit ad quemvis illius rei dominum; — 7.° *ecclesiasticum*, *laicale*, vel *mixtum*, prout ex bonis ecclesiasticis fundatum fuit, vel saltem post fundationem ex bonis laicalibus translatum ad Ecclesiam, vel Capitulum clericorum; vel quod laico, aut tali familiæ competit, ut præsentet; vel ad utrumque, nempe, partim ad clericum, ut talem, et partim ad laicos.

Juspatronatus acquiritur originaliter, et derivative. *Originaliter:* Patronum faciunt *dos, ædificatio, fundus*, scilicet, canonica fundatio, sufficiens ecclesiæ dotatio, ac etiam Romani Pontificis concessio. *Derivative:* 1.° *Successio* sive testamentaria, sive legitima; donatio cum Apostolico beneplacito, si fiat a patrona ecclesia; episcopali, si a laico patrono fiat. Non erit necessarius Episcopi consensus, si patronatus donetur compatrono, vel ecclesiæ, aut monasterio, vel si alicui tantum permittatur illius exercitium. — 2.° Item *permutatio* de Episcopi consensu; *venditio* fundi,

vel loci, cui juspatronatus est adnexum; non autem juspatronatus per se sumptum vendi potest, utpote cum ipsa re spirituali adnexum. 3.° *Præscriptio*, et quidem tam originaliter, quam derivative. *Derivative* cum titulo etiam vitiato, et bona fide, intervenientibus duabus, vel tribus præsentationibus, tanquam jure proprio, spatium 40 annorum, alii 30 tantum requirunt, si patronatus sit laicalis : sine titulo, requiritur immemorialis præscriptio.— *Originaliter* contra Ecclesiam, quæ patronatu numquam usa est, cum potuerit, tempore immemoriali, si plures quis fecisse præsentationes sine contestatione demonstrare possit. *Trid. sess. XXV c.* 9 *de R., Ferraris.*

765. **Præsentatio facienda** est, vacante beneficio, intra quatuor menses, si patronatus sit laicalis; intra sex menses si est ecclesiasticus, vel mixtus, a die quo beneficii vacatio ad patroni notitiam pervenire potuit. Episcopus pro ecclesiasticis potest tempus prorogare ad alios sex menses, et pro laicis ad alios quatuor, non amplius. *Del-Vecchio, n.* 618. Pro cappellania laicali necesse non est tempus servare. *Lucidi, t.* 3. Non currit tempus quoad regium patronatum; neque si, facta qualibet præsentatione, præsentatus acceptare noluit, vel citra præsentantis culpam præsentatio suum effectum sortiri non potuit; neque si vertatur lis inter Episcopum, et patronos, vel inter patronos, et præsentatos, vel inter ipsos præsentatos; sed interim beneficio deputari debet œconomus. Secus si lis sit inter ipsos patronos, nisi unus ex litigantibus sit cum bona fide in notoria præsentandi possessione ; tunc valide præsentat, lite non obstante. Bened. XIV, *Notif.* 95, § 5.—Patronus indignum præsentans, si laicus, alium præsentare jubetur; si vero ecclesiasticus, ea vice jure præsentandi privatur. *C. Cum autem de jurepatron.*, etc. Potest unus patronus præsentare alium compatronum; non autem seipsum; licet rogare possit Episcopum, ut si dignus est, sibi patrono beneficium conferat. *Scavini, n.* 618.—Si patronus multos ad beneficium præsentat, Episcopus eligere potest ex illis quem maluerit, si patronus est laicus; secus qui prior est tempore erit instituendus: item si mixtus sit patronus; nam hi digniorem nosse præsumuntur; non vero ille. *Scavini*, *n.* 619.

Juspatronatus amittitur : 1.° *Rei interitu;* non autem per ecclesiæ destructionem, salva manente dote.— 2.° *Facto ipsius patroni,* ut si suum jus abdicet, aut alteri illud concedat sive venditione rei, sive cessione, etc. — 3.° *Ejusdem patroni crimine;* v. gr. hæresi, occisione rectoris ecclesiæ, aut clerici, vel mutilatione ; aut usurpatione ecclesiæ jurium ; vel juris ipsius venditione. *Cap.* 6, *et* 16 *de jurepatron.*—4.° *Præscriptione,* ut supra.

766. **Concursus ad beneficia**; per concursum ex Trid. sunt conferendæ parœciæ, quæ curam animarum adnexam habent, dignioribus inter concursantes, qui saltem a tribus examinatoribus synodalibus, vel prosynodalibus fuerint approbati. Secus provisiones factæ ipso jure nullæ sunt *(Sess.* 24, *c.* 18), et ea vice beneficii parochialis collatio Sedi Apostolicæ est reservata, ex S. Pii V, Const. *In conferendis*, 16 *maj.* 1567. Vicarius generalis Episcopi absque speciali mandato circa parochialem collationem nihil potest. *Barb., Garc., Bouix.*—Si parœcia sit laicalis patronatus, vel mixti, sufficit *generatim*, ut præsentatus fuerit approbatus a tribus examinatoribus, ut supra, ex *Trid. ibid.*

767. **Examinatores**, ex Trid., l. c.: *peracto deinde examine*, *renuntientur quotcumque ab his* (examinatoribus) *idonei judicati fuerit ætate,*

moribus, doctrina, prudentia, et aliis rebus ad vacantem ecclesiam gubernandam opportunis. Unde examinatores una cum Episcopo examinare obstringuntur circa mores, prudentiam, etc., sub nullitate concursus, ex *S.* C. C., 2 *aug.* 1607, et ex *Pio V*, 16 *maj.* 1567, et sub gravi juxta *Garciam*, et ex Bened. XIV, Encyclica *Cum illud.* Imo probabilius, et communius docent *AA.* teneri examinatores, nisi agatur de jurepatronatus, denuntiare non solum omnes idoneos, sed etiam magis idoneos, cunctis, ut supra, pensatis. *Del-Vecchio, n.* 624. Episcopi deinde est sententiam ferre, in qua se immiscere non debent examinatores, qui esse debent *magistri, seu doctores, aut licenciati in theologia, aut jure canonico, vel alii clerici... qui ad id videbuntur magis idonei; jurentque omnes ad sancta Dei Evangelia se, quacumque humana affectione postposita, fideliter munus executuros.* (Trid. sess. 24, c. 18).—S. C. C., 2 dec. 1828, censuit concursus factos, non præstito hoc juramento, esse nullos, sed convalidandos, facto verbo Smo. Quoad hæc vide Clem. IX, 10 jan. 1721, et Bened. XIV, Const. *Cum illud*, 14 dec. 1742. In concursu ad præbendam Theologi, vel Pœnitentiarii Episcopus eligere valet quem ipse digniorem judicaverit, postposito illo, quem examinatores magis idoneum renuntiaverint, ex *S. C. C.*, 21 *dec.* 1829, 17 *dec.* 1864, *et* 18 *febr.* 1865. — Bened. XIV declaravit, sibi congruentius videri, ut examinatores sua secum invicem suffragia communicent; relatio autem ab omnibus examinatoribus collegiative fieri debet coram Episcopo, antequam dissolvatur concursus. *Del-Vecchio, n.* 694.

768. **Reservatio:** hic intelligitur jus, quod Summus Pontifex sibi ipsi tribuit circa aliqua beneficia conferenda; et vocantur *affecta*, si per aliquod factum in iis conferendis manus apposuit Pontifex: *reservata*, vero si pontificia collatio in jure jam est expressa. Id potest Papa in omnibus diœcesibus quoad certa beneficia. *Del-Vecchio, n.* 626.

769. **Jus devolutionis**: si ii, ad quos pertinet, non provident, vel male beneficiis minoribus vacantibus, intra quatuor menses a notitia vacationis, si sermo sit de laicali patronatu; intra tamen sex, si agatur de patronatu ecclesiastico, vel mixto, pro ea vice de patronis ad Episcopum devolvitur; de Episcopo ad Metropolitam; de hoc ad Papam, in quo jus sistit. *Cap.* 2, *de concess. Præbend. Berardi, Garcias, etc.* Controvertitur, an sustineatur collatio ab eo facta, qui conferre distulit, tamen antequam qui jure devolutionis gaudet, eo utatur: plures negant, et talem esse praxim Romanæ curiæ dicunt. *(V. Vecchoitti, Inst. can. l.* 3, *c.* 2.)—Sed non currit tempus pro patrono, si collator ageret in remotis, et esset legitime impeditus, ac temporis prorogationem obtineat. *Ferraris.*

770. **Dotes ad beneficia** juxta sacros canones requisiti sunt 1.° *Probitas morum:* merito repelluntur irregulares, censurati, simoniaci, hæretici, et eorum fautores, facinorosi, et infames, ex variis textibus juris.—2.° *Scientia conveniens* juxta beneficii qualitatem ex Trid. *sess.* 7, *c.* 3, *de* R. Regula 20 Cancellariæ statuit nullam esse beneficii curati provisionem, si provisus intelligibiliter loqui nesciat idioma loci. Imo quædam beneficia concedi nequeunt nisi laureatis.—3.° *Vir cœlebs;* alias ex jure canonico invalida collatio existit. Imo si postea in minoribus constitutus beneficium obtineat, et deinde matrimonium contrahat, illud ipso jure amittit. *Cap.* 2, 3, *et* 8 *de cler. conjug.*—4.° *Legitimis ortus parentibus:* secus nulla est electio. Episcopus cum eo dispensare valet ad obtinendum simplex bene-

ficium non obtentum a patre ejusdem, adeo ut ei succedat filius illegitimus. *Cap. cum in de elect.* etc. *Trid. sess.* 24, *c.* 15 *de R.*—5.° *Ætas præscripta,* etiam ad horam præfixam, ut commune est; alias collatio nulla esset: scilicet pro Episcopo 30 an. completi (sed in Gallia satis est annus 27 inceptus); 25 pro parochis; 40 pro pœnitentiario; 22 pro dignitate, et personatu in cathedrali; 27 pro canonicatu item in cathedrali; 14 pro aliis beneficiis. Annus inceptus pro completo habetur, nisi aliud exprimatur. *Cap. Cunctis de elect.*—Arctatis autem, qui ex fundatione ad beneficium simplex vocantur, septennio majores, tonsura insigniri possunt, et beneficium obtinere; nam Trident. antiquis hisce fundationibus expresse non derogavit. *Del-Vecchio*, *n.* 628.—6.° *Tonsura;* alias beneficium clerico non conferretur. Si beneficium Ordinem sacrum requirit, opus est ut intra annum a beneficii possessione Ordo ille suscipiatur. *Trid. sess.* 22, *c.* 4. Si statim Ordo requiratur, statim ordinari, vel dispensari, aut rejici debet candidatus. Aliquando laicus eligitur sub spe futuri clericatus.—7.° *Intentio saltem conditionata clericandi,* nisi justa occurrat causa aliter suadens; secus Ecclesia in re gravi deciperetur. Hinc graviter peccaret qui sine tali intentione beneficium Ordinis sacri acciperet; nec probabilius sufficeret intentio dubia, vel conditionata, sed necesse est ut sit vera, et absoluta. Imo si de parochiali beneficio agatur, ipso jure illo est privatus, et ad restitutionem fructuum teneretur, nisi mutata intentione, ante finem anni initietur sacerdos. Si beneficium Ordinem sacrum non habet adnexum, illud suscipere sine dicta intentione veniale non excedit. *S. Lig. l.* IV, *n.* 113.—8.° *Alio non provisus beneficio:* pluralitas in eodem subjecto jure canonico prohibetur, et communiter etiam ex jure naturæ; nemo enim *per se* potest duabus ecclesiis rite deservire; aliunde minuit cultum, et preces, fraudat fundatorum intentiones, fovet avaritiam, ac superbiam, nisi primum beneficium ad honestam sustentationem non sufficiat, et utrumque personalem residentiam non exigat. Non autem tertium verum beneficium conferri potest, si secundum non sufficiat. *Trid. sess.* 24, *c.* 17 *de R.* Potest tamen obtinere laicales cappellanias, pia legata, et similia, cum non sint vera beneficia. Tamen ex *S. C.* non esset inquietandus qui bona fide de Episcopi venia tria, vel quatuor ecclesiastica beneficia insufficientia obtineret. Ita Bened. XIV, *Notif.* 91, *et* 98.—Potest autem Papa dispensare quoad beneficia: 1.° ob *Ecclesiæ necessitatem*, ut si desint alii ministri idonei.—2.° ob *ejusdem utilitatem,* ut si unus licet absens, censeatur Ecclesiæ magis profuturus sua doctrina, prudentia, et sanctitate, quod valet etiam de beneficiis incompatibilibus.—3.° ob *evidens motivum meritorum;* siquidem in Ecclesiæ bonum id cedit, nam aliis exemplo esse potest. *C. de multa,* § *fin. de præb., S. Lig., n.* 18. Si nulla vero causa intercedat, communiter docent *Bellarm., Abelley, aliique,* plura beneficia in conscientia, neque obtenta dispensatione, retineri posse, utpote contra jus naturæ.—Qui beneficium simplex habens ad suam congruam sustentationem sufficiens, accipiat secundum sine cohonestante causa, probabilius, et communius primum ipso jure vacat; et si provisus ad sex menses illud retinere præsumpserit, ipso jure privatur utroque. *C. de multa. Del-Vecchio, n.* 629. Idem dicit de incompatibilibus; cum id sit conformius Trid. verbis, *sess.* 7, *c.* 4. Dicunt DD. dari bimestre ad dignoscendum, num de illo beneficio molestiæ exoriantur.

771. Digni electio: Dignus ille dicitur *qui aptus est ad implenda*

beneficii officia.—Dignior autem *qui, omnibus pensatis, magis Ecclesiæ, et fidelibus utilis judicatur.*—Indignus vero ille est, *qui caret iis, quæ stricto jure ad validitatem requiruntur;* uti clericatu, ætate, etc.; vel *illis, quæ ineptitudinem tantum indicent,* v. gr. infirma valetudo. His positis: 1.º Indigni electio prioris ordinis est graviter illicita, et invalida, ipso jure. Secundi autem ordinis est saltem irritanda, ex Trid., ses. 7, c. 3, de R. *Inferiora beneficia ecclesiastica, præsertim curam animarum habentia, personis dignis, et habilibus... conferantur. Aliter autem facta collatio, sive provisio, omnino irritetur.* — 2.º Electio digni, posthabito digniori, valida est ad beneficium simplex, vel sine cura animarum; nulla quidem lex irritans citari potest. Ita communiter *S. Lig., n.* 102, *Scavini, n.* 632. Ast communius, et probabilius est graviter illicita; nam est contra Ecclesiæ bonum, ob quod sunt instituta beneficia; nisi dignitatis excessus sit parvus; vel beneficium sit parvi momenti; aut prævideatur illud beneficium dignior brevi cessurus; tunc veniale non excedit; nam quod evenit damnum, leve est. Imo neque veniale erit, si ex lege fundationis indicetur persona eligenda, modo non sit indigna; vel si id postulat charitas; v. gr. ad levandum aliquem ab inopia, vel ad aliquod speciale Ecclesiæ bonum curandum, aut malum impediendum. *Del-Vecchio, n.* 631.—3.º Si vero minus digni electio sit ad beneficium duplex, seu cum animarum cura, adhuc valet, si beneficium jurispatronatus laicorum fuerit, modo sit idoneus præsentatus, etsi patroni coram Deo delinquant in officio suo ex Trident. Idem probabilius dicunt de juriepatronato ecclesiastico, vel de libera collatione, *Anacl., Garc., Holz., Croix, Lugo, Del-Vecchio, n.* 632 *aliique* contra *alios;* nam formæ a Trid. requisitæ modum exteriorem præscriptum respiciunt; v. gr. edicti publicationem, examen, etc. Quod autem aliquis magis, vel minus dignus judicetur, ad internum eligentis judicium pertinet, a quo pendere non debet validitas actus. Attamen ex se tunc eligentes graviter peccant. *Mortaliter peccare, nisi quos digniores et Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium suggestionibus, sed eorum exigentibus meritis præfici diligenter curaverint,* ait Trid., *sess.* 24, *cap.* 1 *de R.:* profecto multum communi bono detrahunt qui digniores non eligunt, faventes commendatis litteris. *Scavini, n.* 631, *cum communi.* Ut autem grave sit peccatum, requiritur, ut eligens, omnibus adjunctis accurate inspectis existimet electum evidenter esse multo minus dignum. Major dignitas non absolute, sed relative ad Ecclesiæ, et fidelium utilitatem est accipienda. *Gury, n.* 229, *S. Lig., n.* 91, *et* 92.—Tamen electio minus digni probabilius in nullo casu *per se* onus restitutionis inducit, nisi pactum implicitum, vel explicitum violetur, v. gr. si collatio per concursum fiat quippe tunc dignior acquirit jus ad rem. *Ballerini, Gury, S. Lig., n.* 93 *et* 102 *ad* 106.

—*Censendus est dignior* 1.º senior;—2.º ecclesiæ fundator de bonis suis —3.º sacerdos *in concursu* non sacerdotis;—4.º originarius respectu extranei, etsi hodie parva est hæc ratio; — 5.º potens, et nobilis ob Ecclesiæ bonum. —6.º graduatus in aliqua scientia;—7.º pauper ratione charitatis præferendus est diviti;—8.º qui demum major est sanctitate, doctrina, prudentia, præferendus est ei, qui sola pollet scientia, vel sola sanctitate. Ita *Barb., Hurt., Salm., n.* 307, *aliique.* In dubio præferendus est certo dignus, vel saltem præferri potest dubie digno. *Pass., Leur.*, etc.

unus tantum ad concursum comparuerit, prorogari non debet terminus, et aliud proponi edictum, sed illi, qui approbatus fuerit, beneficium est conferendum. *De Luise*, *n.* 688. Si ex duobus ad parochiam concurrentibus a tribus examinatoribus alter fuerit approbatus, alter vero ab uno ex tribus tantum, illum eligere debet Episcopus. *S. C.* C. 18 *apr.* 1595.

—*Quoad concurrentes statuitur:* 1.° certo peccat, et restituere obstringitur qui beneficium indignus obtinet, se opponens per concursum digno; ideo illud resignare tenetur. *Salm.*, *n.* 373, *S. Lig.*, *n.* 110.—2.° Si concurrat dignus cum digniore, valde probabiliter non peccat, etsi eligatur, siquidem ad ipsum non pertinet discutere merita, sed ad electores; et id est secundum concursus finem; alias pauci concurrerent; et forsan digniores scrupulis territi se retraherent non sine gravi Ecclesiæ damno. *Salm.*, *n.* 374, *S. Lig.*, *n.* 110, *Less.*, *n.* 70, *aliique.*

772. **Jura beneficiati** duplicia sunt: 1.m Ministerium spirituale juxta ipsius beneficii fundationem exercere; 2.m Bona illius beneficii administrare, ac fructus percipere quasi-fructuarius; scilicet ad honestam sui sustentationem cum onere superfluos pauperibus erogandi, quod non evenit in usufructuario. Insuper qui beneficii possessionem anni spatio retinuit, inde dimoveri non potest, nisi finita lite in judicio petitorio: et qui sine vitio simoniæ triennii spatio pacifice beneficium obtinuit, titulo etiam colorato, is amplius dimoveri non potest: quæ duæ regulæ valent etiam pro foro interno ex *Clement. de sequest.*, si adsit bona fides cum titulo etiam colorato. *Del-Vecchio, n.* 633.

773. **Onera beneficiati** sunt: 1.° *Spiritualia,* quæ desumuntur ex fundationis tabulis, præter grave onus quotidie Officium divinum recitandi.—2.° *Temporalia,* quæ obligant ad bona custodienda, et defendenda velut usufructuarius. Si lis intentatur contra commodum illius tantum, expensæ ad illum spectant. Si autem contra ipsum beneficium, adhuc expensæ sunt possessoris, si modicæ, ad instar usufructuarii. Si expensæ sint magnæ, de propietate ipsius beneficii sunt solvendæ, obtenta superioris licentia. *Lugo, De just., et Jure.*

774. **Amissio beneficiorum** fit 1.° *Juris canonici dispositione;* ut si moriatur beneficiatus, vel religionem profiteatur, aut ducat uxorem, vel in Episcopum sit vel consecratus, si assequatur novum beneficium cum primo incompatibile. *Trid.*, *sess.* 7, *c.* 4 *de R.* etc.—2.° *Judicis ecclesiastici sententia,* vel *condemnatoria*, si agatur de homicidio simplici, adulterio, perjurio, induratione ultra annum in excommunicatione, concubinatu post tertiam monitionem, defectu residentiæ post sententiam; vel *declaratoria,* si agatur de simonia *reali* in beneficio, et *confidentiali,* de hæresi, sodomia, violenta ingressione in beneficii possessionem ante confirmationem, vel institutionem, licet quis fuerit per se, vel per alium præsentatus, vel electus, in illud se ingerendo: item si electus tempore ei præstituto, electioni non consenserit; vel si intra tres menses post consensum præstitum, confirmari non petierit, etc.; et sententia judicis circa omnia hæc ad diem patrati criminis retrotrahitur. S. Pius V. Const. *Horrendum,* Extrav. *Ambitiosa*, cap. *Eam qui* 18 *de præbend.*—3.° *Facto ipsius beneficiati; primo:* dimissione, seu renuntiatione facta coram legitimo superiore eam acceptante. Tamen peccat qui sine rationabili causa beneficio renuntiat, si agatur de beneficio curato; adest enim quoddam vinculum spirituale cum Ecclesia, quod sine approbata causa juxta canones dis-

rumpi nequit. *Del-Vecchio, n.* 642. Beneficia simpliciter, et sine ulla conditione renuntiata, ex Const. S. Pii V, *Quanta Ecclesia,* conferri nequeunt consanguineis, affinibus, vel familiaribus tum renuntiantis, tum collatoris, etiamsi sint parochialia, ex *S. C. C.* penes *Garciam.* Secus dicunt AA. de beneficiis jurispatronatus; de iis nulla adest prohibitio.—2.° *Resignatione in favorem alterius idonei,* quæ raro conceditur, et eam vetant canones.—De resignante idem dicendum videtur, ac de electoribus, et collatoribus, ut supra, circa electionis liceitatem. Ita communiter AA.—3.° *Beneficii permutatione*, quæ licita est, si a legitima auctoritate perficiatur, nempe in curia episcopali, servatis de jure servandis (nisi agatur de beneficiis Sedi Apostolicæ reservatis), et legitimæ sint causæ, et conditiones sine simoniæ reatu. Si permutatur beneficium simplex cum parochiali, examen requiritur quoad novum parochum absque concursu, sed coram Episcopo cum tribus examinatoribus synodalibus; secus si permutatur parochiale cum alio parochiali, nisi adsit magna inæqualitas parochianorum ex *S. C.* C., *Ferraris.*—Attamen si debilitas corporis, defectus scientiæ, culpa, plebis malitia, morum iniquitas talis sit, ut beneficiatus impotens reddatur ad exercendum officium suum, ipse renuntiare debet ratione charitatis, et officii, ad publicum malum avertendum. *Del-Vecchio, n,* 700, probabilius est parochos perpetuo inhabiles factos non esse beneficio suo privandos, sed coadjutorem illis esse dandum. Secus si ob crimen, vel scandalum, aut aliorum malitiam ad bonum jam non conferre valeant in sua parœcia. Unde S. *C. C.*, 28 *maj.* 1853 terminum 15 dierum præfixit ad renuntiandum cuidam parocho, quem mala plebs oderat, adeo ut nihil amplius boni agere poterat;—et 10 *dec.* 1857 *ipsa S. C.* confirmavit Episcopi sententiam, qui parochum coëgit ad parœciæ permutationem, quia ob nimiam ejus severitatem pax in parœcia componi nequibat;—et 28 *jan.* 1861 declaravit locum esse deputationi ecclesiastici viri administratoris parocho, ære alieno gravato, cum gravi fidelium scandalo.

775. **Ad validam beneficii dimissionem, renuntiationem, resignationem, et permutationem** requiritur: 1.° ut dimissio non sit vi extorta, simoniaca, sine consensu legitimi superioris, patroni, aut electorum;—2.° ut beneficium non sit litigiosum, neque Seminario unitum pro tempore vacationis;—3.° ut non possideatur in titulum ordinationis, nisi prius alius titulus substituatur;—4.° ut beneficiatus ob aliquod crimen non sit beneficio privandus; nam tunc vacat beneficium;—5.° ut beneficiatus infirmus dimittens infra 20 dies a dimissione non moriatur; alias vacare censetur beneficium; quod ex stylo, ac praxi Curiæ etiam valet de sano;—6.° ut facta sit professio, si beneficiatus fiat religiosus;—7.° ut publicetur beneficii dimissio, si agatur de beneficiis Episcopatu inferioribus intra novem menses ultra Italiam in loco de more. Trid. sess. 21, c. 5, sess. 23, c. 18 de R., S. Pius V, Const. *Quanta*, etc. Excipe si agatur de jure patronatus. *Del-Vecchio, n.* 648.

776. **Pensio ecclesiastica** est *jus percipiendi fructus ex alieno beneficio.* Triplex est, *spiritualis, temporalis*, et *media:* 1.ª fundatur in titulo mere spirituali, clericis tantum proprio, v. gr. parochi, coadjutoris, concionatoris;—2.ª datur propter ministerium temporale laicis etiam concessum; v. gr. cantoris, æditui, et defensoris Ecclesiæ;—3.ª fundatur in statu clericali; non in ipso officio, ut quæ datur clerico pauperi, vel

parocho seni ad sustentationem. *S. Lig., l. 4, n.* 137, *Del-Vecchio, n.* 649. —Item pensiones aliæ sunt *personales* afficientes personas tale beneficium obtinentes; aliæ *reales* a beneficio detractæ ad quemcumque illud devenerit. Si pensio sit *clericalis,* ex Sixto V, et Pio V, pensionarius habitum ecclesiasticum, et tonsuram deferre debet, ac Officium B. Virginis quotidie recitare, sub onere restitutionis, nisi ad Officium majus sit obstrictus. Aliquando ecclesiastica beneficia renuntiantur, resignantur, ac permutantur sub pensionis reservatione.

Ex communi DD. ad statuendam pensionem ecclesiasticam requiritur: 1.° *Moderatio.* Ex Trid., sess. 24 c. 13 de R., nullis pensionibus, aut reservationibus gravari possunt cathedrales ecclesiæ, quarum redditus 1000 ducatorum, et parochiales quæ 100 ducatorum summam secundum valorem annuum non excedunt. Circa alia beneficia habetur generatim moderatio, quæ tertiam partem fructuum non excedit juxta necessitatem. —2.° *Justa causa;* nam *Papa non est dominus bonorum Ecclesiæ, sed solum universalis distributor,* ut ait Toletanus. Alias non excusatur qui pensionem retinet.—3.° *Legitima auctoritas.* Episcopi eam constituere valent, si agatur de Vicario deputando impeditis, aut malis rectoribus. Ita *Del-Vecchio, n.* 650, *Gigas, Imola, Decio,* etc., contra *Less., n.* 205, *Salm., n.* 31, dicentes, solum Pontificem constituere posse pensiones, et talis est Curiæ stylus. Alia tamen est praxis inter nos. Ita *S. Lig., l. IV, n.* 138 pro casibus specialibus, necessariis, et temporariis sive ratione paupertatis resignantis, sive senilis ætatis, sive litis componendæ. Non autem requiritur patroni consensus; nullo sane jure id statutum est. *S. Lig., ibid.*

777. Pensio extinguitur 1.° *Morte pensionarii*, nisi in alium eam transferendi facultas data sit.—2.° *Redemptione,* mutuo interveniente consensu, cum licentia S. Sedis ex *S. C. Episcop.,* 17 *mart.* 1840. Item redemptio irrita habetur, si vel antea pacta, vel intra sex menses a beneficii possessione facta fuerit. Inn. XI, Const. *Circumspecta,* Bened. XIV, Const. *In sublimi, etc.*—3.° *Dimissione* habitus clericalis, sed post judicis sententiam.—4.° *Religiosa professione, matrimonio, degradatione* pensionati, ac ceteris fere modis, quibus beneficium ipsum amittitur. Benedict. XIII, 6 sep. 1724, Bulla *Quanta pastoribus,* prohibet Episcopo parochialibus beneficiatis pensiones imponere.

Attamen Episcopus ex Trid., sess. 21, cap. 7, transferre potest beneficia simplicia, etiam jurispatronatus, ex ecclesiis, quæ vetustate, vel alias collapsæ sint, et ob eorum inopiam nequeant instaurari. Quoad modum, et etiam quoad parochiales ecclesias vide Conc. l. c. Item Seminario incorporare valet Episcopus simplicia beneficia, et pensiones, seu portiones ex omnibus fere beneficiis, monasteriis, congregationibus, si opus fuerit, ex *Trid., sess.* 23, *cap.* 18.—Potest etiam novas parochias erigere, et easdem matricis fructibus dotare, si hæc abundat, sed absque possessoris præjudicio:—potest etiam duas parochias unire, si divisæ nequant unum parochum sustentare, et populus adeo distat; ut non sufficiat unius parochi assistentia.

778. Annatæ: Apost. Sedes in conferendis beneficiis redditus exigebat unius anni, si ea essent consistorialia; secus dimidium, si annui proventus superarent summam 24 ducatorum aureorum de *Camera:* unde vocabantur *annatæ,* et *mediæ annatæ.* Hodie non parum minutæ fuere.

779. **Spolia** dicta sunt bona, quæ clerici post obitum relinquebant. Hæc jure ad Apost. Sedem pertinebant, et in pios usus, sicut et annatas distribuebat: spolia instituta sunt ad coërcendam clericorum avaritiam; ast, initis conventionibus, cessarunt.

780. **Cathedraticum** est ordinarium tributum, quod a singulis ecclesiis, et clericis beneficiatis sæcularibus quotannis Episcopo solvitur in subjectionis signum, et in honorem Cathedræ episcopalis. Illud non sustulit Trident. Adest et *subsidium charitativum*, scilicet, tributum ab Episcopo impositum ecclesiis, et clericis sibi subjectis in necessitate sustinendi Episcopatus onera.

781. **Procuratio** est præstatio, quæ tribuitur Episcopo diœcesim visitanti ex ordinatione Ecclesiæ ad sustentationem. *C.* VI, *et* XXII *de cens. exat.*, Bened. XIV, *De Syn. diœc. l.* X, *c.* 10. Sunt loca, quæ nihil tribuunt, ut hospitalia, monasteria, civitas residentiæ Episcopi, etc. Attendantur locorum consuetudo, et conventiones.

782. **Regalia** est concessio quædam principibus sæcularibus ab Ecclesia facta tum ad beneficia quædam nominandi, tum redditus a vacante beneficio percipiendi ad eorum protectionem erga Ecclesiam remunerandam. Civilis enim potestas nequit illa proprio marte usurpare; res quidem et bona Ecclesiæ sunt. Adsunt et *investituræ*, quæ invicte condemnatæ fuerunt a Gregorio VII ob injustos principum ambitus circa *feuda*, et *investituras*.

CAPUT IX.

De statu religioso, et de Regularium privilegiis.

783. **Status religiosus** *late* sumptus est *specialis vivendi modus, quo homines voluntarie se offerunt cultui divino per consiliorum observantiam. Stricte* vero sumptus est *illud stabile vitæ institutum a Papa approbatum, tendens ad perfectionem per tria perpetua vota, paupertatis, castitatis, et obedientiæ.* Ad essentiam religionis non requiruntur vota solemnia; nam Gregorius XIII, Bulla *Ascendente*, declaravit veros esse religiosos in Societate Jesu etiam illos, qui hæc vota solum simplicia emittunt. Episcopi religiones hodie approbare non valent, ex Lateran., sub Innocent. III. Hinc non sunt religiosi veri nominis, qui licet tria vota emittant, et communiter, vel seorsim vivant, regulam tamen a S. Sede approbatam non profitentur; neque ordines militares, qui conjugalem castitatem tantum vovent. Secus tertiarii S. Francisci, aliorumque. *S. Lig., l.* 4, *n.* 1.

—Status religiosus in genere originem a Christo trahit, tria illa vota non præcipiente, sed consulente, ut ait *Suarez*. Ab ætate Apostolorum viguisse tradunt eruditi, juxta illud (Matth. XIX): *Vade, vende quæ habes, et da pauperibus.* En votum paupertatis. —*Sunt eunuchi qui se ipsos castraverunt propter regnum cœlorum.* En votum castitatis.—Et cap. XVI: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum... et sequatur me.* En votum obedientiæ. Si *stricte* pro vero cœtu accipiatur, veniunt in primis ascetæ: deinde a civium societate aliqui se subducentes, vitam solitariam sub certa regula superioris in cœlestibus occupabantur, quibus *Ascetæ,*

et deinde *Anachoritæ, Eremitæ, Monachi,* et *Cœnobitæ* erat nomen, quorum auctores fuerunt *Paulus, Macarius, Pacomius, Antonius, Hilarion, etc.*, et sic progressi sunt.—Demum unusquisque ordo locum exigit juxta propriæ vocationis indolem. Hinc illud: *Bernardus valles, colles Benedictus amabat; oppida Franciscus, magnas Ignatius urbes.*—Idem dici potest de monialium origine; nam a primis Ecclesiæ sæculis constat fuisse virgines, quæ se Deo consecrabant per consiliorum observantiam, quæque *sanctimoniales* denominabantur.

Ex decreto Lateranensis IV, sub Innocentio III, an. 1215, confirmato a C. Generali Lugdunensi, sub Gregorio X, an. 1273, etc., sub nullitate prohibetur novam religionem introducere sine S. Pontificis auctoritate, et non approbatam ingredi.—Ut monasteria tam virorum, quam mulierum erigantur, requiritur Episcopi licentia loci ædificii.—Si aliæ domus religionis jam approbatæ erigantur, etiam præcipitur, ut sint saltem duodecim ad regularis disciplinæ observantiam, ex *S. Cong. Concilii.* (Scavini, n. 467.,—Parochi impedire non possunt erectionem publici oratorii, si regulares intra illius parœciæ fines conventum constituant, modo jura parochialia serventur. *(C. Intell., t.* 32, *de novi op.)* Hæc jura intelliguntur ad quæ parochus jus habet strictum; uti sunt Communio paschalis, baptismus, extrema unctio, sepultura, prima Communio, matrimonium, ac decimæ. *(Ita Ferraris).*—Tanta est status religiosi præstàntia, ut merito Pius IX, Encycl. 17 jun. 1847, religiosos vocet: *Lectissimas illas auxiliares Christi militum turmas, quæ maximo tum christianæ, tum civili reipublicæ usui, ornamento, atque præsidio semper fuerunt.* (Item Encycl. 8 dec. 1864).

Q. *An peccet, qui alium ab statu religioso abstrahit?*

R. I. Si abstrahit fraude, et dolo, graviter peccat contra justitiam: 1.° in seductum; quia injuste illum privat a magno bono, et periculo æternæ salutis exponit; ideoque sub gravi tenetur fraudem auferre, ac in pristinam libertatem eum restituere.—2.° In religionem, et probabilius, etsi agatur de novitio, in quem nondum religio jus acquisivit, ut in professo; nam quisque jus habet, ne vi, aut dolo impediatur a boni consecutione. (*S. Lig., n.* 77, *Scavini, l.* 1, *n.* 470).

II. Si vero tantum precibus, ac consiliis impediat absque justa causa, graviter peccat contra charitatem tantum; quia scienti, et volenti non fit injuria. Imo Trident. eos excommunicationi non reservatæ subjicit. *(Sess.* 25, *c.* 18, *de Regul.)*—Qui id agunt cum causa, laudabiliter agunt, uti 1.° si aspirans vires ad illud non habeat, vel tales habet mores, ut religioni dedecus futurum sit. 2.° Si parentes graviter indigeant, ratione legis naturalis. 3.° Si defloratio contigerit; tunc enim reus manet obstrictus. 4.° Si religio desiderata parum observans sit, aut Sedi Apostolicæ non addicta. 5.° Si prævalet ibi provocationis, et rixarum scaturigo, amor sæculi, exterorum appetitus, inanis gloriæ cupiditas; nam tunc retrahens candidati bonum curat.

Qui alios ad religionem inducit, bene agit, nisi 1.° *violenter* alium ad religionem cogat; nam id prohibetur *in Decr. XX, q.* 5, *cap. Præsens.* —2.° Si *simoniace,* muneribus datis, ut vetatur *in Decr. ibid., q.* 2, *cap. Quam pior.*—3.° Si *mendaciis* eum alliciat; imminet quidem periculum, ut retrocedat.

784. **Privilegia Regularium:** I. Habent privilegium exemptionis a

jurisdictione Episcoporm; nam prælati regulares in suis ecclesiis, et monasteriis jurisdictionem quasi episcopalem habent. *Salm. n.* 3. Unde:

1.° Hoc privilegio gaudent etiam conversi, novitii, tertiarii, beati, famuli regularium actu servientium, qui intra claustra monasterii vivunt sub obedientia juxta, *Trid., sess.* 24, *cap.* 11, et eximuntur a censuris Episcoporum, et a paschali Communione parœciæ. Neque seculares in monasteriis existentes, si ibi aliquod patrent delictum, pœnas ab Episcopis impositas incurrunt, nisi contravenerint ordinibus Episcopi circa Missarum celebrationem, ex *Trid., sess.* 22, *Salm., n.* 7, 8, 9, *et de Cens. n.* 113.

2.° In dubio alicujus privilegii, ad Papam spectat decisio ex *delarat. Clem.* IV. etc. Imo huic privilegio exemptionis regulares cedere nequeunt, *ex cap. Cum tempore de arbitriis.* Quocirca nulla consuetudo in contrarium prævalere potest. *Salm., n.* 7. Unde apostatæ, et fugitivi capi ab Episcopis possunt, sed tantum ut suis consignentur superioribus. Tamen punire eos posset Episcopus, casu quo eorum monasteria in longinquo essent, ex *Trid., sess.* 7, *cap.* 3.

—E *contrario.* 1.° Sine Episcopi licentia nequeunt regulares ædificare monasteria, ex Bulla Urbani VIII: et in Bulla Greg. XV, *Alias,* prohibetur Episcopis hanc dare licentiam, si in monasterio ali nequeant redditibus, aut eleemosynis saltem 12 religiosi, exceptis hospitiis. — 2.° Episcopus prohibere potest, ne in monasteria monialium, etiam exemptarum, suscipiantur ultra numerum earum, quæ inibi ali possint juxta reddituum facultatem, ex *Bulla S. Pii V. Salm. n.* 14.—3.° Regulares in lucem libros edere non possunt sine Episcopi licentia ex *Trid. sess.* 4.—4.° Episcopus adstringere potest religiosos, ut processionibus intersint juxta *Trid., sess.* 35, *cap.* 13. — 5.° Episcopus jurisdictionem habet super monasteria, in quibus ali non possunt 12 religiosi. *S. Lig., n.* 75, *de privil.*

In his in quibus a jure communi, a S. Con. Trid., et a Const. Apostolicis, tributa est Episcopo jurisdictio in regulares, potest illos etiam per censuras ecclesiasticas compellere. Ita *S. C. ad Episcop. Nebiens.* 7 *febr.* 1632, 4 *jun.* 1672. Quare Ems. Spinelli, Archiepiscopus Neapolit. 5 jun. 1743, præcepit sub pœna suspensionis a divinis, etiam regularibus, ne admitterent ad celebrandum in suis ecclesiis aliquem sacerdotem advenam sine Ordinarii licentia. Bened. XIV, de *Synod. lib.* 9, *c.* 16, *n.* 5.

In tribus casibus Episcopus cogere potest regulares ad obedientiam, etiam adhibitis censuris. 1.° Ad restituendas res suas novitiis, qui professionem emittere nolunt.—2.° ad observandam clausuram quoad moniales.—3.° ad observandum totum id, quod ab Episcopo statutum est quoad Missarum celebrationem, ut supra.—In aliis casibus, communius dicunt *Sanch., Salm., Lezana, etc.,* non posse Episcopum censuris cogere regulares. *S. Lig., n.* 77.

Item docent *Suar, Lezana, Salm.,* etc., contra *Vazq., Sanch., et alios,* regulares non obligari decretis synodorum provincialium, aut diœcesanarum, aut aliis Episcopi præceptis, dummodo hoc non sit necessarium ad evitandum scandalum, aut casus dependens non sit ab Episcopo; ut parochi munus, confessoris, concionatoris, etc., nam parochi regulares omnimodo subsunt jurisdictioni, correctioni, et visitationi Episcopi, in iis, quæ proprios mores, et curam animarum concernunt.—Obligantur etiam regulares ad observanda festa ab Episcopo statuta, et quoad inter-

dictum ab Episcopo latum, semper ac observetur ab ecclesia matrice. *Trid., sess.* 25, *cap.* 12.

Denique commune est inter DD. *cum Salm., n.* 90, *Less., S. Lig., n.* 60, *et* 63, omnes ordines regulares, sive mendicantium, sive non, communicare quoad omnia privilegia regularium, ut constare ex privilegiis concessis asserunt *Salm.* Imo moniales iisdem privilegiis gaudent, (quorum sunt capaces), religiosorum ejusdem ordinis, et etiam aliorum Ordinum suo Ordini communicatis, ut tenet *Alex. cum aliis.* Unde Abbatissa dispensare potest in jejuniis, officio, etc., juxta privilegia sui ordinis prælatis concessa, non ratione jurisdictionis. Quoad alia non pauca privilegia monialium, et religiosorum, vide *S. Lig., l.* IV, *n.* 63 *et* 64, *cum communi* contra *Sanch., Barb., etc.*

785. **Facultates regularium:** I. Superiores regulares sunt Generales, Provinciales, eorumque Vicarii subrogati in eorum locum, omnes superiores locales, ut Priores, Guardiani, Rectores, itemque eorum Vicarii, quando ipsi absunt, saltem per integrum diem. *Ita communiter cum S. Lig., n.* 95. Omnes isti absolvere possunt suos subditos, et etiam suos novitios — 1.° a censuris Pontifici non reservatis, etsi latis ab *homine* per specialem sententiam, vel incursis etiam ante ingressum. Ita *Salm., S. Lig., n.* 95, *ex privilegiis Pauli V, Sixti IV, et Eugenii IV.* Ratio est, quia novitii in favorabilibus communiter a DD. ut religiosi reputantur. Ita *Suar., Sanch., Salm., n.* 85, *et declaratio Clementis VIII.—Diana* refert privilegium Jesuitis concessum (quod ex communicatione ad omnes religiones extenditur, ait *S. Lig., n.* 95 *de privil.),* quo communicare possint novitiis omnia privilegia Societatis, nisi casus jam esset antea inceptus ab Episcopo.—2.° Possunt absolvere suos subditos (non vero alios seculares), ab omnibus casibus papalibus occultis eodem modo, quo Episcopi suos subditos absolvere valent, *ex cap. Liceat,* et ex privilegio S. Pii V, confirmato a Bened. XIII in Bulla *Pretiosus,* an. 1727. Hodie in dubium non est revocandum quod religiosi mendicantes absolvere non possint sæculares a casibus ab Episcopis reservatis, ait *S. Lig., n.* 99. Præter alia decreta liquet ex proscriptione hujus propositionis 12 per Alexandrum VII. *Mendicantes possunt absolvere a casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate.*—3.° Regulares dispensare possunt tantum cum suis subditis ab omnibus irregularitatibus occultis, sicuti possunt Episcopi, *ex cap. Liceat.* Ita ex privilegio S. Pii V, et Julii II. Et idem possunt cum secularibus, ut dicunt *Salm., Scavini, Sanch., Suar., cum communi* ex concessionibus Sixti IV, et Julii II. *(V. S. Lig., de privil. n.* 101 *et* 104).

II. Probabilius religiosi absolvere possunt seculares a casibus non reservatis sibi ab Episcopis, sed *a jure*, vel ex consuetudine, ut abortus fœtus animati, etc. Secus dic de casibus sibi reservatis ab Episcopis. *Croix, Spor., Salm., S. Lig., n.* 100. (Quoad casus papales V. n. 260 in fine.) Tamen regulares confessarii accipere nequeunt sæcularium confessiones, sine Ordinarii loci approbatione, juxta Innocent. X, et Innocent. XII in Bulla *Cum sicut*, an. 1700.

III. Regulares Missam celebrare valent in suis ecclesiis una hora ante auroram, seu tribus horis ante solis ortum, et justa extante causa, tribus horis post meridiem, et sufficit mediocris causa; v. gr. convalescentiæ, studii, et similium; non autem in altare portatili. Ita *S. Lig., n.* 121, *et* 122, *ex variis decretis SS. PP.*

Quoad festa, vota, Ordines, etc., *V. S. Lig., ibid., et seq.*

CAPUT X.

De vocatione, et ingressu in religionem.

786. **Vocatio** *est affectus ille, ac quidam veluti divinus impulsus, quo quis interius se invitari sentit ad aliquem statum in particulari.*

Signa divinæ vocationis ad religionem duo præcipue sunt: — 1.m Voluntas bona, seu spontanea propensio constans, ac recta;—2.m aptitudo animi, et corporis: *animi:* præsertim quoad humilitatem, hilarem, subjectionem erga superiores, castitatem et patientiam. *Corporis:* nempe sanitas et vires ad Ordinem concupitum pares. Nil obstat dæmonis perturbatio, ac repugnantia naturæ, neque aliquis timor, aut rara dubitatio.— Certa quidem est divina vocatio: constat sane Deum omnia gubernare modo singulis entibus proprio: ergo a fortiori in ordine supernaturali. Hanc vocationem esse a Deo aperte liquet; nam esse nequit a natura, quæ a castigatione carnis abhorret; non a dæmone, cum neminem ad bonum ex bono fine inducat; restat ergo ut sit a Deo.—Si vero vocatio dubia sit, erit diutius examinanda; et si dubium sit grave, et fundatum, nemo ascendere potest ad altiorem statum; secus dubium est despiciendum. Propositum se cavendi a mundi periculis, sacramenta frequentandi, jucunditas mentis ex consideratione religionis sunt tantum præludia illius status, non evidentia vocationis signa.

Ingressus in religionem. Alii prohibentur ingredi, alii tenentur.— 1.° Prohibentur non vocati, indigni, et qui non sunt sui juris, uti Episcopi, impuberes sub parentibus, vel tutoribus degentes, filii parentes alere tenentes, debitis gravati, qui virginem decepit sub matrimonii promissione; item conjuges matrimonio consummato, et servi a servitio domini non emancipati.—2.° Tenentur vocati expediti; secus frustra daretur gratia vocationis: item qui religionem voverunt, ut promissa adimpleant. *S. Lig., l.* IV, 65. (Quoad parentum obicem V. n. 847). Fratres autem, et sorores deserere non licet in extrema necessitate; sed licet in gravi, quamvis eo in casu differre quis possit, et etiam omittere religionis statum ad subveniendum fratribus, nisi votum religionis habeat: tunc sine dispensatione per longum temps differre non valet. *Salm., n.* 54, *S. Lig., n.* 70.

Qui vocationem moraliter certam negligit, et persuasum habet damnationem incurrere, tum ob cognitam fragilitatem, tum ob mediorum specialium carentiam, a mortali non excusatur; nam scienter salutem exponit, ac divinum lumen contemnit.—Secus *per se* non peccat; consilia enim ad culpam non obligant; etsi non facile excusandus ratione magni periculi, cui se exponit, absque peculiaribus auxiliis. (*Scavini, n.* 473, *S. Lig., n.* 78.)

Q. *An debitis gravatus religionem ingredi possit?*

R. Praxis est, ait *Patuzzi,* ut generatim nullus ære alieno, id est, magnis debitis propria culpa obstrictus, vel reddendæ rationi obnoxius, ad vitanda incommoda, recipiatur. Ita etiam declaravit Sixtus V, Bulla *Dum de omnibus,* 1587; at Clemens VIII, Const. *Suprema,* 1600, inhabilitatem sustulit, sed reliquit prohibitionem. (*S. Ligor., l.* 4, *n.* 71, *etc.*) Excipe si debita incerta sint quoad personam; nam, dato quod de jure naturali præsumpto debeantur pauperibus, vel causis piis, nihil sane adeo

pium est, quam se, suaque Deo perpetuo dicare.—Ita *communiter*, saltem pro interno foro, si agatur de debito ex contractu pure gratuito; semper enim subintelligitur: *nisi meliorem statum elegero. (Suarez, Scavini, n.* 474, *S. Alph., l.* 4, *n.* 71).—Item probabilius cum *Patuzzi, Salm., Scavini, S. Antonino, D. Thom.,* 2. 2, *q.* 189, *a.* 6, etsi agatur de debitis ex contractu oneroso, et res resolvatur ex theologorum principiis, casu quo aliunde diu debeat in sæculo manere; puta per duos, vel tres annos, vel cum periculo in mortale incidendi, vel vocationem amittendi; nam tunc solutio haberetur uti moraliter impossibilis: et persona liberi hominis superat omnem pecuniæ æstimationem, ut ait *Angelicus, ibid.;* tunc sufficit ut bona sua creditori cedat. *Scavini, p.* 291, *S. Ligor., ibid. S. Thom. l. c.*

787. Q. *Ad quid tenetur qui religionem vovit?*

R. Tripliciter potest quis religionem vovere, scilicet, *in genere, in specie, in individuo.*—1.° Qui religionem in *genere* vovit, votum adimplet quamlibet religionem approbatam ingrediendo.—2.° Qui vovit religionem in *specie*, adimplet votum, ingrediendo quamlibet illius ordinis in mentem sibi oblati.—3.° Qui eam vovit in *individuo*, vel in tali monasterio, si ibi non admittatur, liber manet; quia sub hac tantum conditione se obligavit. *(Scavini, n.* 475, *cum communi).*—Unde religionem vovens, si post ingressum sine gravi causa egrediatur, graviter peccat; ut probabilius docet *S. Lig., n.* 72; nam tale votum professionem respicit: secus si difficultatem valde gravem experiatur, cum non videatur se obligare ad id, quod est moraliter impossibile.—Si vero a religione uti ineptus ejiciatur, plures cum *Less. n.* 44, *Salm. n.* 11, absolute eum liberant; tale quippe votum sub hac conditione censetur factum; maxime si post adhibitam sufficientem diligentiam ad habilem se reddendum, nullam probabilem spem habeat in posterum recipiendi, probabilius eum liberant AA.; nam tunc votum factum est impossibile, nisi cum mediocri diligentia in alia religione admitteretur. (*Scavini, ibid., S. Lig., n.* 72.) (V. n. 601).

CAPUT XI.

De novitiatu, et professione religiosa.

788. I. Ex decreto Pii IX, et ex *S. C. Regular.*, 19 *mart.* 1857, omnes religiosi ordinum, in quibus vota solemnia emittuntur, in posterum, perfecto novitiatu, vota simplicia tantum emittant, saltem ad triennium, deinde ad vota solemnia admitti possunt, si a superioribus digni habeantur; secus differatur.

II. Professio in quacumque religione tam virorum, quam mulierum non fiat ante decimum sextum annum expletum; nec minore tempore quam uno anno probationis, post habitum susceptum, ex Trident. *(Sess.* 25, *c.* 15). Neque differri potest ultra 25 annum ætatis completum; ideo si tunc aliqui habiles non inveniantur, dimittantur. *(Scavini, n.* 477).

III. Vota simplicia, uti supra, sunt perpetua ex parte voventis, et dispensatio S. Sedi reservatur. (Ita *S. C. Reg.* 22 *feb.* 1859).—Tamen eo ipso solvuntur ex omni parte per professorum dimissionem. Ast post hanc

professionem causa infirmitatis nemo dimitti potest; et professi horum simplicium votorum participes fiunt omnium gratiarum, ac privilegiorum, quibus solemniter professi fruuntur. (*Del-Vecchio*). Quæsitum fuit an sacerdoti sæculari habitum petenti, et obtinenti longe post 25 ætatis annum, emissa professione votorum simplicium, differri possit supra triennium consuetum, si intra triennium votorum simplicium, non sufficientia argumenta de sua vocatione dederit? S. C. respondit *Negative*, non posse differri. (V. *Analecta juris Pontificii, an.* 1867, *pag.* 1019, *et Acta S. Sedis, t.* 2, *p.* 360). Ex nova disciplina novitii, qui per triennium votis simplicibus ligantur, carent quidem suorum bonorum administratione, et usufructu, sed retinent nudam proprietatem, quam non amittunt, nisi sub triennii finem, id est duobus mensibus, qui solemnem professionem præcedunt. *(Ibidem).*

789. Q. *Quænam sunt servanda in admissione novitiorum?*

Q. In quocumque ordine, congregatione, domo speciali mentione digna, etsi non emittantur vota solemnia, nemo ad habitum est admittendus sine testimonialibus Ordinarii, tum originis, tum loci, in quo postulans post expletum 15 ætatis annum ultra annum moratus fuerit. Testimoniales litteræ erunt de ætate, moribus, vita, fama, conditione, educatione, licentia, seu libertate; an inquisitus, censuratus, irregularis, ære alieno gravatus, reddendæ rationi alicujus administrationis obnoxius, super quibus ipsius Episcopi conscientia gravatur.— Qui duplici scrutinio, modo præstabilito, non fuerit probatus, ad habitum non admittatur in quocumque ordine, vel congregatione.— Superior religionis quolibet semestri ad *S. C. Regul.* summarie referat de singulis novitiis receptis, de ætate, patria, moribus, cæterisque pro receptione confectis.—Prope terminum cujuscumque trimestris novitiatus, magister novitiorum Provinciali agendi rationem cujuscumque novitii scripto referat.— Duobus mensibus ante professionem Provincialis novitii voluntatem diligenter exploret, et per secreta suffragia interroget cæteros de domo, an ad professionem admitti possit; hancque relationem examinatoribus communicet, ut et illorum suffragia habeantur. Quæ omnia sub gravi obligant, sicut et cætera in prædicto decreto præscripta; excipe Societatem Jesu. (*V. Analecta, an.* 1859.—*Bouix, de jure regularium).*

—Ad rem hic Consessus Episcoporum *Vercellis habitus*, 18 *nov.* 1849, § 5: *Testimoniales litteras, quas SS. D. N. Pius PP. IX, Decreto diei* 25 *jan. elapsi anni ab aspirantibus ad religiosam professionem impetrandas præscripsit, præsules summa cum circumspectione elargiendas esse censent. Eapropter ad uniformitatem servandam constituunt, ut una saltem proclamatio in cujusque parœcia præcedat; periculum vero super scientia in scriptis simul, ac verbis exigatur, et litteræ ipsæ expediantur juxta formam, quam hisce Actis adjectam communi calculo probaverunt.*

Annus probationis integer esse debet juxta jura antiqua, cum non aliter sit constitutum; sed non censetur interruptus novitiatus, si novitius ægrotet, ideoque exercitiis assistere nequeat; vel violentia coactus discedat; vel si cum licentia ad parentes, vel alios divertat sanitatis causa, aut alio gravi fine, si iter agat a suis superioribus jussus. *(Del-Vecchio, n.* 478). (Contra hæc nihil invalidare potest gubernium civile; V. *Syllab.*, n. 52, et 53).

790. **Professio religiosa** definitur: *Promissio libere facta, et legi-*

time acceptata, qua quis, debita ætate, ac tempore, sese perpetuo adstringit certæ religioni ab Ecclesia probatæ cum solemni votorum emissione.

Ex jure canonico, ac Tridentino ad hanc professionem requiritur *aptitudo*, *libertas*, et *consensus:* scilicet: 1.° ut vovens sit baptizatus; compleverit 16 annos, cum uno integro probationis habitu indutus; nullo impedimento ligetur; et verum habeat profitendi animum; —2.° ut non sit invitus, nec alterius juris, nec gravibus obligationibus obstrictus. (Sic exploranda est sub gravi ab Episcopo, vel ejus deputato, puellarum voluntas, saltem ante professionem. *Salm.*, *n.* 14, *S. Lig.*, *n.* 5). Si intercedat metus gravis, v. g. incarceratio, alimentorum subtractio, aut metus reverentialis, eo quod in professionem consentire noluerit; vel si ex religione egrediatur, hæc omnia professionem irritant. *Lay.*, *Less.*, *S. Lig.*, *n.* 6. Imo nisi postea expresse, vel tacite eam ratificaverit, egredi e religione, et uxorem ducere valet, amoto scandalo, causam probando intra quinquennium. *S. Lig.*, *n.* 7;—3.° consensus acceptatus a superiore ordinis, et utrinque firmatus contractus.—Intra quinquennium professus reclamare de nullitate potest, si intra claustra degat. Quicumque regularis prætendat se per vim, et metum ingressum, vel ante ætatem professum fuisse, aut quid, simile, velitque habitum dimittere, non audiatur, nisi intra quinquennium a die professionis causas prætensas coram superiore suo, et Ordinario deducens. Secus tanquam apostata puniatur, si habitum sponte dimittat. *De Luise*, *n.* 731, *Scavini*, *n.* 479.

791. **Effectus professionis** sunt: 1.° Remissio peccatorum quoad pœnam, si sit in gratia; sane actus se totum divinis mancipandi, omne genus satisfactionis excedit. –2.° Extinctio votorum ante emissorum, *Decr.*, *l.* 3, *t.* 34, *c.* 4, *etc.*, etiam voti ingrediendi in arctiorem religionem, (ex decreto Bonifacii VIII *Qui post votum).*—3.° Cessatio irregularitatis, ex defectu natalium. — 4.° Solutio sponsalium, ac matrimonii rati.— 5.° Exemptionis privilegium.—6.° Obligatio ad perfectionem tendendi. *(Del-Vecchio*, *n.* 480). Divinum Officium recitandi obligatio, quoad professos choro addictos, oritur ex consuetudine a Gregorio IX probata, monialibus in Gallia, ac Belgio hodie exceptis; quia non habentur, uti stricte moniales: et ubi adest consuetudo recitandi Officium parvum B. V., vel alias preces, non ad id tenentur religiosi sub gravi. *(Gury*, *Del-Vecchio*, *n.* 481).

792. **Privilegium exemptionis** consistit in eo quod regulares Apost. Sedi immediate subjecti sint. Tamen Tridentinum præscripsit: 1.° ut Episcopus tanquam Sedis Apostolicæ delegatus monachos extra claustra visitet, corrigat, puniat, si opus fuerit; si vero regularis intra claustra degit, et extra populo sit scandalo, a suo superiore, instante Episcopo, puniatur. Idem dicendum de clericis sæcularibus, et etiam regularibus extra monasterium degentibus, quomodolibet exemptis, si deputatum in iis partibus a Sede Apostolica non habeant, quoad causas civiles coram locorum Ordinariis conveniri, et compelli debent. *Trid.*, *ssess. VII. cap.* 14. *sess.* 25, *cap.* 14, *et sess.* 6 *de Reg.;*—2.° ut omnia relativa ad sacramenta, et animarum curam, quæ regulares cum exteris habent, Episcopus dirigat; —3.° ut neque in suis sine Episcopi benedictione, neque in aliis ecclesiis sine ejusdem licentia Verbum Dei populo prædicent;—4.° ut Episcopo diœcesano, omnino pareant regulares quoad festa servanda, censuras evulgandas, ritus custodiendos, cæteraque ad publicam divini cultus poli-

tiam v. gr. processiones publicas, aliasque controversias spectantia. *S. C. C., De-Luise, n.* 727, *Scavini, p.* 295).

793. Q. *An regulares ad perfectionem teneatur?*

R. Tenentur non actu esse perfecti, sed actu professionis ad eam tendere per media suæ religionis ordinaria.—Hinc graviter peccat 1.° qui regulas etsi ad venialem culpam tantum obligantes, vel ad nullam, ex contemptu violat. Censetur regulas transgredi ex contemptu, quando illas prætermittit, animo non subjacendi illis, vel prælatorum præceptis; vel si eas servare omittat tanquam inanes; secus si concupiscentia ductus; vel quia illas sibi necessarias non esse ad salutem putat, aut non præcipi sub gravi. Ideo regulas transgredi in rebus parvæ materiæ, etiam ex consuetudine, veniale non excedit. Ita *D. Thom.* 2. 2, *q.* 186, *a.* 6, *ad* 1, *cum communi.* — 2.° Qui firmiter statuit ad perfectionem non tendere, vel nullo modo de ea curare. *Salm., n.* 21, *Sanch., n.* 10 *cum communi.* —3.° Qui suo exemplo alios inducit ad regulæ relaxationem in materia gravi. *S. Lig. n.* 10. *Religiosus tenetur sub mortali taliter vivere, ut non sit graviter suæ religioni perniciosus, inducendo alios suo pravo exemplo ad nimis relaxandam regulam, ut esset, si nollet unquam servare silentium, nec orare, nec modeste incedere, et ingrederetur omnium religiosorum cubicula, et similia religionis statuta transgrederetur*, ait *Sanch., n.* 17.—4.° Item graviter peccat prælatus leves subditorum defectus corrigere negligens, v. gr. circa silentium, jejunia, etc., casu quo plures sint, ut disciplinam relaxare valeant; nam tunc licet quisque religiosus leviter peccet, superior non impediens, cum possit, observantiæ relaxationem, deficit in re gravi: imo inquirere tenetur, ut corrigat; tamen sine nimia sollicitudine. *S. Thom* 2. 2, *q.* 33, *a.* 2, *ad* 4, *S. Lig., n.* 13. Subditum verberare, et conviciis increpare potest, si oportet, ad corrigendum ex *D. Thom.* 2. 2, *q.* 72, *a.* 2, *ad* 2, modo ex ira, aut coram secularibus, vel novitiis id non agat.—5.° Probabilius, et communius leviter tantum peccat ratione obligationis ad perfectionem tendendi qui servare intendit solum mandata sub gravi obligantia; nam eo ipso quod religiosus servare velit præcepta, quæ respectu ipsius obligant sub gravi, cum ista aliorum respectu mera sint consilia, jam tendit ad perfectionem. Excipe, si ex contemptu regulam violat, vel in re gravi prælati expressum præceptum *SS., Thom., Lig., n.* 11. Tamen difficillime a gravi excusabitur ratione scandali, periculi vota transgrediendi, etc., quæ omnia est moraliter impossibile evitari ab eo, qui propositum habet negligendi omnia statuta sub gravi non obligantia, ait *Sanch., n.* 18.—Si vero regula ad culpam non obliget; vix unquam a veniali excusabitur transgressio ex negligentia, libidine, seu contemptu. *S. Lig., n.* 10.

CAPUT II.

De voto paupertatis.

794. **Paupertatis votum** *consistit in eo quod religiosus, ex voto solemni, nihil proprii in particulari habeat ad disponendum, sine Sedis Apost. dispensatione.* Ait Trid.: *Nemini regularium tam virorum, quam*

mulierum, liceat... bona immobilia, vel mobilia cujuscumque quantitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquisita, tanquam propria, aut etiam nomine conventus possidere, vel tenere. (Sess. 25, c. 2, de Regul.)

Hinc religiosus est *per se* inhabilis ad valide exercendum quemlibet proprietatis actum circa rem monasterii, parentum, exterorum, mutuum, vel donationem accipiendi, aut renuntiandi, v. gr. legata, mercedes debitas, etc. *S. Lig., n.* 19.

Diximus 1.° *ex voto solemni;* nam qui voto simplici tantum est ligatus, ut religiosus Societatis Jesu, potest dominium directum habere, ac licite acquirere; sed ad licite disponendum indiget superioris licentia, non ad valide (in qua abdicatione consistit essentia religiosæ paupertatis), inhabilis equidem non est; etiam testari potest, vel de licentia generalis *Moderatoris* per actus inter vivos disponere. *Ita Bizzarri, ex dispositione Apost.* Sedis.—2.° *Proprii;* nam ordines etiam immobilia possidere possunt in communi, et aliquos deputare ad ejus administrationem: excipe ordinem *Minorum,* ac *Capuccinorum,* qui non habent dominium nisi eorum, quæ usu consumuntur; sed illud, uti dicunt, penes Sedem Apostolicam est.—3.° *De bonis temporalibus;* etenim tum Reliquiæ sacræ, jus eligendi, præsentandi, conferendi regulare beneficium, fama, propria manuscripta, et similia, in sua potestate manent; quia sunt partes, vel ingenii, vel devotionis, vel utilitatis, quæ non respicit paupertas; quia ita fert universalis consuetudo. *(S. Ligor., n.* 14, *Lugo, n.* 230, *Salm., n.* 195. Votum paupertatis a terrenis effective expoliat; virtus vero paupertatis expoliat affective tantum, nempe, ab inordinato affectu ad terrena.

795. Q. *An religiosus aliquid possidere possit de superioris licentia?*

R. Negative ex Trident. *(sess.* 25, *a.* 2, *de Regul.):* ex contraria tamen consuetudine fere ubique recepta, quæ rigorem Tridentini temperare videtur, de superioris consensu, peculium probabilius habere potest ad usus necessarios, et honestos. *(Scavini, n.* 490, *S. Lig., n.* 15 *cum communi).* Et aperte liquet ex Brevi Clem. VIII, an. 1602, et ex alio Brevi Innocent. XI, an. 1691. Sed hodie vix permitti potest extra casum incuriæ superiorum subditis necessaria administrandi, non tantum ratione voti, quam ratione relaxationis regulæ, et communitatis religiosæ. *S. Lig., n.* 15.

An religiosus possit accipere, vel dare sine licentia?

R. I. Potest accipere, et dare, si periculum non moram patiatur; *necessitas enim non habet legem.*—Communiter permittunt cum licentia *præsumpta,* vel *interpretativa* sive de præsenti, sive de futuro, si causa sit, etsi ludo honesto aliquid exponat; tunc enim religiosus cum dependentia agit. *S. Lig., n.* 17.

II. Item permittunt cum tacito consensu, ut religiosus elargiri possit suas *pitantias* limitatas; munuscula ad devotionem pertinentia; leves donationes remuneratorias ex superfluis sibi concessis ad usum, usque ad excessum 4.æ partis ob gratitudinem; item permittitur leves donationes facere consanguineis, et amicis in gratitudinis signum, vel debitæ amicitiæ, vel ad conciliandum aliorum amorem erga religionem; vel aliquid esculenti, aut poculenti pauperibus elargiri ex præsumpto consensu prælati, nisi id expresse illi vetetur. *S. Lig. n.* 21, et 23.

III. Potest peccare contra obedientiam, si occulte agat, non vero contra paupertatem, si excipiat pecunias extraneas in depositum, cum animo eas domino volenti reddendi.—Peccat contra paupertatem, qui ab

extraneo accipit pecuniam ad libitum proprium; item qui arbitrio suo aliquid emit prō communitate; agit quidem ut proprietarius. Si ad opera pia pecuniam accipiat, probabilius non peccat, si hæc jam sint ei determinata; nam non est nisi donatoris canalis. *Ita Scavini, n.* 491, *Gury, Azor., etc.:* et *Sanchez* addit, etsi non sint determinata; nihil sane proprietatis habet. Item munera non acceptare; quia nondum acquisita a monasterii, nec religiosi fiunt. *S. Lig., n.* 20. *Tur., n.* 10, addunt peccare contra bonum suæ religionis, non vero contra justitiam, absque justa causa religiosum acceptare nolentem.

IV. Monasteria mediocriter opulenta communiter dominis privatis opulenti æquiparantur. Unde alii, cum *Soto*, et *Rodriguez* pro materia gravi assignant duo scuta, vel 7, aut 8 argenteos cum *Lugo, n.* 173. (Vide ubi de furto). *S. Lig., n.* 25 *cum aliis* dicit, grave esse res paulatim accipere sine licentia, si furtula ad magnam quantitatem perveniant; —*Sanch., Bona,* et *Salm.* admittunt non esse grave accipere res comestibiles multis vicibus; nam præsumitur licentia prælati.—Disputatur an religiosus sibi subtrahere debeat pro restitutione aliquid ex rebus sibi datis.—Graviter non peccat religiosus generatim res mutuando sine licentia, modo sit tutus de restitutione facienda, nec damnum inferat communitati.—Licet Franciscanis uti in suis itineribus, ex rationabili causa, vel licentia superioris, viis ferreis prout et redharum usu, salvo quoad locum spiritu humilitatis. *(Ita S. C. Ep. et Regul.* 1863, *Del-Vecchio, n.* 491).

796. **Dotes monialium.** 1.° Superiorissa, si consuetudo, vel regula non obstat, administrationem bonorum sui monasterii habet; potest ergo modice donare, eleemosynas elargiri ex superfluis, monasterium, et ecclesiam augere, sed in rebus gravioribus requiritur Capituli consensus. *(Del Vecchio, ibid.)*—2.° Monialis non potest cedere fructum sui libelli consanguineis, sine licentia *S. Cong.* Neque monasterio illum tradere sub pacto, ut istud solvat, sua vita durante, aliquam pensionem. *(S. Ligor., l.* 4, *n.* 36).—3.° Ex jure irrevocabiliter transfertur dominium dotis in monasterium per professionem cum solemnibus votis. Ita pluries *S. Cong. R.*, etsi monialis transeat ad aliud monasterium. Sed monasterium obstringitur, vel ad congrua alimenta præstanda, vel ad restituendum dotem. *(S. Congr. Regul. in Novar.,* 14 *aug.* 1863).—4.° Si vota non sint solemnia, dos est restituenda moniali, etsi professæ, si egreditur, *ex S. Congr.* 1738. Excipe si aliter pactum sit, vel regulæ speciales illius monasterii aliæ sint. *(S. C. C.,* 10 *jun.* 1828).—5.° Non potest Ordinarius dotis quantitatem præfigere, ita ut moniales non possint quid amplius recipere, si sponte solvatur. *(S. R. C.,* 3 *nov.* 1604).—6.° Monialis novitiæ professio ultra annum differri potest, si dotem competentem adhuc monasterium non acceperit. (*S. R. C.,* 31 *maj.* 1597).—Potest admitti in professionem antequam solvatur dos. *(S. R. C.,* 14 *febr.* 1653).—7.° Dispositio civilis est quid omnino indifferens ad religiosas obligationes; parvi igitur refert, si cognoscat statum religiosum, vel non; nam lex canonica independenter obligat a civili lege; si etenim hujus dispositiones legi canonicæ obstent, irritantur in foro conscientiæ. *(Del-Vecchio, l.* 1, *n.* 492).

CAPUT XIII.

De voto castitatis, et clausura.

797. **Votum castitatis** hic est *id per quod religiosus obligatur ad se abstinendum ab omni voluntaria delectatione venerea, tam interna, quam externa.*—Qui contra hoc votum agit, contra religionem, et contra castitatem peccat; et probabilissime contra bonum commune, si periculum sit, ne ideo infametur religio.

Clausura religiosa est *ecclesiastica prohibitio monialibus facta egrediendi a claustris, extraneisque in ea ingrediendi.* Episcopus potest a S. Sede impetrare clausuram papalem etiam pro monialibus votorum simplicium cum consensu omnium monialium vocalium per vota secreta. *(S. Cong. Reg., et Episcop.*, 6 *dec.* 1839). Sed non tenentur ad clausuram servandam sub censuris a Tridentino impositis, ubi Episcopus clausuram restituerit; bene vero incurrit ingrediens censuras ab Episcopo fortasse impositas. *(S. C. Epis., et Reg.*, 1 *aug.* 1839).

798. Q. *An liceat religiosis de claustris egredi?*

R. I. Si agitur de viris, Const. *Nullus*, 20 mart. 1601 Clementis VIII, confirmata ab Urbano VIII, 21 sept. 1624, Const. *Sacra Congregatio*, sic se habet: *Nullus e Conventu egredi audeat, nisi ex causa, et cum socio, licentiaque singulis vicibus impertita a Superiore, qui non aliter eam concedat, nisi causa probata, sociumque exituro adjungat, non petentis rogatu, sed arbitrio suo, neque eumdem sæpius.* Romano Pontifici reservatur potestas dandi religiosis facultatem commorandi extra claustra, v. g. causa studii, quæ ex Trid. olim dari poterat a superiore.—Unde communiter tenent AA., id ex suo genere mortale esse; et contra *Suarez*, veniale tantum egredi sine licentia semel, aut iterum, scandalo, ac contemptu secluso, nec fiat de nocte. *S. Lig.*, *n.* 37.

II. *Quoad sanctimoniales* arctissima est lex: *Nemini autem sanctimonialium liceat post professionem exire a monasterio, etiam ad breve tempus, quocumque prætextu, nisi ex aliqua legitima causa, ab Episcopo approbanda; indultis quibuscumque, et privilegiis non obstantibus.* Trident., *sess.* 25, *c.* 5 *de Regul.*—Imo neque id licet causa translationis ad aliud monasterium ejusdem Ordinis, vel alterius strictioris, sine licentia Sedis Apost., *ut declaravit S. C.*, ait *Scavini*, *p.* 300.—Et non datur parvitas materiæ, etsi egressus fiat uno passu tantum, ut communiter dicunt *Del-Vecchio, S. Ligor., l.* 4, *n.* 37, *l.* 7, *n.* 225.—Ex Const. *Decori* Pii V, Episcopus facultatem non habet licentiam impertiendi monialibus exeundi a monasteriis, *nisi magni incendii, aut infirmitatis, lepræ, aut epidemiæ causa,* quæ ex Benedic. XIV contagium infert, et in monasterium jam sit ingressa, nec aliunde monialium saluti provideri possit; et communiter extendunt *ad bellum imminens, inundationem fluminis,* ac *ruinam ædificii.* In aliis casibus, si balneis, vel aëre diverso indigent ad salutem, petenda est licentia a *S. Cong. Episcop. et Reg. At non extra, nisi ad necessarium tempus, stare licebit.* Moniales extra hosce casus exeuntes incurrunt excommunicationem Papæ reservatam, ex Const. *Apostolicæ Sedis* Pii IX.

799. Q. *An exteri claustra ingredi possint?*

R. Vel agitur de claustris religiosorum, vel monialium. Si 1.m, nunquam vetitum generatim fuit admittere viros; sed ingressus frequentes esse non possunt sine aliqua perturbatione.—Mulieres, si excipiantur *reginæ*, ac *fundatrices*, sub pœna excommunicationis *ipso facto*, ac Papæ reservatæ ingredi prohibuit Pius IX Const. *Apost. Sedis*, in quam incurrunt superiores, aliive exteros admittentes. *(Scavini, n.* 494).

Si 2.m, Pius IX in eadem Const. eamdem pœnam decernit *violantibus clausuram monialium, cujuscumque generis, aut conditionis, sexus, vel ætatis fuerint, in earum monasteria absque legitima licentia ingrediendo.* —Hæc tantum in vera monasterii, et monialium necessitate, ex Tridentino est danda.—Hinc non valet licentia data ad collocandam ibi fœminam, ne redeat ad vomitum; neque ingredi possunt uxores causa adulterii, vel dissensionis cum viris. *(Scavini, n.* 474).—Dicunt Ordinarium posse permittere puellæ ingressum ad tempus, de qua controvertitur, donec lis terminetur. — Docent *Sanch., Delbene, Barbosa, aliique* dictam necessitatem esse late accipiendam pro qualibet rationabili causa; nam in stricta necessitate lex humana per se cessat.—*Barbosa* censet minorem causam requiri pro ingressu fœminæ in monasterium monialium, quam viri; consanguineæ quam extraneæ; diurno tempore, quam nocturno; in priora receptacula, quam in interiora.

800. **Licentia debet esse specialis**, ita ut non sufficiat, si alicui concedatur licentia ad quoscumque casus, ad quos potest superior illam præbere, sive sit Episcopus, sive prælatus regularis.—Abbatissa de jure ordinario nequit eam dare; at potest Episcopus ipsam delegare, vel confessarium, vel alium prudentem virum ad illam concedendam. *(Del-Vecchio, n,* 494).—In necessitatibus, quæ moram non patiuntur, ut incendii, mortis, etc., non requiritur licentia: hinc quivis sacerdos tunc ingredi potest ad ministranda sacramenta, si non adsit approbatus.—Medicus ingredi nequit sine licentia renovata singulis trimestribus, et a duabus monialibus sociari debet. Non potest ingredi ad cognoscendum quæ monialis sit dispensanda a jejunio; id enim ad crates fieri potest, nisi aliqua in lecto decumbat.

—Alii, v. g. fabri, hortulani, notarii, molitores, et similes, solum obtenta venia ingredi possunt; nisi res valde urgeat, et longe sit superior eam concedens. Si licentia sit determinata quoad personam, non potest alius subtitui; secus vero si indeterminata sit. Non possunt admitti infantes, nec amentes. (Ex cap. *Periculoso de statu reg. in* 6).

—Confessarius sæcularis solus debet ingredi ad sacramenta infirmæ decumbenti ministranda, quoties ex præscripto regulæ, vel ex ipsius infirmæ consuetudine dispensatur Communio; sed non potest aliam visitare, nec alio divertere. Regularis vero cum socio probatæ vitæ, et maturæ ætatis intrare debet; et dum confessiones audiuntur, assistere ad januam debent commatrices, ita ut confessarium videant.—Confessarius monialibus deputatus, non ideo benedictionem dare potest in articulo mortis, sine speciali delegatione; neque parochus loci, si moniales sint exemptæ, cum non sit earum pastor. *(Trident., sess.* 25, *c.* 5, *de Reg.)* — Parochus extrema sacramenta administrare debet regulari extra claustrum decedenti, quin tamen jus habeat ad funera hic peragenda. *S. C. R.* 25 *febr.* 1864.

CAPUT XIV.

De voto obedientiæ.

801. **Votum obedientiæ** est *id per quod religiosus obligatur ad omnia, quæ præcipit superior secundum regulas, ac constitutiones, et quidquid pertinet ad officia communitatis rite obeunda*, sive præcipiat *directe*, ut ea, quæ in regula habentur, v. g. silentium, abstinentiam, etc.; sive *indirecte*, seu ea, quæ in regulis satis continentur, uti pœna in transgressores; nam qui se obligat ad Constitutiones, *implicite* se obligat ad ea, quæ ad hunc finem conducunt. Et si præcipiat *in virtute sanctæ obedientiæ*, vel *in nomine D. N. J. C.*, vel simili forma, obligat sub gravi; secus sub levi, vel sub nullo peccato, nisi agatur de re gravi, vel de gravi scandalo, vel de censura *latæ sententiæ. (Scavini, n.* 495, *S. Lig., n.* 38). Si prælatus non dicat: *Jubeo, præcipio*, etc., subditus obedire non tenetur, sed decet. *Salm., n.* 47, *Suar., et alii.*

Quod autem regulæ jubeant obedire in omnibus, id præcise non est de obligatione voti, sed de obedientiæ perfectione; unde hæc rationabilis sit oportet. (*S. Ligor., l.* 7, *n.* 226, *Ferraris, Monialis art.* 4). — Tamen si superior præcipit alicui assistere peste infectis sui Ordinis, obedire tenetur religiosus; quia pertinet ad bonum commune ipsius communitatis, et rationabile est præceptum; secus si agatur de aliis extraneis, qui in necessitate non sint, nec regula id præcipiat. Sed obedire oportet, ne confusio oriatur. *S. Lig., n.* 40.

802. Q. *Quotupliciter peccat qui votum obedientiæ violat?*

R. Dupliciter, si regula Ordinis sub peccato obligat, ut probabilius ait *D. Lig., n.* 46, contra præceptum naturale superioribus obediendi, et contra votum obedientiæ. Unde si votum sit *solemne*, nihil alicui promittere potest vovens sine conditione dispensationis, nisi agatur de iis, quæ superiori non subsunt, uti secretum promissum.—Si votum sit *simplex*, reddit tantum illicitam obligationem sine consensu superioris contractam. —Si vero regula sub peccato non obliget, venialis tantum erit ejusdem transgressio, si ex negligentia, torpore animi, aliove inordinato affectu fiat. *S. Thom.,* 2. 2, *q.* 186, *a.* 9, *ad* 1.

Q. *Quisnam dispensare potest in regula?*

R. Qui a jure, vel privilegio facultatem habet. Prælati regulares *per se* non possunt a regula dispensare. Tamen ratione privilegii, quod muneri prælati adnectitur, possunt prælati, etiam inferiores, dispensare 1.° in rebus, quæ sub levi præcipiuntur; — 2.° in frequentibus; — 3.° in statutis propriis illius conventus. Ratione juris solum in votis accidentalibus dispensare possunt; in aliis vero regulis poterunt pro casu particulari, nisi expresse id interdictum sit. (*Glossa in C. Monach. XX). S. Ligor., l.* 1, *n.* 194.—Jam professi ad novum statutum non tenentur, si in illud non consenserunt, et ad regulam Ordinis nec directe, neque indirecte spectat; vel nisi in Capitulo generali, vel provinciali, occurrente majori suffragiorum parte, statutum fiat; nam neque Pontifex religiosos... cogere potest ad arctiorem vivendi rationem, quam habet, et postulat institutum. *Lay., Less., n.* 23, *Sanch., etc.* Neque obedire tenentur prælatis regulam collapsam re-

formantibus, postquam regula per legitimam consuetudinem relaxata est, etsi primi peccaverint. *Salm.*, *n.* 89, *Sanch.*, *n.* 26, *S. Lig.*, *n.* 44. Et satis probabiliter quamvis a generali Capitulo regula reformetur, nisi reformatio appareat medium ad Ordinis decentem conservationem necessarium; nam qui professionem emittit, juxta præsentem statutum regulam profiteri censetur. *S. Lig.*, *l.* IV, *n.* 44.

803. Q *An Cardinales, Episcopi, et parochi regulares ad observantiam suæ regulæ teneantur?*

R. Affirma, ad præscriptum Clem. VIII, et Const. Bened. XIII, *Custodes*, quoad vota essentialia suæ religionis, v. gr. materiam voti paupertatis, aliasque regulas, et observantias dignitati, et officio non repugnantes sub gravi, vel levi, ut antea tenebantur. Religiosus qui fit Episcopus, sicut non absolvitur a voto continentiæ, ita nec a voto paupertatis..., similiter etiam non absolvitur a voto obedientiæ; sed per accidens obedire non tenetur, si superiorem non habet, ait *Angelicus* 2. 2, *q.* 185, *a.* 8. Ratio est; quia præfati remanent religiosi, et vota personalia compatibilia cum statu personam ubique comitantur. (Ita *S. C. Episcop. et Regul.*, 6 *maj.* 1864). Item circa habitum sui Ordinis, et coloris, etsi quoad formam Episcopis sæcularibus se conformare possit. Si episcopatum resignet, vel ob culpam deponatur sine degradatione, ad regularem observantiam redire non tenetur; nam episcopalem dignitatem retinet, ob quam ab obedientia regulari fuit exemptus. Secus in Cardinali. *S. Lig.*, *n.* 2.

804. Q. *Quid de transitu ad aliam religionem, et de sæcularizatione?*

R. I. De jure communi a laxiore ad arctiorem religionem transire permittitur, petita venia ab immediato prælato, etsi hodie fiat recursus ad Apost. Sedem; secus ad laxiorem, nisi ob graves causas a majori Pœnitentiario probandas, modo ibi vigeat regularis disciplina. Ita Benedict. XIV, Bulla *Pastor bonus.*

Ex gravibus causis S. Sedes nonnullis solemniter professis ad tempus, vel in perpetuum in sæculo degendi facultatem concedit in habitu presbyteri sæcularis, de congruo patrimonio provisis, sub obedientia Ordinarii loci, sed ad vota tenentur; unde sine S. Apostolicæ licentia dominii incapaces sunt, nec hæreditates capere, neque testari de suis rebus, neque beneficium proprio nomine possidere possunt, sed tantum nomine Sedis Apostolicæ administrare. Non tenentur autem novitiatum, ac professionem iterare, si ad claustra redeant. (*Del-Vecchio*, *l.* 2, *n.* 501).

805. Q. *Quid de ejectione, apostasia, et fuga a religione?*

R. *Ejectio est perpetua separatio religiosi a suo Ordine, facta auctoritate judicis.* Urbanus VIII declaravit neminem, nisi a Societate Jesu, expelli posse, nisi sit incorrigibilis, sed tantum puniri cum jejunio, et carcere, quod semper observandum est, præsertim cum monialibus. *Pro expulsione oportet, ut revera concurrat incorrigibilitas, et pro iis, qui vota perpetua emiserint, etiam confirmatio S. Congr.* Ita *S. C. Episcop.*, 2 *mart.* 1861. *Del-Vecchio*, *n.* 502. Religiosus qui, sua culpa intolerabilem se reddit, ut expelli debeat, graviter peccat; nam præter scandalum, contra suam professionem agit: et si peccat, ut dimittatur, vel ad hunc finem falsa alleget, irrita erit dimissio, utpote per dolum obtenta; unde pœnis apostatarum subjacet, nec liber a votis manet. *Sanch.*, *n.* 99, *S. Lig.*, *n.* 9, *et* 79.

Ejecti ad *castitatis votum obligantur:* quoad *paupertatem* usum ha-

bent ejus quod acquirunt, non dominium; quoad *obedientiam, et cæteras regulas* liberi sunt; nam istæ non respiciunt nisi regulariter viventes. — *Apostatæ* vero, et *fugitivi* omnibus legibus tenentur, cum adhuc esse debeant ex eadem familia, neque sibi acquirunt. *S. Lig., l.* IV, *n.* 80 *et* 81.— Imo apostata suspenditur ab Ordinibus, si quos susceperit post apostasiam; privatur omnibus sui instituti privilegiis, si habitum religionis dimittat. *(Cap. ult. periculosa* 11 *ne cler. vel mon. in* 6. — *Trident., sess.* 25, *c.* 19 *de Reg.).*

Ex Const. *Apostolicæ Sedis* Pii IX, religiosi *ejecti*, et probabilius etiam injuste ejecti (nam nulla fit distinctio) extra religionem degentes, suspensionem perpetuam ab exercitio Ordinum *ipso jure* incurrunt, et carent titulo suæ ordinationis. Tamen si injuste ejiciantur, recursum habent ad S. Sedem. *(Del-Vecchio, n.* 502).

806. **Religiosorum dispersio.** Si irruente politicarum perturbationum turbine, religiosi dispergantur, vota solemnia firmiter custodiant, legitimis superioribus subjiciantur, vel loci Episcopo, si eis locus assignetur, in habitu clericali, cum in proprio impediantur, incedant. Possunt res utiles sibi comparare, contractus inire ob præsumptam licentiam; sed quod acquirunt, religioni acquirunt. *(Del-Vecchio, n.* 503).

Curandum esse pro viribus, ut regulares expulsi a propriis conventibus, in aliis collocentur: si fieri nequit, concurrentibus gravibus, justisque causis, super quibus conscientia superioris generalis graviter onerata remaneat, ipse Apost. auctoritate indulgere poterit, ut maneant extra clausuram, sub obedientia Ordinarii loci tanquam *sæcularizati* ad tempus, et ad nutum S. Sedis, ac ipsius superioris. *(S. Pœnitentiaria de mand. SS. D. Pii IX pro præsenti necessitate. Del-Vecchio, l.* 1, *n.* 669). —S. Pœnitentiaria *ex mand. Pontificis,* 18 *apr.* 1867, declarat ipsorum superiorum jurisdictionem in proprios subditos suppressos, etiam extra claustra degentes, minime cessare. Item declarat persolvere licere Horas canonicas juxta proprii Ordinis kalendarium.

CAPUT XV.

De monialibus.

807. I. Ex Tridentino (sess. 25, c. 7 de Reg.) et SS. Congr., ac communi doctorum in electione Abbatissæ, quoad monasteria non exempta, vel Sedi Apostolicæ reservata, præsidet Episcopus, vel ejus delegatus vota excipiens.—Quoad exempta, præsidet prælatus regularis vota excipiens, sed cum Episcopi assistentia, qui ex Greg. XV præsidere potest; et facta electione, confirmanda est; secus nequit Abbatissa officium exercere, quæ insuper benedicenda est; quæ benedictio simplici sacerdoti potest committi.

II. Eligi debet, et pro uno tantum monasterio, quæ minor non sit 40 annis, et quæ 8 annis post professionem laudabiliter vixerit; in defectu potest eligi monialis 30 an., et 5 professionis, vel ex alio monasterio ejusdem Ordinis sumenda.—Electio esse potest ad triennium, quo expleto, ex *S. C.* dispensatione ad alterum triennium eadem eligi valet, at non am-

plius; imo post triennium omni auctoritate carere debet, ex Const. Gregor. XIII. *Exposcit.*

III. Non potest eligi cæca, vidua, infamis, surda, muta; sufficit major votorum pars; ad electionem concurrunt tantum choristæ profesæ, et etiam si aliqua sit in lecto infirma.—Si discordia sit, non potest prælatus suum dare suffragium, sed tempus præfigat ad novam electionem, quo elapso, ipse Abbatissam deputabit. (*Scavini*, *n.* 505, *S. Lig. n.* 59).

IV. Abbatissa observantiam curare tenetur, ac moniales ipsæ probabilius obedire debent in conscientia; sed non potest dispensare in jejuniis, etc., nisi ex commissione prælati; nam mulier est incapax jurisdictionis spiritualis.—Potest vota novitiarum suspendere, si professioni officiant, ac professarum irritare, prout parentes valent in filiis. — Item potest in rebus modicis contractus per se inire, sed in gravioribus requiritur Capituli consensus ex jure canonico. Bene ipsa elargiri valet in eleemosynas bona superflua sine aliarum consensu. *S. Lig. l.* IV. *n.* 36.—Non potest immobilia, vel mobilia, quæ servari possunt, alienare, neque locare ultra triennium, neque transigere super bonis monasterio jam incorporatis; neque super iis censum, sive hypotecam imponere. *V. S. Lig. n.* 36. Moniales recitare debent *Confiteor* absque ulla variatione, prout est in Breviario. (*S. R.C.*, 18 *aug.* 1629). Abbatissa potest aqua benedicere, et aspergere, dicens: *Benedictio Dei Omnip... descendat...* (S. R. C., 7 sep. 1859); potest etiam beneficia instituere, et capellanias conferre quoad titulum, et possessionem; non autem quoad ecclesiasticam potestatem; item titulum, et possesionem auferre valet, qua ablatione posita, censetur pariter jus spirituale etiam auferre.

V. Episcopi singulis annis visitare tenentur monasteria monialium sibi subjecta per se, vel per vicarium cum suo speciali mandato, et etiam Pontifici immediate subjecta; sed cum Apostolica auctoritate. Exempta a prælato Ordinis visitantur; quoad clausuram adhuc ab Episcopo debent visitari, uti a Sede Apostolica delegato, ut statuit Greg. XV; et cellas, hortum, etc., perlustrans cum ecclesiasticis piis. (*S. Lig.*, *n.* 80, *Scavini*, *n.* 506). Administratores monasteriorum dictarum monialium rationem reddere Episcopo debent administrationis bonorum; qui removere debet confessarium, aut administratorem monasterii, si monitus superior illum non removet. Ita *Greg. XV.* Monasteria virorum, quæ directione Sanctæ Sedis regi consueverunt, tenentur quolibet triennio sese in Congregationes redigere juxta formam Constitutionis *Inn. III*, ibique certas regulares personas deputare, quæ de modo, et ordine deliberent, prævideant, ac visitent. Secus dic de monialibus, quæ ab Episcopis tanquam Sedis Apostolicæ delegatis gubernantur, nisi quæ a deputatis in Capitulis generalibus, vel ab aliis regularibus reguntur. *Trid. sess.* 25, *cap.* 9. Moniales obedire non tenentur Episcopo circa officialium monasterii electionem, ex *S. C.*, et officiales ad nutum eligentium amoveri valent. *Trid. sess.* 25, *c.* 2 *de Reg.*

808. Q. *An puellæ educationis causa admitti possint?*

R. Affirma, sed in loco separato, et sub clausura, cum licentia *S. Cong. Episcop.*, si monasteria jam ad hoc non sint instituta.—Item dummodo recipiantur de consensu superioris, et monialium per secreta suffragia; non supra numerum designatum, 7 annum expleverint, et 25 non excesserint.—Ex variis decretis puellæ dum in monasterio sunt, subjectæ pa-

rocho non sunt, nisi quoad matrimonium, ac sepulturam. *(Del-Vecchio, n.* 507).

809. Q. *An religiosa suppresa acceptare possit pensiones, legata, assignationes vitales ob augmentum dotale, tum propriorum parentum, tum alienorum, et de iis disponere?*

R. S. Pœnitentiaria 30 oct. 1866 respondit: *Pro petita facultate disponendi de enuntiatis bonis, sive causa mortis, etiam per testamentum, de consilio tamen in quolibet casu proprii Ordinarii, ita tamen prædicti actus tantum emittantur, ut ad effectum eadem bona servandi favore proprii monasterii, et acceptatio in singulis casibus de intelligentia proprii Ordinarii fiat, fructusque percipiantur titulo libelli.* (Scavini, n. 670).

—Congregationes mulierum sine votis solemnibus, et clausura hodie etiam a S. Sede approbantur, sed non solemniter; ideoque non sunt veræ professæ. *(S. Cong. Reg., et Epis.,* 16 *apr.* 1619).—Hæ, secluso privilegio, vel consuetudine, sunt parochis subjectæ, neque potest Episcopus eas ab illis subtrahere quoad jura stricte parochialia. (*Analecta, an.* 1866, *p.* 176). Idem fere dicendum de similibus Congregationibus virorum, quæ Pontificiam approbationem habent; Ordinario non subduntur institutum, interiores œconomiæ, electiones, admissiones, et expulsiones presbyterorum, sed tantum subduntur in modo, in forma. *(Bouix, de Reg., p.* 3.ª). Ita se habet, v. gr. institutum charitatis, ex *S. Cong. Epis., et Reg.,* 3 *dec.* 1838. *(Scavini, n.* 508).

—S. Pœnitentiaria facultatem concedit indulgendi regularibus, ut bona propriæ religionis, seu instituti a gubernio occupata acquirere per interpositas personas quascumque, etiam religiosas, quæ per syngrapham bonæ fidei caute custodiendam declarent, emptionem, licet proprio nomine factam, perfecisse pecuniis, et favore Ordinis, ad quem ea bona de jure pertinent, et sub conditione pia onera forsan dictis bonis adnexa adimplendi, quatenus aliunde non adimplerentur, ac remoto scandalo. Cæterum in concedendis indultis pro recensitis contractibus, sive administrationis, sive conductionis, sive emptionis bonorum ecclesiasticorum, tum locorum Ordinarii, tum superiores generales de mutua intelligentia, quantum fieri poterit, procedere non omittant, contrariis quibuscumque, etiam speciali mentione dignis, non obstantibus. *(S. Pœnit.,* 28 *jun.* 1866). Item: licet ex eadem S. Pœnitentiaria regularibus utriusque sexus suppressis titulo compensationis debitæ percipere pensiones a gubernio assignatas, ea tamen conditione, ut quamdiu in communione cum aliis regularibus vixerint, pensionem apud superiores suos pro bono totius Communitatis deponere teneantur.

PARS TERTIA.

DE OBLIGATIONIBUS PUBLICIS IN SOCIETATE CIVILI.

CAPUT I.

De obligationibus principum, et subditorum.

810. **Principes** spectari possunt uti personæ *privatæ,* et simul *publicæ:* 1.° Uti *privatæ* personæ ligantur omnibus legibus divinis, ac ecclesiasticis velut quilibet suus subditus; sunt illæ quidem de superiori jure.—2.° Uti personæ *publicæ,* et caput populi ad bonum commune constitutæ, tenentur de jure naturali, ac divino positivo religionem, ejus leges, doctrinas, ac omnia ejus jura tam spiritualia, quam temporalia auctoritate sua tueri, quoties necesse sit. *Non enim sine causa gladium portat* (princeps). *Dei enim minister est.* (Rom. XIII).—Neque posthabita religione prosperabitur regnum: historia nos docet, *ex depressa sæpius sacrorum Antistitum auctoritate, et ex crescente in dies multorum contumacia in divinis, et ecclesiasticis præceptis impune violandis factum fuisse, ut minueretur pariter populi obsequium erga civilem potestatem*, ait Pius IX, Encycl. 1849.—Unde recte ait Plato (de Repub., l. 4): *Religio humanæ societatis fundamentum est, et magistratus propugnaculum.* Hinc merito Pius IX in *Syllabo* damnavit hanc n. 19 prop.: *Civilis potestatis est definire quæ sint Ecclesiæ jura, ac limites.* Tunc, dicente *Fenelonio,* tuitio Ecclesiæ jam non foret auxilium, sed jugum latens: *Si princeps potius vellet determinare Ecclesiam, quam determinari ab Ecclesia, jam ipse erigeretur super Ecclesiam, et fieret caput ejus.*

II. Publicæ, ac privatæ felicitati prospiciat, tum legibus justis, tum liberando populos, et subditos ab hostibus, ac injustis vexationibus; debet siquidem esse velut pastor vigilantissimus; ideo rex constitutus est: unde graviter peccat, si subditos plus æquo gravat tributis, etc., vel reipublicæ ignaros, imperitosque præficit ministros. Probabilius digniores sæculares eligere debet ad officia sæcularia; alias respublica grave pateretur nocumentum. Ita *S. Lig., n.* 342, *Salm., n.* 103, *et alii* contra *Vazq., Cajet. aliosque,* modo officia indignis non distribuantur, addentes: *Quis enim in cæno fontem requiret?... itaque... ubi vitiorum confusio, quis inde sibi aliquid hauriendum existimet?... Et mihi eum vacare credam, qui sibi non vacat?* ait D. Ambros. (De Off., l. 11). *Consilium impiorum longe sit a me* (Job. XXI), dicat rex. Idem teneant omnes electores deputatorum in gubernio democratico. Unde peccant *per se* graviter: 1.° omnes qui suffragium malis tribuunt, et boni qui, non concurrendo, in causa sunt ut impii ab impiis eligantur; 2.° boni electionem sui respuentes; omnes in quantum possumus ad bonum commune curandum tenemur. Quot mala a malis deputatis! Hinc Episcopi provinciæ ecclesiasticæ Taurinensis clerum monent: *Ad electiones vero quod... attinet, quum omnium prorsus officiorum sacerdos sit commonstrator, et vindex, nil certe vetat,*

imo necessarium est de hoc haud secus atque de aliis populum monere... ad jus voti ferendi obligationem respondere. (Armonia, an. 1853, n. 140). Etsi clerici non renuntient juri suo civili, ac politico, nec juramentum extranee vivendi bono patriæ suæ, ac communi præstent, generatim loquendo abstinere debent ab electionibus communalibus, præcipue parochus; non potest enim non amittere de sua dignitate, si agitet, nec effugere contrarietates, et odia ex parte illorum, quibus suum denegat suffragium; quod quidem fieri nequit sine detrimento sui officii.—Diximus *generatim loquendo;* nam si omnino postulat bonum commune, maxime religionis, ut etiam parochus in electionibus communalibus suas partes exerceat, omnia prudenter agat, rixas vitando; secus si vincit pars adversa, quot mala religioni, et sibi timere non debet! *(Ita Del-Vecchio,* l. 1, *n.* 673).

III. Princeps bonum exemplum quoad mores, ac religionem subditis præbere tenetur. *Aufer impietatem de vultu Regis, et firmabitur justitia thronus ejus.* (Prov. XXV). Ex quo vulgare illud: *Regis ad exemplum totus componitur orbis.*—Tandem justitiam tam vindicativam, quam distributivam inviolabiliter exercere debet. Probabilius reges vendere possunt officia secularia, moderato pretio, ac dignis, et quantum fieri possit, dignioribus, modo venditio sit omnino necessaria ad reipublicæ utilitatem. *Sanch., Nav., Cajet., S. Thom., opusc.* 21, contra *alios.* Omnes tamen conveniunt non expedire quoad majora officia magistratus. Stipendia solvere debet militibus; alioqui damna compensare tenetur, tum ipsis militibus, tum aliis, qui ab iis damnum acceperunt. *S. Lig., n.* 405.

811. **Subditi erga principem** tenentur: 1.° honorem ei præstare, ejusque repræsentantibus, juxta illud: *Deum timete: Regem honorificate.* (I Petr. II).—2.° De jure naturali, et divino eis obedire: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit:* (Ratio:) *non est enim potestas nisi a Deo... Dei enim minister est* (princeps): *vindex in iram ei, qui malum agit. Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* (Rom. XIII). Aliunde jus imperandi in principe onus subjiciendi dicit in subdito.—3.° Fidelitatem, et justa tributa persolvere; quia hæc necessaria ipsi sunt ut magistratus statuere valeat, milites alere, aliaque ad publicam utilitatem præstare. (Vide t. II, n. 393, et seq.).

Ducum, tribunorum, et centurionum obligationes. 1.° Sub gravi fidelitatem, et obedientiam erga principem, et militiæ præfectos servare debent ratione superioritatis, et publici ordinis; — 2.° curare ut milites christiani præcepta Dei, et Ecclesiæ adimpleant; — 3.° præcavere ne sint scandalo, vel damno populis; imo charitatem, et magnificentiam erga hos profiteri; — 4.° stipendia militibus exacte persolvere; alioquin eis compensare damna, aliisque ab ipsis læsis; nam horum tunc causa injusta, et efficax sunt; — 5.° non plures exhibere in quorumcumque stipendiorum solutione, quam habent; — 6.° nec iis cibum, vel potum corruptum administrare, maxime si exinde morbi oriantur; — 7.° in transitu per regiones pecunias non accipere a variis pagis, ne ibi pernoctent, aut morentur; vel uni militi plures dare syngraphas ad diversas domos; aut aliquibus parcere, propter retributionem. *(Scavini, S. Lig., n.* 407.)

Obligationes militum sunt: 1.° Maxime cavere debent ab otio, a luxuria, blasphemia, et furto; ad restitutionem enim tenentur, si sub prætextu insufficientiæ stipendii a civibus bona auferant; aut vi, et minis

plus exigunt a civibus, et domibus, quam justum sit; nec apparatus bellicos, aliaque gubernii vendant, nisi sint in extrema, vel saltem in gravi necessitate; qua in re et ipsi emptores de furto tenentur. *(Mol., Con., Dian., aliique).*—2.° Sub gravi, et ex justitia defendere tenentur cives, domos, et populos ab hostibus; furta, homicidia, et similia impedire; secus ad restitutionem tenentur omnes milites culpabiliter negligentes. *(Ita Elbel., n.* 154, *Gousset).*—3.° Item peccant milites aufugientes, victoria nondum desperata; vel a castris sine justa causa discedentes; secus si ex gravi necessitate, uti ob negatum stipendium. *Ita Pal., Laym., Spor., Gousset, Elbel., n.* 180, *aliique).*

812. **Contra tyrannum principem rebellari.** 1.° Si ad jus populi spectat de rege, vel præside providere, singuli tunc jus habent principem tyrannicum destituendi, si hic pactum fideliter non servat. Sic Romani Tarquinum propter ejus, et filiorum tyrannidem a regno ejecerunt. 2.° Si ad jus alicujus superioris pertinet de rege providere, tunc ab eo est postulandum remedium; uti judæi circa Cæsarem Augustum quoad Archelaum regem. 3.° Si vero rex ab aliis independenter regnum habet, v. gr. ex hæreditate; tunc populus obsequium, ac obedientiam præstare tenetur quoad res licitas, juxta illud D. Petri: *Servi subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis... sed etiam discolis.* (I Pet. II).—Et ad Regem regum, et Dominum dominantium recurrendum, qui est adjutor in tribulatione, et in ultionem peccati dat regem populis in furore suo, et *regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi.* (Job, XXXIV, 30).

Unde si subditi hisce dominantibus obedire tenentur, multo magis ejus vitam, ac possessionem venerari; secus nulla foret regum securitas; nulla regni quies, ut observat D. Thomas, *De regim. Prin., Opus.* 2, *l.* 1, *c.* 6.—Hinc (licet non plene ad rem faciat), Concilium Constantiense, sess. 15, hanc damnavit prop. tanquam hæreticam, scandalosam, et ad fraudes, deceptiones, mendacia, proditiones, perjuria viam dantem, quæ sic sonat: *Quilibet tyrannus potest, et debet licite, et meritorie occidi per quemcumque vassallum, vel subditum.* (Ita *S. Ligor., Hom. Apost., n.* 13, *cum communi).* Tamen si tyrannus sit usurpator, et nondum in pacifica regni possessione, nec ei obediendum est, neque ipse colendus, sed licet contra eum rebellare; quia neque jus, neque auctoritatem possidet, sed fur est et latro, et peccat usurpationes servando (ac etiam hæres ejus), leges ferendo, tributa imponendo; quippe qui auctoritatem principis usurpat. *(Scavini, p.* 916, *Gury, Ballerini, n.* 394). Porro non licet eum occidere, nisi ex auctorite legitimi principis, aut ex justa defensione, aut in actu belli reipublicæ adversus eum; cum privatis neque maleficos interficere fas sit, extra prædictos casus.

Si vero usurpator a subditis sit habitus ut legitimus superior, vel in regni possessionem devenerit, ob bonum publicum ei obedire tenentur de jure naturali, nempe ad reipublicæ perturbationes præcavendas; quia societas sine legibus regi nequit, quæ tunc haberi nequeunt nisi a tyranno. *(Gury, S. Ligor., ibid., S. Thom., cum communi).* Et tyrannus licet peccet usurpatam potestatem retinendo, interim sub gravi tenetur ordini communi optimis legibus consulere.—Item licet incolis usurpatæ provinciæ, vel regni ea præstare, quæ necessaria sunt ad ordinem servandum; imo ad id tenentur ob publicum bonum. Neque vero id ullam infert tyrannidis

approbationem; nam subditi ejus leges servant; quia lex naturalis ordinem aliquem servari præcipit. *(Ballerini, ibid.)*. Et sic semper ac postulet bonum commune, et felicem effectum sperent, rebellare poterunt subditi, sicut potestatem habet innocens hæres contra usurpatores suos. *(Varceno, p.* 60, *Balmes.)*

Non parum curandum foret ab auctoritate civili, et ecclesiastica, ut in carceribus non deesset catechismi, ac Verbi Dei prædicatio, festis diebus, et exercitia spiritualia, saltem in Quadragesima. — Deinde ut carcerati in aliquo utili labore, vel arte occuparentur; sic juvenes bonam indolem induerent, artem addiscerent, societati utilitatem afferrent, ac periculum in delicta prolabendi effugerent.

CAPUT II.

De obligationibus judicis, jurati, et arbitri.

813. **Judex** est *personæ publica, legitima auctoritate constituta*, *ut secundum leges justitiam administret:* in hoc differt ab arbitro, quem spontanee contendentes eligunt. Quatuor requiruntur in judice, ut recte suo munere fungatur, nempe, scientia, fortitudo, sollicitudo, ac judicium.

I. *Scientia sufficiens* earum rerum, quæ ad proprium officium recte exercendum pertinent, uti notitia juris communis, patrii, ac consuetudinum locorum. Unde ait Psaltes: *Erudimini qui judicatis terram.* (Ps. II). —Absolvi non potest judex ignarus, nisi illico officium dimittat, vel discat; et ad restitutionem tenetur ratione quasi contractus cum privatis tacite initi ob officium, et stipendium, si magna imperitia sua, dolo, aut negligentia injustam tulit sententiam.

II. *Animi fortitudo;* ita ut nec odio, nec amore, nec precibus, nec promissis, nec minis cedat, juxta illud: *Noli quærere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates.* (Eccli. VII).

III. *Sollicitudo in causis expediendis;* hoc æquitati, et rigori convenit. *(Cap.* 2, *de sent. et re jud).* Unde graviter peccat sententiam sine justa causa notabiliter differendo, et compensare tenetur damna inde partibus secuta. — Quare Trident. ait: *Admonet... S. Synodus tam Ordinarios, quam alios quoscumque judices, ut terminandis causis, quanta fieri poterit brevitate, studeant.* (Sess. 25, c. 10 de R.) Secus ab iis consummuntur familiæ in expensis, et jurgiis, ac in illis distenti, publicis muneribus vacare prohibentur.

IV. *Judicium prolatum juxta legis præscripta;* et secundum opinionem de jure probabiliorem; nam judex non est dominus, sed legis executor. *Si in omnibus, maxime tamen in jure æquitas spectanda est.* (L. 9, de reg. jur.) *S. Lig. l.* IV. *n.* 206 *et* 210. Si aliqua sententia communiter sit accepta in tribunali superiore, judex inferior secundum eam judicare videtur, licet minus probabilem; ne videat probabiliorem cum honoris sui damno revocandam in illo tribunali. *S. Lig. n.* 206. - Unde judicis sententia, si justa, vel saltem dubia sit, in conscientia obligat; est namque legitimum superioris præceptum. Alias in foro interno non tenet, neque qui causam obtinet per injustam sententiam, rem sibi adjudicatam

recipere valet; nam injuria radix juris non est. In foro tamen externo servanda est, si exterius ut justa habeatur ad præcavendum scandalum, et perturbationem. *Gury, S. Lig. l.* IV, *n.* 125, *aliique.*

Q. *An liceat judici dona a litigantibus acceptare?*

R. Nega; non pro sententia justa, ad quam jam tenetur ratione officii (et aliunde non omnino sponte semper offeruntur dona); neque pro injusta, quæ non est danda, quo in casu etiam munus dans peccat, ratione scandali, et cooperationis. In S. Scriptura ista dona exprobrantur. *Dona excæcant oculos judicum.* Eccli. XX, et Prov. XV: *Qui autem odit munera vivet.*—In jure civili sub gravibus pœnis prohibetur judici, ac cæteris publicis officialibus quidpiam a litigantibus acceptare. *(Leges* 8 *et* 9, *tit.* 1 *Lib. II, Nov. Rec.).*—Excipe: 1.º Si agatur de parvis munusculis, maxime accedente consuetudine, cum enim ea ex sola urbanitate offerantur, quasi inurbane rejicerentur; quod probat jus canonicum, ubi accipi posse dicitur *forsan esculentum, vel poculentum mera liberalitate oblatum, quod paucis consumi possit diebus.* (Bonifacius VIII, l. 1, t. 3, c. 2, § *Insuper* in 6).—2.º Plerumque etiam rudes, ob ignorantiam.—3.º Si munera dentur ad avertendam injustam sententiam, quæ secus timetur; nam esset a injusta vexatione se licite redimere, et etiam repeti in judicio post sententiam possunt. *(Ballerini, l.* 2, *n.* 3, *S. Ligor.*, *l.* 4, *n*, 212).

Q. *Quid si judex dona jam acceperit?*

R. Si pro sententia *justa* ad restitutionem tenetur; non potest quippe esse materia contractus, quod ex officio, et ex justitia debitum est.—Item pro *injusta* ante acceptationem, vel ante sententiæ prolationem; quia nulla est iniqua promissio.

—Secus vero probabilius et communius; non ratione promissionis sed operis præstiti, si injusta sententia jam lata sit; nam ex lege naturali in quocumque contractu oneroso *do ut des*, quando una pars opus suum præstiterit, quod ex justitia præstare non tenebatur, debet et alia præstare suum.—Obstrictus tamen semper esset ad restituendum parti læsæ, si donans uti primus damnificator, vel movens, non restituerit. (*S. Lig.*, *l.* 3, *n.* 712, *Scavini, n.* 517, *aliique plurimi).*

—Verius autem restituere teneretur, etiam si aliquid acceperit pro expedienda causa unius præ causa alterius, pro qua justum accipit stipendium; vi enim officii sui æqualiter causas expedire tenetur eorum, qui æqualiter jus habent; secus contra jus alterius agit; nam *qui prior est tempore potior est jure.*—Excipe laborem extraordinarium præstitum, ad quem non teneretur ex justitia. *(Scavini, p.* 309*).*

Stipendium causarum in judicio erit *legale*, vel *usuale*, prout a lege vel consuetudine statuitur, uti sportulæ a litigantibus ultra stipendium publicum oblatæ. *(Lugo, n.* 132).

814. Judicialis inquisitio est *actus judicis ad detegendum, an aliqua persona aliquod patraverit delictum, tum ad publicam delicti vindictam, tum in aliorum exemplum.*— *Triplex* est hæc inquisitio, *generalis, specialis,* et *mixta.*—1.ª est *in genere inquirere, an leges observentur et vitia vitentur.*—2.ª est *de certa persona, et de certo crimine inquirere*, v. gr., an Petrus furtum fecerit.—3.ª vero est *inquirere in specie, vel de sola persona, vel de solo crimine;* v. g., quis blasphemaverit; vel an Titius male loquatur. His positis:

1.º Fieri potest inquisitio *generalis,* tum circa vitia, tum circa personas

oc siquidem exigit bonum commune: neque alicui fit injuria, etsi dete-antur quorumdam delicta; nam per accidens est; cui incommodo præ-alet bonum commune. *(Ex c. 1 de offic. judic.)*—2.° Non licet inquisitio *pecialis* de persona, nisi præcesserit infamia judicialiter contestata, vel emiprobatio, aut clamorosa insinuatio, rumor multorum de crimine, et e criminoso; aliter enim fama, et honor læderetur. *(Ex c. 21, et 23 de ccus.)*—3.° Licet *paterna* inquisitio *specialis*, et non *judicialis*, ad simpli-em emendationem ex consuetudine. Ita Episcopi de clericis, pater de fi-is, parochus de parochianis, et omnes superiores sæculares etiam in-agare possunt, an leges ab omnibus rite observentur. *(Bouix).*

815. **Probatio in judicio necessaria.** Probatio est *rei dubiæ per gitima argumenta ostensio.*—*Argumenta* desumuntur ex *testibus*, *ins-rumentis*, et *similibus.*—Probatio distinguitur in *plenam*, et *semiplenam:* .am faciunt testes duo, instrumentum authenticum, jusjurandum ad artis relationem præstitum; quæ tantam fidem judici faciunt, ut ad cau-æ decisionem sufficiant;—2.am constituunt scriptura privata non authen-ica, unus testis, litterarum comparatio, levis præsumptio, etc., quæ ali-uam fidem judici faciunt, sed non sufficientem ad causæ decisionem; æc autem dant locum juramento suppletorio, et cum aliis adminiculis lenam probationem reddunt. (*Scavini, p.* 310).

Q. *An judex condemnare possit quem privatim scit reum esse, sed uridice probatur innocens, aut viceversa?*

R. ad 1.m Nega; judex enim personam publicam agit, præsertim in avorabilibus: et cum de bono communi non agatur, neque de alterius amno, procedere debet juxta publice allegata, et probata. (*Ita Scavini,*). *Thom.*, 2. 2, *q.* 67, *a.* 2, *S. Ligor.*, *n.* 207, *cum communi).*

R. ad 2.m Si agatur de *pœna capitali,* vel *mutilationis,* alii cum *S. Thom.* icunt debere judicem condemnare reum, ubi nulla superest via eum iberandi; v. g. suspendendo judicium, causam ad superiorem remitten-lo, etc.; nam publica judicii norma non pendet a privata judicis scientia. –*Alii* vero id merito negant; etenim solus Deus dominium directum abet in subditorum vitam; princeps vero tantum indirectum ob bonum ommune; unde solum licet principi innocentes aliquando *indirecte* inte-imere; sed nunquam huic, nec Papæ, neque humanitati, multo minus judi-i, innocentem minime aggressorem *directe* interimere licet; neque sane ob ublicum bonum fas est semel agere quod est intrinsece malum. V. n. 868.

Eo in casu debet judex omnia media tentare ad reum liberandum: .° excogitando causas ad repellandam accusationem;—2.° testes maxi-na dexteritate examinando, donec eos dissidentes inveniat;—3.° rei fu-gam sine scandalo curare;—4.° causam remittere ad superiorem;—5.° si it judex supremus ob aliquam causam liberare eum poterit, ut ait *Lugo;* i autem hæc non sufficiant, munus suum alteri cedat, ac in testem onstituatur ex præcepto charitatis, si commode valeat; alias graviter eccat, ac damna restituere obstringitur. *(Lugo, n.* 42, *Nav., Less., Pont., Stuar., Holz., D. Bonaventura, et S. Lig., n.* 208).

Si vero agatur de *causa civili,* et *pœna pecuniaria*, judex judicare lebet juxta allegata, et probata, postquam alias vias tentaverit ad inno-entiam detegendam; respublica quippe habet altum dominium bonorum; deoque potest subditos eisdem privare, ne forma judiciorum publicorum um scandalo, et publico damno subvertatur. *(Scavini, p.* 208).

Q. *Quid si probabilitas æqualis sit ex utraque parte?*

R. 1.° In *criminalibus* judici semper *reo favendum est.*—2.° In *civilibus*, *possidenti* bona fide; item in causis matrimonii, viduæ, dotis, pupilli, et aliis causis piis, tunc possessori favet jus.—3.° Et si nemo rem possidet, ex æquo est dividenda; nam jura hic æqualia sunt, et judex solum distributor est juxta partium jura. In dubio possessionis, et proprietatis judicandum est pro eo, qui rationes habet probabiliores. Si actor probabiliores habet rationes, possessor autem probabiles, communius pro hoc judicare debet judex. *(Scavini, Ron., S. Lig., n.* 210).(V. t. II, n. 304). Ast judex litem propriam facere potest, si cessat litigans, et agatur de juribus litigiosis, quorum definitio non pertineat ad forum ubi judex munus suum exercet; nulla sane lex id prohibet: alias non licet; ageret siquidem in suo tribunali litigantis, et judicis personas.

816. Q. *Ad quid tenetur judex, qui injustam dedit sententiam?*

R. Si dolo, magna imperitia, negligentia, culpa sua id fecit, ad restitutionem parti læsæ tenetur, ratione culpæ, ex officio, et stipendio. —Secus tantum tenetur in conscientia, si commode potest, errorem ex charitate emendare, monendo partem læsam, ut appellet, vel aliter sibi consulat; secus error tunc fieret illi voluntarius. *(Scavini, p.* 307).

817. **Juratus** est *homo ex quocumque cœtu assumptus ad pronuntiandum num in tali scripto, imagine, incisione, etc., aliquid contra mores, vel personas contineatur; qui juramentum emittit de voto conscientiose dando.*—Iste pronuntiare sub gravi debet juxta intimam convictionem; nam non tenetur legalem reddere sententiæ rationem sicuti judices. *(Ita Gury, l.* 2, *n.* 5, *Scavini, n.* 685).—Juratus, si fiduciam habet, quod alii una cum ipso absolvere innocentem consequentur, videtur ex lege naturali charitatis teneri ad officium accipiendum, etsi reus sit a sæculari jurisdictione exemptus, et licet adsint censuræ contra eos, qui tale munus suscipiunt; quia leges, et censuræ semper in ædificationem sunt latæ, et non contra legis naturalis, et charitatis officia. *(Frassinetti, Del-Vecchio, n.* 685). Ad scandalum vitandum suas intentiones aperire poterit tunc juratus; et si permittat tempus, ab ecclesiastico superiore consilium petat; si vero prævidet interventionem ejus inutilem esse, ab hoc se abstinere debet, et contra justitiæ abusum protestare.

818. **Arbiter** dicitur, *qui ab utraque opposita parte ad litem aliquam dirimendam instar judicis sponte eligitur, aut admittitur.*—Pactum, quo facultas litem componendi ipsi tribuitur, dicitur *compromissum.*—Compromissum confici potest, sive scriptura privata, sive a notario confecta, sive viva voce ex communi consensu expresso coram ipso arbitro. Tunc, sub pœna nullitatis, tam res dijudicanda, quam etiam arbitri, vel arbitrorum nomina, et cognomina sunt referenda.

—Arbitri, semel a partibus admissi, judicum munere proprie gaudent, haud secus ac si a publica auctoritate forent designati. Cum judicum munera arbitri exerceant; easdem fere obligationes, eademque onera, ac judices subeunt. Hinc requiritur in eis:—1.° Scientia sufficiens; secus contra justitiam commutativam peccant sic injuste judicando.—2.° Judicare tenentur juxta leges regionis, nisi partes eis facultatem rem pro æquo, et bono componendi impertierint. —3.° Cavere ab acceptione personarum debent. (*Gury, n.* 7 *et* 8, *Scavini, n.* 524).

CAPUT III.

De advocatis, procuratoribus, apparitoribus, et referentibus.

819. **Advocatus** ille est, *qui suum litigantibus præbet auxilium voce, vel scriptis.*—Advocati obligationes sunt tum ex justitia legali erga societatem, tum ex commutativa erga litigantes.—

Requiritur in eo: 1.° *Scientia sufficiens;* 2.° *justitia causæ;* 3.° *vigilantia, ac diligentia;* 4.° *pretium justum.*

Q. *Ad quid tenetur advocatus ante causæ susceptionem?*

R. Accurate perpendere *æquitatem*, et *probabilitatem*:—1.° quia iniquum est injustitiam tueri;—2.° quia exponere temere nequit ignarum clientem periculo litis amittendæ. Unde ad restitutionem ratione stipendii tenetur advocatus, qui cum falsa promissione, vel inani victoriæ spe, sumptibus clientem involvit, vel illius amittendæ periculum celaverit, quo cognito, cliens non litigaret. (*Scavini, p.* 313).

Q. *Ad quid tenetur advocatus postquam causam suscepit?*

R. I. *Curam adhibere absque personarum acceptione, quam viri prudentes in suo negotio adhibent.* Si plures acceptat causas, quam expedire potest, vel culpabiliter ejus expeditionem differt cum clientis damno, peccat, et restituere tenetur ratione contractus, ac stipendii.

II. *Veritatem in omnibus sequi*, et peccaret ratione mendacii officiosi, vel si falsas scripturas, vel testes corruptos, aut falsas leges, vel jam abrogatas, vel in falso sensu acceptas induceret. *Ballerini, n.* 13.—Tamen si ista adhibentur ad causam justam tuendam, non adest peccatum contra justitiam commutativam, sed tantum contra legalem, nempe ordinem judicii pervertendo, nisi inde damnum suæ parti, vel parti adversæ adveniat.—Sed neque hoc eveniret, si adversario in causa manifeste justa aliquid prudenter sine falsitate celaret; esset enim sinere, ut ipse se decipiat. *(Ita Gury, n.* 13).

III. *Rationes, et fundamenta clientis, quem juste defendit, et secreta causæ caute adversario celare.* Quod si ea aperiat, et ideo cliens causam suam amittat, ad restitutionem tenetur; nam contra officium agit.

IV. *Admonere clientem, ac eum deserere statim ac injustitiam suæ causæ agnoscat,* sive in materia civili, sive in criminali, ne illius injustitiæ cooperetur; neque compositionem suadere potest, cum hæc nisi in re dubia locum habere non possit.—Excipe si advocatus prævideat quod suus cliens ipsum erit vexaturus; esset enim se redimere ab injusta vexatione.—Non tamen potest injustitiam causæ adversario sui clientis aperire, ut docet Angelicus, 2. 2, q. 71, a. 3, ad 2, nisi forte adversarius capite plectendus esset, et cliens injuste contra eum processerit.

V. *Si vero causam injustam egerit*, *compensare tenetur omnia damna utrique parti inde secuta;* suo clienti, si erat in bona fide; nam ex officio eum monere tenebatur de injustitia causæ; parti adversæ; quia illi fuit causa positiva damni.—Si autem cliens sit in mala fide, et volens, primum ipse restituere tenetur, uti mandans; si non restituat, advocatus tenetur secundo loco, uti executor. (*Scavini, p.* 315, *Gury, n.* 12).

Q. *An advocatus in causa dubia suscipere possit tam actoris, quam rei partes?*

R. I. Affirma in causis *civilibus*, etsi causa assumpta sit minus probabilis, probabilitate facti; sane uterque jus habet rationes suas in judicio proferendi, ut veritas elucescat; sæpe opinio quæ advocato apparet minus probabilis, probabilior apparet in judicio. Sed advocatus suum clientem monere tenetur de minori probabilitate, si litem sequi velit. (*Ita Lay., Gury, Scavini, S. Ligor., n.* 222, contra *paucos*).

II. In causis vero *criminalibus* tantum defendi potest reus, etsi constet de sua culpabilitate; mediis tamen licitis, seclusis scilicet mendaciis, et fraudibus; siquidem advocatus tunc nemini injuriam infert, et ex suo officio patrocinari reo debet quantum potest.—Agere nequit contra reum, neque contra probabilitatem juris; ad injustam quippe sententiam compelleret: *in dubio favendum est reo.* (*Gury, S. Ligor., n.* 220).

Aliquando in causa *criminali* intervenit etiam pars *civilis;* scilicet, cum civis privatus reparationem damni sibi ex crimine illati juridice repetit, et tunc est resolvendum seorsim juxta dicta.

Q. *Ad quid tenetur advocatus ratione pretii?*

R. 1.° Nihil accipere potest ultra justum pretium taxatum forte a lege, vel consuetudine, aut prudentum judicio, habita negotii ratione, ac laboris.—Si postquam de stipendio conventum est, cliens inceptam causam sine justo motivo deserat, totum exigere potest advocatus; cum enim suam operam locaverit, et per conductorem stet, ne opus compleat, jus ad conventum habet. *(Gury, n.* 11, *S. Ligor.)*—2.° Pauperibus in extrema necessitate sub gravi gratis succurrere tenetur advocatus, etiam cum suo gravi incommodo.—3.° Item iis, qui in gravi necessitate versantur, gratis patrocinari debet; sed non cum notabili incommodo.—3.° In necessitate communi ex charitate causas pauperum tueri adstringitur; sed non cum gravi incommodo; sufficit ut aliquid operis eis largiatur, cum ab aliis vacet. *Qui trahuntur ad interitum liberare ne cesses.* (Prov. XXIV). (*Gury, n.* 11, *S. Lig., n.* 225). (Vide n. 520).

820. Procurator *ille* est, *qui litigantis mandato causam in judicio prosequitur.*—In ipso requiritur *scientia, justitia, fidelitas, diligentia, justum pretium*, et alia omnia correlativa, sicut diximus de advocatis; secus ad restitutionem tenetur: 1.° si litem injustam suscipiat, vel plures quam opportune expedire potest, aut pretium injustum: 2.° si falsos testes adhibet: 3.° si reo suadeat, vel actori, ut veritatem negent: 4.° si tribunali non assistit culpa sua, vel causam differt: 5.° si incuria sua causa perdatur, vel injustam compositionem hortetur. *(Del-Vecchio, n.* 524).

821. Apparitor est, *qui ex officio mandata justitiæ defert, et executiones a prætore decretas perficit.* Cum apparitores sint ministri justitiæ, humaniter, ac religiose officio suo fungi tenentur.—Unde injusti sunt: 1.° Si pretio corrumpi se sinunt in damnum clientis, negligendo sententiarum significationes, vel alia faciendo, unde causa sint, cur creditor solutionem percipere non possit.—Item favendo quibusdam debitoribus solidariis, seu qui ad solutionem simul tenentur, ne eos in executionibus comprehendant.—2.° Si tempus ad acta juridica conficienda præfixum non concedant; diem falso adscribant; falsum affirment in actis verbalibus; vel tempore præscripto acta juridica sibi commissa non conficiant.—3.° Si lustrantes domos asperius agant, ut aliquod munus

extorqueant; si vim injustam, aut aliam injuriam inferant.—4.° Si excedant judicis mandata, aut legis statuta in bonis privatorum capiendis; vel in iisdem vendendis justum pretium non servent; aut si partem hujus pretii sibi retineant.

Disputatur an contra justitiam peccent apparitores, qui plura negotia in eodem loco expedienda habentes tantum exigunt, ac si pro singulis iter accipere debuissent; sed quia nemini injuriam faciunt, cum idem iter instaurare possent, et a singulis idem pretium exigere, sat probabilis videtur sententia negativa. *(Gury, n.* 18).—Quoad donationes supra taxam a lege determinatam, si satis spontaneæ sint, vel juxta locorum consuetudinem, aut ob extraordinarium laborem licite eas retinere quisque potest. *(Gury, Lugo, n.* 19, *Ballerini, n.* 17).

822. Referentes *sunt, quibus litis examen committitur, ut illam judicibus referant definiendam.* In iis requiritur *scientia sufficiens*, *ac diligentia indeficiens.* Unde ad damna obventura tenentur:—1.° si ex ignorantia male referant, aut quidquam ad causæ substantiam in relatione prætermittant;—2.° si nitantur magis unius, quam alterius partis rationes explicare, vel si alterutri sententiam manifestent, antequam legitime edita sit, ac inde damna oriantur.

CAPUT IV.

De secretariis, et notariis.

823. Secretarius dicitur, *qui legitima auctoritate deputatus est, ut scripto testimonia referat, judicum sententias, cæteraque omnia, quæ in tribunalibus peraguntur.* Est velut dextera judicis. In secretariis requiritur, præter scientiam, inviolabile secretum, ut indicat ipsum nomen; qua de causa juramentum emittunt.

Hinc graviter contra justitiam commutativam peccant: 1.° si debitam non adhibent diligentiam ad omnia statuta, decisa, probata, et facta in tribunali exacte referenda in libris authenticis: facillime enim attentionis defectus in scriba grave damnum, ac gravem culpam, et restitutionis obligationem inducere potest. Habes hic exemplum illius, qui in conscientia tenetur de culpa levi, id est, qui graviter obligatur ad accuratissimam diligentiam; adeo ut defectus, qui in se levis videri posset, gravem inducat restitutionis obligationem. *(Ita Ballerini, n.* 19).

2.° Si ex malitia aliquid in scribendo omittat; aut si tabellas publicas sibi commissas male custodiat, vel adulteret; si debitas formalitates, et subscriptiones non apponat; aut si testimonia non fideliter transcribat, sive exagerando, sive minuendo, sive immutando, aut invertendo ad rei substantiam pertinentia.

3.° Si in distribuendis litibus favori potius, quam ordini pareat; vel ad augendum salarium acta distribuenda majora faciat, uti scribendo in duabus paginis ea, quæ in una referre poterat.

4.° Si acta judicis partibus tradat antequam juxta legales formas subscripta fuerint; vel processus peractos sine judicis præscripto partibus

ostendat, vel arcanum sibi comissum prodat; aut si sententiam nondum publicatam manifestet. *(Gury, n.* 19, *S. Ligor., n.* 229).

824. **Notarius** dicitur, *qui legitime est institutus ad scribenda acta, vel instrumenta, quæ sive in judicio, sive extra fidem faciunt.* Latius est hujus ministerium quam secretarii. Publica fides illi est commissa; gravissimum munus id esse debet. In illo requiritur *scientia, diligentia*, ac *fidelitas*. I. *Scientia:* unde graviter contra justitiam peccat, si ex officii sui ignorantia, vel negligentia, solemnitates necessarias omittat, uti idoneos testes non adhibere, suscriptiones, diem, mensem, annum non apponere, etc., adeo ut actus nullus evadat.

II. *Diligentia*: hinc grave committit piaculum, et de damnis tenetur, si acta negligenter custodiat, aut culpabiliter differt causæ expeditionem; vel si efficiat, ut ad alios judices, vel referentes, quam fori ordo expostulat, processus, et causa deveniat.

III. *Fidelitas:* unde lethaliter item peccat contra justitiam: 1.º si juramentum, vel secretum violat;—2.º si in testium depositione aliquid addat, vel detrahat gravis momenti; aut ambigua verba adhibeat, quæ litibus, vel injustitiis locum præbeant;—3.º partes non monendo de clausulis, quæ eis nocere, vel de difficultatibus, quæ inde nasci possunt; vel scribendo quæ graviter suspiciat, an contrahentibus noceant;—4.º amanuensi aliquid cum erroris periculo committendo, vel extra territorium sibi assignatum ministerium suum exercendo; nam actus essent irriti;—5.º si instrumentum usurarium, vel injustum, aut falsum conficiat; vel si in alterius damnum fingat in instrumento ea, quæ non sunt; vel adnotationes diei falsas apponat, aut veras mutet, vel talia consulat; aut si acta conficiat, quæ suum munus excedunt;—6.º si falso scribat summam coram se, vel jam solutam esse, cum alterius damno; vel si facile talia scribat, graviter suspicans, quod a contrahentibus decipiatur; eorum quidem peccato cooperatur;—7.º si pretium ultra taxam, et probatam consuetudinem petat, juxta supra dicta; vel si scripturas majori, vel magis extenso charactere scribat, numerum paginarum augentes. In iis, et similibus peccant notarii, ut injusti damnificatores, vel cooperatores, et ad restitutionem erga læsum tenentur. *(Gury, n.* 21, *S. Ligor., n.* 230).

Q. *An impositum tributum restituere erga fiscum teneatur notarius, si in conficiendo instrumento venditionis, aut translationis, aut inventarii non verum rei pretium scribat?*

R. Alii affirmant ratione cooperationis in defraudationem tributorum, quod iniquum, ac injustum est ex parte magistratus, cui respublica confidit. Alii negant, dummodo infimum saltem pretium consignetur. Alii tandem eum totaliter excusant, sive partibus id postulantibus, sive ipso innuente, id fecerit: nam ex consuetudine generaliter etiam proborum recepta, non solet pretium etiam infimum declarari, imo tantum declaratur paulo ultra partem mediam, vel circa duas tertias partes hujus pretii. Unde si non peccant partes verum pretium dissimulando, neque notarius ex cooperatione, cum ipse non sit velut præpositus vectigalium ad tributa exigenda, sed tantum ad instrumenta conficienda. *(Gury, l.* 2, *n.* 22). (V. t. II, n. 393, et seq.)

Ex hodierna consuetudine conficere possunt notarii quæcumque instrumenta, dummodo ad negotia forensia spectent. Nihil tamen vetat quo-

minus die festo totius scripti contextus exaretur, cui deinde die legitimo subscriptiones, ac cæteræ solemnitates accedant. *(Gury, Ballerini, n.* 23). (V. de festis).

CAPUT V.

De obligationibus accusatoris, et rei.

825. **Accusator** dicitur, *qui crimen superiori tanquam judici in scriptis defert, ut reus puniatur.* Accusatio differt tum a *denuntiatione juridica*, quæ *est delatio etiam verbalis superiori tanquam judici, absque obligatione probandi;*—quam a *delatione evangelica*, quæ *fit superiori tanquam patri ad rei emendationem.* Hodie tamen promiscue sumitur denuntiatio juridica, et accusatio, et definitur: *Delatio criminis apud superiorem tamquam judicem, quocumque modo fiat.*

In accusatione cavendum est a calumnia, a collusione cum reo, et a tergiversatione inchoatæ accusationis. — Ad legitimam accusationem requiritur: 1.° ut scriptis fiat; — 2.° ut ibi exprimatur nomen accusatoris, et rei; item species delicti, nomen socii, si fuerit sodomia, adulterium, et similia; item tempus, locus delicti, et hora, si reus id postulet; — 3.° ut accusator accusationem suscribat, cum onere delictum probandi, alias pœnam subeundi. *S. Lig., n.* 235.

Accusare, vel denuntiare delinquentes tenentur: 1.° ex justitia sub pœna restitutionis fiscales, custodes agrorum, gabellarum, aliique qui stipendia a gubernio, vel a privatis accipiunt. Satis probabiliter hi, si negligentes sint, valorem pœnæ restituere non devinciuntur; nam lex pœnalis non intendit dominos, aut fiscum locupletare, sed ipsos indemnes servare, ac transgressores punire. *Lugo, n.* 102, *Less., n.* 73, *S. Lig., n.* 237.—2.° Ex charitate quilibet privatus quando agitur de communi damno vitando, et crimen probari possit; v. gr. de hæresi, confessario sollicitante, rebellione, monetarum falsificatore, homicida, et furtis ab assassinis, aut viarum grassatoribus: addunt alii subornatorem suffragiorum in cathedris, et in aliis electionibus: item si agatur de avertendo gravi innocentis damno, si crimen probare possumus, vel proprie familiæ, quæ alias remaneret dehonorata, vel alimentis destituta. *Libera eum, qui injuriam patitur de manu superbi.* Eccli., IV.

In praxi raro accusandum, vel denuntiandum erit ex motivo charitatis, quæ non obligat cum gravi incommodo (nisi commune damnum immineat): hoc enim accusantes ordinarie subire solent: alioquin etiam tribunalia plena essent accusatoribus cum reipublicæ perturbatione. Unde communiter concludunt *AA.* 1.° sæpe correctionem sufficere, si crimen sit occultum, et in solius delinquentis damnum; — 2.° item denuntiationem sufficere, ubi crimen probari nequit, ut judex vigilet; — 3.° imo in hisce temporibus delictum denuntiari satis esse, ne ob metum pœnæ incurrendæ, si illud non probetur, deterreantur homines a denuntiatione criminum cum gravi damno communi. Ita *S. Lig., n.* 237 *cum Lugo, n.* 2, *et communi.*

Accusare prohibentur: 1.° excommunicati, publici concubinarii, usurarii, infames, et de majoribus criminibus accusati, nisi prius innocentes se probent;—2.° pupilli, fœminæ, impuberes, nisi isti causam propriam, vel suorum usque ad 6.um gradum prosequantur; vel crimen sit contra legem divinam, vel humanam cum damno tertii, vel contra bonum commune; tamen omnes denuntiare valent;—3.° filii, servi suos parentes, vel dominos ob reverentiam, nec parentes filios, nisi in iis crimen sit læsæ majestatis, vel hæresis. *Salm., n.* 27, *S. Lig. n.* 238. Idem dicunt alii de uxore respectu mariti, de fratribus, et e converso;—4.° laici accusare nequeunt clericos, nisi hi sint hæretici, simoniaci, sacrilegi, dilapidatores bonorum Ecclesiæ, et similes; et clerici accusare non valent regulares, qui tantum a religiosis ejusdem Ordinis accusari possunt. *Salm., n.* 18.—6.° repellitur inimicus, nisi hæreticum accuset; item socius criminis repellitur, nisi de crimine hæresis, læsæ majestatis, sodomiæ, furti famosi, falsificationis monetæ, et similibus agatur. *S. Lig., n.* 238 ex jure canonico, et romano, quibus consonat jus hispanum.

Denuntiare non debes, etiam posito superioris præcepto: 1.° si delinquens est emendatus, sine relabendi periculo, et parti læsæ satisfactum sit, nec aliis immineat periculum, nec crimen sit notorium; nam sine causa proximi infamia sequeretur;—2.° si crimen nosti sub naturali secreto, nisi is, qui secretum commisit, innocentem, vel rempublicam injuste vexaret, nec desistere vellet. *Lugo, n.* 243. Imo si delictum sub secreto sigilli noveris, ut consilium, vel remedium delinquenti præberes, nunquam illud denuntiare teneris; jus enim positivum derogare nequit jus naturæ. *Salm., n.* 83, *Sanch.*, contra *Nav.*, etc.– 3.° si inde imminet grave honoris, vitæ, et rerum tuarum periculum; vel si probare cogereris, nec posses.

826. Q. *An clericus malefactores accusare possit coram judice laico?*

R. Nega ex jure canonico *(Can. Sicut, causæ* 2, *q.* 7), nisi agatur de proprio damno præcavendo, vel resarciendo, vel propriæ Ecclesiæ, vel cognatorum probabiliter usque ad 4.m gradum, vel etiam domesticorum. *(S. Ligor., l.* 4, *n.* 238., *et* 7, *n.* 468).—Hinc Bonifacius VIII habet: *Si prælati, aut clerici propter metum hujusmodi... de suis malefactoribus taliter conqueri non auderent, daretur plerisque materia trucidandi eosdem, et ipsorum bona libere depredandi.*—At præmittere debent clerici, ad irregularitatis periculum vitandum, *se non agere ad vindictam, neque ad pœnam sanguinis,* bene vero ad sui, vel suorum, ac justitiæ triumphum.—Si hæc protestatio, etsi inculpabiliter, omittatur, incurritur irregularitas lenitatis defectu; minime vero si fiat post accusationem, sed ante sententiam, vel ficta sit; cum lex animum non respiciat, sed factum exterius. *(Ita Con., Fill., Suarez, aliique).* Idem valet de testimonio præstando.

827. Q. *An accusationem, et denuntiationem præcedere debeat fraterna correctio?*

R. I. *Affirma,* ratione famæ proximi, si occultum sit crimen, vel paucis notum, et speretur fructus, nisi crimen sit in damnum reipublicæ, vel alicujus communitatis, ut conjuratio, delictum læsæ majestatis hæresis, et similium; item si alia via non possis damnum illatum tibi resarcire; in hisce casibus prævalet bonum innocentis. Item probabilius, et communius denuntiari potest prælato, ut patri, crimen occultum,

omissa secreta correctione, si speretur sic melius emendationem fratris obtineri; nam hic est principalis finis correctionis. Sic etiam fieri potest circa levia delicta non emendata, vel cum adsit relapsus periculum in Ordinibus religiosis erga prudentem prælatum, ut merito docent *Suar.*, *Sanch.*, *S. Lig.*, *n.* 245. - Bene potest unusquisque *ex se* renuntiare juri fraternæ correctiosis, ut docent *Suar.*, *n.* 12, *S. Lig.*, *n.* 245 *cum communi.*

II. *Nega*, semper ac crimen sit publicum; cum jam adsit infamia, præcedere non debet fraterna correctio. *S. Tom.*, 2. 2, *q.* 33, *art.* 7 *cum communi.* Sic adimpletur finis judicialis denuntiationis, qui est publica criminis punitio; damnum læso resarcire; indignos ab Ordinibus, vel matrimonio arcere.

Resolves : 1.° Non adest obligatio denuntiandi suspectos de hæresi cum gravi periculo, ut sunt blasphemi, sortilegi, confessarii sollicitantes, sacramentis abutentes. Ita *Salm.*, *n.* 89, *S. Lig.*, *n.* 249 *cum communi.* Si vero sacerdos magnæ auctoritatis frequenter pœnitentes sollicitaret, vel sermo sit de formali hæretico, etiam excusare periculum gravis damni, nisi ille dogmatizaret, tenent Less., *Mazz.*, *Nav.*, etc. *Sed verius oppositum tenendum est cum Potest.*, *Salm.*, *Suar.*, *etc.* ait *S. Lig.*, *n.* 249.

828. Reus dicitur *qui in judicio accusatur, sive nocens, sive innocens sit.* Reus a judice interrogatus, veritatem fateri debet, si est legitime interrogatus; nam justo judicis præcepto obedire tenetur; et ad bonum commune confert, quod rei dignoscantur, et puniantur, maxime si pœna sit ecclesiastica; quia est medicinalis. Unde Benedict. XIV Const. *Paterna charitas* 1749 docet, generatim reis renuentibus negandam absolutionem. Excipe si agatur de magna pœna certo subeunda, uti est mors, triremis, carcer perpetuus, amissio omnium bonorum, vel totius famæ, aut honoris; non enim censetur lex aliqua obligationem imponere humanas vires excedentem, nisi aliter timeatur publicum, aut gravissimum damnum, uti eversio religionis, vel reipublicæ; vel si nulla adesset spes pœnam evadendi. *(Suar.*, *Scavini*, *l.* 1, *n.* 515, *Gury*, *n.* 25, *Lugo*, *Ballerini*, *et S. Ligor.*, *n.* 274, *uti sat probabilis).*

Si reus sit in bona fide, et cognoscatur quod, interrogatus a judice, difficile induceretur ad fatendum crimen, confessarius in sua bona fide eum relinquere debet. *(Ita omnes cum S. Ligor.*, *l.* 4, *n.* 274).

Secus si non sit legitime interrogatus; et contingit quando judex non est legitimus, vel quando judicialem formam non servat, ut si interrogat sine prævia accusatione, vel infamia, vel non adsit adhuc semiplena delicti probatio, vel aliud, quod sit virtualis accusatio; vel de re gravis momenti, et rationabiliter reus dubitet de juridica, et legitima interrogatione; ipse vitam quippe, et famam possidet. *(Lugo*, *Salm.*, *Gury*, *S. Lig.*, *n.* 272 *cum communi*).

Q. *An reus socios sui criminis revelare teneatur?*

R. Nega; adhuc enim jus ad famam retinent; nisi de bono communi agatur, vel alicujus innocentis, vel si non sint omnino occulti socii; nam bonum commune, et innocentis bono privato ac criminalis est præferendum, et tunc obedire oportet judici legitime interroganti.

Unde accusatus innocens ad sui defensionem revelare potest occulta crimina testium, et accusatoris, modo 1.° crimen sit verum;—2.° revelatio sit absolute necessaria ad sui defensionem;—3.° et ipse secus grave damnum sit passurus. *(Gury*, *S. Ligor.*, *n.* 277).

829. **Reo injuste damnato**, etiam secundum allegata, et probata, resistere licet, nempe fugiendo, satellites positive pellendo, armis terrendo, ut e manibus eorum se eripiat, modo publicum scandalum, vel perturbatio non oriatur. Item sat probabiliter juxta *Ronc., Lugo*, *n.* 29, *S. Lig., n.* 281, si sententia fuerit tantum justa secundum allegata et probata, minime vero in rei veritate; siquidem præsumptio cedit veritati, et innocentia tunc jus ad defensionem præbet. Tamen in nullo casu potest vim vi repellere, occidendo, aut vulnerando; nam quivis facile sibi persuadere posset injuste damnari; quod in damnum commune vergeret.— Si autem justa sit sententia, non est locus resistentiæ, sed tantum obedientiæ. Ita *S. Thom.,* 2. 2, *q.* 69, *art.* 4, *Ronc., Salm. n.* 50, *et* 51, *S. Lig., n.* 279.—Aliqui tamen cum *Imola, Felin.* dicunt reum juste damnatum ad mortem e carcere fugere teneri, si possit; alias videtur esse sui ipsius homicida: sed *longe veriorem*, vocat *S. Lig., n.* 281 cum *Silv., Sot, Salm. aliisque* contrariam sententiam, *et tenendam;* quia non immediate cooperatur, sed actus mediatos ponit; v. g. ad patibulum pergere, collum extendere.

Reo fugere a carcere licet, et e manibus satellitum sese eripere: 1.° si innocens sit; imo si ad mortem damnatus, regulariter fugere tenetur, ne aliorum injustitiæ cooperetur, nisi aliud suadeat bonum virtutis, religionis, vel reipublicæ, martyres imitando. – 2.° Item verus reus fugere potest, ne capiatur; vel etiam a ministro apprehendente se excutere; non tamen vulnerando, percutiendo; nam publicæ potestatis jura violaret, et non dantur jura contra jus: vel a carcere fugere ei licet, si nondum ad pœnam sit sententia damnatus; nemo sane ante sententiam pœnam subire tenetur; vel si damnatus ad mortem, vel ad aliam gravem pœnam, carcer non sit assignatus ad pœnam, sed ad custodiam; sententia quippe non damnat reum ad non fugiendum, sed ad non resistendum ministris, cum sententiam exequantur. Ita *S. Lig., n.* 280, *cum communi.*— 4.° Licet etiam reo, saltem in foro conscientiæ, custodes decipere, præcisis vi, et injuria, et mendacio, v. g. cibum, et potum tradendo, ut sopiantur, etsi ex fuga damnum custodi sit obventurum; cum reus tunc utatur jure suo, et damnum per accidens custodi eveniat, ait *S. Lig., n.* 282; vel pecuniis eos corrumpere, ut tenent *Ronc., Salm., n.* 64 *cum aliis*, quod non admittit *S. Lig., n.* 282; nam, licet quisque jus habeat ad vitam tuendam, nemo tamen alium inducere potest ad actionem intrinsece malam, uti esset ostium a custode aperiri ut fugiat reus, ait *S. D.* – 5.° Item vincula, carceres effringere ad fugiendum valet, licet alii captivi simul elabantur; neque probabiliter de damno tenetur; cum enim finis est licitus, etiam licita sunt media; et per accidens est tantum causa damni; utitur sane jure suo, *Fil., Tann., Salm., n.* 77, *Sayr., et alii,* contra *Less., Cajet*, etc., quoad resarciendum carceris damnum. – 6.° Illis, qui non sunt ministri justitiæ, licet tum consilio juvare reum, tum etiam suppeditatis instrumentis, v. g. funibus, lima, etc., ut fugiat; nam opus reo licitum, et media proponerent; nisi rei fuga esset perniciosa reipublicæ, ut si reus esset viarum grassator, aut similis, limitant *Ronc., Salm., n.* 75, *Lugo, et alii.* Non tamen eum juvare licet in carceris effractione, ut tenent *Bon., cum communi.*

—Si vero carcer jam sit per sententiam reo assignatus ad pœnam, etiam perpetuo, tunc fugere a carcere ei non licet; obedire siquidem tenemur in executione justæ sententiæ. Ita *Gury, S. Lig., n.* 280, *cum*

communi, contra *Bus.* Excipiunt *Salm., n.* 64, si in carcere non dentur necessaria ad sustentationem; vel si carcer esset nimis tristis, durus, nocivus animæ, vel corpori; nam tunc videtur supra vires humanas onus non se liberandi, cum possit sine vi, et resistentia. *Scavini, n.* 516, *S. Lig., n.* 280. Eadem ratione probabilius excusantur damnati ad triremes, si fugiant a carcere, et ab ipsis triremibus. Ita *Sanch., Lugo, Less., Ronc., Salm., cum communi.*—Reo non licet appellare a justa sententia, et processu, esset judici calumniam imponere, et de damnis teneretur, nisi reus novas habeat probationes, vel saltem jus probabile. Ita est praxis. *S. Lig., n.* 285.

CAPUT IX.

De testibus.

830. **Testes** sunt *personæ idoneæ, quæ ad fidem alicujus rei faciendam adhibentur.*—Dicuntur *contestes,* si concorditer deponant; *singulares* vero, si non concordant; *testamentarii,* si in testamento; *instrumentarii,* si in instrumento; *judiciales,* si in judicio adhibentur. — In depositione testium necessario requiritur juramentum; adeo ut in tertii præjudicium, nulla fides adhibeatur testi, qui non sit jurisjurandi religione coarctatus. —Item ut sint constantes etiam in principalibus circumstantiis, ac per se immediate perceperint; v. gr. rixam viderint, vel audierint.

Excluduntur I. Jure civili hispano infames, qui in materia civili falsum jurejurando deposuerunt, etc. *(Leyes* 18, 10, 14 *et* 15, *tit.* 16, *part.* 3); consanguinei, vel affines usque ad 4.^m^ gradum litigantis; subditi eos præsentantis; intimi amici, vel inimici manifesti litigantis; habentes commodum in lite, vel simili. *Ley de Enjuic. civil, art.* 318, *et* 320.

II. Jure canonico, *tit.* 20, *lib. II decret., et ex c.* 33, *quæst.:* 1.° furiosi, cæci, pecunia corrupti; — 2.° servi, mulieres, domestici, famuli, coloni, nisi pars eos admittat; — 3.° criminosi, excommunicati, perjuri; —4.° minores 20 annorum in criminalibus, in civilibus autem impuberes, nisi in crimine læsæ majestatis; — 5.° inimici, sanguine conjuncti usque ad 4.^m^ gradum, nisi sit crimen hæresis; conjuges in invicem; infames sive facto, sive per sententiam; socii criminis, nisi crimen sit hæresis, vel maleficii, vel tale, quod sine socio nequeat patrari; — 6.° personæ inopes, et viles, nisi sint probatæ vitæ; deliri, et semifatui; quæ tamen omnia suam habent exceptionem. *(S. Ligor., l.* 4, *n.* 250).

831. **Testes requisiti**: I. Sufficit unus testis: 1.° Ad impediendum illegitimum matrimonium jurejurando de certa propria scientia. *(C. præterea,* 2, *de spons.).*—2.° Si sit Episcopus in judicialibus ad suum munus pertinentibus, et testetur in scriptura suo sigillo obsignata. - 3.° Si ad delicta religiosorum punienda, et aliter crimen probari nequeat, ac de sola pœna parva agatur; vel de levioribus infligendis pœnis; uti cum mulctatur fur sylvarum; vel de perito in arte. Ita credendum est medico testificanti mortem alicujus causatam fuisse a vulnere; et officiali publico testificanti de aliquo crimine levi. — 4.° Item unico credendum est cum sermo sit de læsione minoris. *(S. Lig.).*

II. Exceptis præfatis casibus, generatim ad probandum requiruntur duo testes, et sufficiunt in causa tam civili quam criminali ex Deut. XVII, *v.* 6: *In ore duorum aut trium testium peribit qui interficietur.* Et ex Joan. VIII: *Duorum hominum testimonium verum est;* quia in humanis sufficit moralis certitudo. *(Ita S. Thom., S. Ligor., n.* 259).—Excipe ad testamenta, et ad Episcopos, vel clericos damnandos, ubi jus positivum majorem numerum exigit.

832. **Testandi onus**: 1.° Ex sola charitate tenetur quis testari cum necessarium sit ad avertendum grave proximi, vel Ecclesiæ, aut reipublicæ damnum.—2.° Ex judicis præcepto *legitime,* et *juridice* interrogantis, nam præceptum justum superioris in conscientia obligat. Tamen testis si ipse solus crimen occultum scit, ex jure romano illud revelare non tenetur; quia testis unus, testis nullus. *(Gury, S. Ligor., n.* 266).

Q. *Quando peccat testis in judicio?*

R. 1.° Si affirmat quod ignorat; nam est perniciosum mendacium. 2.° — Si veritatem quam debet celare, aperiat; vergit sane in alterius damnum. — 3.° Si pretium pro dicenda veritate accipiat; cum eam omni jure gratis dicere teneatur.

—Qui scienter falsum testatus est, graviter peccavit in *Deum*, in *judicem,* et in *innocentem;* ac ut perjurus judiciorum, et justitiæ violator testimonium revocare tenetur cum pari suo damno, (etiam cum periculo vitæ, si accusatus vi falsi sui testimonii ad mortem fuerit condemnatus), et omnia damna reparare; injusta quippe, et efficax est damni causa, et in pari casu, melior est conditio innocentis.—Si vero falsum deposuit ex ignorantia invincibili, vel oblivione inculpabili, aut leviter culpabili, retractare, et damnum impedire tenetur eo modo, quo possit, sine suo gravi detrimento; quia non peccavit, neque aliquid est consecutus. (*Gury, Scavini, S. Ligor., n.* 269, *cum communi*).

Q. *An teneatur ad restitutionem testis judici legitime interroganti veritatem celans?*

R. Nega probabilius; nam testis veritatem deponere non tenetur nisi vel ratione *præcepti* post judicis citationem, vel *charitatis*, vel *juramenti* emissi; ideoque tantum peccare poterit contra obedientiam, et justitiam legalem, vel contra charitatem, aut religionem: in neutro casu obligat commutativa justitia; ergo nec restitutio. Est tantum causa negativa damni, sed hæc tantum ad restitutionem obligatur ratione officii, vel stipendii, aut contractus, v. gr. circa contractum cujus fuit testis; assumendo enim testis officium, sese implicito pacto ad testificandum in necessitate obligavit.—Idem currit de eo, qui juravit veritatem patefaciendam; vel se præsentavit, aut occultavit, vel citatus fuit ad veritatem testandam. Tamen in foro externo punitur; cum ideo impediatur justitia legalis. (*S. Ligor., l.* 4, *n.* 264 *et* 270; *Billuart, Volger., Lugo, Gury, n.* 27 *et* 30, *aliique*).

833. **Censetur judex legitime, ac juridice interrogare.** 1.° Cum adsit semiplena probatio, v. gr unius testis ocularis, aut de proprio auditu;—2.° notorietas, aut infamia criminis, aut manifestum indicium;—3.° si quis se offerat ad delictum cum pluribus testibus probandum; nam tunc crimen dici nequit secretum, ideo judex tunc jus habet, ut testis veritatem manifestet.—Alias etsi sint plures testes, ex se nemo eorum tenetur crimen revelare. *S. Ligor., n.* 266, *cum communi.*

Non legitime interrogaret judex, nec respondere tenetur testis.

1.º si de auditis in confessione, vel de secreto naturali, aut commisso, modo id non sit necessarium ad malum commune, vel innocentis avertendum, etsi jurasses; jure quidem naturæ ad contrarium teneris;—2.º si factum intellexisti per injuriam, v. gr. aperiendo litteras, vel cogendo alium ad revelationem;—3.º si alter probabiliter in facto non peccavit; enim mens judicis est inquirere de delicto;—4.º si de auditis a personis non fidedignis; aut si testificari deberes in tui, vel tuorum damnum; nam præceptum humanum ex se non obligat cum tanto damno (nisi interveniat bonum commune), et potest quis vel per appellationem, vel aliter licite subterfugere, et respondere etiam cum juramento crimen nescire, id est, de quo legitime interrogatur. (*S. Ligor., n.* 265 *et* 268, *Gury, n.* 29). Clerici citari possunt ad testificandum coram judice laico cum licentia sui Ordinarii, ne testimonii defectu justitia pereat. Sed juramentum de veritate dicenda emittitur, tacto sibi pectore. At in causa criminali, ad vitandum irregularitatis periculum protestationem Bonifacii VIII præmittere debent, ut supra n. 826.

834. Q. *Quid de illo qui falsam scripturam supponit, vel adulterat ad supplendos actus perditos, vel ad jus suum certum prosequendum?*

R. Ex se tantum venialiter peccat, adducendo chirographum falsum: et aliquando etiam graviter contra charitatem propriam, exponendo se periculo gravium pœnarum, si detegatur falsitas.—Item graviter, si falsos testes; vel testes de visu, cum sint tantum de auditu adducat; tunc læditur ordo judiciorum, imo charitas, veritas, ac religio. Tamen in hoc casu non peccat contra justitiam commutativam. (*Del-Vecchio, l.* 1, *n.* 522, *Gury, n.* 28). En las cuestiones de mero hecho, debe estarse á la apreciacion de la Sala sentenciadora. *S. T. S. de* 17 *abril de* 1874: como tambien á la apreciacion de la prueba testifical. *S. T. S. de J. de* 22 *abr. de* 1876.

CAPUT X.

De medicis, chirurgis, et pharmacopolis.

835. **Medici, et chirurgi** multa, et delicata onera suscipiunt; nam vita hominum est illis concredita. Unde tenentur sub gravi, 1.º habere sufficientem scientiam;—2.º adhibere diligentiam proportionatam gravitati rei ipsis commissæ; si enim in his deficiant, de omnibus damnis tenentur.

Sedulo curare debent tum ut morborum, ac medicamentorum vim agnoscant, tum ne arcanis suæ fidei concreditis abutantur, tum ne Dei, et Ecclesiæ præcepta parvi faciant. Ad rem celebris medicus Broessiches: *Tanta est inter Deum, religionem, et medicinam connexio, ut sine Deo, et religione nullus exactus medicus esse queat.* Sane medicina a Deo est, ac nedum ad materialismum non inducit, imo Dei providentiam mirabiliter commendat, tum in herbarum virtute, quam inquirit, tum in admiranda humani corporis structura, cui studet. Hinc graviter peccant:

I. Qui absque sufficienti scientia gravis morbi curam suscipiunt, vel insolito morbo gravi speciale studium non impendant; vel si, nondum perspecta morbi natura, temere remedia periculosa insumant, maxime cum periculo vitæ, vel gravis læsionis; si medicamenta nondum probata experimenti gratia, vel vanitate, aliis probatis, et probabiliter utilibus,

præferant; si contagiosos deserant; imo etiam contra justitiam peccarent, si pretio essent conducti, in hisce casibus.

II. Qui cognito infirmi periculo, studiosa cura illi non adsint, die noctuque invisendo, si opus sit, et omnia media apta ad morbum expellendum non adhibent: aut medicos alios vocari non sinunt; vel absque necessitate alios medicos advocant cum inutilibus expensis; vel si contra suam conscientiam consiliis eorum adhæreant; vel secretis sibi concreditis abutantur, uti morbos pudendos revelando, etc.

III. Qui curationem protrahunt lucri causa; visitationes inutiles repetunt, ubi pro singulis salarium accipiunt; vel nimium exigunt; si ad favendum pharmacopolis pharmaca superflua præscribant; vel absque necessitate a jejunii, vel abstinentiæ præcepto eximunt, vel media ad abortum suadent; vel pauperi in necessitate gratuito non assistunt.

IV. Qui de gravi periculo ægrum non præmonent, ut ipsi sacramenta conferantur. Gravissime peccant tum contra legem naturalem charitatis, tum contra Decret. Innocentii III, *Cum infirmitas*, et Constit. *Super gregem* Pii V; sed horum plura in desuetudinem abierunt, ait *Del Vecchio, l,* 1, *n.* 532. Quot ob medicorum oscitantiam confessionem procrastinando inconfessi decedunt! Bene dixit celebris physicus Hoffmann: *Medicus sit christianus:* en prima medicorum obligatio.

Verum ad hujus præcepti implementum sufficit 1.° ut medicus per alios infirmum moneat;—2.° ut certum aliorum habeat testimonium infirmum jam confessum esse;—3.° ut moraliter certus sit infirmum in statu gratiæ esse; quia tunc cessat ratio principalis præcepti. (*Ita Fagnanus, Sil., S. Antoninus, aliique*).—Communius docent ad monendum medicos teneri, etsi agatur de morbis non actualiter periculosis, sed qui hic et nunc graviter periculosi fieri possunt. (*S. Ligor., l.* 6, *n.* 664, *et prax. Conf., n.* 57).—Tamen in contrarium est praxis medicorum, etiam timoratæ conscientiæ, qui non monent infirmos nisi cum infirmitas jam graviter periculosa effecta est; neque in hoc peccare putant adversus juramentum præstitum juxta Bullam S. Pii V, non visitare infirmos ultra tertium diem, nisi certificentur de illorum confessione. Imo juxta *Salm., Sanch, aliosque* non obligat hoc præceptum, nisi usu sit receptum, prout non est in Hispania, et Neapoli, testante. *D. Lig., l.* 3, *n.* 182.—Cæterum graviter peccant saltem contra charitatem medici illi, qui monere infirmos omittunt, cum infirmitas jam sit graviter periculosa. (*Scavini, n.* 686, *S. Ligor., ibid.*). Si tamen infirmus de confessione monitus, nolit obstinate eam peragere, adhuc potest in periculo eum visitare medicus; Pontificis namque decretum charitati, et justitiæ non adversatur. (*Ita commune esse docet Benedict. XIV, et S. Lig., l.* 6, *n.* 664).

836. Remedia dubia. 1.° Quando desperatur de infirmi salute, applicandum est remedium probabiliter profuturum, si aliud certum non habeatur; modo certo non sit nociturum; ita modo quo potest infirmo providetur; —2.° si dubitetur, an profuturum, vel nociturum, applicari nequit infirmo, etiam desperatæ salutis; in dubio enim potius debet eum dimittere in manu Creatoris. (*Ita S. Antoninus, D. Ligor., l.* 1, *n.* 46, *cum communi*).—Alii docent illud applicari posse casu, quo agatur de infirmo sine spe; nam conformius est prudentiæ, ac infirmi voluntati illud applicare, quam omittere cum certitudine mortis. Secus si ad experimentum faciendum pro aliis infirmis; illicitum porro est quærere experimentum in

vita alterius. *Scavini, ibid., Sanch., Bus., Valent.,* aliique, et forte probabilius ait *S. Ligor., ibid.*—3.° probabilius uti nequit remedio minus probabili, probabiliori relicto; tum ratione officii, tum ratione contractus., *S. Lig., l.* 1, *n.* 45.

Q. *An infirmus vocare medicum, et ei credere teneatur?*

R. Affirma, si morbus per remedia simpliciora non pellatur, et extraordinariam moléstiam importet; in genere quidem non tenemur ad remedia communes vires excedentia. *Honora medicum propter necessitatem: etenim illum creavit Altissimus... Altissimus creavit de terra medicamenta, et vir prudens non abhorrebit illa,* legitur Eccli. XXXVIII. Unde S. August. ait: *Ipse se interimit, qui præcepta medici observare non vult.* (Tract. 22 in Joan.)—Secus si medicinam quis respueret ad se mortificandum, excluso mortis periculo, ac proprii muneris negligentia, ut ajunt *Caj., Nav., Viva, Sanch., etc.* In pluribus per convenientem dietam, vel per remedia vulgaria morbus pellitur, imo natura ipsa perficietur. Sed curandum quoad remedia superstitiosa crumenæ, incolumitati, ac religioni insidiantia. Neque nos delicatulos, ac meticulosos decet; nam *qui medice vivit, miserrime vivit.* Aliquando usurpare expedit illud Gagliuffi: *Quis pulsat?* Medicus. *Quid vis?* Tibi ferre salutem. *Cras, si me audieris convaluisse, redi.*

837. Pharmacopola in suum officium peccat, et de damnis tenetur: 1.° si absque scientia, et sufficienti diligentia medicamenta conficiat; vel si unum pro alio cum gravis infirmi damni periculo porrigat.—2.° Si medicamenta vetusta, ac inutilia vendat; vel si in defectu petiti compositiones inutiles, vel periculosas efficiat; aut mandata medici non fideliter exequatur.—3.° Si media fœminis gravidis ad fœtum ejiciendum subministrat, vel venenum ad aliis nocendum.—4.° Si per ignarum puerum vendat; vel si nimium discedat, hominem aptum non relinquens ad expendendum; aut si plus æquo pro pharmachis exposcit. (*Scavini, p.* 319, *Gury, n.* 32, *S. Ligor., l.* 3, *n.* 182).

PARS QUARTA.

DE OBLIGATIONIBUS IN SOCIETATE PRIVATA.

CAPUT I.

De patria potestate.

838. Patria potestas est *quoddam quasi imperium a natura, et lege parentibus datum; tam relate ad custodiam, et educationem filiorum, quam ad usum fructuum bonorum iisdem competentium.* Hoc imperio congruenter gaudent genitores, nempe pater, et mater, tum ratione vitæ deditæ, tum ratione educationis dandæ.—Tamen lege civili hispana pater,

et in hujus defectu tantum mater, potestatem habet super filios non emancipatos ad confusionem vitandam. *Art.* 64. legis matrimoniis civilis.

Q. *Quinam sunt constituti sub patria potestate?*

R. Filii legitimi, adoptivi, imo ipsi etiam illegitimi, si legitimentur per subsequens matrimonium, vel principis rescriptum; non autem naturales, adulterini, etc. (*Ley* 1, 2, *et* 3, *tit.* 17, *part.* 4.ª). Patria potestas acquiritur, *matrimonio, legitimatione, et adoptione. (Ley* 4, *tit.* 17, *part.* 4.ª).

Effectus patriæ potestatis sunt alii ex *jure naturæ*, alii vero ex *jure civili.*—1.º ex *jure naturæ* parentes habent jus, et officium simul educandi, instruendi, et corrigendi proprios filios etiam per opportunas, et moderatas pœnas;—2.º ex *jure* vero *civili* habent usumfructum quoad bona *adventitia;* proprietatem, et usumfructum in bona *profectitia* filiorum; quoad *castrensia*, seu *quasi-castrensia*, nec proprietatem, nec usumfructum. Cum gaudeant usufructu circa bona filiorum, omnia habent usufructuarii onera, præter ipsorum bonorum cautionem præstare, dum secundas non contraxerint nuptias. Item ad inventarium opera judicis tenentur quoad filiorum bona, circa quæ solummodo administrationem habent. *Art.* 69. Si pater quocumque modo filii bona alienaverit, obligata manent ejus bona, et si ista ad resarcienda damna non suffecerint, poterit filius dicta bona a possessoribus repetere, si a patre hæredes non fuerint vocati. *L.* 24, *tit.* 13, *part.* 5.ª Quoad filiorum *personas,* ut pater filiis impuberibus possit dare tutores; iisdem pupillariter substituere; ipsos corrigere, et moderatim punire; item facultatem habet pater exposcendi a Tribunali filium, qui voluntarie, vel invitus sit sub alterius potestate, vel vagabundus, et inobediens pergat. *(Ley* 3, *tit.* 17, *part.* 4.ª. *etc.)*

839. **Deperditur patria potestas** 1.º Pro ea parte, quæ innititur jure naturali, uti sunt officia honoris, amoris, et reverentiæ filiorum erga parentes, nullo modo dissolvi potest; tale quippe jus indissolubile, et perpetuum est.—2.º Pro ea vero parte, quæ innititur jure tantum civili, sex modis dissolvi potest.

I. *Morte naturali patris, vel filii;* sed jure *romano* primi tantum gradus liberi tunc sui juris fiunt, non ita respectu ulteriorum graduum, si superstites sint, quorum in potestatem possint incidere.—Jure vero *hispano*, cum nepotes non sint sub avi potestate, per mortem hujus non solvitur patria potestas. II. *Morte civili;* scilicet, per civilem interdictionem, et tantum ipsa durante; *Gut., p.* 690: *Cod. penal refor. en* 1870, *art.* 43; hodie magis suspenditur, quam aufertur; nam, dempta bonorum præscriptione, nulla pœna dissolvi videtur patria potestas.

III. *Dignitate,* vel munere publico jurisdictionem, vel personalem obligationem reddendi rationem afferente, veluti per electionem filii ad patriciam dignitatem (ó padre del Príncipe); ad consulatum; ad præfecturam prætorianam (in urbe regni sede); ad patrocinium fisci; ad episcopale sacerdotium. *(Leyes desde la* 7.ª *á la* 14.ª) Cuatro de estas dignidades acaban la patria potestad, aunque no se acepten: *Patricio, Cónsul, Prefecto, Pretorio* y *Obispo* (Ley 14), y tambien en España a Alcalde. *S. del T. S. de J. de* 11 *de mayo de* 1866.

IV. *In pœnam;* uti in parentes filias prostituentes, infantem exponentes, incestuosas nuptias contrahentes (hæresim amplectentes juxta Glos. 1.ªm), sævitiam in filios exercentes. (*Ley* 2.ª, 4.ª, 6.ª, y *Nov. Rec.*, c. 2).

V. *Per canonicas nuptias*, (en Cataluña y Mallorca) cum licentia parentum suorum. *El hijo ó hija casado é velado sea habido por emancipado, en todas las cosas para siempre.* (Ley 47 de Toro, 3.ª, tit. 5, lib. 10, Nov. Rec.) Item hodie per separationem œconomicam 25 an. expleto: et jure reputatur emancipatus filius legitimus a die quo ad majorem ætatem pervenerit.

VI. *Per religiosam professionem. L. 2, tit. 7, part.* 1.ª

VII. *Emancipatione*, sive legali, sive voluntaria, sive invita legalis est actus legitimus, quo pater liberos a sua potestate dimittit, ut sui juris fiànt, quæ in Hispania ita fit: Pater actibus intervenientibus, et filio præsente, et consentiente, apud judicem competentem declarat velle se filium e sua potestate dimittere. (*Ley* 10, *tit.* 16, *part.* 4.ª, *etc.*)

Denique patriam potestatem suspendunt, præter interdictionem, patris incapacitas judicialiter declarata, ejusdem absentia, aut meta ignorata. (*Gut., p.* 704). Segun la ley de 18 de junio de 1870, si el penado fuese casado, no separado por sentencia de divorcio de su mujer, se encargará esta de la administracion de los bienes de la sociedad conyugal, y los hijos del penado, menores de edad, estarán sometidos al poder de su madre.

Antiguamente cuando el padre era quien emancipaba al hijo, gozaba aquel la mitad del usufructo de los bienes adventicios de este; hoy es materia controvertida. (*Ley* 15.ª) Empero cuando la emancipacion es legal, como la *dignidad* y *matrimonio*, es comun opinion que todo el peculio adventicio y usufructo pasa a beneficio del hijo. *Non enim volumus eum, qui ita suæ potestatis fit, perdere aliquod legitimorum jus.* (*L.* 3, *tit.* 5, *lib.* 10, *Nov. Rec., Lopez, Gut., p.* 701).—Lo mismo debe decirse si se le obliga á emancipar en pena de su sevicia, ó de su incitacion al mal. (*Gut., p.* 695).—El hijo voluntariamente emancipado vuelve bajo la potestad del padre por ingratitud, como si deshonrase á este de palabras ó de hecho. (*Ley* 19).

En Aragon no existe la patria potestad; empero el padre y en su defecto la madre, carga con los mismos deberes hácia sus hijos y sus bienes interin por el juez no sea nombrado tutor. *S. del T. S. de* 15 *oct. de* 1872. El menor de 14 años no puede, contra la voluntad de sus padres, dejar la casa paterna, disponer de su persona; y el menor de 20 años no puede celebrar contrato alguno sin la intervencion de sus padres ó del juez. *Elias, t.* 1, *n.* 361.

CAPUT II.

De obligationibus parentum erga filios.

Parentes filiis debent corporalem, ac spiritualem amorem, et educationem. Utrumque onus in ipsis naturæ visceribus fundatur; nam bruta ipsa suos fœtus diligunt, iisque ad vitam necessaria summa cura suppeditant.

840. I. **Amor.** Parentes filios suos amore interno, efficaci, et ordinato prosequi debent. Quemadmodum quisque seipsum amare debet, ita

parentes filios suos, tanquam aliquid sui, carnem de carne sua, sincere diligere tenentur; ita ut post Deum, nihil ipsis carius habeant.

Hinc contra specialem pietatis virtutem peccant parentes, 1.° si injusto odio, vel pravo affectu in filios incenduntur, eosque aspectu suo dedignantur; aut mala eis serio imprecantur, vel ubi opus sit non eis succurrunt;—2.° si occulta eorum delicta sine justa causa extraneis manifestant. Tamen sibi invicem ea revelare queunt parentes, et sæpe expedit, ad perversionem filiorum coërcendam;—3.° si affectu inordinato eos diligunt, ita tenus omnia ipsis permittant, ne eos contristent, vel remissius erga ipsos agunt; vel uni præ aliis favent sine justa ratione. Hæc enim unius præ aliis dilectio fons rixarum est, et plurium malorum in familiis. *(Gury, n.* 371).

841. II. **Educatio corporalis.** Parentes amorem erga filios exterius quoad corpus manifestare debent triplici modo: *Providentia vitæ, victus,* et *status.*

Providentia vitæ: ex ipsa conceptione sedulam prolis curam gerere tenentur, et avertere omnia ipsi nociva, ac invigilare ne ulli vitæ periculo exponatur.

Hinc graviter per se peccant: 1.° matres gravidæ, quæ inordinatis lasciviis, saltationibus, oneribus, laboribus, itinere, iracundia, mœrore se abortus periculo exponunt; — 2.° viri qui ad abortum uxores impellunt, eas percutiendo, labores ingentes imponendo, aspere tractando; — 3.° conjuges, qui non cavent, ne parvuli suffocentur, eos adhuc tenerrimos secum in lecto collocantes; vel quomodolibet a periculis aquæ, ignis, bestiarum, instrumentorum non eos avertunt. (*Gury*).

Providentia victus: parentes filiis procurare tenentur quæcumque necessaria sunt ad victum, vestitum, habitationem, statui, et conditioni suæ congrua, donec prospicere sibi ipsis possint. Nec refert, quod proles sit spuria: de jure naturæ est, ut parentes filium suum alant quocumque modo genitum; nam qui ei dederunt esse, pro posse conservare eum tenentur. Et clericus ex fructibus ecclesiasticis hæc suo spurio præstare posset, secluso scandalo. (*S. Ligor., l,* 3, *n.* 336, *cum communi*). Hinc graviter peccant parentes: 1.° Qui prolem locis piis, etc. exponunt, sine gravissima causa, uti esset illegitimitas, si legitimari nequeat, ut probabiliter docent *Laym., Salmant., n.* 36, *et alii.*

2.° Juxta communem sententiam mater, quæ filios proprios lactare desinit absque justa causa; hoc quidem postulare videtur jus naturale etsi sub levi; nam non apparet secus gravis deordinatio. Ab omni culpa excusat necessitas, notabilis utilitas, consuetudo apud nobiles vigens; sed tunc sub gravi bonam quoad mores, et valetudinem mater sibi substituere debet nutricem. (*Scavini, Gury, S. Ligor., ibid.*)

3.° Qui filiis necessitatem patientibus non sucurrunt, sive medicinis, sive alimentis, etc. Imo parens proli subvenire tenetur in necessitate, etiam relicta religione monachali, iisdem casibus, quibus proles parentibus, ut n. 847 dicetur. Item qui filios e domo ejiciunt, dum sibi ipsis adhuc prospicere non valent, nisi tamen aliunde se alere possint, et non indegeant, vel qui eos ad mendicandum cogunt, aut vilem artem exercere ab eorum conditione alienam. (*Gury, n.* 372).—Item peccant, qui in cibo, vestitu, etc., eis indulgent supra quod expedit, et ita delicatos, vanos, superbos, pervicaces, mundanos faciunt filios suos, juxta illud: *Qui deli-*

cate a pueritia nutrit servum suum, postea sentiet eum contumacem. (Prov. XXIX).

4.° Qui saltem mediocrem diligentiam non adhibent, ut bona acquirant, quibus filii alantur, habeantque hæreditatem secundum statum suum. *Pater*, ait Angelicus, *habet rationem principii, filius autem habet rationem a principio existentis, ideo per se patri convenit, ut subveniat filio: et propter hoc non solum ad horam debet ei subvenire, sed ad totam suam vitam; quod est thesaurizare.* (2. 2, q. 101, a. 2, ad 2). Item qui bona dilapidando in lusibus, potationibus, et cibis, otio, vel negotiis imprudentibus, incuria culpabili impotentes se reddunt ad liberos honeste educandos, et dotandos juxta suum statum. *Nec enim debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis.* (*II Cor.* XII). *S. Lig.*, *n.* 336.

Providentia status: tenentur parentes filiis providere de statu, in quo honeste juxta conditionem suam vivere possint. Hinc peccant: 1.° Qui artem statui congruentem, aliudve decenter vivendi genus liberos non docent, nec docendos curant.—2.° Qui absque justa causa dotem filiis convenientem pro matrimonio ineundo, aut ingressu in religionem obstinate denegant; aut quia aliquis ordinem sacrum suscepit; vel quia ipsis invitis nupsit, licet cum indigno, si jam ætatem 25 annorum excesserit. (*S. Ligor.*, *l.* 3, *n.* 335, *et* 337, *cum communi*).

—Si ante illam ætatem nupserit filius, vel filia, etsi cum indigno, vel invito patre, probabilius tenetur pater saltem alimenta ei in necessitate ministrare. (*Salm.*, *Sanch.*, *Scavini*, *l.* 1, *n.* 541, *S. Lig.*, *l. c. aliique*).—Item uxori ipsius filii pater alimenta præstare tenetur, quamvis eam sine dote duxerit, et contra ipsius patris voluntatem. (*Ita Sanch.*, *Boss.*, *Glossa*, *Sard.*, *aliique*).—Imo etiamsi portionem suam jam prius traditam vitiose dilapidaverit; semper enim filius est aliquid patris. (*Azor.*, *Meren.*, *Bal.*, *aliique*).

842. III.—**Educatio spiritualis.** Præcipue procurare parentes filiis tenentur spiritualem educationem; homo quidem præter esse corporale a Deo donatur anima rationali nobilissima ad ipsius Divinitatis imaginem creata, ac ut in Deum suum ultimum finem supernaturalem mediis directis, ac supernaturalibus tendat. Proinde a parentibus maxime in hunc finem instrui, ac dirigi debent filii. Ad hanc educationem requiritur *doctrina, correctio*, et *exemplum.*

Doctrina. Tenentur sub gravi parentes per se, vel per alios idoneos magistros erudire filios a teneris annis in bonis moribus, in observantia mandatorum Dei, et Ecclesiæ, in fide, et in omnibus ad salutem necessariis; nam illos erudire, ac dirigere debent per viam, qua ad Deum perveniant, hæc unica est via recta; ergo... *Docete filios vestros* (verba mea), *ut illa meditentur.* (Deut. XI). —*Filii tibi sunt? erudi illos,... a pueritia illorum.* (Eccli. VII). Ratio. *Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea.* (Prov. XXII). Unde Bened. XIV, *Notif.* 19, ait: *Parochi gravibus solidisque argumentis parentibus ostendant in manifesto perpetuæ damnationis periculo versari, si liberos suos religionis elementis erudire negligant.* Inde principium socialis regenerationis, vel ruinæ.

Sedulo igitur, et sub gravi parentes curare debent: 1.° Ut filii quamprimum gratia baptismatis regenerentur; parvulorum enim vita variis periculis est obnoxia; item ut cum ad usum rationis pervenerint filii præcipua doctrinæ capita sciant; alias servare illa non valerent, corda

igitur eorum, ac mentem ad Deum inclinent orationibus matutinis, et serotinis, catechismis, sacramentis, Ecclesiæ officiis, iisque assuescant.

2.° Ut a mundi fallaciis, sociorum illecebris, carnis voluptatibus, et pravis lectionibus eos avertant, ac etiam a conventiculis clandestinis, nocturnis, colloquiis amatoriis, maxime cum personis alterius sexus. Hoc delicatissimum est punctum, ac urgentissimum, in quo diu, noctuque invigilare tenentur parentes, ne corrumpantur eorum filii.

3.° Ut illorum civilem, ac religiosam educationem non negligant, nec sumptibus parcant, ut eis magistros doctrina, gravitate, ac morum integritate conspicuos præficiant. Gravissime peccant qui filios magistro hæretico, vel impio, moribusve perdito committunt; est veluti pecuniam latroni confidere. Ab eis animam pro anima requiret in tremendo judicio omnium Pater juxta illud: *Sanguinem autem ejus de manu tua requiram.* (Ezech. III). Contra tales parentes omissos vult *S. Alphon.*, ut confessarii inflexibiles sint in eis deneganda absolutione; vix enim dici potest quot inde mala sequantur.

5.° Ut ad matrimonium eos non cogant, neque sine legitima causa a religione, post 16 annos, abstrahant; nam quoad hæc soli Deo homines subsunt, et quod a Deo liberum linquitur, uti consiliorum observantia, ligari ab homine non debet. Secus contra charitatem saltem, et contra pietatem graviter peccant parentes, si injuriose, v. g. per minas, vim, fraudem, illos a religioso statu impediant; et *communius* etsi solis precibus, suasionibus, alioque modo id agant; ut ait *S. Lig.*, *l.* IV, *n.* 77; cum ex hoc duplici capite utilitati filiorum incumbere teneantur, et in excommunicationem non reservatam contra cogentes ad matrimonium, aut ad religionem incurrunt (*Trid., sess.* 25, *c.* 8, *de R.)*, etsi ut plurimum excusantur parentes; quia non pravo animo, sed ex vehementi carnis affectione, ignorantia, vel inadvertentia agunt.—Licet filius domino serviat, parentes jura, et onera super eum servant; semper enim est eorum filius.

II. Correctio. Parentes corripere tenentur filios delinquentes, ac inobedientes, ratione amoris specialis, pietatis, superioritatisque a teneris annis; alias contumaces eos invenient. *Educate illos in disciplina et correptione Domini.* (*Ephes.* VI). — Sed correctio est medicina animæ; moderata ergo esse debet, ac prudens; secus plus obesse, quam prodesse noscitur; filios siquidem reddit morosos, stupidos, pusillanimes, quandoque desperatione affectos, protervos, et obstinatos; imo parentes auctoritatem deperdunt, et pro amore, et reverentia eis debita, contemptum, vel exitiale odium parare sibi solent. *(Gury, n.* 375).

Hinc *per se* graviter peccant parentes: 1.° Qui affectu inordinato, vel segnitie correctionem omittentes, vel eam nimis suaviter, vel inconstanter porrigentes (uti solent matres, sicut faciebat Heli cum duobus filiis suis), ob benignitatem crudelem, filios contristare timentes, in causa sunt, cur filii non corrigantur. *Qui parcit virgæ, odit filium suum.— Si enim percusseris eum virga, non morietur. Tu virga percuties eum: et animam ejus de inferno liberabis*, perentibus ait Dominus. *(Prov.* XIII, et XXIII). — 2.° Qui levia contra bona temporalia fortiter corrigunt, et cum silentio graviora contra Deum, et animam prætermittunt; vel qui filii defectus excusant apud alterum conjugem, v. g. patrem corrigere volentem.—Item qui hodie eos docent, quod cras corrigere vellent; aut corrigunt ira ducti, vel cum blasphemiis, maledictionibus, magna voci-

feratione, aut gravioribus pœnis, quam merentur, vel graviter nocivis sanitati, contra illud: *Noli esse sicut leo in domo tua, evertens domesticos tuos, et opprimens subjectos tibi.* (Eccli. IV). *Patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros.* (Eph. VI). Item si nominibus contumeliosis eos compellunt. Sic eos faciunt morosos, iracundos, et contumaces.

Velle filios parentibus æquiparare juxta infandum Rousseau, et Voltaire systema æqualitatis; nempe, ut filii parentibus tribuant pronomen *tu, tibi, te,* fons est irreverentiæ, inobedientiæque. — Item cum propriis filiis ludere, eosque fallere, et similia.

Q. *An frater natu major fratres minores verberare possit?*

R. Nega, nisi id a patre sit ei mandatum, aut nisi, mortuo patre, vel absente, familiam ipse regat; quia primogenitura ex se tale jus non confert. *(Bill., Gury, n.* 393, *aliique).*

III. **Exemplum.** Parentes bonum exemplum filiis debent; nam exempla verbis efficaciora ad sequelam quodammodo trahunt, præsertim si a superioribus præbeantur. Filii addiscunt bonum, vel malum quod vident, et audiunt; sed puer magis oculis, quam auribus credit. Quid proficiet verbum, monitum, aut doctrina, si opere parens contradicat? *Mementote vos, parentes virginis, magis eam exemplo doceri posse quam voce,* ait D. Hier., Epist. 7, ad Lætam.

Hinc graviter, et dupliciter peccant parentes: 1.º Qui verba turpia filiis audientibus proferunt; gestus obscœnos ipsis videntibus faciunt; juramenta, blasphemias, maledicta, imprecationes eructant; de religione, sacerdotibus, aliisque rebus, vel personis piis male loquuntur.—2.º Uno verbo, qui impietatem, indifferentiam religiosam, mundi spiritum, cursus nocturnos, ludos, et similia suo opere, et sermone filios docent. Heu, quot incauti, et crudeles parentes suis pravis exemplis a teneris annis diabolo mancipant, quos Deo genuerunt! *Vœ mundo a scandalis... veruntamen vœ homini illi, per quem scandalum venit.* (Matth. c. XVIII).— 3.º Maxime defendere debent genitores filiorum innocentiam; unde non parum peccant qui filios trium, et amplius annorum in proprio lecto retinent; vel si dormiunt una simul pueri cum fœminis; vel nudos per domum, aut per vias eos decurrere sinunt; etsi tunc malitia careant, abundant curiositate, et dein curiositate simul ac malitia superabundabunt, et semper id erit aliis scandalum, experientia teste.

Eædem generatim sunt, data proportione, aliorum ascendentium obligationes, et descendentium, ac parentum respectu filiorum, præsertim si, parentibus deficientibus, ascendentes nepotum curam suscipiunt; nam ratione generationis alii ab aliis, stricto pietatis vinculo ligantur. *(Ita omnes,* ait *Gury, n.* 377).

CAPUT III.

De filiorum obligationibus.

843. Tria debent filii parentibus speciali modo tanquam vitæ, et educationis post Deum auctoribus, etsi hi sine merito et virtute sint, *amorem*, nempe, *reverentiam,* et *obedientiam;* nam horum ratio non est

meritum, sed pietas, diversa tamen a pietate erga Deum, quæ consistit in studio interioris devotionis ad virtutem religionis pertinentis. — *Amor* parentibus debetur ratione causæ; *reverentia* ratione præeminentiæ; *obedientia* ratione regiminis.

I. **Amor.** Filii sub gravi tenentur parentes amore prosequi tam *interno,* quam *externo;* nempe, 1.° iis bene velle; — 2.° iisdem signa benevolentiæ exhibere; — 3.° omne malum, ac injuriam ab eis propulsare; — 4.° in necessitate tam spirituali, quam temporali eis subvenire juxta illud: *Qui affligit patrem, et fugat matrem, ignominiosus est et infelix.* Prov. XIX. *Fili, suscipe senectam patris tui, et non contristes eum in vita illius: et si defecerit sensu, veniam da, et ne spernas eum in virtute tua.* (Eccli. III). Qui in his graviter deficit, graviter peccat.

Hinc ex genere suo graviter peccant 1.° qui odio interno parentes prosequuntur, vel odii signa ipsis exhibent; mortem, vel aliud grave malum eis exoptant; — 2.° qui ipsis coram aliis graviter detrahunt; — 3.° qui dolo, aliisve injustis et malis artibus a condendo testamento illos impediunt; secus si modis permissis; vel eos ad iram, vel gravem tristitiam sine causa provocant, saltem si usque ad lachrymas, præsertim si ad lachrymandum faciles non sint. *Maledictus a Deo, qui exasperat matrem* (Eccli. III); — 4.° qui illis graviter indigentibus alimenta necessaria non subministrant, cum possint, cogendo eos mendicare, vel artem ignominiosam exercere; vel eos aflictos, aut senio confectos non visitant, compatiuntur, opemque illis conferre renuunt; — 5.° qui in mortis periculo non curant, ut a medico visitentur, medicamenta ordinata ipsis præstentur, sacramenta suscipiant; — 6.° qui ipsis vita functis omittunt, ut persolvantur exequiæ modo eorum conditioni congruo. *Honora patrem tuum, et gemitus matris tuæ ne obliviscaris: memento quoniam nisi per illos natus non fuisses: et retribue illis, quomodo et illi tibi.* (Eccli. VII). *S. Ligor., l.* 3, *n.* 333, *cum communi.*

Item graviter peccat filius hæres, si non impleat suorum parentum testamenta, ac pia legata. *Da parentibus quidquid habes, nondum das, quod debes, quia debes quod es,* ait S. Ambros. (L. 8, in Luc.). *Ita Nav., Fil., Reg., S. Ligor., ibid.*

844. II. **Reverentia** tam *interna* quam *externa*. Quoad *internam,* timorem reverentialem ex corde erga parentes profiteri filius tenetur, tanquam superiores agnoscens. — Quoad *externam,* hunc cordis timorem reverentialem ostendere debet per *verba, signa,* et *facta* juxta illud: *In opere et sermone, et omni patientia honora patrem tuum.* (Eccli. III).

Hinc graviter, vel leviter pro ratione materiæ, ac circumstantiarum peccant filii.

Verbo. 1.° Graviter peccant qui frequenter superbis, asperis, inurbanis, contumeliosis verbis parentes afficiunt, ac si odio haberent; maxime si contradictionibus, reprehensionibus, maledictionibus ad iram gravem, vel tristitiam provocant. *Qui maledixerit patri suo, vel matri, morte moriatur.* (Exod. XXI). Si hoc in parentum absentia ore tantum fecerit, venialiter peccabit filius; non adest quippe contumelia, nec irreverentia, neque animus malevolus: graviter vero si in eorum præsentia, vel animo graviter malevolo parenti sive vivo, sive defuncto maledicat; nam tunc adest gravis irreverentia, contumelia, et mala imprecatio. (*S. Ligor, l.* 5, *n.* 334).

2.° Graviter item peccat, merito ait *Roncaglia*, qui matrem vocat *ebriam, bestiam, amentem, latronem, lamiam,* et *similia;* sed qui tantum diceret *vetulam, stultam,* ac *similia,* puto non posse de se absolute damnari de mortali, nisi parens ideo graviter offendatur. *(Ron., S. Ligor.)* Ad rem ait opportune Gousset: *Ad judicandum de peccati natura, quod committitur ex defectu reverentiæ erga parentes, rationem habere oportet regionis usus, ac consuetudinis; parentum conditionis, ac filiorum educationis. Neglecta, ac rudis educatio minuere potest injuriam erga parentes, ac per consequens peccati malitiam.*

3.° Tamen etsi verba ex se non sint graviter injuriosa, si filius scit per ea graviter offendendos esse parentes, graviter peccaret illa in eos proferens; nam si graviter non læditur reverentia, saltem graviter læditur amor erga parentes, eos sine justa causa graviter, ac deliberate contristando. *(Ita probabilius S. Ligor., ibid., aliique,* contra *Elbel, n.* 557).

4.° Si reverentiæ signa eis consueta juxta morem patriæ, et suæ conditionis studiose recusant, v. g. non assurgentes, ipsis advenientibus, caput non detegentes, non illos salutantes, vel uti æquales eos tractantes, maxime si ex iis parentes graviter offensos existimant.

Signo. 1.° Lethaliter peccant filii si deliberate parentes graviter illudant risu, subsannatione, gesticulatione in eorum præsentia, vel si torvis frequenter oculis eos aspiciunt, et similibus, ita ut eos odio habere videantur. *(Ita Ron., Silv., Busemb., Elbel, Gury, S. Ligor., ibid., aliique).* Hinc: *Oculum, qui subsannat patrem... effodiant eum corvi..., et comedant eum filii aquilæ.* (Prov. XXX).—Secus si ex levitate, vel rusticitate hoc fiat, non ex contemptu. *(Gury, n.* 366).

2.° Qui suos parentes pauperes male vestitos erubescunt, despiciunt, agnoscere coram aliis recusant; nisi parentes infami crimine essent notati, vel si filius inde grave damnum esset passurus, dummodo de necessariis eis provideat, et sine interno contemptu fiat; quia tunc parentes non censentur rationabiliter, et graviter inviti. *(Ita probabiliter Azor., Bon., Gury, S. Ligor., n.* 334, *cum aliis).*

Facto graviter peccant filii: 1.° si parentes injuriose etiam leviter tantum percutiant; vel hanc voluntatem ostendant, in eos manus, vel baculum attollendo, aut si hujusmodi minas quovis modo intentant. *Qui percusserit patrem suum aut matrem, morte moriatur.* (Exod. XXI). *Ita omnes, ait S. Ligor., n.* 334. Et addit: recte advertit *Sporer* quod in his filius dupliciter peccat, contra justitiam, et contra pietatem.

2.° Item peccant filii si in foro externo, etsi de vero crimine, parentes accusent, nisi de hæresi, proditione, vel in principem conjuratione agatur, et non adsit alius corrigendi modus; præferre equidem debemus bonum commune bono privato. *(Bon., S. Ligor., etc.)*

Q. *Quid agendum cum parentibus delirantibus?*

R. Graviter peccant filii ex malitia, vel contemptu percutiendo, vel irreverenter eos tractando ebrios, hebetes, amentes, delirantes. Patet exemplo Cham filii Patriarchæ Noë, qui fuit maledictus a patre, et a Domino ipso, eo quod irreverentiam erga patrem ebrietate captum egerit. —Aliter dicendum si ad ipsos ratione carentes cohibendos aliqua paulo severior tractatio sit necessaria. *(Gury, n.* 366),

845. III. **Obedientiam** præstare debent filii parentibus in omnibus rebus honestis, quæ pertinent ad gubernationem domus, bonos mores,

vel animæ salutem, semper ac parentes expresse, et serio præcipiunt, dum sub eorum potestate versantur. Secus si tantum monuerint. Probatur 1.° ex jure naturali ratione præeminentiæ, et regiminis; 2.° ex S. Scriptura: *Filii, obedite parentibus vestris in Domino: hoc enim justum est* (Eph. VI), et (Colos. III): *Filii, obedite parentibus per omnia: hoc enim placitum est in Domino.*

Hinc 1.° graviter, vel leviter pro rei gravitate peccant filii, qui parentes in re spectante ad animæ salutem serio, et stricte præcipientes audire nolunt; uti qui prava consortia, theatra, choreas, aleas, popinas, aliosve ludos, ac loca periculosa, non obstante seria parentum prohibitione, frequentant. 2.° Graviter peccant filiæ quæ, invitis, vel insciis parentibus, cum procis occulte, aut de nocte conversantur, vel domo egrediuntur ad libere saltandum, cum juvenibus loquendum, et similibus periculis sese exponendum. 3.° Item respective dicendum de filiis. Item si, neglecto parentum mandato, Missam, confessionem, Communionem, catechismum, aliaque religionis officia notabiliter omittant. 4.° Si operam dare nolint litteris, aut artibus suo statui congruentibus; tempus in otio terunt, et expensas pro ipsis factas inutiles reddunt. 5.° Si quæ ad bonum familiæ regimen multum spectant exequi recusant; vel si omnia nutu suo agere velint, spreta parentum auctoritate, maxime adhuc si arroganter respondent: *Non faciam; attende tibi; tædium, et fastidium mihi affers,* et similia. 6.° Qui contra parentis voluntatem ducat uxorem se indignam; v. gr. cum dedecore juxta regionis usum.—Item si absque justa causa nolit eam ducere, quam vult parens; præsertim si inde sopirentur odia, aut parentum necessitas levaretur. Erit justa causa si impar sit familia, vel si infirma, fatua, deformis, immorigera puella sit. *S. Lig., n.* 335. Sæpe tamen in praxi, saltem a mortali, excusari potest filii inobedientia, tum ratione animi levitatis, tum ratione inadvertentiæ, tum ratione defectus rigorosi præcepti, ut si parentes tantum suadent, consilium dant, vel sollicitant. Unde concludit *Sporer: Ex aliqua negligentia, vel socordia fragilitatis humanæ, juvenilis præsertim, præceptum paternum transgredi semel, iterum, aut sæpius, non tamen sæpissime, et ordinarie (tunc enim accederet virtualis saltem contemptus, et pertinacia), non censetur peccatum mortale inobedientiæ.* (Ita etiam *Elbel., March*).

Gravitas præcepti, et ejusdem transgressionis dignoscitur ex modo serio præcipiendi; ex necessitate obediendi; ex pœnæ magnitudine appositæ, et similibus. (*Gury, n.* 368).—Tamen filius obedire non potest patri rem illicitam præcipienti, uti esset furtum, vindicta de offensore, res inhonesta, mendacium, divina vocatio circa status electionem, ut ait *D. Thom.* 2. 2, *q.* 104, *a.* 5, etc. *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus.* (Act. V). *Qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus.* (Matth. X).

Q. *Quid si parentes filiorum pietatem impedire velint?*

R. I. Si filius sine justa causa aliquid deliberate agat, vel omittat, etsi per se malum non sit, ex quo prævideat tamen parentes graviter offendendos, aut peccaturos nimia ira, imprecationibus, blasphemiis, etc., ipso facto graviter peccat filius contra amorem, reverentiam, et obedientiam ratione causæ.—Si vero dubitet, an adsit justa causa aliquid agendi, vel omittendi, ex quo parentes sunt offendendi, abstinere debet filius, quippe tunc possidet obligatio reverentiæ, et auctoritas parentum.

II. Si justa causa omnino urgens adsit aliquid agendi, vel omittendi, etsi constet parentum offensionem ex mera eorum melancholia, vel malitia orituram, non peccat filius illud agens; utitur enim jure suo; et offensio tota parentum malitiæ est tribuenda; agunt tunc velut pharisæi cum Christo. (V. n. 534, et seq.)

846. **Consulere parentes circa status electionem.** I. Si agitur de matrimonio, alii sub levi filios consulere ratione reverentiæ debere dicunt; nam hæc obligatio gravis esse nequit, quando filii eorum consilio stare non obstringuntur; alios siquidem prudentiores viros invenire poterunt, præsertim confessarium: aliunde parentes rationabiliter inviti esse nequeunt in re, quæ absolute a liberorum electione pendet. Imo minime peccabit filius, si reputet parentes in eo libenter consensuros, vel injuste impedituros, si consulantur. Ita *Barb.*, *Bon.*, *Sanch.*, *Vazq.*, *Bellarm.*, *Nav.*, *Sayr.*, *etc.* Idque satis deducitur ex *Trident.*, *sess.* 24, *c.* 1, ubi conceditur contrahere, omissis denuntiationibus, si *fuerit probabilis suspicio matrimonium malitiose impediri posse*. (Ita *S. Ligor.*, *l.* 6, *n.* 849).

Alii distingunt, si parentes ab omni matrimonio filium avertere conantur cum periculo incontinentiæ, vel aliquod matrimonium injuste impedire velint, tunc filius obedire non tenetur; secus vero si juste impediant ratione dedecoris, scandali familiæ, etc. Ita *Lay.*, *Pal.*, *Holz.*, *Delb.*, *Croix*, *Salm.*, *n.* 29, *et alii passim*, ait *S. Alphonsus ibidem.* Et hæc videtur rationabilior in praxi inter tot opiniones.

II. Si autem agatur de statu religioso, etsi regulariter filii expostulare consensum parentum humiliter debeant; imo usque ad pubertatem tantum spectare, ipsis renuentibus; tamen in praxi non expedit, si prævideatur illos esse injuste impedituros; nam parentes de facili ob proprium commodum in hostes mutantur, juxta illud: *Inimici hominis, domestici ejus.* (Matth. x). Ita *Conc. Tolet. X*, *S. Ambros.*, *D. August.*, *et S. Thom.*, 4 *d.* 38, *q.* 2, *art.* 4, *cum communi* docet non teneri filium religionem omittere, causa vitandi parentum scandala. Tamen hoc non est suadendum filiis ætate minoribus. *S. Lig.*, *n.* 335.

847. Q. *Quid si parentes sint in necessitate?*

R. 1.° In necessitate communi filius liber manet;—2.° in extrema vero necessitate parentum filius, etsi fuerit jam in religione professus, succurrere ipsis tenetur, et egressus de religione cum licentia petita, etsi non obtenta, ex decret. Benedicti XIV, 1745, Ordinario loci subditur; imo in quantum possit, habitum deferre, ac necessitate cessante, iterum ad monasterium redire debet. *Si sine ejus obsequio parentes nullo modo vivere possunt, sic tenetur eis servire, et alia opera perfectionis prætermittere, et peccaret eos dimittendo. Si vero sine ejus obsequio possunt aliqualiter sustentari, non autem honorifice, non propter hoc tenetur opera perfectionis dimittere*, ait *D. Thomas.* Præfata doctrina non extenditur ad fratres, sed tantum locum habet inter parentes, et suos liberos, et vicissim. (*V. S. Ligor.*, *l.* 3, *n.* 340).—3.° In gravi autem necessitate ingredi adhuc poterit, casu quo in sæculo manens frustra detineretur, ob impotentiam necessitati subveniendi; vel si videt non de facili posse in sæculo vivere sine peccato mortali; magis siquidem tenetur saluti animæ suæ providere, quam corporali parentum, ut docet *S. Thomas.* (Quodl. 10, a. 9). Secus in sæculo remanere tenetur. (*Seavini*, *p.* 325, *S. Lig.*, *n.* 335, *et l.* IV, *n.* 66).—In hac gravi necessitate probabilius ille, qui jam est in

religione professus, egredi non tenetur, etsi potest, *reputatur jam quasi mortuus mundo,* ait *Angelicus* (2. 2, *q.* 101, *ar.* 4 *ad* 4). *(S. Ligor., l.* 3, *n.* 335, *et l.* IV, *n.* 67).

848. Q. *Quæ obligationes filiorum erga parentes ex jure civili?*

R. Ex jure Hispano sunt: 1.° ut ipsis honorem, et reverentiam exhibeant; – 2.° ut iis indigentibus alimenta suppeditent; – 3.° ut matrimonium inire non audeant, nec adoptionem acceptare sine eorum consensu; idque sub gravissimis pœnis, ut infra videbitur; – 4.° ut paternam domum non deserant sine patris, sub cujus potestate manent, consensu, dum *minores* sunt. *(Ley* 9, *tit.* 8, *part.* 4.ª – *y Ley* 18, *tit.* 18, *part.* 4.ª).

849. **Consanguinei, affines, et collaterales sibi invicem debent** mutuum amorem, honorem, et in necessitate, non solum extrema, sed etiam gravi, subsidium tum ratione charitatis, tum lege pietatis, (licet non ut inter parentes, et liberos), ob arctum sanguinis, vel affinitatis vinculum. Hinc colligit *Henno*, circumstantiam cognationis primi, et secundi gradus tantum aperiendam esse in confessione, quoties agitur de gravi injuria, detractione, odio, contumelia, percussione, et similibus. Extra prædictos gradus putat induere peccatum solum veniale, et nullum speciale quoad patrinos: secus quoad tutores, ac curatores dicendum, cum adhuc sit in viridi mutua obligatio erga se invicem. *(Scavini*, *l.* 1, *n.* 545, *Gury*, *n.* 377, *et S. Ligor.*, *n.* 340). Docent *Azor.*, *Trull.*, *Barb.*, *Men.*, *Salm.*, *n.* 69, *etc.*, quemvis in *utroque* foro teneri, si possit, alimenta, et dotes fratribus, et sororibus præstare, non solum in extrema, sed etiam gravi necessitate; etsi tantum sint consanguinei; si vero fuerint uterini, adest obligatio solum eos alendi. *S. Lig.*, *n.* 340.

CAPUT IV.

De obligationibus tutorum, curatorum, et minorum.

850. Qui minor septennio est, dicitur *infans :* qui minor est annis 14, si masculus, 12 si fœmina, *impuber* dicitur; qui nondum complevit 25 annum *minor* dicitur, vel *puber ;* qui talem ætatem complevit, dicitur *major;* cui cura impuberis committitur *tutor* appellatur, cui vero puberis *curator* dicitur.

Q. *Quinam tutores, et curatores esse possunt, et quinam lege prohibentur?*

R. I. Alii dicuntur *nati legitimi,* quibus de jure competit, scilicet: 1.° mater, quæ acceptare non tenetur; sed si non acceptat, officium sustinere debet, quoadusque nominetur tutor. – 2.° Ascendentes paterni, et materni.—Alii sunt *testamentarii*, alii *dativi*, si a judice assignentur. Tutor, et curator plerumque eliguntur pleno jure a patre: ast si hic non eligat, vel cesset electio, tunc ad consilium familiæ a civili lege deputatum pertinet, vel ad judicem.—Tutor, et curator nominati acceptare debent, seclusa legitima excusationis causa, quæ excusatio intra 50 dies a cognitione suæ electionis proponi debet ab iis, qui in loco denominationis inveniuntur, seu inter spatium 100 milliarium; si magis distant, unum

habent diem pro quolibet 20 milliario, et amplius 30 dies ad proponendas excusationes. *L.* 2, *tit.* 17, *part.* 6.ª etc.

II. *Lege prohibentur:* 1.º Amentes, prodigi, surdi, muti, cæci, minores, mulieres, nisi sit avia pupilli, quæ secundas renuntiet nuptias, et pro aliis non se obliget; — 2.º Item creditor, et debitor pupilli aut minoris, vel litem cum his habiturus circa majorem sui patrimonii partem, nisi debitores in testamento fuerint nominati; — 3.º Episcopi, et clerici; tamen hi admitti queunt, si vocati coram judice ostendant acceptandi voluntatem. *L.* 14, *tit.* 16, *part.* 6.ª *Novell.* 123, *cap.* 5. — 4.º Religiosi professi, civiliter interdicti, ab alia anteriori tutela amoti ob suspiciones, infames, vel ignoti. *L.* 1, *tit.* 18, *part.* 6.ª, etc.

III. Ab onere tutoris, et curatoris se excusare possunt: 1.º parentes 5 habentes liberos vivos, vel in bello mortuos, aut in Dei servitio; — 2.º qui 70 annum compleverit tempore incipiendæ administrationis; vel morbo laborat eum ab administratione impedienti — 3.º publicis curis gravati, uti magistratus, judices, nisi antea acceptaverint, milites actu servientes, et etiam non jam servientes post 15 annos servitii non interruptos; — 4.º scientiarum professores, artiumque liberalium, item tres jam habens diversas minorum curas, vel tutelas, nisi sint simulatæ, vel quæsitæ eo fine novum declinandi onus, vel unam requirunt curam, aut sint tantum honorariæ; — 5.º qui suo indigent labore ad sustentationem. En Navarra están exentos del ejercicio de la tutela y curaduría los labradores. *L.* 9, *tit.* 31, lib. 1 *de la Nov. Rec. de Nav.* — 6.º qui nec legere, nec scribere scit, et ob rusticitatem administrare non audet. Item qui insidias contra vitam, aut famam patris, vel electoris posuerit. Protutor esset eligendus in qualibet tutela, cujus est supplere in defectu. *L.* 2, *tit.* 17, *part.* 6.ª

Onera tutorum, et curatorum. 1.º Inventarium solemne ac universale (nisi minori conveniat, ut clam fiat, vel alia justa causa intercedat) sumere debent bonorum minoris, seu inhabilitati, et antea cautionem ipsorum bonorum præbere, nisi pater ab hac eos liberaverit; alias tutores, et curatores de damnis ex præfata omissione secutis tenentur. *L.* 15, *tit.* 19, *part.* 6.ª, *et S. T. S. J.* 6 *nov.* 1870. — 2.º Curare sedulo tenentur tum personam, tum bona temporalia, tum educationem, et moralitatem pupilli, vel minoris sicut bonus paterfamilias, et juxta horum statum, et conditionem. Si vero bona pupilli, etc., ob tutoris, vel curatoris segnitiem producere desinant, de damnis hi tenentur. *S. T. S. J.* 10 *mart.* 1858. — 3.º Item illorum jura conservare, pecuniam existentem utilius invertere tenentur; et si in proprios usus eam, vel alia minoris, vel pupilli converterint, lucrum cessans, seu usuras legales solvere adstringuntur. Tamen si patrimonii redditus ad solvenda debita, et legitimas curas tutelæ, vel curatoriæ non sufficiant, accipere valent mutuum ad id necessarium. *Novell.* 72, *cap.* 6, *et* 7. En Navarra siempre que se hayan de arrendar bienes de menores, debe hacerse en pública subasta. *L.* 2, *tit.* 17, *lib.* 3, *de la Nov. Rec. de Nav.*

4.º Cum minore absque judicis placito, et simul aliorum curatorum contractum inire prohibentur; vel minoris nomine transigere circa jura, et bona sua. *S. T. S.* 9 *maj.* 1871. 5.º Singulis annis, vel saltem finita tutela, omnium actorum rationem reddere obstringuntur, quæ obligatio a minoris patre remitti nequit. *L.* 5, § 7, *D. de adm., et per tut. tit.* 7,

lib. 26, *S. Lig., l.* 3, *n.* 341.—6.° Tutor, vel curator, aut horum filii, vel nepotes matrimonium contrahere non possunt cum persona, quam sub tutela sua habuerint, ante legalem approbationem rationum administrationis, nisi ejusdem pater legitime talem dederit auctoritatem. *Art.* 492 *del Código penal,* etc.—7.° Tutor infirmus, vel absens interim substitutum a judice petere valet.—8.° Post tutoris, vel curatoris mortem horum hæredes de illorum mala administratione etiam tenentur, eodem modo, quo fuerint obligati causantes. *L.* 21, *tit.* 16, *part.* 6.ª, etc. Et minores, seu inhabilitati legalem hypotecam habent super tutoris, et curatoris bona. *Ley hip. ref. art.* 168. Tamen hæredes viri ætate majores ex facto proprio urgeri tantum poterunt si cum dolo, vel gravi incuria negotia a defuncto curatore incepta non continuaverint; vel si absque ulla necessitate in administrationem se immiscuerint.—9.° Tutor, et curator præmium merentur: quod quibusdam in locis est vigesima reddituum pars bonorum omnium minoris; in aliis autem decima pars. *S. Lig., n.* 918.

Cessat tutela. 1.° morte, remotione, dispensatione, renuntiatione tutoris, vel curatoris.—2.° si juribus civilibus privetur, aut ultra annum carceri includatur, vel si mater sit, et ad alias nuptias transierit;—3.° morte minoris, vel illius habilitatione, ad quam devenire potest, si 18 annos compleverit, et capax habeatur.

851. Q. *Quænam sunt obligationes, et jura minorum?*

R. I. Tenentur tutoribus, et curatoribus exhibere amorem, reverentiam, et obedientiam usque ad 25 annum, sicut filii (non tamen eadem stricta obligatione) debent parentibus. Id etiam præcipit jus civile; adeo ut tutor petere possit minoris reclusionem, si in eum graviter delinquat. (*Ley* 9, *tit.* 16, *part.* 6.ª — *Ley* 15, *tit.* 16, *part.* 6.ª, etc.).— 2.° sine judicis decreto minor remittere non potest, vel renuntiare hæreditati, legatis, fideicommissis, aliisque juribus sibi acquisitis. Tamen si religionem ingressus sit, bona alienare potest; quasi enim moritur.— 3.° sine curatorum auctoritate minores donare non possunt, nisi quæ ejusdem conditionis adolescentes donare solent: tamen qui ab iis dona accepit, restituere non tenetur, nisi legitime repetantur; cum probabile sit valere naturaliter, tametsi non civiliter. *Lugo, Mol., Diana, S. Lig., n.* 918.

CAPUT V.

De obligationibus magistrorum, et discipulorum.

852. **Magistri tenentur sub gravi**, tum ratione officii, tum stipendii.—1.° Scientiam callere ad munus, quod suscipiunt, idoneam, ne ipsis errare contingat cum discipulorum damno. *Discas quod possis docere, ne sis... prius magister quam discipulus,* ait D. Hieronymus, Ep. ad *Rusticum.* —2.° Doctrinam rectam methodo conveniente tradere, discipulorum intelligentiæ accomodatam; eorum profectum promovere, discreteque punire. Novas methodos sequi poterunt magistri, sed in iis, quæ ad religionem, et mores pertinent, ab omni novitate caveant. *Non de corde tuo vaticinari præsumas,* ajebat Pet. Blosius, *sed juxta sacri eloquii doctri-*

nam universa dicas, et doceas, orans cum Propheta: Juxta eloquium tuum, Domine, da mihi intellectum (Epist. 3); nempe juxta S. Scripturam, traditionem, Patres Ecclesiæ, Pontificum oracula, Conciliorum definitiones. — 3.° Semina christianarum virtutum pedetentim verbis, et exemplo teneris eorum animis inserere. *Magister totus vocalis prodeat, gressus, et motus, vocalia sint universa*, ait D. Hier.—4.° Circa ipsorum mores attente invigilare obstringuntur, eorum errores, ac defectus paterno modo corrigere, ab aliis pravis avertere quantum in ipsis sit, scandalosos, et incorrigibiles expellere. *S. Lig., l.* 3, *n.* 362.

Quoad laicorum scholas, hæc Pii IX verba sunt notatu dignissima: *Quoniam... cæteros etiam ex laicorum ordine adolescentes ad pastoralem vestram sollicitudinem pertinere non est dubium, excubate insuper venerabiles fratres: aliis omnibus publicis, privatisque scholis, et quantum in vobis est, omni opere atque industria adnitimini, ut tota in illis studiorum ratio ad catholicæ doctrinæ normam exigatur.* (Encycl. 8 dec. 1849.) — Nihil nunc utilius quam, ut deputentur in singulis oppidis pii sacerdotes ad hoc munus, tum ad dirigendas, et eligendas ad statum sacerdotalem vocationes, tum ad præcavendas parentum omissiones, tum ad impedienda scandala impiorum magistrorum, tum ad juventutem christiane efformandam.

853. **Discipuli debent sibi, præceptoribus, et Deo.**— 1.° *Sibi* assiduum, et honestum studium; scientia enim, et artes non addiscuntur, nisi per magnos labores, juxta illud : *Gutta cavat lapidem, non bis, sed sæpe cadendo.*—2.° *Magistris* reverentiam, docilitatem, dum ab eis erudiuntur, et semper gratitudinem. Hoc ipsis gentilibus erat officium ineluctabile. *Discipulos ad unum moneo*, ait Quintilianus, *ut præceptores suos non minus quam ipsa studia ament, et parentes non quidem corporum, sed mentium esse credant.* Hoc enim importat obligatio reciproca discipulorum ad magistros.—3.° *Deo* pietatem, juxta illud : *Initium sapientiæ timor Domini.* (Ps. cx). Id satis nunquam juvenibus prædicabitur; nam tota moralis hominis existentia in hac vita, et æterna salus in altera, generatim a primis adolescentiæ annis pendet, juxta illud : *Bonum est viro, cum portaverit jugum ab adolescentia sua.* (Jer. Thr. III). *Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea.* (Prov. XXII).

Hinc tum quoad injurias sive verbis, sive factis erga magistros, nempe detractionibus, irrisionibus, contumeliis, maledictis, etc.; tum quoad inobedientiam in eo, quod jus habent imperandi, graviter, vel leviter peccant discipuli, perinde ac filii erga suos parentes. *Bon*, *Sporer*, *Gury, n.* 385, *S. Lig., n.* 361, *aliique.* Quoad temporis amissionem graviter, vel leviter peccant juxta nocumentum otiositatis, et distractionis, vel studii defectum in præsenti, et in futuro. (*Goritia*). Quoad pecuniæ dilapidationem, vel inutilem expenditionem V. T. II, n. 284.

CAPUT VI.

De obligationibus dominorum.

854. **Domini**, *et superiores* præcipue *instruere, corripere*, et *amare* subditos tenentur. Ratio. Superiores vices parentum gerunt, et subditorum caput sunt; ideoque quoad hæc eamdem ferme obligationem habent quam parentes. *S. Lig.*, *n.* 342.

I. *Illos instruere*, dicente Apostolo: *Si quis autem suorum, et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior.* (I Tim. v). Et id ratio præscribit; nam ad caput dirigere spectat, ubi opus est.—Sciant domini eo suos famulos fore in re domestica diligentiores, quo erunt in religione fideliores. Qui Deum diligit, ejus leges curat; et viceversa. Hinc graviter peccant: 1.° si rudimentis fidei non eos imbuunt, nec tempus ad hoc conveniens concedunt, vel ad catecheses, et conciones sacras opportune non mittunt, cum iis graviter indigent;—2.° si absque justa causa illos impediunt diebus festis a Missa audienda, aut opera servilia iisdem imponunt, vel ea jubeant, quæ sine gravi peccato præstare nequeunt; vel non cavent, ut debito tempore confiteantur, et communicent. *S. Lig.*, *n.* 342.

II. *Illos corripere*, si opus sit: domini vices gerunt parentum, et caput familiæ sunt. (*S. Ligor.*, *l.* 3, *n.* 342). Unde graviter peccant domini: 1.° qui non corrigunt, vel incorrigibiles non dimittunt (nisi forte eorum opera maxime indigeant, et alios invenire non possint, ut ait *Gury, n.* 382); famulos suos impios, blasphemos, turpia loquentes, scandalum præsertim aliis famulis præbentes: inde oriri solet perversitas tenerorum filiorum, et filiarum;—2.° si ipsis occasionem peccati permittant, vel quidquid lubet eis indulgeant;—3.° gravius si irreligiosis principiis eos imbuunt, vel ipsorum religiositatem irrident, eos seducunt, et scandalum illis præbent. Sæpe in confessione hanc circumstantiam tacent heri, quæ proinde petenda est, legitur in *Scavini*, p. 330, nam herus ratione officii spirituale bonum famuli curare tenetur.

III. *Illos amore* tam interno, quam externo prosequi tenentur, et benigne tractare, juxta illud: *Si est tibi servus fidelis, sit tibi quasi anima tua: quasi fratrem sic eum tracta.* (Eccli. XXXIII). Hinc peccant domini: 1.° si famulos injuriis afficiant, v. g., eos *canes, diabolos*, etc., vocando; *Bon.* Tamen *Diana* a peccato talem contumeliam excusat, eo quod ex ira, vel indeliberatione proferri soleat; —2.° si non convenienter eos alant, vel plus æquo laboribus gravant;—3.° si infirmos non curant;—4.° si justo salario eos fraudant; vel ante elapsum terminum domo temere eos expellunt. *Qui effundit sanguinem, et qui fraudem facit mercenario, fratres sunt.* (Eccli. XXXIV). Pretium justum reputatur juxta locorum consuetudinem, vel quod ab uno recusato, statim ab alio acceptatur.

855. Q. *Quid si famulus ad annum conductus ægrotet, vel sine causa ante annum discedat?*

R. I. Ex justitia herus non tenetur salarium dare famulo ægroto, quamdiu ægrotat; imo sumptus in ejus curationem impensos per se repetere potest, nisi obstet famuli necessitas, aut conventio facta. (*S. Ligor.*, *l.* 3, *n.* 343 *cum communi*).

II. Commune est quod famulus mercedem petere potest pro tempore, quo inserviit, nisi grave damnum domino ex dictis evenerit; *quia dignus est operarius mercede sua;* quamvis non totam conventam in hoc casu; unde tenetur dominus famulo solvere saltem parum minus dimidiæ partis stipendii. *Ita Silv., Dian., Salm., S. Ligor., n.* 345, *aliique:* seu juxta laborem, ut mos est inter nos.

856. Q. *Quid si dominus ante elapsum terminum famulum temere domo expellat?*

R. Ad solutionem integræ mercedis adstringitur, nisi gravissima ex causa id fecerit. *Ita Salm., n.* 150, *S. Lig., n.* 342, *cum communi.* Nec tenetur famulus expulsus redire ad complendum tempus, si conventionis tempus sit jam transactum absque sua culpa. —Sed si ab expulsione nullum damnum passus sit, *probabiliter opinari possumus,* ait D. Alphonsus, *quod dominus in pœnam injustitiæ tenetur in conscientia solvere ei saltem majorem quam dimidiam partem salarii,* juxta dicta de famulo. (*Ita Less., Azor., Fil., Escob., t.* 3, *cap.* 9, *q.* 33). *Sed hoc dicimus, nonnisi post sententiam, juxta regulam omnium pœnalium.*

CAPUT VII.

De famulorum obligationibus.

857. Famuli præstare tenentur dominis *amorem, reverentiam, obedientiam,* et *fidelitatem. Servos dominis suis subditos esse, in omnibus placentes, non contradicentes, non fraudantes, sed in omnibus fidem bonam ostendentes.* (Tit. II). I. *Amorem sincerum;* etenim sibi sunt loco parentum; et isti habent aliquid patris. Unde peccant si odio, despectu, vexatione, detractione dominos, vel horum filios prosequuntur.

II. *Reverentiam* ratione præeminentiæ, officii, ac potestatis. *Servi, dominos suos omni honore dignos arbitrentur.* (I Timot. VI). Unde graviter peccant: 1.° si gravibus irrisionibus, contumeliis, injuriisque eos afficiant, v. g. appellando eos *diabolos, canes, maledictos,* etc.; tamen *Diana* a gravi excusat talem contumeliam, si ex ira, et indeliberatione proferatur, sine odio;—2.° si sinant, ut in propria præsentia eorum honori graviter ab aliis detrahatur, vel ipsi eis detrahunt. (*Scavini*).

III. *Obedientiam:* nam hæc est prima famuli lex, scilicet voluntas domini; tum ratione dominii, tum stipendii, clamante D. Petro: *Subditi estote in omni tempore dominis, non tantum bonis... sed etiam dyscolis.* (I Petr. II). Unde tenentur obedire in iis omnibus, quibus ratione contractus sese obstrinxerunt; item in iis, quæ ad bonos mores spectant; et plus, minusve peccant si, cum aliquid sibi ingratum præcipitur, insolenter respondent, obmurmurant, se illud jam fecisse simulant; ad ecclesiam, conciones, sacramenta, aliasque obligationes ire nolunt. Tamen servi justo bello capti licite ad suos fugere valent; ita acceptum est tale jus gentium faciendi servos homines. *Less., n.* 24, *Lugo, Salm., n.* 116, *S. Lig., n.* 350, *cum communi.*

IV. *Fidelitatem* in servitio, ratione charitatis, et justitiæ ex contrac-

tu, et stipendio: *Non contradicentes, non fraudantes, sed in omnibu fidem bonam ostendentes:* 1.° strenue laborando juxta contractum;—2.° res domini curando; ideo stipendio conducti sunt;—3.° nihil surripiendo.—Hinc contra justitiam peccant: 1.° qui tempus inutiliter terunt, ve cum domini damno pro se ipsis laborant; – 2.° si absque gravissima caus: ante elapsum terminum a domino discedunt;—3.° qui obsequium, e laborem domino non præstant, qualiter a talibus ordinarie exigi, ac præstari solet;—4.° qui rerum sibi creditarum curam non habent; vel culp: sua eas deteriorari sinunt, sive victualia sint, sive animalia, sive vestes sive aliæ quæcumque res;—5.° qui victualia, etc., extraneis dant, au vendunt; vel pretiosa, et ipsis non dari solita, comedunt, vel bibunt (*Gury, n.* 383, *cum communi*).

Resolves: 1.° Si damnum sine famulorum culpa theologica domin eveniat, ad nil ipsi tenentur, nisi alia sit conventio.

2.° Si a domesticis damnum hero inferatur, contra charitatem tantum peccant famuli non illud impedientes; nam ex justitia ab iis illun tueri non adstringuntur. Secus in solidum tenentur si furtum ab extraneis fiat. *Salm., n.* 139, *cum communi.*

3.° Famuli furta rerum domini ipsis specialiter commissarum no impedientes, vel qui præsidentiam domus tenent, restituere tenentur sive a confamulis, sive ab extraneis fiant; cum illi ex justitia obligentu ad rem domini custodiendam. (*Lugo, S. Ligor, n.* 344, *cum communi*) (V. t. 2, n. 444).

858. Q. *An famuli, operarii, artifices, mercatores, sibi occulte compensare possint de bonis domini, si non satis sibi tribui judicant?*

R. I. Nega: 1.° si absque necessitate libere cum domino convenerint de minori stipendio; tunc dominus illis dicere potest: *Nonne ex denario convenisti mecum?*—2.° si famulus ex sui electione operas augeat; condonare enim censetur operam suam ad conciliandam domin benevolentiam. (*Scavini, S. Lig., l.* 3, *n.* 523). Unde Innocentius XI hanc sub n. 37 damnavit prop.: *Famuli, et famulæ domesticæ possunt occult heris suis subripere ad compensandam operam suam, quam majoren judicant salario, quod recipiunt.*

II. Affirma: 1.° si famulus metu, aut vi, vel ex necessitate, seu ac sublevandam nimirum suam miseriam, convenerit de salario notabilite minori, quam justum sit; modo dominus ex pietate eum rogantem no susceperit, aut alios famulos eodem vili pretio jam justo invenisset —2.° si famulus invitus, vel ex domini voluntate expressa, vel tacit operas auget; nam dignus est operarius mercede sua. Ita *Gury, n.* 623 *S. Ligor., n.* 522, *et Salmant., n.* 317, prædictam Pontificis condemnationem explicando; quia Pontifex obligare non intendit contra justitiam (V. T. II, n. 388).

—Tunc famulus sibi compensare poterit usque ad pretium infimum ut ait *Viva cum Less., Suar., Mol., Dicast., aliisque communiter.* Circa has compensationes erit præ oculis habendum: 1.° locorum consuetudo circa salarium; labor famulorum; et quandoque famuli judicio relinqu potest, si timoratus sit, ac prudens, et de injustitia sui stipendii evidenter sibi constet, secluso tamen scandalo, quod raro eveniet; *Gury, Salm., n.* 137, quod sane videtur satis probabile mihi, et aliis doctis recentioribus, remoto hallucinationis periculo. Nec obstat supradicta propositio 37

damnata, quæ merito proscripta fuit; quia nimis generaliter loquebatur. Ita *S. Lig.*, *n.* 524. Controvertitur an famulus, elapso triennio, et salario non soluto, hoc petere possit, vel occulte compensare. Affirmant *Sanch.*, *n.* 17, *Mol.*, *Vil.*, *Fagund.*, *Salm.*, *n.* 134, *et alii*, si famulo moraliter constet dominum non legitime præscripsisse; secus si cum titulo, et bona fide præscripserit. (V. T. II, n. 65, et seq.)

Hinc: 1.° famuli, nulla statuta mercede inservientes, justam petere possunt, vel occulte compensare, si hujusmodi famulorum operas dominus conducere solebat. Secus non licet. Sic pueris, quos Episcopi, vel nobiles in suam familiam admittere rogantur, sufficit victum, vestes, et habitationem eis tribuere juxta consuetudinem.—Item iis, qui artem addiscunt ex se; tamen usui, ac conventioni standum est. (*Ita Azor., Salm.*, *n.* 136, *S. Lig., n.* 348, *aliique*). —2.° Famuli ægrotantes per aliquod tempus operas suas supplere non tenentur; quia promissio tempori determinato est alligata; ast salarium vero illi tempori respondens petere nequeunt. (*S. Ligor.*, *l.* 3, *n.* 346, *cum communi*).

CAPUT VIII.

De conjugum obligationibus.

859. **Vir et uxor** tenentur ad mutuam *societatem, amorem, alimentationem*, et *fidelitatem*. I. *Ad societatem conjugalem.* Patet ex natura, et finibus matrimonii, et ex Christi verbis: *Dimittet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una.* (Matth. XIX). Unde graviter peccant cohabitare nolentes. Electio vero domicilii ad maritum spectat, uti familiæ caput.

II. *Ad mutuum amorem*, cum sint una caro, debent etiam esse cor unum. *Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam.* Eph. v; et Tit. II, præcipitur uxoribus, *ut viros suos ament.* Unde graviter peccant, si rixas, et odia in se invicem excitent, vel foveant; aut si conviciis, et maledictionibus se invicem afficiant, uti si vir uxorem vocat *adulteram, sagam,* etc., vel eam modo tyrannico tractet instar vilis mancipii; v. gr. si graviter eam cædat. Moderate castigare verbis, vel ex gravi causa moderatis verberibus, habita ratione conditionis, et status, quandoque potest. *S. Lig.*, *n.* 356.—Item mulier si maritum irridet, subsannat, maledicit, etc.

III. *Ad alimentationem* juxta conditionem suam. *Jam non sunt duo, sed una caro.* (Matth. XIX). *Nemo enim unquam carnem suam odio habuit: sed nutrit, et fovet eam.* (Eph. v).

IV. *Ad fidem conjugalem* juxta illud : *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Nolite fraudare invicem.* (I Cor. VII). Hoc ratione tum sacramenti, tum societatis conjugalis, tum contractus justitiæ, tum legis civilis.

860. **Speciales mariti obligationes.** *Vir caput est mulieris.* (Eph. v.) Tria curare debet, nempe *animam, corpus*, et *mores.*

I. *Animam:* adeo ut graviter peccet, si uxori permittat, ut legem Dei, vel Ecclesiæ transgrediatur; tanto magis si absque justa causa eam impediat ab illius observantia; hoc non esset amare sicut seipsum, sed odio habere. Venialiter communiter peccat circa ea, quæ consilii tantum sunt, uti confessio, Communio, etc., nisi constet magnam ex iis utilitatem uxorem percipere. *S. Lig. n.* 356.

II. *Corpus:* nempe uxorem secum retinere, et congruenter alere tenetur, tum ex debito amoris conjugalis, tum ex officio capitis familiæ, tum ratione dotis, tum ex lege civili. Si vero ipsa sponte sua, et sine causa a marito discesserit, vel in adulterium lapsa sit, et aliunde habeat ut vivat, cessabit hoc onus in marito. Item bona tum communia, tum uxoris, bene administrare debet. *S. Lig. n.* 356.

III. *Mores:* scilicet uxorem invigilare debet, benigne ei compati, amicis suasionibus, potius quam rigidis verbis imperare. *Uxor monenda sæpe reprehendenda raro, violentis manibus tractanda nunquam,* ajebat Marcus Aurelius. Vir uxorem suam habeat uti sociam *in adjutorium simile sibi,* non uti ancillam: ideo de latere, non de pede, eam formavit Deus. Curet ergo maritus ne pax, et amor inter ipsos pereat.

861. **Speciales erga virum uxoris obligationes** tres præcipue sunt: *obedire, placere,* et *aliquando eum alere.*

I. *Viro ex corde obedire* in iis, quæ ad familiæ, et mariti rationabile bonum spectant. *Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino.* (Eph. v). —Hinc mulier nobilis, vel dives probabilius cogi non potest ad famulæ officia, uti domum verrere, cibos coquere, et similia; esset enim cum familiæ dedecore; ideoque irrationabile præceptum; et si ipsa præstaret sibi compensare posset, ut ajunt *Salm., n.* 59, *Silv., Sanch., n.* 14 *et alii.* —Tamen uxori non licent expensæ contra mariti voluntatem, communem sui status fœminarum usum excedentes, nisi eas de bonis propriis agat. Unde graviter peccat—1.° si, spreto viro, imperium sibi vindicet;—2.° si absque justa causa debitum neget;—3.° si quid notabile contra viri voluntatem expendat; — 4.° si se ingerat in domus administrationem: secus si maritus prodigus familiæ bona dilapidet; vel sit incurius, vel minus aptus ad gubernandam familiam. *Elbel., Fil., Gob.* etc.

II. *Ei ex animo placere.* Mulier vim moralem habet, vir physicam. Mulier lenis, patiens, omnem procacitatem, garrulitatem, et suspicionem circa fidem conjugalem sedulo avertens, semper victoriam de viro loquetur. —Secus sensim sine sensu evenient mutuæ aversiones, altercationes, fidei fractiones, scandala, ac demum non raro divortia. Taceat mulier dum maritus est ira, vel ebrietate abreptus; saltem suaviter, et paucis verbis in necessitate respondeat; moneat dum maritus est ei bene affectus, si profectum prævideat; secus per parochum, vel alium prudentem virum admoneri maritum curet. (*Gury, n.* 381).

Hinc graviter peccat uxor 1.° si maritum garrulitate, rixis, vel aliter ad gravem iram, vel blasphemiam provocet;—2.° si nolit sequi virum domicilium mutantem. (V. T. II, n. 967).—3.° si de mariti continentia sine sufficienti indicio male judicet. *S. Lig., n.* 351. Non est ponderatio uxoris tacere scientis.

III *Ei indigenti de suo providere tenetur uxor,* ratione debiti amoris conjugalis, et civilis præscripti, si bona habet propria. Mortuo viro, probabilius uxor ex bonis dotalibus solvere non tenetur debita ad alendam fa-

miliam a marito contracta; actio quippe creditorum tunc est personalis, et licet ratione inopiæ suspensa esset in viro obligatio uxorem alendi, non erat tamen extincta, ideoque si ex mutuo vir eam aluit, suum debitum præstitit. *Sanch., Salm. n.* 64, *S. Lig., n.* 355, contra *alios*. Excipe si nomine uxoris, vel ipsa sciente, contraxit vir debita, vel si protestatus sit, nolle stante sua inopia, gratis eam alere. *Bonac.*

Confessarius non illico conjugi contra conjugem conquerenti credat, præsertim uxori ; mulieres non raro procaces quidem sunt, et ad fingendum proclives. Quare melius erit ipsi consulere mansuetudinem, orationem, patiens silentium, non autem inhonorativum, uti evenire inter superbos solet; et demum majorem sollicitudinem ad obsequia omnia viro hilariter præstanda, etsi hic ea non mereatur, uti Sta. Monica erga Patricium agebat. Hæc sunt onera subjectionis, quæ superba uxor difficile videt, et adimplet.

DE QUINTO DECALOGI PRÆCEPTO.

NON OCCIDES. (*Exod.* xx).

862. I. Hoc præceptum, quatenus *negativum*, directe prohibet homicidium, et indirecte mutilationem, verberationem, omnemque læsionem sive proprii, sive alieni corporis. Quatenus autem virtualiter *positivum*, vitæ conservationem præcipit. Ea quæ de occisione sive *licita*, sive *illicita* statuentur, eadem mutilationi, et cuilibet læsioni, proportione servata, erunt applicanda.

II. Hic prohibetur etiam quælibet mala imprecatio, aut desiderium contra proximum, sicut de odio diximus. Unde imprecari aliis dæmonem, grandinem, fulgura, etc., aut sibi ipsi cum seria voluntate ex se grave est.—Ob subitam commotionem, et inadvertentiam, ac defectum seriæ voluntatis, nonnisi veniale erit; nam cum homines in se redeunt, longe aliter sentire dicunt, ac sensisse. *Bon., Nav., Tolet., Reg.* etc.

III. *Homicidium* aliud est *casuale*, et aliud *voluntarium;*—hoc est *directum*, vel *indirectum;*—*simplex*, vel *qualificatum*, prout aliam speciem adnexam habet, vel non. Hujusmodi est 1.° *sacrilegium* sive ratione personæ occisæ, sive ratione loci, in quo fit occisio;—2.° *parricidium*, cædes nimirum parentum, aut filiorum, fratris, vel sororis, aut conjugis, aut etiam principis;—3.° *latrocinium*, occisio scilicet, aut vulneratio ex prædandi voluntate;—4.° *veneficium magicum*, cum nempe dæmonis ope malum corporale alicui infertur.

IV. Homicidiis qualificatis accenseri etiam solent homicidium *proditorium*, si sub specie amicitiæ; *assassinium*, si ex conductione; et *veneficium simplex* patratum. Ast hæc speciem diversam non habent, sed tantum crimen aggravant. *(Ballerini, n.* 388).—Agendum 1.° de occisione sui;—2.° de occisione proximi;—3.° de duello;—4.° de bello.

CAPUT I.

De suicidio.

863. **Seipsum directe interimere** absque divina auctoritate nunquam licet. Est contra Stoicos, Montesquieu, Rousseau, Voltaire, aliosque. Constat 1.° ex *lege divina positiva. Non occides.* (Exod. xx). *Neque enim,* ait Augustinus (l. 1, de Civit. Dei), *qui se occidit, aliud quam hominem occidit;* ergo...—*Ego occidam, et ego vivere faciam.* (Deut. xxxii). —*Tu es enim, Domine, qui vitæ et mortis habes potestatem.* (Sap. xvi). —2.° Ex *lege naturali.* Homo tantum dominium utile in corpus suum habet, Deus autem dominium directum. Vita præsens essentialiter est conditio hominis Deo servientis; adeoque ejus legibus subditi: atqui esse non debet in potestate Deo servientis, ut pro suo lubitu tempus serviendi finiat; neque ut præceptis Dei forte molestis impune se subtrahat. Ergo suicida Dei supremum dominium lædit, rem Dei destruendo.—Lædit item societatem, cujus est pars, ut ait *D. Thomas,* et seipsum.

Hinc graviter *ex se* peccant: I. Qui absque divina auctoritate externum ponunt actum immediate ad sui perniciem tendentem, vel hujusmodi periculum, ut quandoque faciunt ludentes, funambuli, histriones. *Silv., Salm. n.* 120, *et alii;* vel qui cum intentione se occidendi actionem ponunt, ex qua licet per accidens tantum sequatur mors; ubi enim actus physicus alium non habet effectum quam suicidium, vel mutilationem, vel cum tali ponitur intentione, jam est contra præceptum vitam conservandi. Diximus absque *divina auctoritate* propter Samsonem, et quosdam martyres, qui seipsos occiderunt, vel ex divina inspiratione, vel inculpata ignorantia, ut ait *S. Lig., n.* 366.

II. Qui se mutilant pro spirituali bono, v. g. ad vitandum peccatum; nam *saluti... spirituali semper potest aliter subveniri, quam per membri præcisionem: quia peccatum subjacet voluntati.* (D. Thomas, 2. 2, *q.* 65, *a.* 1 ad 3). Neque ita se eximeret mutilator a carnalibus tentationibus, ut ait *Ballerini, n.* 391; imo irregularis fieret. Item probabilius si ad vocis conservationem; tum ob causæ insufficientiam; tum ob irregularitatem; tum ob plures tentationes inde orituras; etsi probabilis sit contraria opinio, dummodo absit morale vitæ periculum, et non fiat invitis pueris; nam eunuchi utiles sunt communi bono ad divinas laudes in ecclesia suavius canendas; aliunde non parum ipsis affert bonum vocis conservatio, ac eorum conditionem notabiliter in melius mutet, ut ait *D. Alph., l.* 3, *n.* 374. *Sed vicit apud plerosque,* ait Benedict. XIV, *et facta est communior opinio negans.* (De Syn., l. 2, c. 7, n. 3). Nam conservatio vocis non est tanti momenti, ut liceat quod reprobat natura, irregularitatemque inducit. *(Item Scavini, n.* 648, *Gury, n.* 391, *S. Thom.* 2. 2, *q.* 65, *art.* 1, *aliique plurimi).*

III. Qui corpus ad vitam notabiliter breviandam macerant immoderatis pœnitentiis graviter valetudinem pessundantibus.—Licet autem ex virtute pœnitentiis ordinarie gravibus discrete uti ob meritum, et naturæ prav e mortificationem, etsi aliqualis sequatur vitæ jactura, v. gr. 12 annorum, ut aliqui dicunt, præsertim si consilio prudentis confessarii, vel

prælati exerceantur; id enim ex rationabili causa fit. (*Gury*, *S. Ligor.*, *n.* 371, *Scavini, n.* 650, *cum communi).*

864. **Licet indirecte concurrere ad sui occisionem**, seu ponere actionem, ex qua præter intentionem propria mors certo sequatur, vel acceleretur, modo ex ista actione æque immediate sequatur aliquod bonum, quod vitæ jacturam compenset, et hoc solum intendatur, uti de voluntario indirecto diximus; nam præceptum affirmativum conservandi vitam, non semper obligat; sed omitti potest propter necessitatem, vel magnam utilitatem. *S.* Lig. *n.* 366. Hinc :

I. Cæteris paribus, probabilius licet in naufragio tabulam amico cedere, etiam cum certa vitæ jactura: imo ex *D. Thoma* id perfectissimæ esset virtutis. *Ballerini, n.* 391, *cum communi.* Et si publicum bonum exigat alterius vitam servare, obstringitur ille tabulam cedere; nisi ex hujus vitæ jactura grave aliis damnum immineret, v. g. familiæ necessario alendæ. Numquam tamen licet se projicere in mare, vel flumen, ad cedendam tabulam, neque ad puerum baptizandum; cum nemini positive se occidere fas sit. *S. Lig.*, *n.* 367.

II. Licet se telo, ictui objicere, ad servandam principis vitam, vel amici ad mortem injuste damnati vices subire. *Less.*, n. 30. Item ob magnum commune bonum, vel ob specialem obligationem ex pacto, vel officio, v. gr. miles in statione positus, gubernator, Episcopus, parochus mortem in necessitate præferre tenentur, quam munus suum derelinquere. *Salm.*, *n.* 33, *Elb.*, *n.* 10.

III. Peste infectis servire, et probabilius navim, aut turrim incendere licet, ut hostes grave patiantur damnum, etsi cum certa propriæ vitæ jactura, vel ne hostis ea potiatur cum gravi reipublicæ jactura, ratione boni communis. Ita *Lugo*, *Less.*, *Gury*, *S. Ligor.*, *n.* 367, contra *alios,* qui de privato damno avertendo, vel de aliis vitæ innecessariis evadendis loquuntur, ut notat *Ballerini;* ideoque non pugnant contra primam sententiam.

IV. Non peccant artifices, qui variis sese periculis, ubi opus sit, exponunt, v. g. super ædificiorum tecta ascendendo, quotidie ignem versando; ex rationabili quippe boni privati et communis causa id faciunt.—Contra graviter peccat vir audax, qui ex temeraria sponsione, et vanitate in gravia discrimina se injicit, in altum ascendendo, deorsum se demittendo, onera graviora ferendo, etc. Secus si ad incendium fugiendum ex alto se præcipitem daret cum certo mortis periculo; nam sufficiens adest ratio. (*Lugo*, *Salm.*, *de rest.*, *c.* 2, *n.* 35, *aliique).* Hoc permittit *Elb.*, *n.* 13, *et* 16, etiam reis in carcere detentis ad evadendam certam mortis sententiam, vel etiam perpetuum carcerem.

V. Probabilius licet sibi abscindere manum catena ligatam, ad vitandam mortem a tyranno, bellua, incendio, impendentem; cum pars in necessitate bono totius hominis cedere debeat. (*Lugo*, *Croix*, *Bill.*, *Gury*, *n.* 391, *aliique* contra *alios*).—Neque tenetur quis vitam servare remediis extraordinariis, uti cruris, aut brachii amputatione, ventris incisione, medicinis exquisitis, relicto domicilio salubriorem aërem extra patriam quærendo, et similibus; non datur sane obligatio vitam servandi nisi mediis ordinariis, quæ nec magna adducunt incommoda, nec sumptus pro varia cujusque conditione ingentes exposcunt, neque dolores admodum acerbos causant. (*Gury*, Lugo, *Salm.*, *S.* Ligor., *n.* 372, *cum com-*

muni). Neque indicium est fortitudinis suicidium, sed animi vilissimi a furtis, vel luxuria, aut ambitione, et avaritia degradati, juxta illud Stapf.: *Rebus in angustis facile est contemnere vitam... Fortiter ille facit, qui miser esse potest.*

865. Q. *An virgo ad castitatem servandam mortis periculo se exponere possit?*

R. Affirma, *cum communi*, si mors non sit certo secutura, idque tum ob amorem castitatis, tum ob peccandi periculum sæpissime in tali actione adnexum. *Bus., S.* L*ig., n.* 367.—Imo probabilius adhuc affirmandum, licet mors certo sit secutura, nec adsit consensus periculum; nam sola corporis integritas maximi æstimatur, ait *Gury, n.* 390. Hinc non tenetur virgo operationem per manus medici pati, etsi vita periclitetur; cum ob verecundiam id ei gravissimum accidat, majoremque illi horrorem, quam ipsa mors ingerat. *(S.* L*igor., n* 372, *Gury, Salm., Sanch., etc.)* Tamen licite potest pati, et tenetur sinere, ut ab alia fœmina curetur, ait *S.* L*igor., cum Diana, aliisque.*

Q. *An virgo permittere teneatur se occidi, potius quam violari?*

R. Nega, probabilius, modo voluntate positive resistat, et proximum absit consensus periculum; quippe tunc permissio est tantum materialis cooperatio ad peccatum alterius, quæ ob evidens mortis, vel ingentis infamiæ periculum, si clamat virgo, licita fit. *Ita S. Antoninus, Silvest., Nav., Sotus,* Less.*, etc.*, contra *Salm.,* L*ugo, Bon., etc.* Tamen, quia prima opinio apta est causare abusus, præsertim apud rudes, non expedit eam publice exponere, neque in praxi suadere, sed castam Susannam imitari. *(Ita Croix, Gury, n.* 390, *S.* L*igor., n.* 367). Omnes tamen conveniunt licere mortem sufferre potius quam pudicitiæ jacturam pati.

866. Q. *An liceat reo se coram judice sistere, etsi certo morte puniri debeat?*

R. Affirma; quia per se actio indifferens est; et velle mori tunc idem est, ac justitiæ ordinem velle. (L*ugo,* Less.*, Gury, n.* 390, *S.* L*igor., n.* 369). Communius, et probabilius cum *S. Toma, D.* L*igor., ibid.,* contra *Vasq.,* et *Bon.,* non potest judex præcipere, ut reus seipsum occidat; neque licet reo circa id obedire; ageret enim quod intrinsece malum est. Aliter esset scalam ascendere, collum gladio adaptare, etc.

867. Q. *An liceat ecclesiasticam sepulturam suicidis dare, et solemnes exequias cum Missa pro iisdem celebrare?*

R. Si certo constat per iracundiam, vel ver desperationem seipsos occidisse, negari debet ecclesiastica sepultura juxta Ecclesiæ Canones, et vitari debent pompæ, et solemnitates exequiarum. Si autem dubitetur an a se ipso, vel ab alio, v. gr. sit in aquam præcipitatus, delictum tam atrox non præsumitur sine evidentibus indiciis. *Mol., S. Lig, n.* 375. Quando tandem dubium superest, utrum mortem quis sibi dederit per desperationem, an per insaniam, dari potest ecclesiastica sepultura, vitatis tamen pompis, et solemnitatibus exequiarum. (Ita *S. R. C.,* 16 *maj.* 1866).

—Qui ex furore, amentia, vel passione gravissimæ tristitiæ, turbata phantasia se occiderunt, vel qui ante mortem vere de hoc doluerunt, ecclesiastica sepultura non sunt privandi, neque solemnitatibus exequiarum; nam pia Mater Ecclesia hanc pœnam infligere non solet, nisi constet, quempiam, dum se occidit, plane sui compotem fuisse. (*S. Alph., l.* 3, *n.* 375, *Ballerini, n.* 389*)*.—Ex jure civili tale attentantes pœna infamiæ puniuntur.

CAPUT II.

De occisione proximi, seu innocentis, rei, aggressoris.

868. **De occisione innocentis.** *Nunquam licet innocentem directe occidere,* sive auctoritate privata, sive publica, etiam ad bonum publicum procurandum. Est res intrinsece mala, et scelus gravissimum: 1.° In *Deum*, qui solus vitæ, et mortis habet potestatem, idque prohibet, dicens: *Insontem et justum non occides.* (Exod. XXIII).—2.° In rempublicam, cum injuste sua privetur parte. — 3.° In occisum, cui injuste adimitur bonum temporale maximum, irreparabile, ac aliorum bonorum radix. *(S. Ligor., n.* 393, *Gury, n.* 400). Hinc collige quid dicendum de judice reum innocentem private notum condemnante, ut supra.

—Unde grave esset peccatum: I. Innocentem directe occidere ad placendum tyranno, mortem ejusdem petenti, etiam sub pœna urbis subvertendæ, licet ipse morti suæ consentiat; nam dominio in propriam vitam caret.—Probabilius tamen cogi potest, ut exeat, vel seipsum pro bono publico tyranno tradat; et ubi nolit, etiam tradi; renuens evadit quidem reipublicæ noxius, cum quisque ex charitate, et justitia legali vitam exponere teneatur pro republica, et traditio sit de se indifferens, morsque tantum sequatur indirecte, ac præter intentionem. *(Gury, S. Ligor., n.* 393, *aliique).*

II. Occidere lethaliter vulneratos, moribundos, infectos, rabidos, ne diutius patiantur, aut aliis noceant, si aliter a nocendo rabidi cohiberi possint; (alias velut invasores tractari queunt) non enim sunt facienda mala, ut eveniant bona. *(Gury, n.* 401).—Item occidere legatos, aut obsides, etsi hostes, qui illos miserunt, fidem datam non servaverint; licet obsides, vel legatos ad eos missos injuste interemerint; innocentes quippe illi sunt. *(Gury, S. Ligor., ibid., cum communi).*

III. Item graviter peccant obstetrices, custodes, medici, si ex gravi negligentia infantium, aut infirmorum mortem causent, vel accelerent, aut non impediant; vel ex ignorantia graviter culpabili ægrotis, vel infantibus noxia præbeant. *(Gury).*

869. *Licet tamen ob gravem causam ponere actionem in se bonam, ex qua præter intentionem mors innocentis sequatur.* I. In bello justo ad hostes expugnandos, bellicum instrumentum dirigere licet in loca, ubi etiam sunt innocentes. (*S. Ligor., ibid. cum communi).*

II. Neque homicidii reus est, qui cum causa, vel sine ea bonam, vel malam ponit actionem, ex qua per accidens impraevisum homicidium sequitur; hoc siquidem est fortuitum, et involuntarium; uti venator in leporem explodens, et pastorem occidens, quin illum videat, nec de eo cogitet. Secus vero si actionem quis ponat valde periculosam *ex se,* etiamsi diligentiam ad damnum vitandum adhibeat; ut si quis in publicam viam frequentatam lapides, vel jactus projiceret. (*S. Ligor., n.* 398).

III. Si, persequente te inimico, mortem fugere non posses, nisi per viam angustam, qua quispiam istic sedens esset obterendus, id liceret; nam præter intentionem interitus sequeretur. *Less., n.* 58, *Salm., n.* 74, *cum communi.*

870. Q. *An defendere teneamur vitam proximi innocentis, etiam cum injusti aggressoris occisione?*

R. I. Certo ex justitia ad id tenentur principes, magistratus, item milites specialiter ad civitatem defendendam conducti; etiam cum periculo vitæ propriæ, ubi agatur de avertendo a civibus malo publico, v. g. publicos latrones de medio tollere; nam ad hoc accipiunt stipendium. Non tenentur vero cum tanto incommodo, si agatur de alicujus privati vita, aut bonis. *(Scavini, Salm., S. Ligor., l.* 3, *n.* 390).

II. Item sub gravi tenemur omnes defendere 1.° invasum bono publico necessarium.—2.° *Patrem, filium, uxorem*, aut *fratrem,* quos ipsa pietas omnino tueri obligat.—3.° Ebrium, aut dormientem in statu peccati mortalis certo existentem; cum sit in extrema animæ necessitate, cui est subveniendum cum ipso corporis detrimento. *(S. Ligor., n.* 390, *cum communi).*

III. Quoad alios ex charitate probabilius defendere non tenemur cum tanto incommodo; tum ratione inimicitiarum; tum timore publicæ justitiæ; tum horroris, qui concipitur manus fœdando humano sanguine; nam charitas non obligat cum magno incommodo; et maxime, quia præstat evitare æternam aggressoris mortem. (*Scavini*, *Gury*, *n.* 396, *S. Ligor.*, *n.* 390). Licet tamen vitam proximi innocentis defendere ratione charitatis, etsi invasus mortem pati velit; tunc enim non jus se tuendi, sed jus ad vitam, cui quidem cedere nequit, defenderetur. *(Ita D. Thom., Lugo, S. Ligor.*; *n.* 389, *cum communi).*

871. Q. *Quœnam statutœ sunt pœnœ contra injustos homicidas?*

R. Jure canonico : 1.° lata est irregularitas; — 2.° depositio post sententiam declaratoriam ab omni dignitate, officio, et beneficio; quæ tamen pœna probabilius ab ipsis mandatariis, sive *assassinis* non incurritur; nam *lex de mandantibus tantum loquitur,* ait *Scavini, l.* 2, *n.* 634, cum *D. Lig., n.* 365, *Salm., n.* 187, *aliisque.*—3.° amittitur localis immunitas, si culpabile homicidium a majori annis 20 sit commissum; vel *atrociter* a minori, id est cum circumstantiis aggravantibus. *(Del-Vecchio, ibid.)*;—4.° incurritur excommunicatio *speciali modo* Papæ reservata, si occidantur Ecclesiæ Proceres; *simpliciter* reservata, si alii clerici, ex Const. *Apost. Sedis* Pii IX;—5.° jure diœcesano est generatim reservatio; et jure civili ultimum supplicium.

872. **De malefactoris occisione.** I. *Licet auctoritate publica malefactores occidere;* quod est contra Waldenses, aliosque hæreticos, et novatores. Constat 1.° Ex S. Scriptura : *Maleficos non patieris vivere... Qui immolat diis, occidetur.* (Exod. XXII). — *Qui in gladio occiderit, oportet eum gladio occidi.* (Apoc. XIII).—2.° Ex jure canonico, ubi legitur non imputandum fidelibus, *qui officio, aut tormenta exercent, aut capitalem sententiam ferunt.* Ita ex jure civili. *(L.* 6, *de off. prœconi).*—3.° Ex ratione; cum pars sit propter totum, licite abscindi potest pars noxia ad totum, id est, ad bonum commune conservandum; quod plerumque nonnisi morte scelera torum hominum obtineri valet.

II. Non autem licet malefactores auctoritate privata occidere, extra casum necessariæ defensionis, cum nemo alium occidere possit sine potestate; at privatos nullam hujusmodi potestatem a Deo accepisse constat: et ne cædibus omnia impleantur, hæc potestas soli totius civilis societatis superiori, uti regi in regno, et quibus ipse potestatem vindicativam com-

misit, prout judicibus data est; ergo... *(Gury, n.* 392). *Occidere malefactorem licitum est in quantum ordinatur ad salutem totius communitatis. Et ideo ad illum solum pertinet, cui committitur cura communitatis,* ait Angelicus, 2. 2, q. 64, a. 3.

873. **Non licet auctoritate privata:** I. Occidere nec publicos grassatores, vel capite jam damnatos, si excipiantur proscripti in territorio proscribentis, quos occidendi cuivis auctoritas publica datur, ut docent *Croix, Elbel, n.* 55 *et* 56, *S.* Ligor.

II. Neque milites jussi malefactorem comprehendere, vel custodire, possunt eum aufugientem occidere, etsi fuerit ad mortem damnatus; cum vi officii sui reum tantum coërcere queant. *(Gury, S.* Ligor., *Hom. apost., n.* 8).—Excipe si necessarium fiat militibus ad se defendendos; vel si mandatum, aut consensum a publica auctoritate habeant, quod solum fieri licet, si reus sit sufficienter diffamatus alicujus criminis capitalis, et alio modo capi nequeat; aliasque, eo dimisso, graviora ab ipso timeantur mala, v. gr. seditio; vel esset regis dedecus, si juridice procederetur. *(Salm. n.* 18, *Diana, Elbel, Croix, aliique).* Peccat etiam princeps, vel magistratus, qui occidi jubet reos non citatos, vel non auditos, vel non damnatos, quamvis privata scientia nocentes esse constet; nam de jure naturæ publicus actus fieri debet ex publica scientia, et auctoritate. *S.* Lig., *n.* 377.

III. Non licet patri proprios filios, nec domino proprios servos correctionis causa occidere, aut mutilare; neque marito uxorem, neque patri filiam in adulterio, vel fornicatione deprehensam; nam ad talem pœnam inferendam requiritur perfecta potestas, qua carent pater, maritus, et dominus. Corrigere tamen possunt pœnis ordinariis præventivis, non autem vindicativis, et exterminantibus. *(Billuart, Gury, S.* Lig., *n.* 376).

IV. Nemini licet aliquem potestati suæ non subjectum verberare, sine consensu saltem tacito potestatem super hunc habentis, uti habent magistri in discipulos; nam verberatio est punitio; hæc quidem potestatem gubernativam supponit. Excipitur si id necessarium sit ad avertendam præsentem aliquam injuriam. *(Ita Gury, Reuter, n.* 369).

—Licet civiles leges interdum facultatem fecerint occidendi, v. g., adulterum; nil inde sequitur contra præfatam doctrinam. Nam *Ecclesia non est adstricta legibus humanis,* ut ait D. Thom., in 4, dist. 37, q. 2, a. 1. *Ex hoc non probatur quod uxoricidium licitum sit simpliciter, sed quantum ad immunitatem ab aliqua pœna; quia etiam excommunicatio quædam pœna est* (ibid. ad 3). Hinc deducitur immunem scilicet esse ab excommunicatione Canonis (ut etiam constat ex *C. Si vero* 3. *De Sent. Excomm.*) eum, qui in clericum cum uxore, matre, sorore, vel filia propria turpiter inventum, manus injecerit violentas, non autem a peccato. Unde Alexander VII hanc 29 prop. damnavit: *Non peccat maritus occidendo propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam.* (*Ballerini, n.* 392).

V. Nec suprema auctoritas ordinem judicii invertere potest. *Non est enim potestas nisi a Deo: quæ autem sunt, a Deo ordinatæ sunt.* (Roman, XIII).—Neque aliquis est damnandus inauditus, aut sine tempore pœnitendi, (etsi periculum direptionis timeatur,) et Communionem suscipiendi, nisi grave timeatur damnum; nam tunc obligat divinum præceptum. *Salm., n.* 21, *S. Lig., n.* 379. Si vero reus confiteri nolit, post adhortationem, licite occidi potest; tunc damnatio suæ culpæ imputatur. *Salm., n.* 23, *S. Lig., l. c.*—Clericis, etsi laicalem potestatem habentibus,

illicitum est pœna mortis reos damnare, ex *cap. sent. de Cler. percus.* Tamen a Papa id dispensari potest: et Episcopi, ac similes dominium temporale alicujus loci habentes licite potestatem suam laicis committere possunt ad causas sanguinis. *Salm., n.* 13, 14, *et* 16, *S. Thom., D. Lig., n.* 378.

874. **De injusti aggressoris occisione.** I. *Unicuique licet defendere propriam vitam, etiam cum occisione injusti aggressoris,* si aliter fieri nequeat (etsi non teneatur, et possit quis pati occidi, ne alter vita temporali, et æterna privetur, nisi invasus esset in mortali, aut vita ejus esset valde necessaria bono publico, ut *communiter* docent *AA. cum S. Antonino;*) nam quisque jus habet vitam conservandi; ergo etiam utendi mediis ad hoc necessariis; qui enim habet jus ad finem, ad media item habere debet; proinde etiam utendi mutilatione, vel occisione aggressoris, si alio pacto sese a morte, vel ab alio notabili damno injusto eripere nequeat. *Vim vi repellere omnes leges, et omnia jura permittunt.* C. si vero 3, de sent. excomm. Nec irregularis fit clericus, vel religiosus ita se defendens. *(Salm., S. Ligor., n.* 380, *cum communi).*

II. Ut ab omni culpa vacet justa defensio contra iniquum aggressorem, servari debet moderamen *inculpatæ tutelæ;* id est, nil fieri potest, nisi id quod absolute necessarium sit ad se tuendum; nam in hoc, quod non excusat necessitas, est contra justitiam. Hinc si sufficit clamare, aut fugere, non licet verberare; si sufficit verberare fuste, etc., non licet vulnerare, aut mutilare; et si sufficiat vulnerare, vel mutilare, non erit licitum occidere. *(Ita omnes).* Quoad fugam merito excipiunt *aliqui cum Lugo, n.* 166, et *Salm.*, contra *alios,* si periculum percussionis sit in fugiendo; vel turpe esset fugere, v. gr. viro nobili, vel officiali bellico; nisi ob invasoris præstantiam, vel qualitatem, uti si esset ebrius, aut amens; talem enim occidere non licet, quando fugi possit, neque tunc adest dedecus. Ita *Mald., Dian., etc.*

Ad hoc moderamen requiritur: 1.° ut aggressoris occisio non fiat ex odio, aut vindicta, sed ad sui conservationem:—2.° ut aggressio sit actualis, et injusta; secus non esset se juste defendere, sed aggredi. Tamen hæc non sunt mathematice metienda; in illis enim rerum adjunctis facile quisque excusari poterit ab aliqua immoderata defensione ob mentis, et cordis angorem, ac timorem. Et sic eruitur ex libro Exod., XXII: *Si effringens fur domum, sive suffodiens fuerit inventus, et, accepto vulnere, mortuus fuerit; percussor non erit reus sanguinis. Quod si, orto sole, hoc fecerit, homicidium perpetravit, et ipse morietur.* Distinctionis rationem affert *Cornelius A Lapide,* et est; quia orto sole, facilius repelli, vel saltem fur dignosci potest; quocirca adest via ad reparationem; sed ante solis ortum adest timor cujuscumque damni.

875. Q. *An liceat occidere ebrium, vel amentem aggressorem?*

R. Affirma probabilius; nam etsi ebrius, vel amens non sit aggressor *formalis*, est tamen *materialiter injustus;* et invasus jus servat vim vi repellendi; nisi: 1.° fuga ab eo quis se subtrahere, vel alio modo defendere posset; quia ab his fugere indecorum non est;—2.° nisi certo eos in mortali versari sciatur; quod rarissime constare potest, ut recte monet *Lugo de just. D.* 10, *n.* 143.—Insuper si prudens aliqua spes effulgeat eos salutem consecuturos, si parcitur eis; cum enim in extrema necessitate versentur, ex charitate vitam eorum æternam vitæ nostræ temporali præ-

ferre tenemur. Secus si sui compotes essent; sibi equidem foret malum imputandum. *(Scavini, Gury, n.* 396).

876. Q. *An liceat occidere injustum aggressorem pro defensione membrorum?*

R. Affirma; quisque enim jus habet sui corporis integritatem, et bonum sibi maxime necessarium servandi, etiam cum periculo alterius vitæ, maxime cum voluntarie, et malitiose hoc sibi elegerit aggressor; modo aliud medium desit, et aggressoris mors non intendatur.—Item si ab invasore timeatur vulnus grave, vel magna deformitas, quæ aliter præcaveri nequeat. *(Salm., Gury, S. Ligor., n.* 380, *cum communi).*

877. **Non licet occidere invasorem honoris**; quia *practice loquendo,* aliis modis honor plerumque servari potest; nam 1.° si *dictis* lædatur, v. gr. si dicatur honorato viro, *mentiris :* aliis dictis se defendere valet; — 2.° item si *factis ;* sed post factum non licet aliis factis injuriosis, et punitivis honorem defendere; nam tunc esset vindicta, non defensio, nisi agatur de pueris, vel aliis hujusmodi, aut de superioris correptione. *Lugo, n.* 189; et *S. Lig., n.* 382, dicit id omnino tenendum, et etiam ex prop. 30 damnata ab Innocen. XI, quæ *permittebat repercutere percutientem, qui fugit, si aliter ignominia vitari nequeat.*—Item si non sit dedecus fugere, uti non est clericis, religiosis, ac etiam laicis in genere, modo persecutionis periculum in fuga desit. *(Ita tenendum cum Lugo, Salm,,* ait *S. Ligor., n.* 381).—3.° Secus vero si quis alterum contemnere conetur factis, v. g. barbam villicare, aut impingere alapam, aut vestes conspurcare, etc., licebit ei sane, servato moderamine inculpatæ tutelæ, injuriam propulsare; et si pervicax aggressor, ad injuriam inferendam vim adhibeat, et repulsus etiam arma arripiat, fas erit vim vi repellere, et armis arma opponere.—Item licet aggredientem, etiam districto gladio, arcere, et se paratum ad propriam defensionem ostendere. *(Gury, n.* 399, *S. Ligor., n.* 381 *et* 391. Secus si tantum per verba).

878. **Invasorem pudicitiæ occidere probabilius licet** (etsi non adsit obligatio; nam castitas invite non amittitur), si invasor aliter repelli nequeat, v. g., unguibus, verberibus, etc.; utitur quidem invasus jure naturali, quo licet vim vi repellere; et multo magis quis saluti suæ providere tenetur quam alienæ, et pudicitiæ quam bonis fortunæ; secus magno exponitur consentiendi periculo. Aliunde violatio in bonis fœminis est ipsa morte gravior. *(S. Antoninus, D. Ligor., n.* 386, *et* 397, *cum communi).*—Idem dicendum ante factum de defensione pudicitiæ alterius in sui violatione non consentientis; imo etsi consentiat, modo sit persona valde propinqua, vel consanguinea, si aliter suam infamiam evitare nequeat defensor; secus non licet, ut dicunt *Less., Spor., Salm., S. Ambrosius, D. Ligor., n.* 391, *aliique ;* tunc sane injuria propulsatur, quæ in propulsantem etiam redundat.

Item dicunt licere non solum aggressorem propulsare actu, alapis, fuste, ictibus non periculosis, sed etiam immediate post acceptam injuriam, non ad vindictam, neque ad occidendum, sed ut displicentia, et constantia ostendatur, et invasor facilius recedat, nec amplius revertatur; juxta illud D, Chrysostomi: *Percute vultum ejus, sanctifica manum tuam. (Scavini, n.* 658, *Gury, n.* 399, *S. Ligor., n.* 386).—In praxi melius erit suadere, ut testes suæ pudicitiæ clamore vocet mulier, uti Susanna, quæ tentata respondit: *Melius est mihi absque opere incidere in manus vestras,*

quam peccare in conspectu Domini. Et exclamavit voce magna. (Dan. XIII).

879. **Occidere licet invasorem bonorum fortunæ**, si adsint hæ conditiones: 1.ª ut res sit magni momenti;—2.ª ut nulla suppetat alia via servandi bona, vel recuperandi;—3.ª ut intercedat domini monitio, et furis obstinata resistentia, si id patitur tempus;—4.ª actualis rei possessio; nam pro re, circa quam jus acquirendi tantum habetur, non licet furem occidere; contrarium est damnatum ab Innocent. XI, prop. 32 et 33, quæ sic jacent: *Non solum licitum est defendere defensione occisiva, quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus... Licitum est tam hæredi, quam legatario contra injuste impedientem, ne vel hæreditas adeatur... sicut et jus habenti in cathedram, vel præbendam, contra earum possessionem injuste impedientem.*

Ratio est: 1.º quia ex dictis quisque jus habet bona magni momenti pro conditione sua servandi, et eo ipso adhibendi media ad id absolute necessaria;—2.º quia charitas non obligat bona proximi altioris ordinis præferre, nisi quando est in extrema necessitate; non vero quando ipse sponte, et ex malitia mortis periculo se projicit. Si ita non esset, quot perturbationes non moverent perversi homines, ut merito advertit *Gousset!* *(Ita probabilissime Less., Lugo, Gury, Scavini, SS. Antonin., Thom.,* Ligor., *l.* 3, *n.* 383, *cum communi).*—Idem dicunt *Lugo, S. Antonin., S. Ligor., n.* 392, *cum communi*, de defensione personæ, aut bonorum magni momenti proximi, eadem ratione. Sed charitas non obligat cum magno incommodo.

Q. *Quænam furti quantitas requiritur, ut furem occidere liceat?*

R. Ut clarius quæstio solvatur, triplex casus est distinguendus: 1.ˢ est, quando non tam rei valor attenditur, quam injuria domino rei illata, propterea quod ipso præsente, et nequidquam prohibente, clamante, minitante, remque retinente, fur eam abstrahit. Et huc spectat sententia *S. Ligor., l.* 3, *n.* 383, contra *Mol., Bon., aliosque,* quod ratione talis contemptus, ac dehonorationis non licet furem occidere. Ita *Ballerini.*

2.ˢ est, quando spectatur potius damnum, quod, re ablata, dominus patitur; et tunc valet alia ejusdem *S. Ligor., n.* 382, doctrina. *Licet autem, si quis auferat honorem valde notabilem, aut bona magni momenti; nisi tamen alia via, v. g. juris, vel aliter, arceri, aut recuperari possint.*

Non licet 1.º occidere pro conservatione unius aurei; contrarium damnavit Alexander VII, prop. 31;—2.º neque regulariter pro furto quatuor, vel quinque aureorum; et ut advertunt *Lugo, n.* 178, et *Salm., n.* 86, tempore *Soti*, qui hanc regulam tradit, quinque ducata pluris æstimabantur, quam nunc decem;—3.º gravitas damni relative est intelligenda, sicut de furto; nam furtum 10 aureorum, quod alicui grave damnum esse potest, alteri opulento potest esse leve. *Roncag., S. Lig., n.* 383. Generatim illa sufficit jactura, quæ notabile damnum domino afferret juxta personæ qualitatem, quo sublato, alicui deficeret sustentatio pro se, et suis, etiamsi sit in se res, vel instrumentum fere nullius valoris. *(Viva, Vazq., Mol., Bon., S. Ligor., ibid., etc.)* Quamquam nec diffitendum sit, sicut in quantitate furti, admitti oportere aliquam damni gravitatem *absolutam*, quæ nempe respectu omnium censeri, et dici magni momenti possit, ac debeat. *Cardenas* esse 40 ducatorum hanc absolutam quantitatem dicit. (V. *S. Ligor., n.* 383).

3.ˢ demum casus est, quando neque honoris, ut in primo casu, neque

gravitatis damni, ut in secundo, causa agitur; sed consideratur vis domino illata rem suam custodienti; et tunc reddit quæstio supra mota de eo, qui *factis* alterius honorem lædere conatur. Quando enim fur vim infert, ut ingrediatur domum, gallinarium, etc., vel te vidente, et contradicente, aut horologium, seu baculum e manibus tibi eripiat, non teneris sane passive te habere, et rem ipsi cedere, sed licite potes injusto invasori resistere, ac vim vi repellere, moderamine *inculpatæ tutelæ* servato: quando enim quis ita defendit sua, regulariter defendit simul suam propriam personam, quam periculo pro suarum rerum defensione exponit; insuper ob publicum bonum; secus improbi ad nocendum audaciores redderentur. *(Ita Gury, Ballerini, n.* 399, *Mol., Laym., Bon., etc.*, contra *alios).*

880. **Resolves**: I. Licere probabiliter se defendere armis, etiam per alios; nam qui per alios facit, per se ipsum facere censetur. Licere id etiam clericis, et religiosis absque ulla pœna item canonica; nam de jure naturali est jus defensionis. *(S.* Ligor., Lugo, *cum communi*).

II. Licere furem fugientem, v. gr., cum equo tuo, telo, vel sagitta conficere; invasio siquidem adhuc durat. Ita *Mol.*, Less., *Dian.*, Lugo, etc. Etsi autem id non liceat postquam in tutum se recepit; si tamen rem tuam per judicem recuperare non possis, locum ingredi vales, ubi illa detinetur, eamque tibi vindicare; et si alter vi impediat, vim vi repellere. *Dian., Hurt.*, Less., *S.* Lig., *n.* 382. Imo furem interimere licet, ad rem magni momenti furatam recuperandam, seclusa alia via; cum invasor adhuc rei fur sit. (*Ita probabilius S.* Ligor., Lugo, Less., *Gury, n.* 399, *aliique* contra *S. Antonin., etc.*).

III. Licet aggressorem prævenire, modo: 1.° quis moraliter sit certus ad hoc jam esse determinatum, v. g., arma parasse, vel mandatum servo dedisse. Non autem sufficit mera aggressoris minatio. (*Gury*).—2.° si fugiendo, nec alia via se ab eo defendere possit, quod raro eveniet. Alias ridiculum esset invasum cogere ad expectandam aggressionem, quando tempus se defendendi non erit. (*Bon., Salm., S.* Ligor., *ibid., aliique* contra *Silv.*). *Censeo,* subdit D. Lig., *vix in praxi posse* (id) *sequi propter hallucinationis periculum.*

881. Q. *An sit licitum occidere justitiæ ministros, vel falsum accusatorem, falsos testes, aut judicem, a quo imminet injusta sententia?*

R. Nega; nam cum directe non procedat damnum nisi ex iniqua sententia, minime vero ex defensionis omissione, injuria propulsari potest, servato ordine judicii; unde alia defensio esset omnino immoderata. Insuper, hoc semel admisso, lata aperiretur via cædibus; quisque enim facile sibi persuadere posset, injuste accusari. Hinc ab Alexandro VII damnata est hæc sub n. 18 prop.: L*icet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam judicem, a quo certo imminet iniqua sententia, si alia via non potest innocens damnum vitare.* Neque licet reo, neque proscripto occidere ministros justitiæ, ipsum trahentes ad carcerem, vel ad supplicium; quia non sunt iniqui aggressores. L*aym., S.* L*ig., n.* 380, *cum communi.*—Tamen si quis minitatus esset de morte evidenter injusta, nisi resistentia sua causa esset gravis scandali, vel perturbationis, defendere se posset; quia esset injuste invasus; et juste se defenderet, eo uno modo, quo possest. (*Ita Frassinetti, D. Thomas, S.* L*ig.*, apud *Del-V., n.* 356).

CAPUT III.

De abortu.

882. **Abortus** est *præmatura fœtus ejectio ex matris utero.*—Unde in uteri possessione necessario fœtus esse debet, ut abortus dici possit. Hic ergo non punitur generationem impedire, nec peccat oppressa hanc impediens. *(Croix, Sayr., n.* 27, *Varceno, p.* 493, *aliique*).—Fuit olim recepta Aristotelis opinio, juxta quam viri corpus 40, fœminæ vero 80 die a conceptione anima informabatur. Hodie physici pro certo habent, nulla sexus habita distinctione, animam a Deo infundi statim ac fœtus ad humanam figuram pervenit.—*D. Alph.*, l. 6, n. 124, ait: *Cum hodie vigeat opinio, non sine plausu a peritis recepta, quod fœtus ab initio conceptionis, vel saltem post aliquos dies, anima informetur.....* Hoc probabilius videtur; nemo sane crescit sine vita; et nullus homo vivit sine anima; neque applicatur forma sine subjecto informando.

883. **Partus accelerari potest** *directe*, et *indirecte.* 1.° *Directe* procuratur abortus, cum media ad hoc adhibentur, uti scissio membranæ, fibrarum relaxatio, venenum, percussiones, medicamenta, potationes, saltationes, labores, terrores, et similia, sive hæc operentur ut causa physica, sive moralis, sive per se, sive per alios, cum animo fœtum ejiciendi. —2.° *Indirecte* autem, seu in causa, procuratur abortus, mulierem prægnantem ex ira, zelotypia, etc., percutiendo; intemperantiam laborandi committendo, vel medicinalem potationem, aut balnea sumendo, etc., licet prævideatur ex ea causa sequi posse abortum.

884. Q. *An liceat abortum procurare?*

R. Nega *per se*, et graviter peccat quicumque sive in se, sive in alia, sive directe, sive indirecte abortum quocumque modo procurat; nam si fœtus est animatus, homicidium committitur; si non, est actus contra naturam, ad homicidium tendens; seu anticipatum homicidium. Hinc Innocent. XI, sub n. 34, hanc damnavit prop.: *Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur. (S. Ligor., n.* 394, *cum communi).*

Unde sub gravi tenetur per se prægnans: 1.° abstinere a potationibus, cibis, et medicinis fœtui nocivis; —2.° ab abstinentiis, et jejuniis item noxiis; —3.° a balneis, et a pedum lotionibus frigida aqua; —4.° a saltationibus, choreis, et tripudiis (ita *S. Antonin., Nav., Rayn., aliique*);—5.° a grave onus ferendo, ac omnibus operibus laboriosis, et importunis;—6.° cavere debet, ne nimis stricte se cingat; —7.° ne in se excitentur passiones inordinatæ, præsertim timoris, iræ, luxuriæ;—8.° ne ventris valida percussione, aut compressione abortus periculum immineat. Si per ista pericula abortum prævideat, graviter peccat, ea ponendo, et si revèra hic sequatur, rea homicidii est. *(Ita Nider., Ray., Fagun., Bon., Varceno, aliique).*—Item qui prægnantem mulierem percutiunt, vel terrefaciunt. (*Mol., Cajet., Bon., Gury, n.* 403).

885. Q. *An liceat matri extremo morbo laboranti medicinam præbere directe ad abortum per se ordinatam?*

R. I. Affirma, si putridus, vel mortuus certo jam sit fœtus, ut per se patet. Secus nunquam fas est remedium *directe* præbere, aut sumere

ad fœtus ejectionem, vel uterum lacerare; esset profecto innocentem occidere. *S. Ligor., n.* 394.—Idem dicendum quando certa est mors prolis, si mater medicinam sumat, etsi alias item sit certa mors matris, si a medicina abstineat; præferre siquidem tenetur ex ordine charitatis spiritualem prolis vitam suæ vitæ corporali. *S. Lig., ibid.*—Idem tenet. *S. Lig.*, cum *Tour., Habert., et aliis,* quando dubitatur, an pereunte matre, supervivere possit proles et baptizari; ex præfata ratione charitatis. Et etiamsi mors matris esset moraliter certa, si non sumat remedium, nec etiam tunc auderem ei medicinam permittere, addit *Sanctus D.*, si aliqua rationabilis spes effulgeret, quod, mortua matre, proles superviveret, et baptizari posset; quia nemini licet ob tuendam suam vitam temporalem positive exponere proximum in necessitate constitutum periculo mortis æternæ.—Attamen contrarium tuentur *Holz., n.* 79, *Salm. n.* 66, *et alii* in duobus ultimis casibus, dicentes, præfatam obligationem tunc solum adesse, quando constat jacturam temporalis vitæ esse absolute necessariam ad spiritualem alterius vitam; non autem quando salus spiritualis proximi est incerta, prout in casu nostro, cum de ea multipliciter dubitari possit. (V. n. 320).

II. Item licet, 1.° si æquale sit periculum abortus, sive medicina sumatur, sive non; tunc enim sine majori fœtus periculo vitæ matris juste consulitur. — 2.° si nulla esset rationabilis spes de vita prolis post matris mortem; ob exiguam namque prolem baptizandi spem non videtur matrem ex charitate obligari suam negligere vitam in extrema necessitate positam. *Elb., Tour., S. Lig., n.* 394, *cum communi.* Imo in hisce casibus præcepta esse videtur medicina, ratione, scilicet propriæ charitatis, et prolis temporalis, et æternæ prosperitatis; sic quidem magis consulitur utriusque vitæ. *Ballerini n.* 402: *probabilissimum est quod dicunt Salm., Sanch., Lugo n.* 135, *Ronc,* ait *S. Lig., n.* 394, *rarissimum esse casum, et moraliter impossibile, ut pene miraculum sit, quod, pereunte matre, proles supervivat,* testantibus artis medicæ peritis; nam mater ac proles e longa lucta consumptas habent vires. *Hinc rationabiliter dicunt Salm. n.* 65, addit *S. Doctor, medicos in hoc casu quoad pharmaca præstanda matribus non esse scrupulose agendum.*

III. Licet *indirecte* abortum procurare in lethali morbo matris, cum remedia *per se* nociva proli non sint, sed directa ad matris morbum sanandum, casu, quo nulla adsit spes fœtum per baptismum salvandi, uti si certo constat de ejusdem inanimatione; vel quod, moriente matre, ante vel una simul moriturus sit fœtus. *(Ita Bill., Croix, Gury, S. Ligor., n.* 394, *aliique).*—4.° Item licet remedia pro variis morbis consueta mulieri gravidæ ægrotanti plerumque porrigere, etsi quandoque abortus præter intentionem sequi possit; experientia quippe constat, ex iis rarissime sequi abortum. *(Gury, n.* 402, *cum communi).*

886. Operatio cæsarea *in eo consistit, quod uterus matris gravidæ aperiatur ad extrahendum fœtum.* Hæc fieri potest: 1.° Si mater naturaliter parere non valeat; aut moritura sit antequam pariat, cum maximo infantis mortis periculo prius quam baptizari queat;—2.° si ex judicio periti chirurgi absit mortis proximum matris discrimen, uti si esset robusta; tunc enim nullum, vel leve adest periculum; ideoque si mors sequatur, per accidens eveniet. *(Elbel, n.* 60, *Gury, n.* 257).

Hæc sub gravi fieri debet mortua matre, etiam invitis parentibus, aut propinquis, si fieri possit, etsi a brevi tempore esset gravida; pluri-

bus quidem exemplis constat, fœtus animationem fieri paulo post conceptionem; et tunc ex lege charitatis omni cura salus æterna prolis est providenda. *(S. Thom., p.* 3, *q.* 68, *a.* 11 *ad* 3, *Ritual. R., Gury, n.* 257). —Sedulo curandum est, ut regio uteri defunctæ servetur calida, usquedum fuerit facta operatio; secus enim infans facilius e vita cederet. *(Gury)*.

887. Q. *An mater in his constituta pati teneatur operationem cæsaream ad prolem salvandam?*

R. I. Si mors alterutrius certa sit, vita item certa alterius, si proli nondum natæ baptismus ope siphunculi potuit conferri, non tenetur mater mori, ut vitam filio temporalem conservet. (*Lugo, de just. D.* 10, *n.* 133; *Ballerini).*—Si vero, omnibus spectatis, existimari queat per cæsaream operationem in grave periculum matrem inductam non iri, proli vero consuli posse, non modo temporali, sed etiam æternæ vitæ, ad incisionem teneri dicendum est, licet prolis æternæ saluti aliter prospici posset; modo longe probabilior sit spes prolis simul et matris. *(Ballerini, S. Alph., l.* 6, *n.* 106).

II. Homo non debet matrem occidere, ut baptizet puerum, ait *D. Thom., p.* 3, *q.* 68, *a.* 11, *ad* 3. Unde concludit *D. Alph., ibid.*, matrem, quando mortis periculum sit *proximum, aut probabile*, non teneri ad discrimen illud subeundum, ut proles baptizetur, nec chirurgum posse ipsam in hoc discrimen inducere. (*Ballerini).*

Tamen cum ars chirurgica modo instrumentum repererit, quo membranæ fœtum involventes rumpuntur, ut aqua ope siphunculi injecta fœtum immediate tangere certo possit, atque adeo juxta ea, quæ *S. Alph., l.* 6, *n.* 107, post Benedict. XIV, disserit de validitate baptismi infantibus in utero clausis sic collati prorsus certi esse possimus, fere cessant veteres difficultates circa pericula, quæ mater subire teneatur, ut æternæ prolis saluti prospiciatur. (*Ita Ballerini, ibid.*).

888. Q. *An baptizato fœto in matris utero ope instrumenti, liceat fœtum ferro perimere, et extrahi, si alioquin simul cum matre certo mori debeat?*

R. Affirma; nam fœtus tunc sive *positive*, sive *negative* de facto invasor vitæ matris est; licet non injustus, comparari tamen ebrii, vel amentis invasioni potest, sine spirituali ejusdem periculo; ergo eadem pro utroque casu valet resolutio. Licet enim vim vi repellere. Hic adest quoddam duellum; at fœtus in omni casu mori debet; mater casu, quo non vincat sive per se, sive per chirurgum. (Ita satis probabiliter *Theophili Raynaud, Avanzini, Varceno, p.* 639).—In praxi cavere debet confessarius, ne unquam urgeat matrem sub gravi operationem pati; ne dum velit prolem salvare, damnetur ipsa mater. Satis erit ad id adhortari; et fieri nequit nisi adsit peritus chirurgus, et semper ac ad hoc deveniatur, loci præpositus admonendus est, ac adhibendi sunt testes ab ipso approbati, ne operationis auctor de homicidio inculpetur.

889. **Pœnæ in abortum procurantes.** I. Ex Constit. *Apost. Sedis* adest excommunicatio latæ sententiæ Ordinariis reservata sive fœtus sit animatus, sive non; modo scienter, et efficaciter sit directe procuratus. Unde hanc censuram non incurrunt.—1.° indirecte procurantes, licet prævideatur ex ea causa esse secuturum, neque consulentes, cooperantes, pharmaca parantes, et similes, dummodo non sint jubentes, et directe procurantes; quia nostra Const. loquitur tantum de abortum *procurantibus, effectu secuto*, qui certus esse debet; nam pro dubiis casibus non

infligitur censura.—2.° neque ignorantia crassa, et supina *juris* laborantes. Ita *Varceno, pag.* 494, *et* 495, *Scavini, n.* 655, *Ballerini, n.* 976. Hodie sufficit, ut fœtus sit in uteri possessione; nam piana Constitutio de animatione non loquitur; quia fœtus inanimati hypothesis uti prorsus absoleta habenda est, ait *Ballerini.*

II. Ex Bulla *Effrenatam* Sixti V, adest privatio clericalis privilegii cum degradatione, et cujuscumque dignitatis, officii, ac beneficii ecclesiastici, necnon inhabilitas ad ea in posterum consequenda; quæ inhabilitas *ipso facto* incurritur, cum non privet nisi jure acquirendi: secus de aliis privationibus, cum sint privatio juris acquisiti, ad quod requiritur sententia saltem criminis declaratoria. *S. Lig. n.* 397. Hæc autem privatio, et inhabilitas solum a Papa auferri potest; cum sit lex papalis, ait *Del-Vecchio, n.* 655, *cum Anacl.* contra *Elb., n.* 642, *Spor., n.* 722, et merito censet probabilem hanc opinionem *Roncagl.*, juxta *S. Lig., n.* 397; nam in omnibus pœnis a jure generaliter latis, et non specialiter Papæ reservatis dispensare possunt etiam Episcopi. Ita *communissime Scot., S. Bonav., S. Lig., l. c.,* et jus can. *cap. Nuper* 29 *de sent. excomm.*

III. Irregularitas ex Bulla *Sedes* Gregorii XIV, si tamen fœtus sit animatus, quæ irregularitas nonnisi a Pontifice auferri potest, etsi abortus sit occultus, prout *Trid.* statuit.

IV. Ordinario adest reservatio diœcesana, sive fœtus sit animatus, sive non; et licet irrito effectu tentatus. Imo lex civilis in abortum procurantes animadvertit.

890. Controvertitur an ipsa mulier abortum in se procurans in censuram incurrat. Alii afirmant; nam Const. Pii IX nullum excipit, absolute statuens: *Procurantes.* Alii negant absque ulla solida ratione; dicunt enim: licet verba sint generalia, benignam interpretationem pati possunt, sicut benigniter explicabant Bullam Sixti V, quæ item generatim de abortum procurantibus loquebatur; tamen compatiendo infirmitati mulieris, quæ impulsa timore infamiæ, fœtum expellere conatur, ipsam a censura excipiebant *Lugo, Avila, Lezana, Naldus, Salm., n.* 70: et *S. Lig., n.* 395, scripsit: *Secunda sententia valde probabilis, et spectata ratione intrinseca probabilior negat mulieres prægnantes excommunicationem incurrere...* et subdit *Ballerini, n.* 976: *in hanc sententiam videris convenisse Comm. Reat. Cretoni, Del-Vecchio, etc. Sporer, Bon., Viva, Avanzini, n.* 40, et *alii* contrarium tenent. *Varceno, pag.* 496 merito sic distinguit inter has opiniones: Si agitur de puella, quæ metu perterrita, ne a patre furioso occidatur, vel metu infamiæ, aut alterius gravis damni abortum sibi procurat, a censura excusatur; quia metus gravis hujusmodi a censuris excusat, etsi non a gravi peccato (homicidii in hac re); secus dicendum, si talis metus absit.

CAPUT IV.

De duello.

891. **Duellum** est *periculosa pugna inter duos, vel paucos ex condicto inita, designatis loco, et tempore.*—Duellum est 1.° *publicum,* vel *priva-*

tum, prout fit principis auctoritate, vel non; — 2.° *solemne*, vel *simplex* prout coram testibus fit, vel iis omissis, quos, *profanato* nomine, patrinos vocant.—*Duellum omnibus sub gravi prohibetur* 1.° jure naturali; est enim res intrinsece mala, ex dictis de homicidio, et suicidio;—2.° jure canonico: *Detestabilis duellorum usus, fabricante diabolo, introductus... ex christiano orbe penitus exterminetur*, ait *Trid.*, *sess.* 25, *c.* 19 *de R.* Hinc Benedictus XIV has damnavit prop.:

1.ª *Vir militaris, qui nisi offerat, vel acceptet duellum, tanquam formidolosus, timidus, abjectus, et ad officia militaria ineptus haberetur, indeque officio, quo se suosque sustentat, privaretur, vel promotionis alias sibi debitæ, ac promeritæ spe perpetuo carere deberet, culpa et pæna vacaret, sive offerat, sive acceptet duellum.*—2.ª *Excusari possunt etiam honoris tuendi, vel humanæ vilipensionis vitandæ gratia, duellum acceptantes, vel ad illud provocantes, quando certo sciunt, pugnam non esse secuturam, utpote ab aliis impediendam.*—3.ª *Non incurrit ecclesiasticas pœnas contra duellantes latas, dux, vel officialis militiæ acceptans duellum ex gravi metu amissionis famæ, vel officii.*—Ex iis aperte liquet tam de solum offerentibus, quam de solum acceptantibus loqui Benedictinam damnationem. (*S.* L*igor.*, *Varceno*, *p.* 367).—Excipe si auctoritate publica ad bonum commune instituatur, v. gr. ut bellum conficiatur; vel ad servandam penes hostes existimationem; vel ne exercitus animo concidat, quale fuit illud Horatiorum cum Curiatiis; et Davidis cum gigante Goliath (*Sanchez*, *Gury*). Hæc pugna est desideranda; nam paucorum cæde finitur bellum; et in hisce casibus acceptare, et offerre duellum licet. *S.* L*ig.*, *n.* 400.

892. Hinc graviter peccant: I. principes, et magistratus enixe duella non impedientes. (Ex *Benedict. XIV*, § 10).—Item qui etiam ab auctoritate publica duellum acceptant ad noscendam veritatem; ad probandam innocentiam; ad finiendam litem privatam; siquidem non est medium justum, nec ad hoc ordinatum, nec cogi possunt rei ad duellandum. (*Gury*, *S. Lig.*, *n.* 399).—Item qui sive ex odio, aut ira, sive ex vanitatis, vel spectaculi causa, etsi jussu principis, duellum offerunt, vel acceptant. (*Gury*, *n.* 404, *Sanch.*, *n.* 12, *S. Ligor.*, *n.* 399).

II. Qui etsi innocentes sint, duellum, licet fictum indicunt adversus falsum accusatorem, ad evitandam injustam sententiam, vel ignominiam avertendam; est sane immoderata defensio; nam vera existimatio, laus, et decus posita non sunt in vana hominum opinione, quorum sapientia stultitia est apud Deum. *Salm.*, *n.* 163, *Suar.*, *Gury*, *S.* L*igor.*, *n.* 400, etc. contra L*ugo*, *Sanch.*, *aliosque* id permittentes, quando aliud medium non suppetit ad evitandam mortis sententiam; cum sit justa defensio contra injustum aggressorem, saltem notabilis honoris: sed melius tunc non aderit duellum acceptatum, sin actualis defensio contra injustum aggressorem, ut mox dicemus.

III. Non licet duellum acceptare ea lege, ut uno vulnerato, aut certo numero ictuum completo, pugna cesset; tum ratione gravis periculi, et scandali; tum ratione prohibitionis Clem. VIII quoad duella, etiam non fatalia.

893. **Duellum acceptare licet**: I. Ad meram defensionem, etiam ab adversario arma acceptando, si mors ab ipso intentetur; aut bonorum amissio sit secutura, nisi pugna acceptetur, nec adsit alia via hoc periculum evadendi; nec ad alium locum se conferant, vel aliud tempus

determinatum indicant; nam sic verum haberetur duellum: excipe si alterius loci circumstantia ad se melius defendendum invaso deserviret. (*Ballerini, Gury, n.* 405). Neque S. Pontifex naturale jus ad defensionem prohibere voluit, sed verum duellum, quod in præfato casu non habetur, sed mera aggressio.

II. Si judex duos ad mortem damnatos vellet duello congredi; quocirca alter alterius esset constitutus justitiæ minister. (*Trull., Laym., S. Ligor., l.* 3, *n.* 400). Item si vir nobilis in aula regia, vel militiaris in castris provocatus sisteret se meræ defensionis gratia, cum spe prævalendi, ob suspicionem ignaviæ, privandus alioqui dignitate, officio, vel principis favore. *Hart., Fil., Nav., Less.,* nam tunc non habetur duellum; deest quippe condictum, designatio loci, et temporis. Secus si hæc interveniant. *S. Lig., n.* 400.

III. Non est nisi vera rixa, ob injuriam subita ira excandescere, et ad pugnam sese provocare, ac statim congredi. Item virgis, vel baculo levi ferire; non est quidem ex condicto, loco, et tempore; neque pœnas talia agentes incurrunt. (*S. Ligor., n.* 401, *Gury, n.* 405, *S. C. Cong.,* 5 *oct.* 1744).

894. **Pœnæ duellantibus impositæ.** Ex Const. *Apost Sedis* incidunt in excommunicationem ipso facto *simpliciter* Papæ reservatam, 1.° qui duellum perpetrant, sive publice, sive privatim, vel etiam sine patrinis; —2.° ad illud provocantes, licet non acceptetur;—3.° id acceptantes, etsi dein non sequatur.

—Item *complices* 1.° patrini, testes ex condicto, et consilium, vel mandatum dantes;—2.° litteras provocatorias, vel similia scribentes, dictantes, evulgantes, seu deferentes;—3.° omnes quomodolibet in his se immiscentes, aut cooperantes, convenientes, operam, et favorem præbentes, ac etiam de certamine dirimendo, cum primum alteruter fuerit vulneratus, pactantes, (*Varceno, p.* 459);—4.° qui de industria spectant, nempe, qui data opera quasi incitatores assistunt; non vero qui obiter, vel casu transeuntes, curiositate ducti, duellum aspiciunt, aut non nisi in secreto, vel a longe, aut alio modo nihil ad pugnam acuendam inducente. (*S. Ligor., n.* 220).

—Item illud *permittentes* 1.° qui in terris suis illud permittunt;—2.° qui ipsum non impediunt, cum impedire valeant, et debeant, ut duces, domini, dignitates.—Tamen ad hujusmodi duelli rationem requiritur, ut lethalibus armis certetur; ideoque non huc pertinet, si pugnis, baculis, aut etiam ferro, acie retusa, dimicatur, etsi per accidens sequatur mors. Neque id est contra Const. Clementis VIII *Illius vices.* (Ita *Comm. Reat., Ballerini, n.* 992). (V. n. 258 ad III.)

—Si prædicti censurati in ipso conflictu duelli decedant, etsi ante obitum pœnitentiæ signa dederint; imo licet extra locum conflictus sacramentis muniti decesserint, sepultura ecclesiastica privantur ex Benedicti XIV Bulla *Detestabilem.* Tamen hoc ultimum non est ubique receptum. In clericos adest etiam privatio beneficiorum jam obtentorum, et inhabilitas ad alia obtinenda. Prædictæ pœnæ ob verum duellum incurruntur, scilicet ex *condicto, loco, et tempore;* non vero si ex æquo ad locum idoneum perrexerint, ex eodem rixæ impetu, ut declaravit *S. Congr. Concilii,* 5 *oct.* 1744.

—Ad duellum aliquo modo revocari posunt illa spectacula cum tauris, aliisque feris, ex quorum congressu, et luctamine hominum mors, aut

mutilatio, animarumque pericula sæpe oriuntur. Quod quidem agere, et spectare gravissime prohibuit Pius V Const. *De salute*, an. 1557, singulis christianis, ne cum illis congrederentur, et clericis ne talibus spectaculis assisterent. *Salm. n.* 20, *S. Lig., n.* 365, *Scavini, n.* 765.

CAPUT V.

De bello.

895. **Bellum** est *publica armorum contra extraneos, vel rebelles assumptio reipublicæ tuendæ, aut vindicandæ gratia.* — Differt 1.° a *rixa*, quæ est pugna paucorum contra paucos; — 2.° a *seditione*, quæ est tumultus multitudinis contra politicam societatem superiorem agnoscere nolentis. — Duplex est bellum: 1.° *offensivum*, si *ad injuriam vindicandam fit.* — 2.° *defensivum*, si *ad vim repellendam.*

Q. *An sit licitum bellum?*

R. Affirma, contra Manichæos, sive offensivum, sive defensivum; quælibet enim perfecta societas, velut individuus, media habere debet se tuendi contra injurias, et respective ad vindicandum jus suum. Unde cum altiora desint tribunalia (Pontificio spreto), ad quæ gubernia recurrere queant, solum superest bello uti, ad satisfactionem ab alio gubernio obtinendam. (*Gury, n.* 407, *Scavini, n.* 642, *S. Thom.*, 2. 2, q. 40, *a.* 1).

— *Conditiones* sunt: 1.ª ut a *legitima, et suprema status auctoritate geratur;* secus major auctoritas de lite judicare debet; — 2.ª ut *adsit causa gravis, et justa,* quæ sit præponderans incommodis ex bello orituris, v. gr. publicæ quietis conservatio, recuperatio injuste ablatorum, perduellium coërcitio, innocentium defensio; vel si impediatur Evangelii prædicatio. — 3.ª ut habeatur *recta intentio,* ac *debitus bellandi modus;* id est, ut non fiat ex odio, invidia, ambitione imperium dilatandi, sed ex amore boni communis. Ideo ante bellum a parte adversa requiri debet satisfactio; quæ si adæquata offeratur, licet probabilius post bellum jam inceptum, si non ex rigore justitiæ, plerumque saltem ex charitate acceptari debet; nam ubi bellum desinit esse necessarium, desinit quoque esse justum; secus si expensæ jam factæ, vel ablata, aut injuriæ illatæ non compensentur; vel ad bonum publicum necessarium fiat, v. gr. ad retundendam petulantiam. (*S. Tom., ibid., Salm., S. Lig. n.* 402, *Bill., Gury*). Ad quæ conducent. 1.° ut rex peritos, ac bonos habeat consiliarios; — 2.° ut attendat, an etiam a suis intervertantur litteræ ad ipsum; — 3.° ut auditis consiliariis, ac etiam diversis theologis, ipse coram Deo, et secundum leges evangelicas rem examinet, statuatque quod in mortis puncto fecisse vellet.

896. *An liceat bellum gerere cum probabilitate juris?*

R. Nega probabilius; nam possessor bonæ fidei spoliari nequit re possessa, nisi certo constet eum injuste illam retinere. Aliunde tot cædes, injustitiæ, morum corruptelæ, aliaque flagitia a bello provenientia sine certo jure permitti nequeunt. *Bill., Tamb., Scavini, Gury, S. Ligor., n.* 404, *aliique* contra *alios,* qui æqualem, et *alios*, qui majorem requirunt probabilitatem. (V. t. II, n. 302).

Q. *An milites cum dubio de belli justitia belligerare possint?*

R. I. Affirma de militibus subditis, vel ante bellum conductis; porro ubi præceptum non est evidenter injustum, non pertinet ad eos de superioris rationibus; modo nulla vehemens suspicio in contrarium occurrat, ut si agatur de principe, cujus conscientiæ non possit prudenter miles fidere; v. gr., quando passim turpia præcipit; vel fide christiana destitutum eum novit; vel de justitia belli parum sollicitum, ut ait *Ballerini cum Lugo, d.* 18, *n.* 21, *S.* Lig., *n.* 407.

II. Nega de aliis; in dubio enim veritatem inquirere debent; cum in dubiis melior sit conditio possidentis, et nemo libere cooperari ad talem possessorem spoliandum possit. *(Scavini, Gury, S.* Ligor., *n.* 408).

897. Q. *An principi catholico in bello justo advocare liceat in auxilium hæreticos, et infideles?*

R. Affirma probabilius, scandalo, et fidei periculo seclusis; nam *per se* non est prohibita civilis communicatio cum eis, uti diximus; ita David philistæis se junxit.—Plerumque, et per accidens ratione scandali, aut periculi perversionis, vel res sacras profanandi est illicitum. *Gury, Suar., S. Anton., Silv., Bus., aliique.* Sed in praxi idipsum in omni casu omnino tenendum est cum *Spor., n.* 107, *Salm., n.* 35, *Mol., Con., et aliis.* Ita *S. Lig., n.* 406, quia moraliter impossibile est, quod contracta societate cum hostibus fidei, præfata damna religioni non obveniant.

898. Q. *Quinam a victore in bello occidi possunt?*

R. I. Hostes nocentes, si ad stabiliendam pacem, ac securitatem, aut injuriam vindicandam necessarium sit, nisi cum pacto vitæ servandæ se dederint; in bello enim justo licet ea omnia facere, quæ ad finem belli necessaria sunt; et sæpe id est utilius, modo tempus pœnitendi eis concedatur; nam ita cessabunt perturbationes in populis, juxta illud: *Utinam, et abscindantur qui vos conturbant.* (Galat. v). Ex nimia indulgentia optimi principes coronam amiserunt. *(S. Lig., l.* 3, *n.* 409).

II. Innocentes, scilicet, pueri, senes, mulieres, peregrini, clerici, religiosi, mercatores, rustici directe vita spoliari non possunt, nisi belli socios fuisse constet; bonis autem externis spoliari queunt, si sint pars Reip. hostilis, aliterque finis belli obtineri non possit; cum enim sint pars Reip., possunt propter hujus delicta puniri in iis bonis, quæ Reip. dominio subsunt. *(S. Ligor., cum communi).* Item potest rex victos etiam innocentes privare bonis, tributa eis imponere, arces extruere, et cetera quæ ad securitatem sunt necessaria. *Con., Dian.*—Transacto bello, restituenda sunt ecclesiasticis omnia ablata, nisi ea in usum justi belli assumpta sint, ait *Sporer, n.* 122. Item quicumque innocentes indirecte occidi possunt, si ita cum nocentibus sint permixti, ut salvis illis, reliqua nocentium turba, quam destrui opus sit, interimi non possit. *(Gury, S. Ligor., ibid.).*

III. Licet in bello justo urbes obsidere, tormenta contra illas explodere, imo per accidens licet aliquando destruere, aut comburere etiam ecclesias, monasteria, et hostes ex eis extrahere; in iis spoliare, et occidere; si ecclesia velut castro ad repugnandum utantur. *(Silv., Gury, n.* 409, *S. Ligor., n.* 410, *cum communi).*

899. **Hostes decipere.** I. Licet in bello insidias parare, stratagemata adhibere, fugam fingere, vexillis hostium uti, et similia, dummodo mendacia absint; quamvis hæc ex se mortalia non erunt, uti cum exploratores se fingunt amicos. *S. Lig., n.* 410.

II. Tamen non licent ea, ad quæ cavenda nulla datur prudentia; scilicet: 1.° aquas, jacula, etc., veneno inficere; hæc enim sunt contra jus gentium;—2.° caduceatores occidere, licet qui eos miserunt fidem non servent; inviolabiles quippe, ac innocentes sunt;—3.° neque speculatores mitti possunt, qui principem, aut ducem exercitus, aliosque regni primates occulte interimant; cum hoc ex omnium consensu ad perfidiam spectet. (*Gury, Mol., S. Ligor., ibid.*); 4.° item victores summopere præcavere debent, ne victi inhumaniter puniantur velut latrones, et sicarii, sed secundum justitiæ regulas tractentur. (*Gury*). Fides hosti data servanda est, nisi coactus eam quis dederit, vel in grave Reip., vel religionis detrimentum cederet; aut si hostes eam non servent; aut denique si conditiones, et circumstantiæ plane sint mutatæ. *S. Lig., n.* 410.

III. Capti in bello etiam ex parte capientium justo, nisi obstet scandalum, aut specialis promissio, fugere possunt.—Capti vero in bello ex parte capientium injusto, et fugere, et bona hostium secum auferre valent. *(Laym., S. Ligor., ibid.)*.

900. Q. *An licita sint repressalia in bello?*

R. Affirma; sunt enim compensationes quædam, ac belli species. Requiritur 1.° alterius Reip. manifesta injuria;—2.° ejus culpabilis recusatio justitiæ;—3.° consensio supremi principis, causa cognita;—4.° non plus damni inferre, quam postulat satisfactio;—5.° in rebus sacris, et personis ecclesiasticis ea non exerceri. *(Mol., Dian., S. Ligor., n.* 410).

901. **De prædis.** I. Nemini auctoritate propria agere eas licet, neque hostibus damna inferre, cum privati non sint nisi executores principis: hic raro, et nonisi ob causas gravissimas eas concedere potest:—1.° ad subditos magis excitandos;—2.° ad eorum pericula præ aliis compensanda;—3.° ad publico ærario parcendum. Parvi refert sive ab innocentibus, sive a reis prædas milites accipiant, modo sint inimici, ait *Scavini.* Tamen cum urbs ad prædam datur, ex jure communi semper excipiuntur ecclesiæ, monasteria, locaque pia. *Gury,* S. *Lig., n.* 410.

II. Cæterum bona ex hostibus capta in justo bello, si immobilia sint principi, aut reipublicæ cedunt; mobilia vero fiunt capientis, nisi consuetudo habeat, ut pars cedat principi, et communitati. *(S. Ligor., n.* 411). (V. n. 794.)

902. Q. *Quid de militibus in bello injusto?*

R. I. Graviter peccat qui paratus est stipendia, vel gradus mereri in bello sive justo, sive injusto; est in malo statu, et incapax absolutionis, nisi mentem corrigat; et si in bello injusto militet, aufugere tenetur quamprimum possit, ac interea ab actibus hostilitatis, et prædarum abstinere; saltem curare ne ictibus suis aliquis feriatur; alias damna omnia causata restituere tenetur, nisi eum excuset ignorantia; tunc enim sufficit restitutio eorum, quæ in specie habet; vel eorum, in quibus factus est ditior. *(S. Ligor., n.* 407).

II. Qui in bello injusto militant, nec defensionis causa licite hostes occidere, aut mutilare possunt; cum ipsi sint injusti aggressores, nisi in bona fide maneant. Tamen licet bellum sit injustum, raro expedit milites in bona fide existentes monere; tum quia ii circa justitiam, vel injustitiam belli non discutiunt; tum quia plerumque heroicitatem necessariam non habent martyrium quærendi justitiæ amore. Sic monitio ex una parte inutilis, et ex alia nociva esset. *(Frassinetti, Scavini).*

III. Principes, duces, et qui bellum injustum indicunt, ac in eo mandant, de damnis in solidum tenentur a se, et ab exercitu illatis; nam eorum causa directa, injusta, et efficax sunt.—Milites vero in bello injusto tenentur de damnis, quæ per privatam actionem intulerunt; causa siquidem aliorum non sunt.—Idem, cum urbs injuste ad prædam datur, dicendum est de gregariis militibus, ut probabiliter dicunt *Dian., Silv., Navar., aliique.*—Tamen in bello injusto singuli pro rata tenentur de damnis a toto exercitu illatis, nisi ex gravi metu ad præliandum coacti fuerint. Sed in praxi raro de iis monere illos expediet, si in bona fidé sint, tum ratione periculi, tum etiam ratione impotentiæ restituendi. (*Lugo, Scavini, Gury, n.* 747).

903. Q. *An cives, qui belli tempore ingens damnum passi sunt, jus habeant ad compensationem a gubernio?*

R. Negat *Vazq.*, quia id permittit jus belli. Affirmat *Grotius* cum aliis; nam postulat æquitas, ut onera rite distribuantur, et maxime ut compensentur extraordinaria damna sive ab hostibus, sive a civibus adversus hostes illata. (*Hien.*). En España á las reclamaciones de los particulares en solicitud de indemnizacion por perjuicios de guerra, debe acompañar un certificado del Registro de la propiedad segun Real órden de 17 octubre de 1877.

904. **De militibus desertoribus.** Sub gravi ad castra redire tenentur ex justitia legali; imo si stipendio a principe sint conducti, etiam ex justitia commutativa. *Ita Gury cum communi.* Excipe 1.° si bellum certo injustum sit; —2.° si media ad vitam necessaria, vel ad animæ salutem (uti si confiteri non possint), eis non suppeditentur; —3.° si redeundo, gravissimis pœnis essent plectendi; nemo enim videtur se ultro iisdem subjicere teneri. - Qui vero pro aliis se locaverunt, et militiam sine causa deseruerunt, restituere insuper acceptum pretium danti obstringuntur; non illud quippe tribuerunt, nisi sub militiæ onere. Tamen hoc valere tantum videtur, ubi qui militem loco sui conduxit, periculo militiam subeundi exponatur. (*Gury, n.* 748, *Scavini, n.* 645).

905. Q. *Quid de illis, qui pecunia, et fraudibus medicos, vel magistratus ad se liberandos corrumpunt, vel fuga se a malitia subtrahunt?*

R. I. Qui magistratus, et medicos corrumpunt, ut ab eis invalidi declarentur, ad restitutionem primario tenentur; directe quidem, injuste, et efficaciter eos movent, ut in munere suo deficiant in aliorum damnum. *Ita omnes,* ait *Gury*, et ut certum dat *Scavini.* Sed de hisce resolvi potest sicut de aliis ut infra. (*Ballerini*).—In corruptoris defectu plures dicunt restituere teneri corrupti, uti cooperatores damno concurrentes.

II. Item qui fraudibus, mendaciis, mutilatione, et fuga se a militia subtrahunt; postquam enim sors juxta leges definivit, quinam militiæ onus subire debeant, quinam autem eximantur, postulare quidem videntur justitiæ jura, ne militiæ jam designati iniquis mediis utantur ad excutiendum onus, quod in exemptos recidat, necesse est. (*Ita Bouvier, Gousset, n.* 1002, *Gury, n.* 749, *cum communi*).

III. Tamen plures id negant, etsi contra justitiam legalem peccet decipiens; nam hic nec physice, nec moraliter magistratus incitat ad alios inscribendos; neque est causa damni injusta; non constat siquidem alios jus strictum habere, ut sorte designatus in militiam eat: quod in illius defectu alius vocetur, per accidens se habet; deceptio non inducit ad alios

vocandos, sed tantum ad liberandum deceptorem. Neque si profugus, vel deceptor deprehendatur, compensatio aliqua ei imponitur. (*Ita Collat.*, *Anic.*, *de Rest.*, *n.* 172). *Lyonnet* utramque opinionem æque probabilem admittit. Si ergo hæc opinio sat probabilis est, in praxi *sapientissimum erit non urgere ad restitutionem,* ait *Ballerini*, *n.* 749; quia melior est conditio possidentis. Insuper plerique ignorant injustitiæ periculum, et raro moniti optemperarent; relinquantur ergo tunc in sua bona fide. (*Scavini, n.* 646, *Gousset*, *Gury*, *et alii*).

IV. Qui injuste ad militiam obligatur, jus habet se redimendi pecunia, protectione, etc., et justitiam quærere. (*Frassinetti*).

DE SEXTO, ET NONO DECALOGI PRÆCEPTO.

NON MOECHABERIS... NEC DESIDERABIS UXOREM EJUS. (*Exod.*, XX, 14, 17.)

Juvat in primis referre, ac propria nobis facere *S. Ligorii* verba in principio hujus tractatus. « Nunc ægre materiam illam tractandam aggredimur, cujus vel solum nomen mentes hominum inficit... Utinam brevius, aut obscurius explicare me potuissem! Sed cum hæc sit frequentior, atque abundantior confessionum materia, propter quam major animarum numerus ad infernum delabitur, hinc opus mihi fuit, ad instructionem eorum, qui moralem scientiam cupiunt addiscere, ut clare (licet quo certissime fieri potuit) me explicarem, et plurima particularia discuterem. Oro tamen studiosos, qui ad munus audiendarum confessionum se parant, ut hunc tractatum, quemadmodum et alium de debito conjugali... legant ob hunc unice finem, omnem prorsus curiositatem abjicientes, atque eo tempore sæpius mentem ad Deum elevent, et Virgini Immaculatæ sese commendent, ne, dum aliorum animas Deo student acquirere, ipsi suarum detrimentum patiantur. »

CAPUT I.

De luxuria in genere.

906. **Luxuria** *est inordinatus appetitus, aut usus rei, vel delectationis venereæ;* nempe extra matrimonium.—Unde sextum Decalogi præceptum prohibet quamlibet luxuriam externam, seu opere patratam.—Nonum vero prohibet etiam luxuriam mere internam, seu impudicas delectationes, ac desideria.

Delectatio est *quies appetitus in aliquo, quod placet.*—Triplex est, *spiritualis, sensibilis,* ac *venerea.*—1.ª est *quies appetitus spiritualis in bono extra sensus posito;* v. gr. in veritate. De hac nulla quæstio. 2.ª est *quies appetitus sensitivi in aliqua impressione grata ex re visa, vel audi-*

ta, aut tacta, quin spiritus genitales commoveat, neque ad hoc ordinetur. 3.ª est *quies appetitus sensitivi sese oblectantis circa res, vel partes corporis venereas. S. Lig., n.* 413. Eadem persona esse potest objectum hujus triplicis delectationis. 1.º Si amatur ob dona naturalia intellectus, vel moralia animæ, est delectatio spiritualis, quæ ex se bona erit. — 2.º Si amatur ob quandam corporis excellentiam, est delectatio sensibilis. — 3.º Si vero ob voluptatem carnalem, est venerea delectatio. *Venerea dicitur omnis delectatio ex se ad generationem tendens,* a *dea Venere;* ideo quia illam generationi præsidem dicebant pagani. Hic tamen nomine venereæ delectationis intelligimus omnes cogitationes, desideria quæcumque, ac opera mala in genere luxuriæ.

907. Q. *An sit peccatum delectatio?*

R. Distingui oportet præter supra dicta de gaudio, desiderio, et delectatione morosa, n. 334. I. Si agitur *de delectatione pure naturali,* quæ nempe a proportione objecti cum organis sensuum exurgit, v. gr., quæ ex olfactu floris, ex cœli aspectu, ex haustu gelidæ, percipitur, in se mala non est. Quis arguet de peccato eum, qui delectatur in aspectu syderum! *(La Croix, Viva, Ballerini, aliique).* Mala esse poterit rationi finis, vel periculi operantis.

II. Si *de delectatione mere sensibili* admissa agatur, venialis *per se* erit, rationi objecti, vel ratione finis aliquantisper indecentis, uti aspicere pulchram mulierem, ejus manus, vel pedes tangere cum delectatione tantum mere organica, et sensibili; minime vero venerea, vel conjucta cum periculo ulterius progrediendi; non enim gravis ibi habetur deformitas. Sane quis dicet grave cum hac sensibili delectatione esse puerum osculari? *(Ita Billuart, Coll., Silv., Gousset, Gury, aliique).* Item ex se venialis erit pure sensibilis delectatio, quæ quæratur, et percipiatur ex osculis, tactibus, et amplexibus etiam personæ adultæ, et diversi sexus, qualis est quæ datur ex tactu rei lenis, et suavis, sistendo ibi, et secluso periculo ulterioris delectationis venereæ; quod in praxi raro eveniet; propter quod aliqui AA., ut *Cajet., Salm., S. Lig., n.* 416, merito in genere tenent hanc sententiam non esse practice probabilem contra *S. Anton., Silv., Gury, n.* 411, *et alios*). (V. n. 933).

Tamen, ut advertit *S. Lig.*, aliud est agere *propter delectationem,* aliud agere *cum delectatione.* Si *primo modo* quis agat, in praxi vix præcisio pure sensibilis in osculis, aspectibus, amplexibus, et tactibus supradictis, haberi potest; nam, qui studiose ex his delectationem quærit, profecto et interiori animo, et sæpe exterioribus quoque actibus ad ulteriora provehetur, ut merito ait *Ballerini, n.* 411, *cum Billuart.* Ratio, quia ob corruptionem humanæ naturæ ejusmodi actus vix deduci in praxim ob delectationem sensitivam possunt, quin conjungatur venerea delectatio; nam a delectatione sensuali ad veneream, maxime in sensu tactus, aut visus, facilis est progressus. *Bill., S. Lig., n.* 416.

Si vero *secundo modo* quis ageret, v. gr. medicus, qui ex necessitate mulierem tangeret cum sensibili delectatione, quin in ea sistat, nec eam quærat, sed detestetur, nullum peccatum committit; veniale si aliquantulum in illa mera sensibilitate sistat; mortale vero si plene in illa quiescat, vel jam agat propter delectationem carnalem, vel cum proximo periculo in hanc incidendi. Etiam hoc *secundo modo* facile mortale erit peccatum, tum ratione periculi, tum ratione scandali, maxime

si res inter diversi sexus juvenes eveniat; et præsertim si hujusmodi delectatio sensibilis cum mora, vel affectu sit conjuncta, ob corruptam naturam. *(Ita Dian., Salm., Fil., Scavini, aliique).*

III. Denique si sermo sit de *venerea delectatione* extra conjugium, sive directe, sive indirecte quæsita, grave est peccatum *ex genere suo toto,* si cum plena deliberatione fiat. Constat 1.° Ex S. Scriptura: *Opera carnis: quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria,... qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Galat., c. v. — 2.° Ex ratione: delectatio enim malitiam, vel bonitatem sumit ab objecto, ac fine; luxuriæ objectum graviter rationalem naturam offendit, ac fini a Creatore stabilito opponitur; nam, ex *Galeno, aliisque*, in omni venerea delectatione fit quædam seminis resolutio, et est veluti inchoata pollutio, seu modus ad eam: extra matrimonium ergo non licet id usurpare sine gravi recti ordinis perturbatione, ac dedecore: nam, ut ait Apost.: *non enim vocavit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem.* (I Thes. IV). — 3.° Ex prop. 40 ab Alexandro VII damnata, quæ sic jacet: *Est probabilis opinio, quæ dicit esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem, sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo ulterioris consensus, et pollutionis.* Hinc quælibet etsi momentanea delectatio ex se mortale est peccatum. Quando vero delectatio est indirecte, vel in causa tantum volita, esse potest venialis, vel mortalis; tunc enim eo gradu mala est, quo mala est ipsa causa. (V. n. 10).

908. **Rudes, et impuberes** non facile credunt spurcitias suas sub gravi, neque sub levi prohiberi, etsi se subducant ab extraneorum conspectu. Aliunde solo fere sensu, ac phantasia, vel curiositate, et levitate ducuntur pueri; ast hodie non raro aliud docet experientia in aliquibus pueris ob aliorum scandalum: tamen etsi innatus pudor vehementer reclamitare videatur inter pueros disciplinatos, ac christiane instructos, non ita semper se habet inter alios rudes, et maxime turpibus aspectibus assuetos, a catechesibus alienos. Si ergo illi asserunt se ignorasse aspectus, cogitationes, verba, et opera sua luxuriosa mala esse, credendum eis, vel saltem illa judicanda erunt, ut coram Deo sint. Aliqui confessarii facile de mortali pecata illa judicantes, non raro ipsis pœnitentibus suadent, ut dein de ipsis sese accusent; unde oriuntur, maxime in fœminis, plurimæ confessiones nullæ ex materiæ defectu, uti experientia testatur. Huc facit illud D. Thomæ: *Si ignoratur deformitas, voluntarie quidem facit fornicationem, sed non voluntarie facit peccatum.* (De malo, q. 3, a. 8).

Tamen graviter sunt reprehendendi, ac vigilandi præfati juvenes; alias magis in luxuriam progrediuntur quam in annos; et etiamsi optime educati nolunt amplius mentem suam studiis, virtutibus, spiritualibusque exercitiis applicare: quocirca in iis a pueritia assueti, rarissime postea corriguntur. Hinc etiam gravissimum monitum parentibus, parochis, et confessaris sit, nempe sedulo curare debent, ne una simul parentes in lecto, et pueri dormiant, vel pueros, puellasque ad lectulum, aut ad animalium custodiam mittant; desides, et otiosi cum sint, non raro eveniet, ut talibus indulgeant, quæ vel tunc, vel postea in apertas turpitudines erumpent.

909. **Divisio.** I. Luxuria alia est *perfecta,* alia *imperfecta.* Prima *in resolutione humani seminis consistit.* — Secunda est *illa, in qua nulla*

talis intervenit seminatio. 1.ª subdividitur in *naturalem,* et *contra naturam.* Prior est *voluntaria seminis efusio ad humanam generationem apta.* —Posterior vero est *illa, in qua non servatur hæc conditio.*

II. Luxuria alia est *directe* quæsita, alia *indirecte.* 1.ª habetur *quando voluptas carnalis præcise intenditur in se;*—2.ª vero *quando aliud intenditur, ex quo voluptas carnalis præter intentionem suboriatur,* uti ex lectione minus casta ob curiositatem habita.—Hinc variæ sunt luxuriæ species, prout diversa sunt ejus objecta. Sic specie differunt aspectus, et tactus impudici; actus solitarii, et actus cum sociis habiti; actus consummati, et non consummati; item actus consummati juxta naturam, et actus consummati contra naturam. Hæ autem species alias etiam inferiores sub se continent, ut ex dicendis compertum cuique fiet.

III. Species luxuriæ perfectæ sunt sex: *fornicatio, stuprum, raptus, adulterium, incestus,* et *sacrilegium.* Pauca de singulis.

CAPUT II.

De simplici fornicatione.

910. Fornicatio simplex est *concubitus soluti cum soluta ex mutuo consensu.*—Dicitur *simplex;* quia transitorie exercetur cum una, aut pluribus solutis, ad eam distinguendam a meretricio, concubinatu, aliisque luxuriæ speciebus.—Additur *soluti;* et sunt illi, qui liberi, non solum a vinculo matrimonii, sed etiam a mutua cognatione, vel affinitate in gradibus prohibitis, a voto continentiæ, ab ordine sacro, et violentia, fornicantur.

Grave peccatum est fornicatio. Prob. 1.º Ex *jure divino,* contra Beguardos, et Beguinos. Sane ait Apost.: *Neque fornicarii... regnum Dei possidebunt.* (I Cor. VI). *Omnis fornicator, aut immundus,... non habet hæreditatem in regno Christi et Dei.* (Ephes. V).—2.º Ex *jure naturali* contra Caramuelem, et Durandum. In fornicatione ordo rectæ rationis, nempe bonum prolis non spectatur; nam, fornicatione permissa, plerumque actum esset de matrimonio; prolesque ex fornicatione suscepta, sæpe absque ulla alimentatione, ac educatione relinqueretur, maxime ob legitimitatis ejus incertitudinem; inde subversio ordinis moralis, et socialis necessario sequeretur: et si aliquando non ita evenisset, per accidens se haberet; et natura considerat quæ communiter eveniunt.—3.º Ex *jure ecclesiastico,* uti constat ex prop. 48 ab Innoc. XI damnata, quæ dicebat: *Tam clarum videtur fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, sed solum esse malam, quia interdictam, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.*

911. Q. *An fornicatio post sponsalia cum alia persona habita aliquid superaddat?*

R. Probabilius non adest adulterium; nam deest conjugium. *S. Lig., n.* 447.—Censent aliqui cum *Ronc., et Salm., n.* 11, circumstantiam sponsalium in confessione esse aperiendam, ratione injuriæ alteri illa—

tæ, tamquam speciem mutantem.—*Alii* denique cum *Trull.*, *Dian.*, *Lay.*, *Sanch.*, *S. Lig.*, *l. c.*, satis probabile docent esse tantum circumstantiam aggravantem, cum sponsus per sponsalia nullum acquirat jus super corpus alterius.

912. **Meretricium** est *status mulieris omnibus prostitutæ*. Nomen a *mercede* venit, quam recipiunt illæ perditæ mulieres. Est hoc 1.° humanæ speciei opprobrium;—2.° habitualis pravi animi dispositio;—3.° ingentis scandali occasio;—4.° prolis nocumentum.—Ex quibus patet incapaces absolutionis esse, donec larga experientia eas emendatas doceat; et quamvis tunc absolvi possint, ad Eucharistiam admitti nequeunt, quin publice de earum conversione constet, ad scandalum vitandum. (*Scavini*, *l.* 1, *n.* 768).

Q. *An licite in societate permitti possint meretrices?*

R. Nega, *practice loquendo;* siquidem non solum pejora mala non vitantur, ut aliqui asserunt cum *SS. Augustino, et Thoma,* eas comparantes cloacis palatii, sed potius multiplicantur mala omnia, et nuptiæ vilescunt, et plurimi impuberes, et juvenes ob concubitus facilitatem malum addiscunt, et operantur, quod alioquin nunquam fecissent; imo libido altiores figit radices, cum hoc vitium facilitate, et frequentia magis augeatur, experientia teste. Indeque hebetantur sensus, negliguntur studia, solicitatio crescit, moralitas decrescit, ac deperditur fides.

Unde urbium magistratus, si commode possunt, impedire id tenentur: tamen qui bona fide asserunt, se malum istud tollere non posse, arbitramur, ait *Del-Vecchio* cum *Bouvier*, esse absolvendos. *Ita probabilius*, *et communius cum Scavini, S. Ligor.*, *l.* 3, *n.* 434.—In omni autem casu non poterit permitti nisi in magnis urbibus; et in vilissimum locum meretrices sunt amandandæ, ut ait *P. Sarnelli. (Opusc. de abusu meret.)* *Ita S. Lig.*, *l. c.*

913. Q. *An sit confitenda meretricii circumstantia?*

R. 1.° Docent communiter AA. fornicationem cum meretrice pejorem esse, quam cum soluta; quia in illa impeditur prolis generatio.—2.° Leviorem esse quam cum concubina; nam in concubinatu non solum peccatur, sed vivitur in peccandi habitu. Tamen *per se* peccati speciem non mutat talis differentia; *per accidens* sæpe erit in confessione explicanda ad statum, et genus occasionum manifestandum; semperque interroganti confessario est aperienda.—3.° Plurimi cum *Lugo* docent graviorem, et specie diversam esse fornicationem cum infideli; eo quia est etiam contra virtutem religionis. (*Varceno*, *p.* 293). Sed hoc probari nequit; ista enim non est religiosa communicatio, quæ sola cum illis in genere prohibetur.

914. **Concubinatus** *est frequens concubitus soluti cum una eademque soluta.* 1.° Nihil differt quod in eadem, vel diversa domo habitent concubinarii ad hoc, dummodo uxorio more vivant.—2.° Si hic cum uxorata habeatur, etsi improprie concubinarii sint, adulterii etiam malitiam induunt; et duplex tunc habetur peccatum.

Pœnæ contra concubinarios sunt: 1.° Excommunicatio *ferenda* post trinam monitionem *a Trident.* inflicta.—2.° Ejectio extra oppidum, vel diœcesim, auxilio brachii sæcularis implorato. — 3.° Privatio tertiæ fructuum beneficii partis quoad clericos, post *primam* monitionem, non vero quotidianæ distributionis ex *S. C.;* nomine fructuum hæc quidem

non venit; post *secundam* monitionem privatio pensionum, et beneficii administrationis; post *tertiam*, privatio ipsius beneficii. Dein excommunicentur; et potest quoque Episcopus eos tradere curiæ sæculari.—In Episcopos autem hoc crimine reos, lata est suspensio, post concilii provincialis monitum. (*Sess.* 24, *c.* 8, *et* 22, *c.* 14, *et* 25, *c.* 4, *de R.*). Controvertitur an clericus concubinarius sit ipso jure suspensus. Sed de tali suspensione non constat. *S. Lig. n.* 442.

CAPUT III.

De stupro, et rapto.

915. **Stuprum**, *latiori* significatione, ac juris civilis norma, *est violatio mulieris ipsa invita.*—*Stricto* vero sensu, jure canonico accepto, definitur: *Defloratio virginis, ipsa invita.(C. Lex illa* 2, § *fin. caus.* 36, *q.* 1). Si consentiat, erit simplex fornicatio. Nomine virginis, quoad pœnas, lex civilis etiam viduam honeste viventem intelligit.— Stuprator esse potest tam fœmina, quam vir. *(Varceno, p.* 295). Virginitas hic sumitur pro carnis integritate, non pro virtute: Unde I. Stuprum erit in illa, quæ aliter venereis delectationibus quibuscumque peccaverit.

II. Stuprum est fornicari cum ebria, amente, fatua, aut dormiente, sine previo ejus consensu; nam per vim interpretativam violatur, ac gravis ei certo infertur injuria. *(Scavini, p.* 426, *cum communi).*

III. Item cum virgine dolo, aut alia injusta ratione, in deflorationem inducta, uti 1.° per metum reverentialem, – 2.° per metum cadentem in constantem puellam;—3.° per fraudulentam matrimonii, aut magnæ dotis ad aliud matrimonium promissionem;—4.° per repetitas, importunasque preces, saltem si iis adjungantur minæ. *(Scavini, Gury, Ballerini, n.* 425).

IV. Stuprum est vim inferre etiam mulieri jam corruptæ, aut viduæ; stuprum enim consistit in violentia, et injuria, quæ mulieri infertur. Unde 1.° si quis mulierem conjugatam opprimat, adulterium, et stuprum simul committit;—2.° si cum virgine physice, vel moraliter coacta, aderit fornicatio, et gravissima injuria contra puellam, et parentes ejus; aut virum, si conjugata sit oppressa; –3.° si cum consentiente, sed invitis parentibus, erit fornicatio, ac in parentes injuria; vel si inde dedecus, mœror, rixa, vel odium parentibus obveniat, in quorum custodia erat puella. *(S. Lig., n.* 443, *Scavini, p.* 426).

V. Stuprum non est fornicari cum virgine plane consentiente, etsi prima vice, nec *per se* in confessione est tunc declaranda virginitatis circumstantia; nulla sane adest injuria, sed tantum fornicationis peccatum. (*Suar., Gury, Scavini, aliique*).

VI. Ratione injustitiæ in confessione est certo declaranda circumstantia violentiæ, seu stupri; nam si agitur de virgine, 1.° stuprator carnis integritatem aufert;—2.° non raro legitimas impedit nuptias puellæ;—3.° in via meretricii eam ponit.—Porro cum agitur de casuum reservatione, vel de pœnis canonicis in stupratores latis, stuprum accipitur stricto sensu. (*Scavini, Ballerini, n.* 425).

916. **Raptus** (prout est species luxuriæ distincta, non vero quatenus est matrimonii impedimentum, de quo T. II, n. 943, erit) definitur: *Abductio viri, aut fœminæ sive nuptæ sive non, libidinis causa, e loco tuto ad non tutum, per vim, vel metum, dolum, ac fraudem gravem ipsi, aut iis illatam, quorum subest potestati.* (*S. Ligor., n.* 444). Scilicet, parentibus, aut tutoribus, aut viro; non autem aliis. *Ronc., Mol.*

In raptus crimine duplex adest malitia gravis, nempe, *luxuriæ* ex parte *intentionis*, et *injustitiæ* ex parte *actionis*, tum contra personam raptam, tum contra eos, in quorum potestate est constituta, nisi rapta sit jam ipsa sui raptoris sponsa consentiens; ratione enim sponsalium quoddam jus in illam habet raptor.—Crimen raptus, et desiderium libidinis post raptum expletum speciem luxuriæ diversam constituunt in confessione declarandam. (*Gury, n.* 427.)—Tamen non est raptus, sed fuga, si mulier plene consentiens abducatur, vel cum amasio discedat, nisi sit minor, et simul ejus parentes, seu tutores, aut curatores invite hoc patiantur; aut conjugata, et dissentiat vir. (*S. Ligor., n.* 444).

Ex Trident. raptor ducere, aut dotare raptam tenetur, nisi sit meretrix, aut malæ famæ; quod non tantum est pœna, quam justa compensatio. (*Sess.* 21, *c.* 6). Codex pœnalis hispanus in raptores animadvertit, *art.* 368, *etc.*

CAPUT IV.

De adulterio, et incestu.

917. **Adulterium** est *illegitimus concubitus viri cum muliere, quorum alteruter, vel uterque sit conjugio ligatus.*—Duplici modo committitur adulterium: 1.° dum persona soluta ad conjugatam accedit, aut viceversa; — 2.° dum conjugata accedit ad aliam conjugatam.

Adulterium est grave peccatum, tum contra castitatem, tum contra justitiam unam, vel duplicem, prout una tantum pars est conjugata, vel utraque simul. In confessione aperiendæ necessario hæ circumstantiæ sunt: nam ex Apost.: *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.—Nolite errare: neque fornicarii,... neque adulteri,... regnum Dei possidebunt.* (I Cor. VII, et VI). Semper gravius erit, si persona conjugata sit fœmina, ob incommoda graviora, v. gr. prolis incertitudinem, generationis impedimentum. *S. Lig., n.* 445. Scelus hoc, vel ipsi gentiles detestati sunt, ac prohibuerunt, uti Solon apud Græcos, Romulus apud Romanos. Revera sola naturalis ratio contractus, ac damnorum ex adulterio exurgentium tum erga prolem, tum erga pacem, malum esse adulterium, dictat.

Q. *Quid si maritus, vel mulier consentiat?*

R. Adhuc aderit adulterium; conjuges siquidem in hoc non possunt valide, et efficaciter juri proprio renuntiare; imo adhuc violarentur jura divina, sacramenti, et jura indissolubilia, ineluctabiliaque matrimonii. Hinc ab Innoc. XI damnata est hæc prop. sub n. 50: *Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium; ideoque sufficit in confessione dicere se esse fornicatum.*

Imo probabilius ipse maritus etiam cum propria uxore adulterium committere potest, si nempe eam sodomitice cognoscat; nam hoc est contra bonum datæ fidei; quod igitur est in confessione explicandum. *Ita communiter Salm., Scavini, S. Ligor., l.* 3, *n.* 446, contra *paucos.*

918. **Incestus** est *concubitus cum consanguineis, vel affinibus intra quartum gradum inclusive;* eo gravius peccatum, quo gradus est propinquior, sive cum matre, sive cum noverca; tam cum sorore propria, quam cum sorore uxoris; sive cum affine, sive cum cognata spirituali, vel legali. (*S. Ligor., n.* 448).—Hæc cognatio quadrupliciter oritur: 1.° ex sanguinis communione, et dicitur *consanguinitas;* — 2.° ex copula carnali, et dicitur *affinitas;* — 3.° ex baptismo, et confirmatione, et dicitur *cognatio spiritualis;* —4.° denique ex legali adoptione, et dicitur *cognatio legalis.* Unde carnale peccatum cum talibus conjunctis perpetratum dicitur *incestus;* et præter luxuriæ fœditatem, aliam specialem continet; cum graviter repugnet reverentiæ naturali debitæ propinquis. Et in S. Scriptura incestus *res nefaria* dicitur, ac morte dignus incestuosus. (*Levit.* xx). (*Gury, Scavini, S. Ligor., n.* 448).

919. Q. *An tactus, et oscula turpia usque ad quartum gradum inter conjunctos sint incestus?*

R. Affirma probabilius ac communius, quoad 1.m et 2.m gradum de omnibus tactibus impudicis; estque explicanda species personæ complicis, an sit consanguinea, vel cognata legalis, aut spiritualis, conjugata, vel sacra; malitiam quippe actus ad quem ordinantur, induunt: controvertitur quoad alios. Aliqui etiam affirmant; nam ex lege Ecclesiæ jam debetur his omnibus aliqua specialis reverentia, vel pietas, quæ deturpatur cum actibus impudicis. (*Ita Varceno, Scavini, S. Ligor., l.* 3, *n.* 453, *et* 469, *Salm., n.* 92, *qui asserunt esse commune*). (V. n. 935.)

Item ad incestum revocatur copula inter personas, quæ ob impedimentum publicæ honestatis matrimonium secum inire nequeunt; et etiam si tutor suam pupillam corrumpat. *Scavini, p.* 428. Tamen ad pœnas incurrendas requiritur, ut incestus sit non tantum formalis, seu cum scientia cognationis, sed etiam ut adsit copula perfecta; sane odia sunt restringenda. (*Scavini, n.* 744). Quoad pœnas v. T. II, n. 992.

920. Q. *An peccata incestus essentialiter differant inter se?*

R. I. Affirma inter cognatos spirituales, et legales, tum a se invicem, tum ab incestu inter consanguineos, et affines; cum uterque objectum attingat specie diversum: — 1.° in cognatione legali quamdam tantum habet similitudem cum irreverentia erga parentes; — 2.° per copulam vero cum cognatis spiritualibus, *ex D. Thoma*, committitur *sacrilegium ad modum incestus;* cum ea propinquitas sit in sacramenti reverentiam inducta. (2. 2, q. 154, a. 10). Unde in confessione qualitas legalis, et spiritualis incestus est aperienda (*Scavini, p.* 428, *S. Lig., n.* 450, *cum communi).* Probabilius non sunt explicandi gradus hujus cognationis, sed sufficit dicere, an sit legalis, vel spiritualis. (*Ita S. Ligor., l. c., et Croix* contra *alios*).

II. Probabilius incestus inter consanguineos, et affines specie non differt; cum materialiter se habeat, quod unus sit a sanguine, alius a copula; nam uterque incestus semper eodem pietatis motivo prohibetur. Hinc Angelicus ait: *Ejusdem rationis inconvenientiam facit consanguinitas, et affinitas.* Unde satis erit confiteri se peccasse cum propin-

qua. Ita *Lugo*, *n.* 313, *Gury*, *n.* 486, *Scavini, n.* 775, *S. Lig., l.* 6, *n.* 469.

III. Juxta communem sententiam solum specie differt, et aperienda est in confessione circumstantia conjunctionis in primo grandu lineæ rectæ consanguinitatis, et juxta *Salm., n.* 30, *et S. Lig., n.* 469, etiam affinitatis; scilicet inter patrem et filiam, matrem et filium, socerum et nurum, socrum et generum, privignum et novercam; cum ex se specialem exhibeat deformitatem, horrorem, ac irreverentiam. Ita *Scavini, Gury, ibid., S. Lig., l.* 3, *n.* 449, *et l.* 6, *n.* 470, *et alii.*—Idem dicunt *Lugo, Salm., n.* 28, *etc.* de primo lineæ transversalis gradu. Attamen *Cajet., Dian., Tamb., Bon., n.* 6, *Gury, n.* 486, *Scavini aliique plurimi* æque probabiliter ut asserit *D. Lig., n.* 470, docent, omnes incestus inter consanguineos, excepto tantum primo gradu in linea recta, nempe, cum filia, vel matre, esse ejusdem speciei; et alios gradus solum constituere circumstantiam aggravantem graviorem quidem quo propinquior sit gradus, ratione majoris irreverentiæ, sed non necessario explicandam in confessione; ita ut sufficiat confiteri incestum fuisse commissum. Ratio; quia necdum conjugalis commixtio inter eos est prohibita nonnisi de jure ecclesiastico; olim siquidem filiis Adæ licitum fuit de jure naturæ cum suis sororibus conjungi: specifica diversitas solum per naturale jus constituitur; ergo.

Probabilius incestus non adesset inter confessarium, et ejus filiam confessionis rem cum ea habendo. (*S. Ligor., n.* 465). De Sacrilegio *vide n.* 466.

Erit nunc de luxuria perfecta contra naturam, seu de pollutione, sodomia, ac bestialitate.

CAPUT V.

De pollutione.

921. **Pollutio** est *humani seminis effusio sine congressu cum alio.*—Hinc pollutio omnino differt a distillatione, *quæ est alterius humoris effusio quasi guttatim facta,* ut docent *DD.;* nam ut dicunt medici, sine libidinosa carnis rebellione, ac delectatione, nullus pollui vigilans potest; secus vero dicendum de distillatione, ait *D. Thom., opus.* 64.

Q. *Quid de impuberibus, eunuchis, ac fœminis?*

R. Certum est graviter peccare hos omnes, si impudico conatu semen ejicere conentur, etsi revera non illud perfectum, et ad generationem utile ejiciant; nam adest tactus impudicus, et saltem pravum desiderium graviter vetitum, et nihil differt gravitate a pollutione adultorum. *S. Lig., n.* 476.—Tamen in his non accidit vera pollutio. Ita *Sporer, p.* 4, *n.* 39, *Holz., p.* 2, *n.* 686, *Babensttuber, tr.* 5, *d.* 7, *art.* 2, 71, *Tamb., de* 2, *Eccl. præcep., c.* 17, *n.* 13, *Ballerini, n.* 429, quoad impuberes, et eunuchos. Et quoad fœminas, *Bon.*, de Matr., q. 4, p. 6, n. 13, et *Sanch.*, l. 9, disp. 17, n. 9, dicunt: *Fœmineum semen, nec esse necessarium, nec active ad generationem concurrere, docent Galenus, Aristoteles, Avicenna, Albertus M., Hugo Senensis, et multi alii, et universa Thelogorum schola cum S. Thoma,* 3, *q.* 31, *a.* 5, *ad* 3. *Quod inde constat; quia, experientia*

teste, fœminæ omnino invitæ..., semen virile recipientes, concipiunt; tunc autem minime seminant; ergo... Ita hodie communiter sentiunt medici, ut fatetur *Elbel*, p. 4, *conf.* 9, *n.* 253.

Ex quibus aperte deducitur, quod si jam antea ob plures causas confessarii parce de qualicumque hac pollutione impuberes, et maxime mulieres erant interrogaturi, hodie omnino circa hoc silendum est; quia utcumque graviter peccent, tamen non adest ratio externæ, seu illius specialis consummatæ malitiæ; vel saltem dici potest: *Lex dubia non obligat.* (*Ballerini*).

922. **Divisio.** I. Pollutio est *simplex*, vel *qualificata;* prout aliam habet malitiam conjunctam, ut incestus, sacrilegii, etc., vel non.

II. *Directe*, vel *indirecte* voluntaria; ut si quis voluntarie eam excitat, vel involuntarie ex naturæ superfluitate, organorum imbecillitate, somnio non ad hoc prædisposito, vel a causa naturali producatur. De hac nulla quæstio; nam habetur, uti sudor corporis.

Pollutio *directe,* et *perfecte voluntaria* semper mortale peccatum est. Nec excusat causa sanitatis, aut alias vitandi certam mortem. *S. Lig.*, *n.* 476. — Constat ex *jure divino, naturali, ecclesiastico,* ac *ratione.* 1.° *Ex jure divino:* Legimus, Deum percussisse Onan, quia *semen fundebat in terram,* eo quod *rem detestabilem faceret.* (Gen. XXXVIII). Deinde Apost. I Cor. VI, ait: *Neque fornicarii,... neque molles... regnum Dei possidebunt.* — 2.° Ex *jure naturali;* nam pollutio gravius quam ipsa fornicatio naturæ ordini, qui est prolis generatio, opponitur, ac unico hujusmodi fini a Creatore intento adversatur. — 3.° Ex *jure ecclesiastico;* nempe ex hac prop. 49 ab Innoc. XI damnata: *Mollities jure naturæ prohibita non est.* — 4.° Ex *ipsa ratione;* nam si aliquando esset permissa, aut sub levi tantum vetita, facillime ob tantam naturæ corruptæ in luxuriam proclivitatem habitus pollutionis contraheretur; ac proinde naturæ ordo subverteretur. (*Sanch., Less., Gury, n.* 429). Attamen omnes pollutiones secundum se sunt ejusdem speciei, quocumque modo fiant, si fiant sine concubitu, ait *S. Lig., n.* 476 cum *Azor., aliisque.* Dicitur *secundum se;* quia ratione circumstantiarum ei adjungi possunt aliæ malitiæ; v. gr. sacrilegii, si polluatur sacerdos; adulterii, si conjugatus, etc. *S. Lig., l. c.*

923. Q. *An liceat actionem ponere de se honestam, ex qua tamen prævideatur secutura pollutio?*

R. I. Si adest aliqua necessitatis, utilitatis, vel commoditatis causa, sive spiritualis, sive corporalis, sive propria, sive aliena, licet, quamvis ex se in pollutionem influat causa illa, et multo magis de distillatione valet, modo 1.° pollutio ab agente nullo modo intendatur; nam intentio mala opus etiam bonum vitiat; — 2.° quodlibet excludatur in eam consentiendi periculum; tunc enim habetur potius passio, quam actio; non enim ex malitia, sed ex naturæ infirmitate provenit. *Ita Billuart, Gury, n.* 429, *Scavini, S. Ligor., n.* 483, *aliique communiter cum S. Thoma, qui* ad rem ait: *Nihil prohibet unius actus esse duos effectus, quorum alter solum sit in intentione, alius vero sit præter intentionem. Morales autem actus recipiunt speciem secundum id quod intenditur, non autem ab eo quod est præter intentionem, cum sit per accidens.* (2. 2, *q.* 64, *a.* 7). — Tunc homo utitur jure suo, a quo abstinere non tenetur cum adsit causa. Major autem ratio pro majori periculo requiritur. (V. n. 10).

Hinc resolves : I. Licere doctoribus, confessariis, scholasticis, medicis, chirurgis, in balneo aliis servientibus, et similibus ministeriis sui status vacare, nempe audire, legere, et quoad medicos præsertim aspicere, tangere in necessitate res turpes, etsi suboriatur involuntaria pollutio. Tamen si aliquis ipsorum aliquoties in ipsam consenserit, ob his abstinere tenetur, si valet absque suo gravi incommodo famæ, fortunæ, etc. Si fuerint medici, vel parochi, modo proponant in futurum se præcavere ad vitandum peccatum, officium suum exercere poterunt; et forsan sæpe tenentur: sed si in iis occasionibus semper, vel fere semper lapsi fuerint omnes memorati, etiam cum jactura vitæ, officium deserere tenentur; (dummodo non appareat nova emendationis spes), juxta illud : *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, et projice abs te.* (Matth. v). Aliquando permitti potest peccati periculum, nunquam tamen ipsum peccatum. *(Ita communissime cum* S. *Lig., l.* 3, *n.* 438, *et l.* 6, *n.* 457). Recte monet *Laym.* eum, qui in actionibus honestis, et utilibus talem experitur miseriam, facilius liberari contemnendo, quam æstimando, vel nimis timendo; imaginatio sane timore augetur.

II. Item licere utilitatis, vel recreationis causa equitare; in aliquo situ, vel lecto elastico decumbere ad commodius quiescendum, etsi inde sequatur involuntaria pollutio, remoto tamen semper periculo consensus; nam sic utitur jure suo agens, et causa ex se honesta est. (*Ita communiter*).

III. Licere etiam eadem ratione cibos, aut potus calidos moderate sumere, honestas choreas ducere, colloqui, osculari, amplexari mulieres juxta morem patriæ, si alioquin incivilis habendus esset, *ut communiter dicunt S. Antoninus, S. Thomas, S. Lig., n.* 481 *et* 483.

IV. Item licere iis, qui magnum patiuntur pruritum in verendis, tactu illum abigere, etsi per accidens sequatur pollutio; quia patiens utitur jure suo sese a molestia liberando. (*Ita communissime cum Sanch., Ron., Salm., Croix*). Merito tamen id prohibet *Ronc.,* ait *S. Lig., n.* 483, si pruritus non sit valde molestus, quamvis permittat eum abigere cum aliqua tantum commotione, si quis non habet virtute illum tolerandi.— Sed non facile credatur iis, qui talibus tactibus se polluere solent; nam ardor hujusmodi sæpe sæpius est excitatus ab habitu pravo se tangendi; et ut plurimum in se hic et nunc, et in posterum ipsum augent, abigere tactibus illum intendentes. Securius, et perfectius erit illum pati, ut monent *Croix, et S. Lig., l. c.*

Si pruritus a libidinis ardore proveniat, dicunt non licere tunc tactibus abigere; secus si dubitetur an ab ardore libidinis, vel a sanguinis acrimonia proveniat; possidet quidem libertas se liberandi a molestia per tactum de se licitum.—Si nulla adsit necessitatis, utilitatis, vel commoditatis causa, illam actionem ponendi, nefas est eam ponere; nam rationalem creaturam dedecet sine justa causa pollutionem etiam indirecte admittere. (*Ita communiter cum Scavini, p.* 432).

924. Q. *Quale peccatum committit, qui absque dicta justa causa actionem ponit, ex qua prævidit secuturam esse pollutionem?*

R. I. Si actio illa proxime et per se mortalis in genere luxuriæ in pollutionem influit, erit mortale, etsi in se pollutio non sit intenta; nam lex naturalis, ac divina graviter pollutionem prohibens, obligat etiam sub gravi ad non ponendas causas proxime, et per se in eam influentes, v. g. cogitationes morosas de rebus valde turpibus.

II. Si leviter, et remote tantum influat in genere luxuriæ, non erit nisi veniale, modo non fuerit intenta pollutio, nec adsit periculum consensus; cum enim non sit volita in se, sed tantum in causa, eo gradu est mala, quo mala est ipsamet causa; tunc a causa potius naturali procedere censetur, quam ab illa leviter, ac remote in eam influenti. (*Scavini*, *Gury*, *S. Lig.*, *n.* 484, *cum communi*). Hinc:

1.° *Proxime*, et *per se influunt illæ actiones, quæ directe, et natura sua gravem culpam constituunt in genere luxuriæ;* uti voluntarius aspectus, tactus, colloquium, lectio, auditio, cogitatio rerum valde turpium; v. g. aspectus concubitus humani; tactus vel aspectus pudendorum alieni, aut proprii corporis cum delectatione, tunc pollutio est voluntaria, saltem in causa; nam hæc *per se* grave pollutionis periculum induunt; et cum sine justo motivo, et fine ponatur causa, volita dici debet. (*Ita communiter cum Scavini*, *Gury*, *D. Thoma*). Et tunc actus habet specialem malitiam contra naturam. (*Ita Sanch.*, *S. Lig. cæterique*). Excipe si præfatæ actiones ponantur ex justa causa, ut n. 923.

2.° *Remote, ac leviter influunt illæ, quæ per se directe non tendunt in pollutionem, ac nonnisi levem culpam constituunt in genere luxuriæ;* uti studere rebus venereis; colloquium cum fœmina non diuturnum, vel leviter obscenum; lectio leviter turpis ex curiositate; visus honestarum partium mulieris: vel illæ quæ gravem quidem culpam *per se*, sed in alia materia constituunt, uti crapula, ebrietas, carnium commestio nimis immoderata, et similia; nam hæc non tenemur sub gravi vitare in genere luxuriæ; cum non graviter in pollutionem influant; ideo neque sub gravi erunt imputabiles quoad pollutionem; hujus enim imputabilitas tantum ab intentione, vel a sua causa, aut consensus periculo oritur; ideoque in eo gradu imputabilis erit effectus quo imputabilis sit causa; causa sub levi imputatur; ergo etiam ejusdem effectus. (*Ita communiter S. Antoninus, Gury, Scavini, p.* 433, *S. Ligor.*, *n.* 482-484). Tanto magis non erit mortalis pollutio, quæ oritur ex venialibus causis in alio genere, ut ex situ, calidorum esu, equitatu, inutili confabulatione, et similibus; modo non intendatur, nec adsit consensus periculum. *S. Lig.*, *l. c.*

Q. *An sit veniale has causas leviter illicitas in alia materia ponere, sine rationabili causa, quando ex illis pollutio sequutura prævideatur?*

R. Affirma probabilius; quia sine causa id permittere semper est quid inordinatum, ac indecens, ut docent *Sanch.*, *Less.*, *Spor.*, *Bon.*, *Salm.*, *S. Greg.*, *S. Antonin.*, *S. Lig.*, *n.* 484, *aliique*, contra *Holzm.*, *n.* 690, *Croix*, *n.* 924, *et alios*, qui dicunt pollutionem tunc oriri potius ex infirmitate.

925. Q. *Quænam causæ ab hoc veniali peccato excusant?*

R. Quævis rationabilis causa necessitatis, utilitatis, vel commoditatis, aut convenientiæ; et hoc etsi causa illa leviter mala esset in genere luxuriæ. (*Ita communiter Bon.*, *Spor.*, *Holz.*, *S. Lig.*, *l.* 3, *n.* 484). Hinc licet pueros, vel puellas docere, ægrotis in balneis servire, ipsisque balneis uti, et similia, etsi prævidetur secutura pollutio, modo non sit intenta, neque adsit consensus periculum; sub quo respectu sæpe graviter illicitæ fiunt præfatæ causæ leviter ex se in pollutionem influentes, maxime in juvenibus.

926. Q. *An infirmitas, et frigiditas personarum circa hoc sint attendendæ?*

R. Affirma; non enim omnes actiones, quæ gravem, vel levem inferunt culpam in genere luxuriæ æqualiter homines movent: et cum hoc tantum sit prohibitum ratione periculi inordinationis naturæ, hæc utique est metienda. Unde recte concludunt *Salm.*, *tr.* 26, *c.* 7, *n.* 41: *Si in aliquo corpore ratione infirmitatis... vel alterius causæ, sit positiva indispositio ad venerem, etsi illi applicentur causæ, quæ alias ex se graviter in pollutionem, aut carnalem delectationem influunt respectu aliorum... respectu tamen illius... non erunt graviter influentes, sed solum leviter, aut etiam nullo modo... quapropter... ratione earum influxus in pollutionem mortaliter non peccabit.*

E contra: non excusari a gravi illum, qui frequentem pollutionem expertus sit ex causis ex se in eamdem leviter influentibus, sed graviter respective ob suam inclinationem, ardorem, vel infirmitatem, (uti sunt peccata venialia in genere luxuriæ,) si illas sine causa ponat, quales sunt v. g. curiosa lectio, turpis aspectus picturæ obscœnæ, vel coitus animalium, tactus propriorum verendorum, vel alterius ejusdem sexus ex levitate, et similia; quia naturam rationalem, ac ordinem a Creatore statutum dedecet sine justa causa pollutionem admittere, et ratione istius personæ talis causa non leviter influit. Secus vero dicunt si pollutio ex hujusmodi causis raro eveniat. *Ronc.*, *Salm.*, *S. Lig.*, *n.* 484.

927. Q. *Quid de nocturna pollutione?*

R. Vel fuit procurata, vel non.—Si 1.^{m}, per se peccatum mortale erit, utpote volita in causa, si ea non fuerit retractata ante somnium; ut si ideo calidam potionem quis sumat, turpiter loquatur, vel cogitet, vel in certo situ cubat, cum muliere fabulatur, etc.—Si 2.^{m}, ex se nullum peccatum est, nisi vigilans ipsam approbet, aut in eam consentiat; nam in somnio deest actualis libertas. *S. Lig.*, *n.* 485.

Hinc: 1.° si seminatio consummetur in semiplena vigilia, et adsit quædam delectatio, venialis erit.—2.° Si vero in plena vigilia consummetur, gravis erit, si voluntas ipsi plene adhæreat;—3.° levis, si semiplene;—4.° nullum peccatum, si ab ipsa pollutione avertatur voluntas;—5.° et si non adsit consensus periculum, quod ex præteritis conjici poterit, non tenetur quis emissionem impedire; ne se morbi periculo exponat, uti dicunt *Sanch.*, *Spor.*, *aliique communiter;* et aliunde ut *comm.* etiam dicunt theologi cum *Concina*, *Salm.*, *Azor.*, *S. Lig.*, *n.* 479, difficillime retineri illa potest; et tunc homo non vult, sed mere patitur.—Expedit tamen signo crucis, vel piis jaculatoriis patientem se munire, ad avertendum peccati periculum.

Idem dic de pollutione in vigilia sponte sua eveniente, (quæ numquam, aut rarissime absque ulla causa, et culpa contingere videtur); potest quis sinere, ut natura se exoneret; minime vero conatu aliquo id promovere. Ratio, quia illud non est procurare, sed pati, ut effluat, quod alias corruptum læderet. (*S. Lig.*, *ibid.*) Idem admittit *Sanch.*, etsi ex copula orta prius esset pollutio, modo de ea doleat patiens, et ulteriorem consensum abstrahat.

928. Q. *An liceat de pollutione habita gaudere?*

R. Affirma; imo licet eam simplici affectu optare, ac de ipsa gaudere, (via naturali, et sine peccato facta, neque ex somno turpi, aut tactu proprio), ob finem honestum, v. g. ob sanitatem, vel minutionem tentationis, animi tranquilitatem, modo desiderium non sit ejus causa efficax

(*Ita* S. *Antoninus*, *D.* Lig., *n.* 480, *aliique*), quamquam res hæc saltem inutilis sit, ac semper periculosa, ut recte notant *Laym. et* Les., *d.* 14, *n.* 15.

929. Q. *An liceat semen nocivum expellere?*

R. I. Affirma; etsi per accidens aliqualis non corrupti seminis effusio præter intentionem sequatur; cum omnes concedant licitum esse nocentes humores expellere, etiamsi per accidens sequatur pollutio; sicut etiam licet pharmacum sumere ad expellendum morbum, etsi indirecte fœtus inanimis sit expellendus, ait S. *Ligor.*, *n.* 478: modo 1.° semen sit certo corruptum;—2.° ejus expulsio fieri possit sine libidinis sensu;—3.° alia non sint remedia.—Nunquam tamen licet tactu expellere, quamvis absit periculum consensus; cum hoc ad luxuriam ex se tendat. (*Ita communiter cum Busemb.*, *Sanch.*, *Spor.*, *Croix*, S. *Lig.*, *n.* 878). Cæterum nunc medici testantur, semen non corrumpi, sed tantum non elaborari. Secus non licet; siquidem ad solam generationem est a natura ordinatum. *Ita communius*, et *sic tenendum omnino*, ait *S. Lig.*, *cum Spor*,. *Croix*, *Laym.*, *Fil.*, *etc.*, contra *Bon.*, *et Tamb.* Probabiliter, ait *D. Lig.*, *n.* 478, concedunt *Sanch.*, *Bon.*, *Anacl.*, *Ronc.*, contra *Spor.*, *Dian.*, verum semen ope medicamentorum corrumpere, et postea ejicere; quia natura non obligat ad conservandum semen cum periculo vitæ.

930. **De motibus inordinatis**: 1.° *Motus inordinati* cum venerea delectatione, sive *graves*, sive *leves*, peccata sunt mortalia, quoties directe voluntarii fiunt, vel sponte obortis adhæret voluntas; quippe tunc adest venerea delectatio in se quæsita, quæ materiæ parvitatem non admittit.—2.° Si vero neque directe, neque indirecte a voluntate pendent, nullusque eis præbeatur consensus, ab omni labe sunt immunes. — 3.° Si eorum causa libere ponatur, quin intendantur, dicendum est, quod de pollutione indirecte volita.—Tamen facilius poni potest causa motuum, quam pollutionis. (*Gury*, *n.* 432).

931. **Distillatio** *est fluxus humoris quasi medii urinam inter ac verum semen, qui guttatim in parva quantitate decidit.* Ita *S. Lig.*, *n.* 477.

Peccatum mortale erit: 1.° si hæc directe voluntaria sit, etsi in parva quantitate, v. gr. ex turpi colloquio, aspectu, tacto;—2.° etsi tantum indirecte, seu in causa proxime in eam influente, si notabilis sit, vel cum notabili spirituum genitalium rebellione fiat;—3.° quocumque modo eveniat, si voluntas ei adhæreat; sane gravis deordinatio est venerea delectatio, ac saltem proximum pollutionis periculum. (*Ita Cajet.*, *Gury*, *Scavini*, *S. Lig.*, *cum communi)*. (V. n. 923, ac idem hic resolve.)

Si vero distillatio *indirecte*, seu in causa tantum involuntaria, et in modica quantitate, sine commotione neque delectatione eveniat, absque peccato illam permittere licet: *non magis curandum, quam de sudore videtur*, ait Cajet., *op.* 22, *q.* 1, § *animad.* cum *Bon.*, *Salm.*, *Gury*, *Scavini*, *D. Thom.*, *S. Ligor.*—Imo *Holz.*, *Tamb.*, *Spor.*, *et Elbel*, *de* 6 *præcep.*, *n.* 259, dicunt, id permitti etiam cum levi carnis commotione.

CAPUT VI.

De sodomia, et bestialitate.

932. I. Sodomiæ horrendum crimen est *libidinosus coitus cum persona ejusdem sexus.*—A Sodoma venit, quæ tota igne consumpta fuit. (*Gen.* XIX). *Neque masculorum concubitores,... regnum Dei possidebunt.* (I Cor. VI).

Duplex est sodomia; *perfecta*, et *imperfecta*. 1.ª est *coitus cum persona ejusdem sexus in quacumque corporis parte*, sive in vase præpostero, sive in ore, etc. Semper enim adest tunc, regulariter loquendo, affectus ad indebitum sexum. Ratio hujus criminis consistit in accessu ad personam, cum qua nullo modo generatio fieri potest. Ita probabilius, et communius *S. Lig., n.* 466, contra *Trull, et alios*, qui etiam tenent consistere in vase præpostero, seu indebito alterius sexus.—2.ª vero est *concubitus cum persona diversi sexus in quacumque parte extra vas naturale,* sive in ore, sive inter crura, etc., vel cum sodomitico affectu; alias esset copula inchoata saltem in affectu. Ita *Salm. n.* 82, S. *Lig., ibid. cum communiori.*

Hæc specie distincta est a perfecta, duo includens peccata contra castitatem, unum fornicationis in affectu, alterum contra naturam in effectu. Unde intelligens confessarius mulierem fuisse cognitam extra vas naturale, non debet quærere in quo loco, vel quomodo. Ita probabilius, et communius *Holz., Spor., Tamb., n. 77, et alii.*—Si vir cum mortua coierit, erit pollutio cum affectiva fornicatione. *S. Lig., ibid.*

933. *Resolves.* 1.° Si habeatur tantum applicatio manus, vel pedis ad genitales alterius aut bestiæ partes, licet ex utraque parte sequatur pollutio ex solo affectu libidinis, erit peccatum mollitiei; si vero ex affectu ad personam alterius sexus, erit piaculum fornicationis affectivæ; si autem ex affectu ad personam ejusdem sexus, præsertim interveniente aliqua corporum conjunctione, habetur sodomiæ malitia; idem dic de bestialitate. *Scavini, n.* 921, *Gury, n.* 433, S. *Lig., n.* 467. Sufficit tunc confiteri: Habui pollutionem tactibus alienis cum, vel sine tali affectu: de materiali se habet an tactibus viri, vel fœminæ illa eveniat.

2.° Communius coitus fœminæ cum fœmina est vera sodomia. Ita *Salm., n.* 80, S. *Lig., ibid., aliique*, quamvis non improbabiliter, addit S. *D.*, sentiat *Elbel., n.* 263, *cum Fil., Pot.*, etiam cum affectu ad vas præposterum, non videri nisi impropriam sodomiam, cum inter fœminas non possit dari copula perfecta. In praxi autem quoad pœnas et reservationem hoc teneri potest: *Odia sunt restringenda. Bon., Salm., n.* 112, *aliique.*

3.° Verius est explicandum in confessione quisnam fuerit agens, vel patiens in sodomia, cum in agente facilius adsit pollutio quam in patiente, ait S. *Lig., n.* 468, *cum aliis.* Sed negant *Salm., n.* 87, *Gury, aliique;* nam coëuntes communiter ambo se polluunt. In praxi sufficere videtur, (nisi aliud suggerat prudentia), pœnitentem marem interrogare, an se polluerit, et de hoc silere quoad fœminas ratione impotentiæ et scandali.—Juxta communem opinionem est inquirendum an fuerit perfecta, vel imperfecta sodomia, præcipue quoad reservationem.

4.° Probabilius omnis coitus sive naturalis, sive innaturalis inter propinquos usque ad 4.ᵐ gradum, sive sint consanguinei, sive affines, sive

cognati spirituales, sive legales incestus malitiam induit; nam ex lege Ecclesiæ iis omnibus debetur reverentia et pietas specialis. Ita *S. Lig., n.* 469 *cum communi. Alii* tantum id admittunt usque ad 2.m gradum. Ita *Bon., Azor.*, etc. *Alii* de perfecto coitu in vase debito solum id tenent. —5.° Qui polluitur tactibus alicujus conjuncti usque ad 4.m gradum, vel alios habuerit impudicos tactus, incestum commisit, et explicare debet personæ speciem, an fuerit consanguinea, conjugata, etc. Ita *Salm., n.* 94, *S. Lig., n.* 469 *cum communi.* Item confiteri debet, an sodomiam habuerit cum invita, sacra, consanguinea, affine, vel conjugata persona, ratione stupri, sacrilegii, incestus, adulterii. *Salm., Scavini, S. Lig., ibid. cum communi.*

934. **Pœnæ in sodomitas statutæ.** Jure canonico, si sodomitæ laici sint, excommunicationi ferendæ subduntur, ac infames declarantur. *(C.* 1 *de Excess. præl.)* Si clerici, vel religiosi sodomiam frequentant, ex Bulla *Horrendum* S. Pii V, privantur omni beneficio, officio, atque privilegio clericali. Insuper præcipit S. Pontifex, ut ii sæculari potestati tradantur. Jure diœcesano generatim adest reservatio. Sed ad prædictas pœnas incurrendas requiritur 1.° ut sodomia sit perfecta, nempe, maris cum mare; nam maris cum fœmina non est vera sodomia; hujusmodi concubitus etiam cum affectu ad vas præposterum non videtur nisi sodomia impropria;—2.° ut sit consummata intra vas; nam lex pœnalis semper exigit, ut crimen sit perfectum, et consummatum. *Ita S. Lig., n.* 471, *Suar., Salm., c.* 7, *n.* 109, *Scavini, n.* 436, *cum communi.* Controvertitur an clericus sodomiam patiens pœnas incurrat: probabilius affirmant *Salm., n.* 117, *S. Lig., n.* 471, nam patiens est vere sodomita. Communior est, quod ante sententiam, saltem declaratoriam, in prædictas privativas pœnas non incurritur, ut de omnibus privativis dicitur, etsi dicatur *ipso facto, canonis auctoritate,* etc. (*S. Ligor., l.* 3, *n.* 472, *aliique).*

935. **De bestialitate.** *Infandum, execrandum*, gravissimumque scelus inter omnia, ait *D. Lig., n.* 474, est *coitus cum bestia.* In lege Mosaica præcipiebatur: *Qui cum jumento et pecore coierit, morte moriatur; pecus quoque occidite.* (Levit. xx).—Ad hoc peccatum reducitur, ut communissime dicunt, concubitus cum dæmone, et accedit etiam scelus superstitionis; et si in forma humana apparet, esset peccatum contra naturam, et affective esse posset etiam adulterii, incestus, vel contra religionem; si personæ circumstantia in delectationem intret. Secus si qua pulchra. Ita valde probabiliter S. *Lig., n.* 475. Confiteri non debet pœnitens quænam fuerit bestia; neque an sit mas, vel fœmina; tota siquidem deformitas consistit in accessu ad speciem diversam. (S. *Ligor., n.* 474, *cum communi*).

CAPUT VII.

De osculis, amplexibus, et tactibus impudicis extra conjugium.

936. **Oscula, et amplexus** extra conjugium quadrupliciter haberi possunt: I. Ex *patriæ consuetudine,* aut ex *animi benevolentia, vel necessitate;* tunc dummodo sint in se honesta, et habeantur juxta morem pa-

triæ, vel urbanitatis gratia, et cum recta intentione, illicita non sunt, etsi suboriatur aliqua sensibilis delectatio, ubi nullum adsit periculum venereæ delectationis; quamvis sint inter sponsos de futuro ad captandam voluntatem, amorem honestum, etc.—Venialia erunt, si cum modica, et levi delectatione fiant. (*S. Anton., Scavini*, *Ferraris, Ballerini, n.* 413, *S. Lig., n.* 417, *cum communi).* Pueros, vel puellas osculari, etsi cum sensibili delectatione, non est ut plurimum nisi veniale; nam hæc ordinarie non est nisi sensibilitas naturalis. *(Sanch., n.* 902, *Spor., aliique).* Imo secluso quovis pravo affectu, omni culpa vacat. *(Gury, n.* 415). Intellige, valde pueros. *S. Lig. l. c.* Ast semper dedecet clericos puellas osculari.

II. Ex *animi levitate, joco, curiositate, vel petulantia, aut affectu sensuali, ac naturali;* tunc ex se venialia erunt, tum ratione rei, tum ratione modi, si absit consensus, vel scandali periculum; (quod raro continget; maxime si hæc ab ecclesiasticis fierent); quia cum in se honesta supponantur, tantum deficiunt in modo *per se* non graviter indecente. Si præter intentionem suboriatur venerea delectatio, tunc ab illis est abstinendum. *S. Lig., ibid.*—Si vero hæc crebro contingant cum mora, vel ardore, aut si cum ore ad os fiant, vel lingua introducta, maxime inter diversi sexus personas, grave peccatum erunt; valde siquidem ad libidinem excitare solent. *(Ita Sanch., n.* 902, *Croix, n.* 900, *S. Lig., n.* 417, *Scavini, Gury, etc.).* Unde maxime esset exoptandum, ut actus hujusmodi, præsertim inter viros ac mulieres, a christianorum moribus prorsus exularent.—Sed non facile de mortali sunt damnandi juvenes diversi sexus, aut alii, qui decenter ex more patrio se amplexantur, etsi urgendi sint, ut sese ab hoc abstineant.

III. Si *fiant ex intentione delectationis mere sensibilis,* mortalia facile erunt; nam ob naturæ infirmitatem est seipsum proximo periculo exponere in carnalem delectationem labendi, uti supra de delectatione diximus. In praxi vix ac ne vix sensibilis delectatio a venerea separatur; maxime vero si oscula, amplexus, tactus repetita, vel morosa, aut diuturna sint. *(Ita Croix, Scavini, Gury, n.* 414, *S. Lig., n.* 417).

Oscula, amplexus vere impudici in parte inhonesta alterius personæ, vix unquam a peccato mortali excusari possunt, etiam secluso affectu venereo; gravem quippe indecentiam, ac imminens libidinis periculum inducunt. Facilius quidem excusantur, si in ejusdem, quam si in diversi sexus persona fiant. (*S. Ligor., n.* 419-420, *Gury, n.* 413).

IV. Ex *intentione venereæ delectationis.*—Si vero ex venerea delectatione fiant, tam in partes inhonestas, ac minus honestas, (uti in pectora diversi sexus), quam in honestas, quocumque modo fiant, semper mortalia erunt; semper namque adest saltem finis inordinatio graviter mala, et ejusdem naturæ ac actus consummati censentur, in quem natura sua tendunt; et etiam specialem malitiam circumstantiarum personarum continent; nempe, incestus, si inter propinquos fiant; adulterii, si inter conjugatos; sacrilegii, si inter personas sacras. (*Ita Scavini, Gury, S. Lig., n.* 415, *et* 417, *cum communi*). Dicuntur partes *turpes, obscœnæ, inhonestæ,* partes *genitales*, iisque proximæ;—*minus honestæ* vero, et non *turpes* dicuntur *pectus, brachia, crura.* (*S. Lig., l.* 3, *n.* 422).—Unde non graviter peccat persona soluta, oscula, et amplexus admittens, si sint *ex se* pudica, et juxta morem patriæ; quia censentur honesta in se, et in fine, nisi de pravo affectu constet.—Secus vero, si fuerint in se impu-

dica, indecentia, vel morosa, aut furtiva; tunc enim præsumitur malus affectus. (*S. Lig.*, *l.* 3, *n.* 430).

937. **Impudici tactus.** I. *In proprio corpore.* Si adsid aliquis finis honestus, v. g., ad corporis sordes, vel infirmitates expellendas, nullum erit peccatum, etsi aliqua suboriatur tentatio, modo eam voluntas aversetur. (*Gury*, *Scavini*, *S. Lig.*, *n.* 419). Si vero nullus adsit honestus finis, sed ex levitate, curiositate, vel joco tactus procedant, veniale non excedunt, secluso affectu venereo, ac consensus periculo; ut si obiter fiant, ac non repetitis vicibus; nam sic libidinis non sunt admodum incentivi. Si studiose, et morose fiant, mortales erunt, ut patet. Idem ad aspectum extendunt. Ita *Salm.*, *n.* 43, *Gury*, *n.* 416, *Scavini, S. Lig.*, *n.* 419, *cum communi.*—Tactus proprii corporis naturali aliquo, et non malo fine, v. gr., frictione pruritum non venereum extinguere, modo absit pollutionis periculum, aut consensus in eam, si improviso, præter intentionem forte obveniret, ne veniale quidem erit. *Less.*, *n.* 63, *Sanch.*, *S. Lig.*, *n.* 419.

II. Si *in alieno corpore* fiant, et adsit aliqua necessitas, v. g., medicandi, secluso pravo fine, ac consensus periculo, etsi involuntaria pollutio sequatur, nullum erit peccatum, ut patet ex supra dictis.—Si vero nulla adsit causa honesta, *regulariter* a mortali excusari nequeunt qui pudendas, vel vicinas partes alterius, etsi ejusdem sexus, tangunt, (nisi per jocum, petulantiam, curiositatem, ac leviter fiat, et non ex proposito); etiamsi fiat tactus super vestes; talis enim actio *per se*, et *natura sua* vehementer ad venerem quidem incitat; maxime vero si fuerit in persona diversi sexus, (etiamsi excluso affectu venereo), ob gravem indecentiam, ac semper imminens libidinis periculum. (*Scavini*, *n.* 780, *Gury*, *n.* 413, *S. Ligor.*, *n.* 419.)

III. *Tangere sinum, vel ubera fœminæ ex proposito*, maxime si hujusmodi tactus sint pressi, et morosi, difficulter a gravi peccato excusari possunt; nam si non adsit affectus libidinosus, certo ex tali tactu sequetur, forsan in utroque. (*Goritia, Scavini, p.* 439).

IV. *Si tactus inter impuberes ex levitate, curiositate, et joco fiant*, absque ulla venereæ delectationis intentione, nec periculo, a gravi sæpe excusari poterunt; cum in ipsis non videantur graviter in luxuriam inducere. Tamen graviter sunt semper reprehendendi. (*Scavini, ibid.*).

V. *Ancillæ, et nutrices, quæ dum spoliant, vel induunt infantes partes horum pudendas ex levitate, vel curiositate obiter aspiciunt, vel tangunt, per se* graviter non peccare videntur; nam hoc ordinarie non est conjunctum cum gravi delectatione. Secus si cum mora, aut carnali delectatione illud agant. Ita probabiliter *Croix*, *n.* 902, ait *S. Lig.*, *n.* 420. Tamen graviter sunt reprehendendæ; parvulos siquidem scandalizant, pravos habitus infundunt, ac simul ipsæ eos acquirunt, qui postea in profundum luxuriæ facile illas inducent. (*Scavini*).

938. Q. *Quid de illa, quæ tactus admittit?*

R. 1.º Si tactus censeatur pudicus, ut prehensio, contractio manuum, amplexus, et oscula juxta morem patriæ, non peccat, nisi clam, vel ei constet pravo affectu fieri; nam huic cooperari non licet. Et si consentit, dupliciter peccat, tum ratione actionis, tum cooperationis.—2.º Si illa admittat, ne suspicionem infamiæ ingerat, vel ne alii scandalizentur, eam excusant *Tour.*, *Silv.*, *Salm.*, *n.* 62, *cum communi.*—3.º Si tactus sint im-

pudici, ut mamillarum, etc., vel oscula furtiva, et morosa, vel indecentia, peccat; nam tunc præsumitur malus affectus. *S. Lig., n.* 430. (V. n. 24).

Item graviter increpanda est mater, quæ filios omnino nudos discurrere sinit, vel una simul in lecto collocat, vel pueros cum fœminis, aut pueros jam grandiusculos una cum ipsa dormire facit, etsi prætextu quod lecto caret, cum tanto pudoris, ac verecundiæ periculo.

939. Q. *Quid circa brutorum pudenda tangentes?*

R. I. Tangere genitalia brutorum ex libidine, vel quando ex hoc aliqua venerea quæritur delectatio cum mora, ac studio, præsertim usque ad seminis belluini effusionem, probabilius semper mortale est; hoc enim *per se* vehementissime ad venerem allicit. (*Croix, Spor., S. Lig., n.* 420, *cum communi* contra *Dian., et Sanch.*). Non vero declaranda videtur circumstantia, si ope linguæ bestiæ veneream voluptatem, aut pollutionem in se quis excitaverit. (*Gury, n.* 435, *S. Lig., n.* 474).

II. Si secus fiant tactus, ordinarie veniale saltem erunt. (*S. Lig., n.* 420, *Elb., Scavini, n.* 922). Caute sunt de hoc interrogandi juvenes rusticani, qui ob actus impudicos in bestiis visos, sæpe circa hanc rem tam cum illis, quam secum, et cum sociis graviter peccant, et in confessione id tacent; quod non raro sacrilegiorum origo est.

CAPUT VIII.

De aspectibus impudicis.

940. **Aspectus turpes in proprio corpore** triplici modo contingere possunt: 1.° Mortale semper erit se ipsum impudice aspicere studiose, ac morose sine causa, ratione periculi, ac finis libidinosi, ut patet. — 2.° Veniale erit obiter se aspicere ex levitate, vel curiositate, secluso consensus periculo; cum hoc non graviter moveat. (*Ita Tour., Silv., Sanch., S. Lig., n.* 419).—3.° Nullum erit peccatum, si honesto fine necessitatis, vel utilitatis absque ulteriori periculo hoc fiat, sicuti de tactu diximus, n. 937.

941. Q. *Quid de turpi aspectu ejusdem sexus personæ?*

R. 1.° Mortalis erit, si aspiciens ad turpia sit valde inclinatus; vel aspectus sit nimis diuturnus, aut cum venerea delectatione; nam in hac naturæ corruptione, ut plurimum, tunc illius concupiscentia stimulos suos acuet; saltem hujusmodi adest periculum.—2.° Venialis erit, si ex levitate, vel curiositate, secluso consensus periculo, (nisi pulcher adolescens aspiceretur nudus), saltem si obiter hoc fiat; cum ex se non videatur graviter honestati adversari, neque ad luxuriam inclinare. (*S. Lig., n.* 420, *Scavini, n.* 792).—3.° Nullum erit peccatum, si honesto fine absque libidinis periculo fiat; ut in balneo servientes, infantium sordes abstergentes, ægrotos medicantes.

Tamen graviter sunt reprehendendi nudi simul natantes, maxime si personis diversi sexus oculis se objiciunt, quod sine gravi scandalo fieri nequit. (*Scavini, n.* 440).—Verumtamen nudi, præsertim impuberes simul natantes, vel se lavantes, etsi sese leviter aspiciant, vel tangant, *per se* non graviter peccant, citra affectum, et periculum venerei consensus. Ita

Laym., *Sanch.*, *Trull.*, *et communiter* ait *Gury.*, *n.* 418.—Morose aspicere animalium coitum, periculosum est, ac subinde turpium desideriorum occasio, voluptatum, et spiritualis ruinæ in juvenibus, ac pueris; nam ex illis addiscunt quod ignorare eis decet. *Salm.*, *n.* 13, *Croix*, *n.* 903. Excusantur tamen conjungentes equos, tauros, et similia ad procreandum prolem, dummodo absit libidinosus animus, etsi exurgat motus libidinis, cui adversentur. *Tour.*, *Tamb.*, *Elb.*, *n.* 211, *Holz.*, *n.* 711.

942. Q. *Quid de inhonesta alterius sexus aspicientibus?*

R. I. Lethale ordinarie est humanum concubitum, vel partes inhonestas, aut viciniores, etsi tenuissimo velo coopertas, sine justa causa aspicere, licet absit venereus affectus, nisi a longinquo, vel brevissimo tempore fiat absque turpi affectu; nam talis aspectus aut a libidine ortum habet, vel ad eam proxime conducit, semperque gravem affert indecentiam. *Scavini*, *Gury*. *n.* 414, S. *Lig.*, *n.* 421, *cum communi.*

II. Veniale erit aspicere mulieris pulchræ faciem, vel partes minus honestas, velut brachia, crura, superiorem pectoris partem, seclusa diuturnitate, lapsusque periculo; hoc enim *per se* grave periculum non est, nisi aspiciens ad venerem sit valde proclivis. *Holz.*, *n.* 712, S. *Ligor.*, *n.* 425.—Idem dicendum de senibus, aliisque valde frigidæ complexionis, si absit commotionis periculum; vel de pueris res etiam inhonestas, et de viris infantulum nudum aspicientibus: primi equidem parum moventur; ultimi movent parum. Ita *Salm.*, *n.* 12 *et* 13, quod merito non admittit *S. Ligor*, *n.* 421, ratione periculi concupiscendi, etc., addens: ego difficulter excusarem a mortali quemcumque deliberate aspicientem pulchrum adolescentem nudum saltem ratione periculi, vel pravi affectus.—Unde non nisi leviter peccare videntur matres, ac nutrices aspicientes infantulos lactantes; item ancillæ pueros sibi commissos aspicientes; aut in denudatum pectus mulieris vetulæ, aut junioris nondum formatæ oculos figentes; nisi ista morose faciant, vel iteratis vicibus, aut pravo affectu. (*Gury*, *n.* 418).

III. Nullum est peccatum *per se* aspicere partes honestas personæ diversi sexus, etiam pulchræ ex simplici urbanitate, vel honesta causa; deest quidem inordinatio;—veniale erit si ex curiositate, vel aliqua morositate fiat, ratione aliqualis periculi;—et erit mortale, si aspectus sint diuturni, maxime si inordinato amore erga ipsam quis feratur; vel adsit libidinosæ delectationis periculum, præsertim si exurgat commotio spirituum. Ita *communiter Salm.*, *Gury*, *S. Anton.*, *S. Lig.*, *n.* 422.

943. **Picturas obscœnas aspicere.** I. Veniale *per se* erit ex mera curiositate, vel levitate, secluso turpis delectationis periculo, picturas obscœnas obiter aspicere; aut si infantes tantum repræsentent; nam picta non movent sicut naturalia. *(Billuart, aliique).*

II. Mortale erit eas aspicere, cum adsit turpis delectatio, vel proximum ejusdem periculum, maxime si quis picta alterius sexus pudenda aspiceret; difficulter sane a turpi delectatione cavere poterit; nisi aspiceret per brevissimum tempus, vel in magna distantia. *(Gury, Scavini, p.* 441, *S. Lig.*, *n.* 424).

III. Graviter utique peccant illi, qui has obscœnas imagines detectis pudendis pingunt; ac etiam qui eas publice, vel domi omnium aspectui expositas retinent; cum se, et alios, maxime adolescentes utriusque sexus, ad libidinem provocent. Unde monet Trident., sess. 25: *Omnis*

lascivia vitetur, ita ut procaci venustate imagines nec pingantur, nec ornentur. S. Lig., l. 2, n. 56.

944. Q. *An aspectus, non secus ac tactus, induant malitiam personæ turpiter aspectæ?*

R. Nega probabilius, si absque ullo desiderio fiant; non enim censentur proprie, et natura sua in actum consummatum tendere. Hinc aspectus consanguineæ, conjugatæ, vel sacræ personæ, non induit incestus, adulterii, aut sacrilegii malitiam. *(Gury, Croix, S. Lig., n.* 421).

945. Q. *An peccent qui larvati, seu personati incedunt?*

R. Nega *per se*, nisi ex pravo fine, vel modo indecenti, vel cum aliorum scandalo, aut si congressus adeant, in quibus proxima peccandi plerumque occasio adsit. *(Gury, n.* 239)

945. **Mulier viriles vestes induens.** 1.° Nullum peccatum aderit, si justam ob causam absque pravo fine fiat;—2.° veniale erit si ex levitate, et joco, præciso autem scandalo, aut libidinis periculo; quia in hoc ratione sui non apparet gravis turpitudo;—3.° mortale vero erit, si causa lasciviæ, vel ejusdem occasione, aut cum alterius scandalo id fiat, uti ex dictis patet. *(Gury, Scavini, n.* 888, *S. Lig., n.* 52, *et* 425).—Hinc illud Deut., c. XXII: *Non induetur mulier veste virili, nec vir utetur veste fœminea: abominabilis enim apud Deum est qui facit hæc.*

947. Q. *An graviter peccet mulier ornatum gerens superfluum?*

R. I. Nullum commitunt peccatum mulieres, si se ornant, aut pingunt juxta consuetudinem patriæ, ac status conditionem, et licet aliquid superaddant ornamenti, ut aliquem defectum occultent, vel ut placeant viris, quos habent, vel ut sponsum reperiant; nam ornatus ex natura sua ad status decorem exigitur, et tunc ex fine satis cohonestatur. Idem, si capillis non velatis incedant non ex vanitate, sed ex consuetudine, quæ alioqui laudabilis non est. *S. Thom., S. Lig., n.* 425.

II. Veniale erit ex se, si ornamenta adhibeant mere ex vanitate, levitate, jactantia; vel si ornatus sit superfluus, aut præter status conditionem, sive per excessum, sive per defectum.—Item veniale erunt fucationes, seu vultus picturæ ad fingendam pulchritudinem mere adhibitæ.

III. Mortale erit, si se ornant, vel pingunt animo viros ad libidinem provocandi, vel ad lasciviam fovendam. *(Ita Gury, Salm., n.* 15, *S. Thom.,* 2. 2, *q.* 169, *a.* 2, *ad.* 2, *cum communi).*

Q. *An mulier ornatum dimittere teneatur ad vitandum aliorum scandalum?*

R. Si ornatus sit moderatus, et decens, *per se* eum dimittere non tenetur; cum de se actus malus non sit, neque per se rationem scandali activi habeat magis quam naturalis pulchritudo; imo grave esset ad hoc obligare. *Ita Suar., n.* 10, *ex communi sententia,* ut ait *Ballerini, n.* 239. —Erit tunc scandalum acceptum, non datum.

948. Q. *An graviter peccent fœminæ nudato pectore incedentes?*

R. I. Mortaliter peccant, si nudatis brachiis, scapulis, et pectore incedunt, ac nudatio sit valde notabilis, et immoderata, non obstante quacumque consuetudine, et maxime quæ hunc morem alicubi introducunt; hoc *ex se* ad libidinem profecto juvenes non parum excitat.

II. Veniale erit, si non sit ita immoderata, præsertim consuetudine adveniente; nam consuetudo facile a gravi peccato excusat; quatenus concupiscentiæ vim notabiliter minuit: *ab assuetis non fit passio.* Com—

muniter non est damnanda de peccato mortali moderata pectoris denudatio, nisi sermo sit de illis, quæ hunc morem alicubi introducunt. *(Ita S. Lig., l. 2, n. 55, Gury, ibid.)*

Sed difficultas est, quænam sit moderata, et quænam immoderata denudatio. Circa hoc varia pro variis locis consuetudo esse potest: *qualitas* (inordinata) *ornatus communiter peccatum inducit veniale; si indecens, ac minus castus sit, ut ornatus mulierum monstrantium media ubera. Verumtamen ubi consuetus est jam mos, sine peccato videtur*, ait *Cajet.* (*Sum. V, ornatus*). Et *Lessius, n.* 112, ait: *potest esse peccatum mortiferum, si pudenda non satis tegerentur; secus in nudando pectore, ut Cajet., Fum., Nav., nam partem illam nec natura, aut pudor postulat absolute tegi. Grave tamen esset hujusmodi morem introducere.* Ita etiam *Azor., Sanch., Bon., Salm., n.* 16, *et alii,* quibus adhærere videtur S. *Ligor., ibid.*

Et confessarius, vel concionator non facile de mortali pœnitentem, vel morem damnet, si non potest clare percipere, utrum sit mortalis denudatio, licet exprobanda sit; tunc enim conscientiam faceret de mortali; ac licet *ex se* non esset mortale, contra illud postea facienti mortale erit. (*Ita* S. *Antoninus*).

Tamen memorandum, et applicandum, in quantum fieri possit, illud Tertuliani: *Oro te, sive mater, sive soror, sive filia virgo... vela caput tuum; si mater propter filios, si soror propter fratres, si filia propter patrem... omnes in te cetates periclitantur.* (De vid. vel. c. 66).

In praxi circa novitates decentes sæpe melius erit tacere, quam fortiter eas reprehendere, ut de choreis dicetur.—Circa indecentes caute, modeste, ac fortiter agat sacerdos. Porro luxus immoderatus certo animos corrumpit, virginalem pudicitiam, conjugalemque fidem venalem facit; furto, luxuriæ, ac omnibus flagitiis portam aperit; ita ut fascinati altiora officia, ac religionis exercitia, et finem ultimum plerumque negligant.

CAPUT IX.

De sermonibus impudicis.

949. Q. *An sit mortale turpia verba proferre?*

R. De se malum non est verba turpia proferre, aut audire, sed hoc pendet a bono, vel malo fine, quo verba proferuntur. Ita *Sanch., n.* 34. Unde: I. Mortale est 1.° turpia loqui, canere, scribere, delectationis venereæ causa, aut cum aliorum scandalo, vel cum proximo consensus periculo; vel si ea sint nimis lasciva, ut si nominentur, etsi ex levitate, alterius sexus pudenda, aut copulandi, vel polluendi, et maxime generationem impediendi modus; de vel licitis, ac illicitis inter conjuges, loqui saltem si præfata dicantur coram juvenibus. *Deponite et vos... turpem sermonem de ore vestro.* (Col. III). *Corrumpunt mores bonos colloquia mala.* (I Corint. XV). *Ita Scavini, Salm., c.* 5, *n.* 19, *Gury, n.* 420, *S. Lig., n.* 426.

2.° Item graviter *ex se* peccant qui verba turpia proferunt ob solam delectationem ex ipsa rerum turpium cogitatione captam in se ipsis, vel in aliis; vel cum talis delectationis periculo, vel gravis scandali; vel qui, jocando, eadem verbis æquivocis, sed satis notis ob delectationem exprimunt. *(Gury, S. Ligor., n.* 426).

3.° Item, qui ob jactantiam propria peccata turpia narrant: et quidem facillime tripliciter, nempe, peccato complacentiæ, scandali, ac jactantiæ de peccato commisso. *(Gury)*.

4.° Item, qui carmina valde turpia componunt, canunt, vel libenter audiunt; et dupliciter non raro, scilicet peccato complacentiæ, et scandali.—Tamen non semper graviter peccant, qui turpia audientes parum rident, non de rebus ipsis, sed de modo dicendi; si absit scandalum, ut non parum præberent religiosi, et sæpe etiam juvenes, et fœminæ ridentes; vel carmina tantummodo æquivoca conficientes, vel coram aliis ea canentes. (Sc*avini*).

II. Veniale *per se* erit 1.° turpia proferre non graviter obscœna, si obiter fiat, per jocum, aut vanum solatium, ut communiter sunt turpia dicteria, quæ hodie frequentissime, non solum a messoribus, vindemiatoribus, mulionibusque, sed etiam ab omnibus fere hominibus non piis proferuntur; nam plerumque lubrice dicuntur, et audiuntur: aliunde *ab assuetis non fit passio*. Excipe si audientes ita debiles sint, ut scandalum patiantur. (*Gury*, SS. *Anton., Lig.*, *n.* 426). Nominare autem pudenda proprii sexus coram aliis ejusdem sexus puto, communiter loquendo, grave non esse, ait S. *Lig.*, *n.* 426.

2.° Idem dic de teneris colloquiis, etsi cum personis diversi sexus, licet periculis plena sint, præsertim si diuturna, sæpe repetita, vel in locis solitariis, aut cum inordinato affectu, vel coram puellis, ac pueris, vel cum periculo malæ delectationis in ipso proferente, vel in aliis. (S*alm.*, *n.* 20, *Gury*, S*cavini*, S. *Lig.*, *n.* 422–426).

3.° Item si turpia proferantur inter personas, in quibus vel nulla, vel levis carnis commotio excitari solet, uti inter conjugatos, vel senes, qui venereis assueti parum ordinarie moventur.—Videant tamen conjugati, et senes, ne aliis, maxime junioribus, gravi scandalo sint, et præsertim ab hoc cavere debent parentes, et domini; nam *hujusmodi impressiones tenello animo infixæ hærent, et serius, vel citius in fœdissima ulcera prorumpunt*, ut recte ait Stapf., § 482.

950. **Turpia audire.** Idem fere dic de audiente, ac de proferente, et non raro ex auditu veniunt maxima scandala, et flagitia. S. *Lig.*, *n.* 426.—Cæterum hac in re notamus cum S*cavini*, *p.* 442: Qui turpia audiunt, vel sunt superiores, vel non: si 1.m proferentes cohibere tenentur quantum possint;—si 2.m eos admonere debent, si speretur fructus, aut saltem tacere, præsertim mulieres, quibus summopere cavendum est, ne ridendo, aut aliis modis assentire, vel excitare videantur, non sine juvenum scandalo, ut passim hodie fit.

CAPUT X.

De amoribus, theatris, et choreis.

951. **Amores inter juvenes.** Per se justa causa adest, cur adolescens ante sponsalia futuram sponsam invisat ad ejus mores, capacitatem, indolem, ac moralitatem cognoscendam; consequenter ipsam aliquoties alloqui. Tota ergo quæstio vertitur de illo peccandi periculo supra relato circa aspectus, colloquia, oscula, amplexus, et similia, quæ sæpe in iis amantibus ad luxuriam proclivibus reperiuntur; repetitio sane propensionem generat, propensio ad passionem ducit, passio mentem obtenebrat, et sic amantes in mille crimina ruere facit, experientia teste.

952. Q. *An absolvi possit procus, qui fœminam frequenter visitat, in cujus occasione peccat?*

R. *Posse absolvi*, dicit Giribaldi, de Pœn., c. 10, d. 3, n. 31, *quando visitationes sunt secundum patriæ morem, a quibus non potest sine nota, et dedecore abstinere, quia putaret sponsa se contemni, eo quod illam non visitaret, sicut alii sponsi faciunt: quod idem valet de sponsa, quæ ex locutione, et aspectu sponsi distillationem, aut pollutionem patitur; non enim aspectum sponsi fugere tenetur, si alias non habeat justam causam, vel excusationem; modo aspectus, et verba sint honesta, et secundum patriæ morem, ac sine nota, et dedecore vitari non possent.* — Hic supponitur non consentire in malum sponsam, ac emendare proponere sponsum; aliter profecto absolutione indigni forent.

Media autem confessarius suggerat, et pro prudentia sua amantes absterreat, prouti valeat, ab exhibendis iis benevolentiæ signis, quibus concupiscentiæ fomes excitari facilius potest; et maximo exigendum: 1.° ut nunquam solus cum sola, nec in obscuro, vel secreto loco versentur; — 2.° cum parentibus, et maxime cum matre severissime est agendum, si non continuo eos vigilat, ad quod impellere debet non modo conscientia, sed filiæ bonum spirituale, et temporale, præsertim honor; — 3.° quod si remedia a confessario proposita optatum fructum non sortiantur, illud unum superest, ut cum istis agatur non secus ac agendum est cum recidivis, vel positis in occasione proxima necessaria. (*Ita Ballerini, n.* 413).

953. Q. *An fœminæ sint restituturæ munuscula ad ejus voluntatem alliciendam data, sui corporis usum impetrandi causa?*

R. Nega, nullo existente pacto explicito, neque implicito pro corporis usu, etsi non consentiant in culpam; non quidem sub hoc pacto est datum pretium, sed simpliciter ad ejus animum vincendum; reputatur ergo gratis datum. Secus dicendum, si adfuerit pactum explicitum, vel implicitum de copula; tunc restituere hanc negans deberet. (*Ita Lugo, Bon., Salm., S. Lig., l.* 3, *n.* 712). — Semper autem *ex se* graviter peccat puella munuscula accipiens ab eo, a quo præter matrimonium requiritur, si de amasio agatur; mutuum siquidem, ac pravum amorem excitant, ac fovent. Melius ergo erit, ut, si puella imagines, et munuscula jam acceperit, vel restituat, vel det pauperibus, aut flammis. (*S. Lig., l.* 2, *n.* 76, *Scavini, Croix*). — Alias non facile, nisi de pravo fine constet, de peccato

saltem gravi sunt damnanda etiam inter juvenes, etsi semper fortiter reprobanda illa dona, ob periculum.

954. **Theatra**, **vel spectacula** licita, vel illicita esse possunt juxta ibi accidentia. I. Nullum peccatum *ex se* erit, sive comœdiis interesse, sive eas agere, si honestæ sint. *Officium histrionum, quod ordinatur ad solatium hominibus exhibendum, non est secundum se illicitum,... dummodo moderate ludo utantur, id est non utendo aliquibus illicitis verbis, vel factis*, ait *Angelicus*, 2. 2, *q.* 168, *a.* 3. Idem docet *S. Anton.* Secus pro modo, vel periculo erit peccatum.

II. Veniale erit, si aliquantisper ipsæ turpes sint, secluso ulteriori periculo.—Si vero fuerint notabiliter turpes, vel in se, vel in modo, etiam adhuc venialiter peccant simplices spectatores ob solam curiositatem, aut ob vanum solatium, secluso consensus periculo, et scandalo, uti de turpibus aspectibus diximus. *Sanch.*, *n.* 41, *S. Lig.*, *n.* 427.

III. Mortale demum erit eo in casu: 1.° Adolescentibus, aliisque omnibus in quibus de facili adest turpis delectatio, vel illius periculum; vel qui ob delectationem ex ipsis rebus turpibus spectant; aut suo exemplo occasionem assistendi præbent. — 2.° Clericis, ac religiosis, quos merito docet Bened. XIV *de Syn. Diœc.*, *l.* XI, *c.* 10, non posse comœdiis interesse absque gravi scandalo.— 3.° Omnibus probabilius, qui pecunia, vel plausu ad comœdias notabiliter turpes, vel impias cooperantur, etsi sine ipsis adhuc comœdiæ fierent; quia revera positive ad opus graviter malum concurrunt, nisi fiat cooperatio gravi causa necessitatis, vel utilitatis. *Ita* Scavini, *Gury*, S. *Lig.*, *n.* 427, S. *Thom.*, qui ait: *Si qui autem superflue sua in tales consumunt, vel etiam sustentant illos histriones, qui illicitis ludis utuntur, peccant, quasi eos in peccato foventes.* (2. 2, q. 168, a. 3 ad 3). – 4.° Illas componentibus, vel repræsentantibus, cum moraliter certum sit, multos inde ad malum grave incitandos, etsi magnum lucrum tantum intendant; nam opus de se ad malum satis tendit, et bonum corporis non valet bonum animæ. *Scavini*, *p.* 443, *cum Sanch.*, S. *Anton.*, S. *Lig.*, *n.* 428, *aliisque*.— 5.° Non eas impedientibus, cum teneantur ex officio, et facile, et sine majori malo valeant; vel omnibus qui commode impedire eas possunt, et etiam illis sine quibus turpes illæ comœdiæ non fierent. (*Holz.*, *Scavini*, S. *Lig.*, *ibid.*). – Unde si theatra sint veneris sacrarium, impudicitiæ consistorium, derisio sacrorum, antistitum, monachorum, et similium, nec permittere, neque agere, neque cooperari, aut eas spectare licet. (*In* Scavini, *p.* 443).

Tamen adhuc in hisce casibus ab omni peccato excusantur *ex se* milites, famuli, uxores, et filii, qui interesse tenentur ad vigilandum, vel ad dominorum, virorum, aut parentum gravem indignationem impediendam, si theatris interesse renuerent; vel aulam theatralem verrere, aut ædificium instaurare debeant, etiamsi mercede agant; cum remote tantum concurrant hi, et cum justa causa illi, modo omnes isti salutaribus præsidiis ad evertendum, vel impediendum periculum muniantur. (Scavini).

955. **Choreæ** item licitæ, vel illicitæ esse possunt.

I. *Licitæ* erunt, etiam inter diversi sexus personas, si honeste fiant, id est, remoto omni impudico tactu, gestu, affectu, et abusu; quippe tunc non est actus libidinis, sed meræ recreationis nulla lege prohibitæ. *(Ita Gury, n.* 242, S. *Anton.*, *Scavini*, *n.* 801, S. *Lig.*, *n.* 429): maxime a peccato excusantur quæ matrimonio destinatæ abesse nequeunt, quin

derideantur, vel parentibus, aut sponsis, ipsas requirentibus, displiceant. (*Gury, ibid.*).

II. *Illicitæ* graviter, vel leviter erunt, si inhonestæ ratione nuditatum, verborum, cantuum, gestuum, periculi, vel scandali fuerint, uti de aspectibus, osculis, amplexibus, et tactibus diximus; inter quas recensentur saltationes recentiores, v. g., *kankan.*—At confessarii erit judicare de particularibus casibus ex modo, motivo, et circumstantiis.

Unde 1.° qui in saltationibus grave peccandi periculum subeant, vel indiscriminatim choreis etiam inhonestis interesse velint, ab iis sub gravi abstinere debent: secus indigni absolutione erunt. (*Ita communiter cum Gury, n.* 244). Qui vero asserit in choreis nullum, aut valde remotum sibi imminere periculum, quamvis a saltationibus semper ex se sit fortiter dissuadendus, tamen *imprudenter*, ut ait *Bouvier, et injuste, atque adeo non sine gravi peccato*, ut addit *Ballerini, n.* 243, ab eo promiscue choreas vitare promissio sub denegatione absolutionis exigeretur; quia absolutio, cum pœnitens est rite dispositus, non est actus liberalitatis, quam pro lubitu suo confessarius aut tribuere, aut recusare possit.

III. Illicitæ item sunt ordinarie choreæ cum larvis; nam, experientia teste, hujusmodi ludi illecebræ esse solent ad libidinem. Larvati nimirum subinde locum præbent effreni licentiæ, quam alioqui verecundia prohiberet. Attende tamen ad varias circumstantias, et ad rationem majoris, vel minoris periculi, quod in iis reperiri potest. (*Ita Gury, et Ballerini, n.* 244). Ex dictis merito concludunt *Gury, Scavini, et maxime Benedict. XIV,* quod, etsi choreæ in se videantur licitæ, vix tamen in praxi, modo quo nunc fiunt, permitti possunt. (*Notif.* 37 *et* 76). Et merito *Trid.* (*sess.* 24, *c.* 12, *de R.*) clericis gravissime prohibuit, ne ullo tempore choreis interesse præsumant: nec decet, ut eas aspectu suo approbent. Et laicis vult saltem suadendum, ne iis intersint in festis, præsertim horis divini Officii. Huc facit illud Eccli. IX: *Cum saltatrice ne assiduus sis nec audias illam, ne forte pereas in efficacia illius.* — Certum est, choreas, prout hodie fiunt, periculi, et scandali plenas esse, innumerasque ita animas diaboli laqueis irretire; ab ecclesia, et sacramentis retrahere; ad luxus, et vanitates inducere; in spiritus dissipationem, carnis ardorem, amicitias sensuales, luxuriam, et impietatem inducere.

956. Q. *An musici vocati ad sonos edendos ubi inhonestæ instituuntur choreæ, possint tuta conscientia adire?*

R. 1.° Nega *per se;* sonus equidem intimius ipsas choreas inhonestas incendit; adesset ergo aliqua cooperatio ad malum.—2.° Tamen adire poterunt, si grave damnum alioqui sibi immineret, vel gravis injuria, aut vitæ læsio, quod raro continget. Ratio; quia cum sonus ex se sit quid indifferens, abstinere non tenetur musicus nisi ratione charitatis, et charitas non obligat cum gravi incommodo. Tunc choreæ erunt scandalum *acceptum*, vel *pharisaicum* ex saltantium malitia. (*Ita Pal.*, *Sanch.*, *Geribaldus*, *Varceno*, *p.* 383, *Scavini, n.* 957).

957. **Non expedit publice in concionibus choreas reprehendere,** generatim iis in locis, ubi sunt in usu, et reputantur quid indifferens, prout ubique fere hodie evenit; nihil sane proficeret concionator; saltantes a concionibus simul, et a sacramentis averteret, et choreas magis, ac magis ita augeret, teste experientia.—Expedit ergo ut oratores, maxime parochi, indirecte, et privatim in choreas tantum invehant, et

directe in peccata, quæ in iis committi solent.—Caveant ne imprudenter notis infamiæ afficiant tum saltantes, tum alios ad choreas concurrentes, nec minitentur, tales paschali tempore ad sacram mensam non fore admittendos. (*Ita Gury, n.* 245, *Gousset, Scavini, p.* 444).

CAPUT XI.

De luxuriæ filiabus, et remediis.

958. **Octo enumerat D. Thomas filias luxuriæ**: quatuor ex parte intellectus, quatuor alias vero ex parte voluntatis. I. *Ex parte intellectus* sunt: 1.ª *Cæcitas mentis, circa sui operis fœditatem,* juxta illud: *Species decepit te, et concupiscentia subvertit cor tuum.* (Dan. XIII).—2.ª *Præcipitatio sine consilio.*—3.ª *Inconsideratio ad Dei judicia, inferni pœnas, corporis, et honoris damna.*—4.ª *Inconstantia in propositis.*

II. *Ex parte voluntatis* sunt: 1.ª *Inordinatus appetitus sensualitatis,* in hac finem suum ultimum constituente luxurioso. — 2.ª Affectus hujus mundi, et perpetuo voluptatibus ejus fruendi in hac vita.—3.ª Horror, ac desperatio futuri sæculi.—4.ª Odium Dei, quia luxurioso spurcitias gravissime vetat.

959. **Negativa remedia luxuriæ** sunt: I. *Otii fuga: Multam enim malitiam docuit otiositas.* (Eccli. XXXIII).

II. Familiaritatis cum persona alterius sexus, etsi devotissimæ, vel propinquæ fuga, juxta illud: *In medio mulierum noli commorari.* Eccli. XLII, 12. A muliere iniquitas viri, *colloquium enim illius quasi ignis exardescit.* (Eccli. IX).

III. Fuga occasionum, v. gr. lectionis impudicæ; luxuriosæ conversationis; indecentis aspectus; tactus periculosi, juxta illud D. Augustini: *Contra libidinis impetum apprehende fugam, si vis obtinere victoriam.* (Serm. 350 de Temp.)

IV. Temperantia quoad cibum, et potum; nam *luxuriosa res, vinum.* (Prov. XX).—Hinc, si carnales tentationes oriantur ex lubrica complexione naturali, vel ex humoris abundantia, carnis maceratio, et abstinentia applicari ipsi debetur; si ex nimio somno, et corporis calore, vitentur lecti mollities, et diuturnum tempus in eo recumbere (quod non raro est divitibus, et clericis luxuriæ incitamentum), juxta illud Poëtæ: *Subtrahe ligna ,oco, si vis extinguere flammam.*

V. Fuga curiositatis, et sensuum custodia; nam *ascendit mors per fenestras nostras.* (Jerem. IX). Et D. August. ait: *Ne dicatis vos habere animos pudicos, si habeatis oculos impudicos.* (Epist. 19).

960. **Remedia positiva** vero sunt: I. Frequens, ac fervida oratio erga Purissimam Virginem, Jesum Christum, D. Joseph, etc.—Item et præcipue quotidiana meditatio novissimorum: *Memorare novissima tua, et in æternum non peccabis.* (Eccli. VII).—*Hoc autem genus* (dæmoniorum) *non ejicitur nisi per orationem, et jejunium,* ait Christus. (*Matth.* XVII). Quod in clericis est conditio fere necessaria.

II. Frequens confessio penes eumdem confessarium; quo enim magis infirmi status dignoscitur, eo magis remedium aptari potest. Item frequens, ac devota Communio, qua manducatur *frumentum electorum, et vinum germinans virgines* bibitur. (*Zach.* IX).

Circa hanc rem invigilare maxime debent parentes, collegiorum directores, et confessarii; peccatum equidem valde contagiosum est; et si semel radices jecerit, difficile eradicatur. Nisi frequenter impudici confiteantur, eorum emendatio, sine miraculo, sperari nequit, testibus S. *Philippo Nerio, Leonardo, D. Alphonso*, ac etiam experientia quotidiana.

Ad hoc plurimum confert societatem S. *Aloysii Gonzagæ* instituere ac fovere, quoad juvenes præsertim, vel SS. Cordis Jesu; et quoad fœminas confraternitatem S. Philumenæ, vel sub titulo Filiarum Virginis Mariæ, Communionem mensualem instituere, exercitia spiritualia quotannis illis ministrare, ac earum statuta apprime custodire.

FINIS T. I.

ERRATA.

PAG.	LIN.	ERRATA	LEGE
11	1	1 2, 2	1. 2, q.
58	13	altem	saltem
77	15	amitterunt	amisserunt
83	18	potent	potest
89	29	nemini	nonnisi
139	3	pœna	pœnam
141	35	Episcopum	Episcoporum
142	11	adsint decem	adsint saltem decem
155	45	omnes christiana	omnes a christiana
170	24	persona	personam
174	33	In	Id
176	15	celebrari	celebrare
180	20	pertinet	pertinent
181	13	comprehendantur	comprehendatur
187	3	V	XV
210	46	effici	efficaci
219	48	irregularitate	excommunicatione, non vero ab irregularitate
225	7	nominis	nomina
355	82	suis	ejus
358	49	est:	est correctio:
366	47	ad contractum; quippe;	; ad contractum quippe
382	31	ut inter-	ut siquis inter-
387	35	impediens	impediente
392	41	impellens	impellente
411	1	benigniorem ingre-	benigniorem quis ingre-
432	50	penderet	perderet
462	25	partis	patris
464	50	, aut	ait
476	22	nequit	potest
513	6	27	21
515	33	sit vel consecratus,	sit consecratus, vel
526	3	teneatur	teneantur
583	23	villicare	vellicare
587	32	agendum	angendos
606	5	ob	ab

INDEX.

TRACTATUS QUINTUS.

De peccatis.

TRACTATUS SEXTUS.

De peccatis capitalibus.

TRACTATUS SEPTIMUS.

De præceptis Decalogi.

De primo Decalogi præcepto, seu de virtute Religionis, de Fide, Spe, Charitate, vitiisque his virtutibus oppositis.

Pars prima.—*De Religionis actibus.*

Pars secunda.—*De iis, quæ fidei opponuntur.*

Pars tertia.—*De vitiis religioni oppositis ex defectu, seu de irreligiositate.*

Pars quarta.—*De Spei, et Charitatis actibus.*

De secundo Decalogi præcepto.

De tertio Decalogi præcepto.

De quarto Decalogi præcepto, seu de obligationibus superiorum, ac subditorum.

Pars prima.—*De obligationibus in societate religiosa.*

Pars secunda.—*De particularibus obligationibus clericorum.*

Pars tertia.—*De obligationibus publicis in societate civili.*

Pars quarta.—*De obligationibus in societate privata.*

De quinto Decalogi præcepto.

De sexto, et nono Decalogi præcepto.